Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 22
Tabla 21
Número

Nº 1

24a-5-8

R.2278
Go. V.
(1)

# CORPVS VNIVERSÆ HISTORIAE PRAESERTIM BIZANTINÆ.

*Ioannis Zonaræ Annales aucti additionibus Georgij Cedreni.*
*Nicetæ Acominati choniatæ* lib. XIX.
*Nicephori Gregoræ* lib. XI.
~~*Laonici Chalcocondylæ* lib. X. *hiſtoriæ Turcicæ.*~~

In fine etiam additus eſt locupletiſſimus rerum Index.

Dolo el P. Sanchez Sobrino




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

LVTETIÆ,
*Apud Guillielmum Chaudiere, via Iacobæa, ſub inſigni temporis.*
1567.
CVM PRIVILEGIO REGIÆ MAIESTATIS.

## EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR priuilege du Roy, eſt defendu à tous Libraires, Imprimeurs, & autres qu'il appartiendra, en quelque ſorte ou maniere que ce ſoit, d'Imprimer ou vendre vn liure, cõtenant les Hiſtoires de Zonare, Nicetes, & Nicephore Gregore, reueuës ſur les copies Grecques, & augmentees en pluſieurs lieux, la ou le fil de l'Hiſtoire eſtoit interrompu & deffectueux, par M. Iean Aymin, ſinon de ceux que Guillaume Chaudiere aura imprimé ou faict imprimer, & ce iuſques à cinq ans entiers & cõſecutifs, apres la premiere impreſſion qui ſera faicte dudict liure, ſur peine de confiſcation deſdicts liures, & d'amende arbitraire enuers nous & ledict expoſant, ainſi qu'il eſt plus amplement cõtenu auſdictes lettres de priuilege, & par ce que ledict expoſant pourra auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, nous voulons qu'au vidimus d'icelles, faictes ſoubs ſeel Royal, foy ſoit adiouſtee comme audict original: nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, pour leſquelles, & ſans preiudice d'icelles, ne voulons eſtre aucunement differé. Donné à Paris le 16. iour de Iuillet, l'an de grace 1566. Et de noſtre regne le ſixieſme.

Par le Roy le Seigneur de ſainct Martin maiſtre des Requeſtes ordinaire de l'hoſtel preſent. Signé SARRED.



## CLARISS. VIRO D. IACOBO A S. ANDRÆA, PRÆFECTVRÆ LIBELLORVM SVPPLIcum in Curia Pariſienſi Præſidi,

Gulielmus Calderius. S.

*CVM nouam meam officinam librariam, & (vt vocant) prelum bono aliquo auſpicio conſecrare vellem, Clariß. Præſes, viſum eſt ab hiſtoria incipiẽdum eſſe. Itaque conſului Franciſcum Balduinum, Iuriſconſ. clariſsimum, neque vniuerſæ hiſtoriæ minus quàm iuris ciuilis cognitione nobilem: & ex eius conſilio collegi compactum hoc veluti corpus hiſtoriæ vniuerſæ, præſertim Byzantinæ atque Orientalis: vt quod in Germania ſeorſim & ſparſim editum erat, vno volumine concluſum ederem: cùmque poſtremò Georgij Cedreni farrago prodiiſſet, quæ lectorem diſtrahebat, curaui, vt Ioannes Ayminius, homo diligentiſsimus atque ſtudioſiſsimus, ex Cedreno repeteret, & Zonaræ aptè inſereret, quod magis deſiderabatur: ſicuti concinnè id factum eſſe in tertio tomo Zonaræ lector intelliget. Cùm autem has officinæ noſtræ primitias, bono alicui patrono bonarum literarum atque ſtudiorũ optimorum, offerre atque conſecrare vellem, auſus ſum te appellare, idque etiam eodẽ auctore Fr. Balduino, qui tuam nobis auctoritatem & humanitatem ſingularem commendabat: neque tuam modo, ſed & tuorum fratrum, quorum alter in eadem Curia optimi & integerrimi & doctiſsimi Senatoris partes ſuſtinet, alter antiquitatum & hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſtudio excellit: & verò ipſius patris, cuius venerabilis ſenectus tam beata eſt talium liberorum ſucceſsione, quàm ſe meminit feliciter in eiuſdem Senatus prima claſſe multis annis antea præſediſſe. Vt autem ſpero fore, vt hiſce maximè temporibus, quibus arma Turcica Occidentem noſtrum terrent, gratiſsima ſit lectio huius hiſtoriæ Orientalis, ſic ego te appellans precabor, vt cuius Nicetæ hiſtoriam ciuilem nunc edimus, eiuſdem Eccleſiaſticam hiſtoriam Gallia legere tandem poßit beneficio doctiſsimi tui fratris, qui magnis ſumptibus, Orthodoxiæ (vt appellatur) Theſaurum ab illo Niceta olim collectum, ſed nondum in hoc Occidente viſum, ex Græcia repetiit, & in linguam Latinam conuerti curauit. Vale, vir clariß. Lutetiæ Pariſiorum, Idib. Nouemb. 1566.*

## G. GENEBRARDVS THEOLOGVS PARISIENSIS AD STVDIOSOS HISTORIÆ.

*Noſtrum hominum genus inde fugax, mortale, caducum,*
*Æterno è leto ſurripit Hiſtoria.*
*Humanæ vt ſpeculum formæ, deformia monſtrat*
*Peccata, inque oculos laudibus apta refert.*
*Ætatis natos natorum exempla prioris*
*Edocet, ad tritum poſtera ducit iter.*
*Corrigit errores, dicenda tacendáque fatur,*
*In ſumma, cunctis peruia cuncta facit.*
*Ergo ſenes iuuenéſque manu verſate perenni*
*Hiſtoricos: nunquam fructus inanis erit.*
*Inter eos veſter Zonaras magna meretur,*
*Inſtar apum è variis optima mella legens.*
*Virgilium canitis, quòd de Ennî ſtercore gemmas*
*Carpſerit, vt tantæ conderet artis opus.*
*Hunc potius cantate virum polyhiſtora, gemmas*
*Scriptorum è gemmis qui legit arte pari.*

## IDEM DE ZONARA ET CÆTERIS HVIVS HISTORIÆ SCRIPTORIBVS

ἀσκηταῖς τύποισιν τῆνο τὰ κλεῖθρα πέλεσκε,
μῦθος ὅσπερ μελίῃ αὐτῆσι σίμβλον ἔην.
ἐν σίμβλῳ αἰθῶν ἐκ πολλῶν μῦ᾽ ἀναπλάττε
κήελον, οἷσι οἶκοι πολύσοφον ἱστορίαι.

## AD MAGNIFICVM ET GENEROSVM VIRVM, D. ANTONIVM FVGGERVM, KIRCHPERGÆ ET VVEISSENhorni Dominum, Cæſareæ maieſtati à conſiliis, &c. in Ioannis Zonaræ Annales Hieronymi Vuolſij Præfatio.

O*PVS hoc hiſtoriarũ* IOANNIS ZONARÆ, *viri ſua ætate in Conſtantinopolitano Imperio clariſſimi, longo iam tēpore à multis viris doctiſsimis deſideratum, duplici potiſſimùm nomine commendandum eſſe videtur: tum propter amplitudinem & varietatem rerum, quæ in eo continentur: tum ob breuitatem, hominibus vel in republica, vel domeſticis negociis, vel ſtudiis grauioribus occupatis, vel iis quorum infirmior eſt memoria, gratam atque aptiſſimam. Neque enim cuilibet accomodatum eſt, omnia ſcripta omnium hiſtoricorum euoluere: & præcipuas res ſummorum imperiorum à mundi exordio, quantum quidem mortalitati noſtræ conceſſum eſt, vſque ad hanc ætatem, ignorare turpiſſimum. Nam ſi, Cicerone autore, inter hominem & belluam hoc maximè intereſt, quòd hæc tantum, quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quódque præſens eſt, ſe accommodat, paululum admodum ſentiens præteritum aut futurum: homo autem quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earúmque progreſſus & quaſi anteceſsiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adiungit atque annectit futuras, facilè totius vitæ curſum videt, ad eámque degendam præparat res neceſſarias: vix hominis nomine dignus eſt, qui memoria & cogitatione vltra ſuam ætatem non progreditur. Ac præſcientia rerum futurarum, ſi qua eſt, diuini potius eſſe muneris, quàm humani ingenij creditur: etſi non deſunt, qui vel natura incitati, vel arte adiuti, vel vſu rerum edocti ea prædicunt, quæ multo pòſt futura ſunt. quæ quidem facultas & latius patêret, & multo eſſet illuſtrior, ſi tria hæc in vno homine coniungerentur: præteritarum autem ignoratio, in homine literis vel mediocriter imbuto, vix vllam habet excuſationem. Neque enim in hac, vt in illa, vel de rei difficultate, vel de naturæ noſtræ imbecillitate queri poſſumus: ſed vel ſupina negligentia, vel occupatio ſuperuacanea, vel inane voluptatis ſtudium, culpam omnem ſuſtinet. Quis enim omnium mortalium ita negociis obruitur, quin, ſi parcus & prudens ſit temporis, precioſiſsimi & irreparabilis theſauri diſpenſator, vnam atque alteram horam legendo meditandóque, abſque vllo incommodo valetudinis, & rerum ſuarum diſpendio, quotidie poſsit impendere? Videmus enim, quibus nugis (ne quid dicam grauius) pleriſque tempus pereat, quòd longè rectius ſtudio ſapientiæ tribueretur. Nec iniuria vir grauiſsimus Seneca exclamat, magnam vitæ partem nihil agentibus, maiorem malè agentibus, totam aliud agentibus elabi: cóque fieri, vt neceſſaria ignoremus, quoniam ſuperuacanea didicerimus. Superuacanea porrò intelligit, immodicum voluptatum, honoris, potentiæ, pecuniæque ſtudium. Neceſſaria verò, philoſophiam, hoc eſt, humanarum diuinarúmque rerum cognitionem: quæ ſi vlli mortalium perfecta contingeret, haud dubiè omnium oculi atque animi in illum vnum, tanquam deum quendam, converterentur. Nunc quia nomen inane multi iactitant, perpauci verò ita ſunt morati, vt recta ratio poſtulabat: fit vt res ipſa vulgò non intelligatur, & nomen odioſum æquè atque ridiculum habeatur. ídque haud ſcio quàm rectè. Neque enim diſciplinæ aut vitæ genus, ob hominum inſcitiam aut peruerſitatem, iure traducitur: & qui tam ſeuerè iudicant, ne ſemetipſos quidem, niſi mentis errore afficiantur, probabunt. homines enim ſunt vt cæteri, & iiſdem affectibus obnoxij: & parum liberale eſt, vnum atque alterum næuum exagitare, diſsimulatis virtutibus, quarum in philoſophis non minima eſt, ſtudium inquirendi veri, & moderandarum cupiditatum, vt intra naturæ præſcriptum cohérceantur, eôdémque pro ſua virili perducendi quàmplurimos. Poſtulare autem vt ij ſeſe infra omnes infimos homines abiiciant, & in extremis ſordibus Cynicorum more viuant: immanis eſt in-*

Zonaræ opus

Hiſtoriarum cognitio.

Diuinatio.

Ignauia, vanitas.

Philoſophia.

*In hiſtoriis obſeruanda.* *ſcitiæ atque ſuperbiæ. Sed ad hiſtoriam redeo, quæ cum craſſior quædam philoſophia ſit, & exemplis potius quàm rationibus vitam ciuilem ac priuatam inſtituat: non dubium eſt quin magnam habeat vtilitatem cum ſumma ſuauitate coniunctam. In qua quæ præcipuè obſeruanda ſint, prudenter Liuius his verbis monet: Ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibúſque artibus, domi militiæque & partum & auctum imperium ſit: labente deinde paulatim diſciplina, velut diſcidentes primò mores ſequatur animo: deinde vt magis magiſque lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, ventum eſt. Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Hactenus ille. Sed & Cicero, præterquàm quod ait, Neſcire quid antea quàm natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum: magnis ornat laudibus hiſtoriam, cum teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis appellat. Quæ cum vera eſſe non negem (neque*

*Hiſtoria humanæ miſeriæ ſpeculũ.* *enim quorundam fabuloſa commenta rem ipſam corrumpere poſſunt) tamen ſi maxima ex parte omnium ætatum conſilia, acta, euentus æſtimemus: quid eſt aliud hiſtoria quàm ingens quoddam pelagus, ac potius naufragium miſerabile humanæ ſtultitiæ, improbitatis & miſeriæ, & ſpeculũ longè illuſtrius vitæ priuatæ & politicæ, quàm vlla comœdia aut tragœdia? Quæ cogitatio in huius Operis elucubratione perpetuò ſenſibus atque animo meo obuerſata eſt. Siue enim ſacra, ſiue profana, ſiue noua ſiue vetera occurrerẽt, ſiue Hebræa ſiue Græca tractarentur: cramben eandẽ repeti, cantilenã eandem cani videbã: omnia plena erratorũ, ſcelerũ, fraudũ, mendaciorũ, præſtigiarum, ærumnarum, diſſenſionum, cædium, excidiorũ. Vt res ipſa abundè doceat, humanũ ingenium ab ipſo ortu eſſe deprauatum: neque inanem extitiſſe diuinam execrationem, cum vbique ſudor vultus, vbique tribuli & ſpinæ, vbique ſerpentis inſidiæ appareant. Boni & ſimplices pauci ſunt: & ſi qui ſunt, ij aliàs per imprudentiam in facinus ruunt, aliàs malis exemplis corrumpuntur, aliàs à maximo improborum & callidorum numero opprimuntur. Et quanquam naturæ hominũ*

*Rationis & orationis abuſus.* *duo inſignia munera, facultas* RATIONIS ET ORATIONIS *diuinitùs ſunt conceſſa, quibus ad contemplandum & celebrandum huius vniuerſitatis opificem, & ad tuendam ac iuuandam hominum inter ipſos communitatem vtendum erat: in nullum ferè alium vſum à pleriſque ea conuerti videmus, niſi ad expeditius fallendum & nocendum, & vaſtitatem efficiendam. Annon ita plerunque viuitur, vt quemadmodum ferè in ſolitudine & ſyluis, piſces in fluminibus & mari, volucres in immenſis illis aëris ſpaciis, magna ex parte quaſi naturæ quadam lege imbecilliores opprimunt & deuorant: ita etiam in noſtro genere, callidiſſimi & potentiſſimi quique imbecillitatem & ſimplicitatem cæterorum in ſuam prædam vertunt, aliquando etiam ſine fructu, quid fructu dico? imò etiam cum periculo & incommodo ſuo aliis nocent: idque cum faciunt, quaſi re bene geſta gloriantur. Interea Theologi de iuſto Dei iudicio, de premiis piorum, de ſuppliciis improborum concionantur: cum ipſi ſeſe, quaſi terrigenæ illi fratres, acutis exacerbatæ linguæ pugionibus confodiant, eundémque morbum in animis auditorum propagent, vt haud iniuria dubitari queat, an? ſed temperãdum eſt calamo, ne ipſe in idem vicium incidam. Philoſophi de officiis præcipiunt, & ipſi ab officio ſæpe decedunt: neque ferè vſquam plus eſt iniuriæ, quàm vbi iuris plurimum: neque plus morborum, quàm in copia remediorum: nuſquam plus paupertatis, quàm in ſummis opibus: nuſquam plus dementiæ, quàm in ſumma ſapientiæ perſuaſione. quæ quidem ſapientia conſuetudinis inueteratæ, acceptæque à maioribus opinionis, & autoritatis magiſtrorum fundamentis haud ſcio quàm firmis innititur. Hinc infinita illa diſſidia religionum, doctrinarum, morum, inſtitutorum, & propter opinionum (rei leuiſſimæ) diuerſitatem capitales inimicitiæ, ſeditiones pernicioſæ, belláque atrociſſima. Inter hæc alij fremunt, alij gemunt, aliqui rident, multi flent, plures indignantur, plerique omnes conqueruntur. nemo non aliena vitia perſpicit & exagitat, ſua verò ſeriò & conſtanter emendat ferè nemo, aut ſanè pauciſſimi: in quo exiguo grege vtinam & ego meipſum numerare poſſem. Sed neſcio quo pacto exemplis magis omnes trahimur, quàm diſciplina & ratione, καὶ τὸν ἐπιχώριον, vt Ariſtophanes ait, ἀσκοῦμεν τρόπον. Pauci enim ea ſunt vel prudentia, vel animorum conſtantia præditi, vt cum vitiis & erroribus ſuorum temporum pugnare poſſint. Ita quaſi fato quodam præcipites in vitia ruimus, & ex vitiis in calamitates. Quæ fortaſſe minus multæ, aut ſaltem leuiores eſſent, ſi rectam rationẽ, & reliquos adhuc in natura noſtra diuinæ lucis igniculos, in tantis fortunæ tenebris, tanquam fideliſſimos duces ſequeremur, Quod ſi fieret, non toties fatum fatui, & cæcam fortunam cæci accuſaremus: neque noſtros errores & vitia obſcuris quibuſdam nominibus velaremus. Nulla quidem eſt in terris vel ſapientiæ, vel virtutis perfectio: & fruſtra deſcribitur nobis ille, qui apud Horatium.*

⊢ Vno



⊢ Vno minor eſt Ioue: diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.
Præcipuè ſanus: ⊣

*aut apud Gellium,* ἀκώλυτος, ἀνεκβίαστος, ἀπαραμπόδιστος, ἐλεύθερος, εὔπορος, εὐδαίμων. *Qualis, vt opinor, nemo vnquam fuit, neque futurus eſt. Omnibus enim, quod Satyricus perfàcetè addit, non modò pituita, ſed flaua & atra bilis aliquando moleſta eſt. Quod vtinam minus crebrò, & in dictis & in factis præſtantiſſimorum virorum cerneretur, alioqui doctrinam diuinarum humanarúmque rerum & integriorem, & minus controuerſam, & multo expeditiorem haberemus, & vita mortalium ærumnis longè paucioribus premeretur. Sed tantam eſſe vecordiam & malitiam, vt quaſi de induſtria miſeros & nos ipſos & alios eſſe velimus: id verò eſt dolendum. Quid enim obſtat, morbis & morte exceptis (quorum illos intemperantia voluptatum atque libidinum cumulamus, hanc ſæpe quaſi refugientem vltrò accerſimus) quominus etiam in terris aliquo modo beati ſimus? cum diuina benignitas ad victum & cultum neceſſaria liberaliter omnia ſuppeditet, modò rectè vteremur, & humaniter communicaremus. Nam peſtilentiæ quidẽ, & ſterilitates, & terræmotus, & ſiccitates, & inundationes, & ſi qua ſunt eius generis alia publica mala, in vnius hominis ætatem rarius incidunt. Bella verò nulla naturæ neceſſitate, ſed hominum, eorúmque principum & regum, quos virtute & ſapientia præſtare cæteris, & ciues ſuos reddere beatos decebat, vel ambitione, vel æmulatione, vel auaritia, vel crudelitate exiſtunt: & longè maiorẽ malorum omnium molem ſecum trahunt, quàm quæ naturæ nobis neceſſitas impoſuit. Ne verò cæteri nos excuſatos putemus, nunquã principes tantos ciere tumultus poſſent, niſi inferiores iiſdem morbis laborantes, illorum cupiditatibus non miniſtros modò, ſed duces etiã ſe præberẽt: qui honeſti laboris fuga, & ſceleſti ocij cupiditate, diuina humanáque iura omnia violare non verentur, & horribili furore, & pluſquàm belluina immanitate graſſantur: cúmque ipſi peſſimi ſint, bona etiam, aut ſaltem mediocria ingenia corrumpunt, aut cæteros quietos & tranquillos eſſe non patiuntur. Sæuum profectò & horrendum eſt Martis imperium, qui ferro & igni ſæuit, Sed paulo mitior eſt Mercurij tyrannis, qui falſis rationibus & callidis verbis miſcet omnia, & tela ferè ſuppeditat, quæ Mars eiaculetur: peſſimi ſanè Demagogi, vt ab aſtrologis appellantur, ac potius* κοσμοκράτορες *Nam* VIS & FRAVS, *iure & veritate oppreſſis, plerunque rerum potiuntur. Quòd etſi ita in promptu eſt, vt optabile ſit, eſſe obſcurius: tamen neſcio quo modo lectione hiſtoriarum magis animus commouetur, & ad conſiderandam vitæ humanæ ſiue comicotragœdiam ſiue tragicocomœdiam, & miſeriam ſimul & vanitatem, impellitur: quæ nos ad aliam vitam, piis diuinitùs promiſſam, maiori ſtudio & ardentioribus votis expetendam excitare debebant, & dum hic ſumus, etiam diligentiores, prudentiores, & moderatiores efficere, Nam tragicos caſus, quorum plenæ ſunt hiſtoriæ, vel ex ſuperbia & ambitione, vel ex negligentia & temeritate, vel ex animi libidine & iniuſticia ortum habuiſſe, ferè conſtat: perpaucos autem, dum officio fungerentur, impegiſſe. Cuius rei Zonaras noſter exempla penè innumera, in poſtremo Tomo præſertim (abſque quo ſi eſſet, poſteriorum imperatorum res geſtas magna ex parte ignoraremus) compendio proponit: in quo etſi alij alia deſiderare poſſunt (quis enim ſatisfaciat omnibus?) tamen conatus eius egregius, atque inſtitutum præclarum fuit, certam quandam hiſtoriæ quaſi diſciplinam conſtituendi, & diſperſa in plurimis voluminibus membra & partes eius, in vnum quoddam corpus redigendi, ea moderatione adhibita, vt inſtar lauti magis quàm copioſi conuiuatoris, optima potius quàm plurima opponeret, nec cõuiuas cum faſtidio dimitteret, ſed ita affectos, vt Timotheũ de Platone dixiſſe ferunt, cœnas eius etiam poſtridie delectare. Delegit enim ſibi non omnium, ſed præcipuarum gentium hiſtorias neque eas omnes ſed vel præcipuas duntaxat, vel eas quæ ad Eccleſiæ ſeriem perſpiciendam facere videbantur, conſilio iudicióque ſuo. quod ſiue probarit, ſiue non probarit omnibus: hoc illi cum multis, illud cum pauciſſmis ſcriptoribus, ne dicam nullis, commune erit. In bona tamen ſpe ſum, fore plures, qui auide accepturi, & gratis animis hoc Opus perlecturi ſint, quàm qui contempturi, aut calumniaturi. Moroſorum verò & obtrectatorum querelas atque aculeos, quis hominum deorúmue effugiat? quibus niſi quod ipſi fecerunt, nihil placet: ac ne ipſi quidem ſibi vbique ſatis placent, alioqui non aliàs aliud probarent atque improbarent. Non inficior, poſſe videri Zonaram aliàs prolixiorem, vt in Iudaica hiſtoria: aliàs breuiorem, vt in exterarum gentium rebus geſtis. In quo ſi qua culpa commiſſa eſt, excuſationem habere videtur hanc, quòd ipſe non ex ſuo ingenio deprompſit ea quæ ſcripſit, ſed ex variis autoribus collecta, in certum ordinem redegit, qui autores inter ſe diſſimilimi ſunt. Quòd autẽ non omnia perſecutus eſt, fortaſſe non negligentia, ſed de induſtria fecit. Nam omnium gentium atque vrbium res geſtas deſcribere, immenſi eſt negocij, atque adeò infiniti: vt taceam, non ſemper eſſe fructuoſum. Ac parum abeſt*

*Zonaras Synopſin ſiue corpus quoddam hiſtoriarum edere voluit.*

*quin dicam, id in tanta amplitudine orbis terrarum, non magis eſſe vel vtile, vel neceſſariū, quàm ſi quis in ciuitate maxima omnium domorum acta cognoſcere ſtudeat. Inſignia, rara, exquiſita, nos aliqua ex parte attingentia, ignorare turpe: conſectari ſingula curioſitatis potius eſt quàm eruditionis. Si Geographis, qui totius terræ formam tenere ſe profitentur, multas & magnas orbis partes ignorare licuit: cur non idem in hiſtoria quoque cum venia liceat? Iam quod ad elocutionem attinet, conciones, ſtratagemata, conſilia, euentus, eadem ferè vbique recurrunt. Nam finitimos populos plerunque de finibus dimicare, eſſe cauſas vel prætextus quoſdam bellorum, & ſubitas occaſiones, alia atque alia conſilia, ſententias, euentus, quis neſcit?*

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

*inquit ille. & alio loco:*

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri farrago libelli.

*Quæ cum ita ſe habeant, & Philoſopho autore ſingularia infinita ſint, nec vllis ſcientiæ limitibus includi poſſint: præcipua ex iis ſcire ſatis eſt (de hominibus occupatis loquor) & ordinem tēporum ac rerum geſtarum animo complecti. Quam ad rem non parum adiumenti afferet Zonaras noſter, qui ab Orbe cōdito auſpicatus, ad ſuā vſq; ætatem, hoc eſt, ad annos abhinc amplius CCCC proceſſit. In quo neceſſe habuit prima quaſi rerum geſtarum cunabula ex literis ſacris, Ioſepho atque aliis ſcriptoribus vetuſtis repetere. Quæ nobis, ſi abſque Moſe fuiſſet, planè ignotæ eſſent: cui nos, vt diuinitùs edocto, religio noſtra, quamuis aduerſante Philoſophia, credere iubet ac cogit. Vt vt ſit, autorem eo antiquiorem & certiorem non habemus. Eſt enim Iudaica hiſtoria veluti fundamentum aut principium cæterarum omnium: & gentis illius mirum quoddam fatum, vt penè totum terrarum orbem peruagata, in ſummis exterarum gentium odiis & aduerſationibus, tamen opiniones ſuas mirabili ſiue pertinacia, ſiue conſtantia defenderit, atque etiam hodie tueatur, & multos in ſuam ſententiam pertraxerit. quale nihil in cæteris populis cernitur: quorum hiſtoriæ, inſertis etiam & explicatis Danielis & aliorum prophetarum oraculis, obiter attinguntur, vt Ægyptiacæ, Aſſyriæ, Perſicæ, Macedoniæ, Romanæ. quanquam his peculiare volumen dedicauit, quod ego in duas partes diſtinxi, & Chriſtianos imperatores ab ethnicis ſeparaui, vt totum opus tripartitum eſſet: de cuius argumento hactenus. Nunc etiam de ſtylo autoris nonnihil eſt dicendum, qui cum non vnius ſit generis & formæ, ſed pro varietate autorum, è quibus hæc petita ſunt, & ipſe variet, in vltimo Tomo præſertim, qua ætate Græca pariter & Romana lingua degenerauit: eruditi homines in eo nonnihil deſiderabunt. Deſideraui & ipſe nonnihil, parſimoniam inprimis Demoſthenicæ orationis, quæ meo palato longè fuit gratior, & ad conuertendum non tantum iucundior, ſed etiam facilior: vt vt aliis difficilis videatur, & mea tenuitate ſuperior. Nam in hoc autore multæ ſunt, aut mihi certè eſſe videntur, πεϱιαττολογίαι, quæ vt Græcum ſermonem ſuo quodam genio ſæpe non infeliciter laſciuientem deceant: Latinis auribus multò ſeuerioribus, niſi multum ego fallor, permoleſtæ futuræ erant. eáque de cauſa, vbi citra ſententiæ detrimentum fieri potuit, à me alicubi prætermiſſæ ſunt. ídque cum non tam mea ſponte, quàm monitu doctiſſimorum virorum,* IOACHIMI CAMERARII & LVDOVICI CARINI, *fecerim, me facilè viris doctis probaturum cōfido. Imperitorum autem & obtrectatorum iudicia, quæ vel nulla vel peruerſa ſunt, contemno: neque facio pluris, quàm morſum pulicis elephantus Indicus. Fabris enim fabrilia tractanda ſunt, neque temerè falces in alienam meſſem immittendæ. Conceſſa omnibus eſt, ab inuidia & imperitia ad æquitatem & eruditionem prouocatio. Idem mihi ius, vbi vel decere, vel neceſſarium eſſe viſum eſt: & in dialogiſmis ad perpetuam orationem redigēdis, haud rarò permiſi, ne propria nomina, & pronomina quædam, & verbum Inquit, & alia huiuſmodi ad faſtidium vſque inculcanda eſſent. Quis enim non malit cum Ariſtoxeno redire in latomias, quàm eandem cuculi cantilenam audire toties? Vt enim Græci vel ob complures breues & commodas connexionum particulas, vel ob participiorum, quæ præteriti temporis ſignificationem habent, multitudinem, ſiue etiam aliis de cauſis, quas hic perſequi longum fuerit, à tautologiis & periſſologiis minus abhorrent, & omnia minutius & curioſius perſequuntur: ſic qui apud Latinos imitari eadem voluerit, næ is in horrendam & ineptam incidet loquacitatem? Qui igitur interpretem huiuſmodi ſalebras ſine vllo ſententiæ detrimēto vitantem, vel negligentiæ, vel malæ fidei accuſant: ſuam vel inſcitiam & iudicij inopiam, vel morbum animi & nulla de cauſa maledicendi libidinem produnt. Neque tamen indulſi mihi nimium. Nam quod Plato ait, ei qui in diſputando reſpondeat, interrogantis veſtigia perſequenda eſſe: id multomagis faciendum eſſe alienæ linguæ interpreti cogitaui. Quòd ſi is ſcriptor, quem explicandum ſuſceperis, recto itinere præceſſit, hoc eſt, ſi rerum bonitatem cum elegantia dictionis coniunxit: interpres & minus laboris, & plus laudis capit.*

*Zonaræ tres partes.*

*Conuerſionis ratio.*



*pit. Sin illius ſalebroſa eſt oratio, & res haud magni momenti continet: alienæ culpæ dare pœnas etiam interpres cogitur. Nam, vt Sophocles alio ſenſu affirmat, malarum rerum pulchra eſſe commemoratio non poteſt, & ordinem ac diſpoſitionem earum immutare vix conceditur. Vt igitur oratio interpretis Latina & pura ſit: ipſa tamen compoſitio horridum quiddam atque aſperum ſonat, membris & partibus eius non multo melius quàm arena ſine calce cohærentibus. Quæ vitia qui effugere volunt, in aliud grauius plerunque incidunt, vt dum orationi poliendæ & exornandæ impensè ſtudent, ab autoris ſententiis longè aberrent, & grauiſſimo perfidiæ crimine ſe obſtringāt. His incōmodis acutè perſpectis, ſummo ingenio & doctrina vir, Ioannes Iouianus Pontanus præclarè ſcripſit, malle ſe quemque afferre ſua, quàm offerre aliena: & quod ſcripſit, ipſe in doctrina morum & rerum cœleſtium explicanda fecit, à philoſophis & aſtrologis petita materia, quam ſuo arbitratu & collocaret, & exornaret. Sed tanti viri exemplum ego imitari, præſertim in hoc ſcripti genere, & ingenij tenuitate & aliis incommodis impeditus, neque poſſim, neque auſim. Illud mihi ſatis fuit, vt ſententias bona fide appenderem, & dictione, quantum ipſe autor & orationis meæ paupertas pateretur, quàm minimè aſpera vterer, aut barbara. Nec tamen ipſe mihi vbique ſatisfeci: & in meæ infelicitatis parte numeraui, quòd in autorem luculentiorem non incidiſſem. non quòd hunc reprehendam: ſed quòd vereor, ne ab aliis ipſe reprehendar, qui nihil niſi florem dictionis ſequuntur, qui profectò in breuitate Annalium locum non habet. Vbertatem Liuij quæris? at orationis diuitiæ cum paupertate rerum coniungentur. Diligentiam in minutiſſimis quibuſque perſequendis poſtulas? atqui in immenſum volumen excreſcet hiſtoria: nec iam compendiū erit, ſed diſpendium, aut potius furtum. Nam quem prolixitas voluminum delectat: is non epitomas, ſed hiſtorias legat. Quas ſi omnes meminit, bene eſt: ſin minus, Zonara tāquam indice & monitore vtatur: ac cogitet, nihil ab omni parte beatum eſſe, & multiplicem variarum rerum in vno non vſque adeò magno volumine cognitionem, ſtyli incommodis, ſi qua ſunt, comparet. Quæ ratio me quoque mouit, vt non conquieſcerem prius, quàm ſaxum hoc, quod toto hoc anno verſaui, ad montis cacumen perductum, tandem aliquando conſtitiſſet, ingenti vtique labore & multis ſudoribus quocunque tandem euentu. Nam vt de conuerſionis ipſius ærumnis taceam, quantum difficultatis in ipſa lectione fuit? ob characteres elegantiſſimos illos quidem, ſed lectu difficillimos, propter affectata illa ſcribendi compendia, & τῆς καλλιγραφίας ſtudium, vnde infinita errata oriuntur, ex facili notarum mutatione: quæ cum alicubi non diſſimiles ſint, vim diuerſiſſimam habent. Vnde factum, vt quemadmodum Plutarchus ſe Latina verba ex cognitione rerum aſſequutū profitetur: ita ego ſæpe de veritate lectionis ex ſenſu & cōſtructione diuinare ſim coactus, ratione planè præpoſtera. Nam & verba rerum, & literæ verborū notæ vt eſſent, ſunt inuētæ. Neque tamen hac ſolertia me expedire vbique potuiſſem, niſi plures mihi codices ſuppeditati fuiſſent, quorū tres è tua bibliotheca accepi, magnis ſumptibus Cōſtantinopoli comparatos, opera atque induſtria egregij viri, & prudentia longinquis peregrinationibus, Vlyſſis exemplo, ac multo rerum vſu partæ clari,* IOANNIS DERNSCHVVAM, *qui in fronte vetuſtiſſimi illius codicis hæc verba ſcripſit.*

*Quinque codicum Zonaræ collatio.*

*Chronicon* IOANNIS ZONARÆ, *duobus Tomis diſtinctum, quorum prior hiſtoriam Iudaicam potiſſimum, ab exordio mundi vſque ad Hieroſolymorum excidium, alter Imperatorum tam Græcorum quàm Romanorum res geſtas vſque ad Alexij Comneni obitum complectitur: anno Domini 1554. Conſtantinopoli in Pera ſiue Galata (quam olim κέρας ſiue Cornu appellatam putant) 150 ducatis Hungaricis emi, à magnifico domino Antonio Cātacuzeno: cuius familia, dum res Byzantina ſtetit, Imperatoria fuit, nūc ſub Turcico dominatu ad priuatam conditionem redacta eſt. ab eóque rogatus ſum, vt hoc opus aliquando excuderetur, & impreſſi codicis ſibi copia fieret ob Zonaram conſeruatum. Præterea ſecundum Zonaræ Tomum de Imperatoribus, conferendi gratia ab Alexandro Chartophylace triginta ducatis Hungaricis comparaui. Alium item Zonaræ libellum de rebus Imperij & Eccleſiæ, à Conſtātino vſque ad Iuſtinianum imperatorem ex vetuſto codice tranſcribendum curaui. Hactenus ille. Quartum codicem, qui à Conſtantino Magno incipiebat, omnibus ornamentis ampliſſimi viri, domini & Mecœnatis mei,* IOANNIS IACOBI FVGGERI *bibliotheca inſtructiſſima ſuppeditauit. Denique præter omnem ſpem & expectationem meam acceſſit Viennenſis bibliothecæ codex integer, benignitate ſingulari clariſſimi viri & ſenatoris regij, domini* GASPARIS A NYDPRVG, *&c. vltrò ſuppeditatus: quē totum, adiutore Hieremia Martio, præclaræ indolis adoleſcente (cuius in hoc Opere Græcè Latinéque exſcribendo, ſolerti & fideli opera ſum vſus) contuli, & multas noſtri codicis lacunas expleui: qui ſicubi ambo non ſatisfecerunt, cæteros quoque tres inſpexi, & è variis difficultatibus me quanto potui ſtudio expediui: quanto labore, nemo æſtimabit melius, quàm qui ipſe operis non*

diſsimilis periculum fecerit. Si qua, in diuerſitate illa, momenti alicuius eſſe videbantur: ad finem Operis aſſcripſi. Manifeſtè verò prætermiſſa aut deprauata, non annotaui. Cuius enim dementiæ fuerit, perſequenda librariorum vel inſcitia, vel negligentia, vel perfidia, & mihi & lectoribus faceſſere negocium? Vt enim oculus integer candidum à nigro facilè diſcernit: ſic acuto & exercitato ingenio videre non difficilè eſt, quæ lectio vera ſit, quæ prætermiſſa, quæ addita ex ſuperuacuo, quæ deprauata ſint. Neque his contentus, indicem quoque adieci: quod genus operæ, quamuis lectoribus vtiliſsimum, vt nihil admodum laudis & ingenij habet, ita multum temporis & laboris ſibi vendicat, præſertim ſi eum indicem per temporis anguſtias, & alias occupationes ita pertexere licuiſſet, vti cœperam. Quid multa? Confido me officio fidelis & non indiſerti interpretis ſedulò eſſe functum, in id certè operam dedi. Sin aliis aliud videbitur: illud ſaltem affirmare poſſum, me quod ſcierim & potuerim, fide optima feciſſe, & diligentia ſumma. Sicubi verò aut ingenij vires, aut eruditionis nerui mihi defuerint: fortunæ eam eſſe culpam, infelicitatem meam, quæ cum aliis tantum diſpliceat, mihi etiam plurimum nocet. Neque tam iniquum vllum eſſe puto, qui plus à me poſtulet, quàm præſtare queam. Ego verò iis qui vel in hoc, vel in aliis operibus à me conuerſis laudem ſolidam aſſequentur, gratulabor potius quàm inuidebo. Cum enim, quicquid hactenus edidi, id vel publica vtilitate, vel temporibus meis adductus fecerim, nec tam famam captarim, quàm famem vitarim: ſi eæ lucubrationes meæ illuſtrioribus aliorum editionibus, quales aliqui pollicentur, aliqui etiam minantur, abolitæ fuerint: non iniquo animo ferendum erit, meum priuatum dedecus (ſi quod tamen infelicis potius quàm inhoneſti conatus eſt dedecus) cum Reipublicæ literariæ vtilitate coniungi, cui ex animo conſultum eſſe & volo & volui. Vellem equidem id cum laude mea potius & gloria fieri (neque enim amorem noſtri ab ipſa natura inſitum planè abiecimus) ſed ſi fatis aliter viſum eſt, hoc quoque æqui bonique faciendum erit. Atque hæc de authore, & argumenti genere, & opera mea. Nunc ad eam Præfationis partem accedendum eſt, in qua alioqui multum ſudare ſolitus, quòd verebar, ne vel in aſſentationis ſuſpicionem commemorando, vel in negligentiæ crimen diſsimulando venirem: nunc vt liberiore ſim animo, tua modeſtia, vel potius magnitudo animi facit, qua id ab ineunte ætate meditatus eſſe videris, quod apud Ciceronem Scipioni diuinitùs præcipitur, „vt altè ſpectans, atque ad cœleſtem ſedem & æternam domum contuens, neque ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum, ſed ſuis te illecebris ipſa virtus traxerit ad verum decus: vt illud Græci poetæ de te dici poſsit.

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Quibus verſibus id Amphiarao ſuo tribuit Æſchylus, vt affirmet, eum virum optimum eſſe malle quàm videri, cuius animus tanquam ager fœcundus & probè ſubactus, conceptis virtutum ſeminibus, honeſtorum conſiliorum & quæ inde oriuntur actionum, quandam quaſi ſegetem proferat. Quæ ſi per omnem ætatis tuæ decurſum, quem ita moderatus es, vt honeſta negocia ſuauiſsimo ocio ſemper antepoſueris, ſingulatim explicare ſtudeam: opus Iliade prolixius mihi naſcetur, & tuæ aures ſatis ſcio non ferent. Quæ igitur calamo vel tua voluntas, vel mea verecundia negat, ea poſteritatis ſermonibus vel inuito te celebrabuntur. Idem enim eſt gloriæ quod crocodili ingenium: ſequentes fugit, fugientes ſequitur. Nihil (vt eloquentiæ Romanæ parens teſtatur) de inſignibus ad laudem viris obſcurè nunciari ſolet. Famæ nemo vnquam imperare potuit. Non patitur illa Heſiodi dea ſibi frenos iniici: loquitur & clamat, vt ab ipſa poſteritate vox eius audiatur. Prædicabit illa non tantum ornamenta fortunæ, ob quæ cum vulgò beatus habearis, tu ea vmbræ parietum comparare ſoles: ſed & ingenij magnitudinem, & prudentiam tuam periculoſiſsimis temporibus in re & publica & priuata: animi conſtantiam & æquabilitatem in vtraque fortuna: in ampliſsimis opibus, quas à maioribus acceptas & feliciter conſeruaſti, & ſine cuiuſquam iniuria amplificaſti, & ad bene merendum de multis contuliſti, eam modeſtiam, & debiti etiam honoris contemptum, qui vel in infimis hominibus raró inuenitur: nec tacebit vel benignitatem erga miſeros & afflictos, vel liberalitatem erga ſtudioſos & doctos: in quo numero ſi quis mihi locus eſt, & ſi inter Luſcinios, Carinos, Tonneros, Streitos, Siphanos, atque alios complures, qui tua munificentia fruuntur, numerari mereor (vt autem merear, tua humanitas potius, quàm mea dignitas facit) & ego nomen meum ex grati animi officio profiteri debeo, qui poſt multas ærumnas, tua liberalitate, Vir ampliſsime, tandem hoc conſecutus videor, vt ad omnes fortunæ caſus, qui varij impendẽt, aliquid parati ſubſidij (niſi fatalis aliqua calamitas interceſſerit) me habere confidam: & hic annus, cui tu tanquam ſalutare quoddam ſidus affulſiſti, id mihi attulerit, quod per omnem ætatem exhauſti labores non contulerunt. Ita res ipſa me docet, nimis verum illud eſſe Regij vatis oraculum



lum: qui fruſtra ante lucem ſurgi, & panem comedi doloris, Deum autem ſuis vel dormientibus ſuppeditare omnia confirmat. Etſi autem in tanto Opere neque dormitare neque dormire nimium, ac ne valetudinis quidem ſemper rationem habere licuit (nam aliàs nunquam tantum volumen tantillo ſpacio temporis abſoluiſſem) tamen, ſi hi decem menſes, quibus in hac lucubratione continenter elaboro, cum omni anteacta vita mea comparentur, planè dormientis rete traxiſſe videor, méque inſigni beneficio tuo deuinctum eſſe, hoc publico monimento teſtor, quod tua munificentia ſtudioſis hiſtoriarum nunc primùm communicatur. Faxit Deus optimus maximus, vt neque te ſumptuum tantorum, neque me laborum pœniteat: idémque te cum liberis tuis ornatiſsimis, totáque ampliſsima Fuggerana familia quàm diutiſsimè incolumem & florentem conſeruet. Auguſtæ Vindelicorum, ex Bibliotheca herili: Calendis Nouembris, Anno à natiuitate Domini M.D.LVI.

# IN IOANNIS ZONARÆ ANNALIVM TOMOS TRES, RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM Index, cuius A primam paginam : B verò ſecundam : I columnam primam : 2 ſecundam deſignat.

## A


Aron dux Arabum. 134.b.1
Aaron ſacerdos declaratur. 6.b.1
Aaron vitulum aureum conflat. 6.a.2
Aaronis baculus refloreſcit. 7.a.1. obitus. ibidem.
Abagarus Oſroenes Caracalla perfidia captus. 102.a.1
Abarum & Perſarum graſſationes ſub Phoca. 126.b.2
Abaſgi ſeu Iberes. 131.b.1. caſtrari ſoliti. 131.a.2. Victi à Baſilio. ibidem.
Abdenago pro Azaria. 19.b.2
Abeddara hoſpes Arnæ. 12.a.1
Abdias Achabi œconomius. 15.a.2. centum prophetas alit. 15.a.2
Abaſgiæ ducis Pancratij defectio. 159.a.2
Abaſgiacum fœdus. 157.b.2
abella. 47.a.1
abellas. 2.b.2
abellus Hiſpanus Romanorum ſtudioſus. 69.a.2
abenner Saulis dux. 10.a.2
abenerus Dauidi bellum infert. 11.b.2
abenerus cum ad Dauidem defeciſſet, Ioabij fraude perit. 12.a.1.
abennerigus Spaſini valli rex. 46.b.1
abeſa Ioabi frater. 11.b.2
Dauidem defendit. 17.a.2
abeſus per inſidias à Ioabo occiditur. 17.a.1
abia Ieroboami F. moritur. 14.b.2
abia Samuelis F. 9.b.2
abias arabs Iſatem oppugnat. 46.b.2
abiathar adoniæ adiutor. 13.b.1. à Salomone relegatur. 13.b.2.
Dauidi conſilia Abſolonis nunciat. 13.a.1
abiathar abimelechi F. fuga elabitur. ibidem.
abigail Nabale ſublato Dauidi nubit. 11.b.1
abilius. 11. alexandrinus epiſcopus. 96.b.2
abimelech arabum princeps. 129.b.2
abimelechus. 9.a.2. Gedeonis. 69. filiis occiſis, turpiter interit. 8.b.2
abironi & Dathani dehiſcit tellus. 6.b.2
abiſug ſenis Dauidis fotrix. 13.b.1
abius Ieroboamum vincit. 15.a.1
abominatio vaſtitatis. 23.a.1
aborigines Latij incolæ. 52.a.1
abraamus Hebræorum patriarcha. 3.b.1
ob Dei prædicationem exulatum abit. 3.b.2
ægyptiis mathemata tradit. 3.b.1
abrahami filij ſex è Cethura, & obitus. 175. annos nati. 3.b.1. 4.a.1
abrahami filius promittitur à Deo. 3.b.2
abradates Suſiorum rex. 25.b.2
ad Cyrum propter vxorem deficit. 26.b.1
eiuſdem interitus, votum. ibidem.
abradatæ & Panthiæ ſepultura. 27.a.2
abſalon paternas concubinas ſtuprat. 12.b.2
reuocatus ab exilio regnum affectat. ibidem.
aſalonis fuga. 12.b.1. interitus. 13.a.1
Abſit vt ſol me videat hoſti tergum obuertere. 34.b.1
Abaletus pro commeatu. 3000. talenta offert Alexandro. 72.a.2
acarnania domita à L. Flaminio. 74.b.1
accaron. 19.b.1
accaronia de Muſca. 16.a.1
acerra à Romanis capta. 67.a.2
acerranorum excidium. 70.a.1
achai ſe cum Romanis coniungunt. 74.a.2
achaicum bellum. 78.a.2
achilles Pompeij interfector. 81.a.2
achradina. 70.b.2
acro Cæninenſium dux. 52.b.2
accia Auguſti mater. 8.a.2
acciæ ſomnium de auguſto. ibidem.
achabi. 70. filij a Iehu occiſi. 17.a.2
achabus Nabothi hæres. 15.b.1
achabus. VI rex Iſraelitarum. 15.a.1
mutato habitu fatum non mutat. 16.a.1
ſolus à Syris peti iubetur. 16.a.1
eius humanitas erga Syrum ſupplicem. 15.b.2
interitus. 16.a.1
achaps. 138.b.2
acharis vrbs. 157.a.1
achazus. 13. Hieroſolymorum rex idololatra. 16.a.1
achazi clades inſignis. ibidem.
achia Silonites Ieroboamo regnum prædicit. 14.b.1
excidium Ieroboamo minatur. 15.a.1
achiatarus Tobiti cognatus. 16.b.2
achinoa Dauidis vxor. 12.b.2
achior ammonitarum rex, Iſraelitarum Deum celebrat. 23.a.2
Betulianis deditur. ibidem.
Iudaiſmum amplectitur. 16.b.2
achitofel ad Abſolonem deficit. 12.b.2
laqueo ſibi necem conſciſcit. 13.a.1
achoris ſacrilegium punitur. 7.b.2
acies in periculo Paulatim reducenda. 25.a.2
acies tripartita. 26.b.2
acie inſtructa ad hoſtilem vrbem accedere. 25.b.2
acimes epiſtola. 42.b.1
acuphis Iudæorum legatus. 32.a.1
acutas locus. 138.a.1
actiaca victoria monarchiæ auguſti initium. 8.b.1
actiaci belli apparatus. 87.a.2
actium. 87.a.2
actius Nauius augur. 54.a.2
actius Tullius Volſcorum concitator. 57.a.1
ad alpes progreſſi Romani. 67.b.1
ada Lamechi vxor. 4.a.1
adamus 2.b.1. obit annos natus. 930. 3.a.1
adami prædictio de mundi conflagratione & diluuio. 3.a.1
adana vrbs. 152.b.1
adanarſis Perſæ crudelitas. 112.a.1
adatani contemnunt obſidionem Baſilij. 145.a.1
addo Caium vulnerat. 89.b.2

Ædelphius Hereſiarcha. 110.a.1
Ædelphus Ælbanorum rex. 79.b.1
Ædar menſis.12.Dyſtros apud Macedonas. 30.a.2
Æder Idumeus Iſraelitas infeſtat 14.a.2
Æderis F.rex Syriæ. 15.b.2
F. clementer conſeruatus ſolius Æchabi caput petit. 16.a.1
Ædiabene Syriæ proincia iuxta illinum & Gau gamela. 97.b.1
adiabenorum regina fit Iudæa. 46.b.1
adoleſcentes duo concreti. 150.b.2
adoleſcentes à. 17. vſque ad. 28. magiſtratibus inſeruiunt. 24.b.1. tres in Camino ignis ob non adoratam ſtatuam. 20.a.2
adoleſcentum temeraria conſilia. 14.b.1
adoleſcẽtibus ea obeunda, quæ celeritatem aut vires deſiderant. 24.b.
admouemus ſcientes. 52.a.1
adoni, dominus. 8.b.1
adonias ad aram confugit. 13.b.1
Dauidis filius regnum affectat. ibidem.
ob ætatis prærogatiuam & populi conſenſum ſibi regnum debere cenſet. 13.b.2
petita abiſaga vitam amittit. 13.b.2
adonibeZecus Iſraelitas oppugnat. 8.a.1
adoptio publicè confirmanda. 83.a.1
adoratio in geſtu quodam corporis poſita non videtur diuinus honos. 29.b.2
adriani ſtudia, mores, & ratio adminiſtrandi imperij. 97.b.2
adriani venationes. 98.a.1
eiuſdem obitus anno ætatis. lxiij. imperij vero. xxi. 98.a.2
adriani imperium. 97.b.2. morbus. 98.a.2 reſponſum de Chriſtianis. 98.b.1
adrianopolis Oreſtias olim.161.b.1.ſpoliata à Samuele Bulgaro. 156.b.1
adrianopolitani dedunt Thomam. 138.b.2
Adrianus reluctante ſenatu in deorum numerum relatus. 98.b.2
adrianus in alienum ſeruum ius ſibi non ſumit. 98.a.1
adrianus Comnenus. 170.a.2
adrianus Iudæis Iudæa interdicit. 98.b.1
adulatorum voces. 46.a.2
adultera nuptura adultero maritum luget ſcilicet. 12.a.2
adulterium & cædem graues pœnas ſecuturæ. 12.b.1
cum adulterio cædes coniungitur. 12.a.2
ædificatio & vicatim & opidatim diſtributa. 29.b.1
ædilium inſtitutio & munus. 5.a.1
ægimurus capitur à Martio. 77.a.2
æga Ciliciæ. 114.a.1
ægilus. 143.b.2
ægithalus. 66.a.1
ælia Capitolina pro Hieroſolymis condita. 98.a.1
ælius adrianus.vide adrianus.
ælius Gallus ægipti Prefectus. 88.b.2
ægroti lugendi non mortui. 12.b.1
ægrotus ab expeditionibus non abſtinet. 36.a.2
ægyptiaca claſſis. 152.b.2
ægyptij abrahami diſcipuli. 3.b.2
ægyptij arundineus baculus. 18.b.1
ægyptij incantatores miracula edunt. 5.b.2
profligati à Babyloniis. 19.a.2
ægyptiis Cyrus parcit. 27.a.1
ægyptiorum in mari rubro interitus. 6.a.1
ægyptiorum annus menſtruus falſam antiquitatis opinionem illis affert. 53.b.2
ægyptus ab auguſto vectigalis facta. 88.a.2
à Diocletiano ſub iugum redacta. 106.b.1
ægyptus Scleri equus. 155.b.1
ægyptus à Cyro ſubacta. 28.a.1
Ægyptus & æthiopia verſus auſtrum. 21.a.1
ægyptus Meſ... 3.b.1
per Ioſephum ... cta Pharaoni. 5.a.1
ælius Pætus Cos.cum Gallis pugnat. 74.a.2
L. Aemilius contra Tarentinos miſſus. 61.a.2
Q. Aemilius Cos.in Siciliam venit. 64.a.1
æmylius Inſubres cædit. 67.a.2
M. æmylius lepidus caſtra contra Antiochum defendit. 75.b.1
æmylius Lætus præfectus prætorio. 99.b.2
M.æmylius Pœnos vincit. 65.a.2
æmylius Scaurus propter Atreum fit Aiax. 91.b.1
æmilianus Scythis cæſis.arreptoque imperio, à ſuis militibus occiditur. 104.b.1
æmylia Syllæ priuigna Pompeio nubit. 78.a.2
æmulatio ſeditionis occaſio. 13.a.1
æneas victus a Rutilis inter mortales eſſe deſiit. 52.a.1
æneæ res geſtæ in Italia. ibidem.
ænigmata attentum animum requirunt. 22.a.2
ænigmatibus olim certatum inter reges. 24.a.2
ænigmata de imperatoribus. 170.a.2
æqui M. Minutium vincunt. 57.a.2
iidem ſub iugum miſſi. ibidem.
æolenſes Aliſæi. 3.b.1
æquum & Sabinum bellum. 57.b.2
ærarium non in poteſtate dictatoris. 56.a.2
æſar.pro Cæſare. 90.a.2
æſculapij templi columnæ immobiles. 114.a.1
æſtus ingens ſub Copronymo. 153.a.2
æthiopem lauare. 132.b.1
ætribum. 127.b.2
ætius eunuchus. 135.a.2
ætoli ad Antiochum deficiunt. 74.b.
ad Philippum defluunt. 72.b.2
ætoli Romanorum ſocij. 71.a.2
Romanis victoriæ cauſa. 74.b.1
ætolorum motus & pacificatio cum Romanis.
Afer Adriani pater. 97.b.2
Affinitas ignobilium & pauperum ſpernitur. 52.b.2
affinitates potentum obſidum inſtar habent. 85.b.2
affinitate regum regna conciliantur. 24.b.2
affinitates veterum facile diremptæ. 35.a.1
afflati numine amphiboliis decipiuntur. 36.a.2
affranius armeniæ præficitur. 79.b.1
africa a Romanis oppugnata. 64.b.2
africa dicta Libya, Carthaginenſis. 73.b.2
africanus ſcriptor. 103.b.2
africani cognomentum P.Scipioni domita Carthagine datum. 73.b.2
africani obitus. 76.a.1
agagus Moabitarum rex. 10.a.2
Agapeti papæ Romani Legatio ad Iuſtinianum. 124.a.1
obitus. ibidem,
agarena claſſis à Sami duce profligata. 157.b.1
eiuſdem interitus. 129.b.1
agareni ſenis de adata prædictio. 145.a.1
agareni. 121.a.1.
à Romana claſſe profligati. 159.a.1
ad Edeſſam cæſi. 159.a.2
Ægyptij.30. annorum inducias cum Romanis paciſcuntur. 159.a.1
carthaginenſes in Cicilia cæſi. ibidem.
Carthaginenſium ductu Antiochiam oppugnant. 154.a.1. ex Hiſpania in Cretam traiiciunt.138.b.2.per ſeptem annos ByZantium vexant.129.b.1. prouincias vaſtant. 147.a.2. Meſembriaci oram maritimã & inſulas infeſtant.145.b.2. Romano pacem aſpernanti occurrunt. 158.a.1
Agareni Cretenſes claſſes Michaelis profligant.139.a.1.cyclades inſulas vaſtant. 143.b.1
Agarenicum diurnum tributum.129.b.1.fœdus cum Romanis ibidem.
Agarenorum princeps Philoſophiæ ſtudioſus. 143.a.2
Agarenorum Tarſenſium, cretenſium & Cartaginenſium clades. 145.b.1
Agarenorum diſſenſio de principe.127.b.1.graſſationes ſub Philippo.131.a.1.Cartaginenſium in occidente graſſationes. 145.a.2.item in Oriente.130.a.1.inſcitia. 133.a.2
Aggæus templi inſtaurationem ſuadet. 29.a.1
Agis Tarentinus. 61.a.2
Agrariæ leges. 57.a.2
Agricultura moderatos & pacatos facit. 53.b.2
Agrigenti obſidio. 64.a.1
Agrigentinorum calamitas. ibidem.
Agrippa Aggrippæ F.abdicatus ab Auguſto. 90.a.1
Agrippa Auguſti ſorore repudiata, filiam ducere cogitur. 89.a.1
Agrippa curator vrbis, & Auguſti gener. ibidem.
Agrippa deponendæ monarchiæ Auguſto eſt author. 88.b.1
Agrippa Iunior occiſus à Tiberio. 90.b.2
Agrippa Methone occupata, claſſem Antonij infeſtat. 87.a.2
M.Agrippa S.Pompeio opponitur. 85.a.1
Agrippa Agrippæ F. 46.a.2
Agrippa Ariſtobuli F. 44.b.2
Agrippa iunior Herodi ſuccedit.47.a.1.ſacrorum curam à Claudio impetrat.46.b.1.necem ſibi conſciſcere in animo habet. 44.b.2. ob canſtudium in vincula coniicitur. 45.a.1.ſex menſes captiuus.45.a.2.totius Iudææ rex.46.a.1. vinculis ſolutus à Caio rex appellatur. 45.b.1
Agrippæ beneficentia.46.a.2.ob ſuperbiam interitus. ibidem.
Agrippæ regnum & affinitates.47.a.2.ſtructura. 47.b.2
Agrippæ à captiuo quodam & regnum & interitus prædicitur. 45.a.2
Agrippæ obitus & elogia. 89.a.2
Agrippina à Claudio Auguſta appellatur.94.a.1.eadem à Nerone interfecta. 94.b.1
Agrippina Claudio nubit. 93.b.2
eidem inſidiatur. 94.a.2
Agrippina Germanici vxor, Agrippæ & Iuliæ filia. 90.b.2
Agrippina iunior. 93.a.2
Agrippina Neroni ambit imperium. 94.a.1. pro Nerone imperat. 94.b.1
Agrippina. 47.a.2
Agrippina vrbs. 105.a.1
Agrippinæ auaritia & ſeuitia. 94.a.1
interitus. 91.a.2
Agrippinus Alexandrinus epiſcopus. 99.a.2
Agron Sardianorum rex. 67.a.
Agronis vidua Romanos legatos cacidit. ibidem.
Alabarchus. 21.a.2
Alæ celeritatem notant. 21.a.2
ſuperbiæ nota. 21.a.1
Alani ſiue Albani. 131.a.2
Alaricus Vandalus ſeu Gothus ab Honorio euocatus. 117.a.1
Albæ longæ ædificatio. 52.a.1
Albæ quadrigæ a Camillo primum vſurpatæ. 58.b.1
Albana democratia. 53.a.2
Albania ſubacta. 129.b.2
Albanicum bellum. 98.a.1
Albanum regnum.
500. annis durauit. 54.a.1
Albanus à Poſthumo occiſus. 105.a.2
Albanus lacus. 58.b.1
Albani. 79.b.1.
Romam migrare coguntur. 54.a.1
Albani Maſſagetæ. 98.a.1
Albanorum regum ſucceſſio. 52.a.2
Albinus Iudææ præſes. 47.b.2
Albinus à ſenatu dux creatus. 103.b.1
Albini interitus. 101.a.1
cædes. 103.b.1
Albugo felle piſcis pellitur. 17.a.1
Albula. 52.a.2
Alcanis Choraſmij conatus & interitus. 163.b.1
Alchymiſta. 121.a.2
Alcinij interitus. 34.b.1
Alcinius Iudam inſectatur. 34.b.1
Alcinius ſeu Ioachimus pontifex. 34.a.2
Alectoromantia. 115.b.1
Aleinus Veſpaſiano inſidiatus. 96.a.1
Alemannorum. 60000. cæſa à Conſtantio. 106.b.2
item profligata à Galieno. 105.a.1
Alem ſeu Alimum Machometi ſiue gener, ſiue affinis. 128.b.1
Alexandra Ariſtobuli vxor. 36.a.2
Alexandra filiam Mariammen occidendam inſectatur. 48.b.2. fugam molitur. 38.b.2
Alexandra apud Herodem excuſatio. ibidem.
cædes. 39.b.2
Alexander Leonis frater, nugis quàm imperio aptior. 148.a.
Alexander Antonij F. 86.b.2
Alexander Hieroſolymitanus epiſcopus. 101.b.2
Alexander Romanus epiſcopus. 97.b.2.98.a.2
Alexander Seuerus ab Heliogabalo adoptatus. 102.b.2
Alexander Sol Cleopatræ filius. 88.a.2
Alexander Alabarchus.45.a.1.Iudææ procurator. 46.b.2
Alexander Ariſtobuli F.Iudæa turbata à Gabinio compeſcitur.37.a. à Stipione ſecuri feritur. 37.a.2
Alexander & Ariſtobulus Beryti condemnantur.40.b.1. in vincula coniecti.45.b.1.Laqueo necantur. 41.b.2
Alexander Epiphanis F.Ptolemaidem occupat. 34.b.2
Alexander Iamneas exteras nationes ſubigit.36.a.1. eiuſdem prudens conſilium mitigandi odia populi. ibidem.
alexander ab Herode patre vincitur. 41.a.1
Alexander Ægypto ſubacta Darium euertit. 21.b.2
alexander æquè modeſtus & bellicoſus. 31.a.2
conditiones Darij aſpernatur. ibidem.
Deo immolat. 32.b.2
Diogenem admiratur. 30.b.2
ex India vix quartam exercitus partem reducit. 32.a.2
frequentibus calumniis exaſperatus. 31.b.1
immortalitatis opinionem ſubmerſione aucupaturus. 32.b.1
Indos milites contra datam fidem occidit. 32.a.1
Ionathæ pontificatum offert. 34.b.2
Iouis filium ſe apud Barbaros gloriatur. 31.a.2
Iudæos male tractat. 31.b.2.36.a.2
Philometeri ſocero inſidiatur. 35.a.1
ſuis prouentibus amicis donatis ſpem ſibi reſeruat. 35.b.1
alexandri.11.filij. 41.b.2
alexandri.11.ſomma de Tyro. 31.a.1

alexandri & Philippi patris diſsidium. 30.b.2
alexandri expeditio Indica. 31.b.2
Alexandri M.corpus.30.b.1.eruditio. ibidem. imperium in quatuor regna diuiſum.21.a.2.natales.30.b.1 nuptiæ cum Statira.32.a.2.terrores & obitus. 32.b.1
Alexandri Zebniæ interitus. 35.b.2
Alexandri impera. interitus. 148.a.2
Alexandri patriarchæ preces contra Arrium. 113.a.2
Alexandri fiducia de medico.31.a.1.Granico ſuperato ſucceſſus, & morbus in cilicia. 30.31.a.1. interitus. 35.a.1. iter ad templum Hammonis.31.a.2.luctus ob clitum interfectum. 31.a.1.item ob Hephaſtionem.30.a.2.manes cum Glaphira expoſtulant. 30.b.1
quod cenſorum munus, quantum temporis cuique magiſtratuum præfinitum, qualis apud illos triumphus, vnde nomē hoc deductũ, quæ tēporibus cõſulatuum geſta fuerint (quamuis non omnia, ob librorũ penuriam quibus illa tradita ſunt, perſequemur) vt tandem Romanum Imperium in vnius poteſtatē ceciderit, vt Caius Iulius Cæſar mutationis huius primus autor, etſi non vniuerſæ fuerit, vt eo ab his qui libertatem tuebantur, in curia interfecto, Octauius Auguſtus Cæſar interfecti Cæſaris ex ſorore nepos, ab eóque adoptatus, interfectores patris vltus fuerit, adiutore Antonio: quem deinde, orto diſſidio, nauali prælio ad Actium ſuperatum, & fuga Alexandriam cum Cleopatra elapſum nactus, ad manus ſibi ipſi afferendas compulerit: quantæ Romanorum in ciuilibus iſtis bellis ſtrages ſint editæ, primùm Octauio & Antonio Caſſium & Brutum, cæteróſque Cæſaris percuſſores perſequentibus, deinde inter ſeſe bellum gerentibus: vt Cleopatra Ægypti regina ex gente Ptolemæorum, viua in poteſtatem victoris venerit, & ſeipſam (vt coniectura fuit) morſu aſpidis ſerpētis ſuſtulerit: vt hoc modo victoriis illuſtris Octauius Romam ingreſſus, imperium vni ſibi vſurparit, principatu Romanorum planè in monarchiam cõmutatio: qui ei ſucceſſerint in Imperio, vt quiſque Imperium ſuſceperit, vt & quãdiu imperarit, quem vitæ exitũ habuerit: qui ſub his, poſt ſanctos Apoſtolos quatuor magnarũ Eccleſiarũ thronos ornarint, Romanæ inquã, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ: qui ex his in martyrum numerum & dignitatem ſint recepti: vt Diocletiani & Maximiani Herculij inſignis præ cæteris rabies in Chriſtianos extiterit: vt iidem abdicato Imperio, alios ſuo loco Cæſares ſurrogarint, quorum vnus fuit Conſtantinus Chlorus, Magni Conſtantini pater, cui Galliarum & Britanniæ Imperium fuerat attributum:

*III. Tomi argumentũ.*

vt hic moriens primogenitum ſuum Conſtantinum, pietate Apoſtolis conferendum, Imperij ſucceſſorem deſignauerit: vt hic vnus rerum ſit potitus, ſubactis cæteris, cum quidem ſignum crucis per ſtellas in cœlo formatum ei apparuiſſet: vt ad Chriſtum ſe contulerit, fidémque propagarit, Euangelij liberè prædicandi poteſtate data: vt Byzantij vrbem ſibi cognominem ædificarit, nouæ Romæ nomine indito, atque Imperium ex vetere Roma in hanc tranſtulerit: qui poſt eum ibi regnarint, quibus quiſque fuerit moribus, qua pietate, quãdiu tenuerit imperium, vt è vita diſceſſerit: qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfuerint, & quandiu quiſque: qui ex illis rectam ſententiam tenuerint, qui ab ea ad alias opiniones defecerint, vt quiſque ex hac vita migrarit: ſub quibus Imperatoribus & patriarchis, & cum quibus conſilia fuerint congregata. Sic vſque ad noſtri tēporis Imperatores deſcendēs oratio, conſummabit hiſtoriam, multarũ interim & occultarũ rerũ facta mentione.

*Dei deſcriptio.*

Sumendum autem mihi eſt huius operis exordiũ ab ineffabili primo principio, cauſa rerũ omniũ, principij & temporis experte, & ab iis quæ ab illo ex nihilo producta ſunt vt eſſent atque ſubſiſterent, naturámque & ortum ſuum ab illo conſecuta. Fuit igitur Deus ſemper, ſuper omnem cauſam & potentiam effulgens, ſine tempore, cum maieſtate ſuæ gloriæ ac ſplendoris æternum moueretur, & ſine principio, neque ex alia quapiam re prius nata ortus, neque pòſt vltrò ex iis quæ non fuerant factus, aut paulatim ad ſuæ gloriæ complemētum progreſſus. Sed ſemper eſt & permanet, id quod ſupra naturam ſolus nouit ſacroſanctus ille Spiritus, qui omnes diuinitatis receſſus perſcrutatur, atque in iis exultans perpetua ſuauitate vnà perfruitur.

*Creationis ordo.*

Poſteaquam autem ex ſumma bonitate, & immenſa miſericordia, & ineffabili benignitate, aſpectabilem hunc mundum formare inſtituiſſet, atque exinde in medium producere mundum quidem opere, ſed ſecundum, gratia primum & admirabilem, vt qui ad Dei ſit imaginem conformatus, hominem inquam: viam ad opificium ingreſſus optimam, omnis ex materia concretionis expertes poteſtates & cœleſtes centuriones prius condidit, ſolo mentis conceptu, cogitatione illa dicto citius in opus progreſſa. Eſt autem Deus natura nullius egens rei, ſeipſa contenta ad gloriam & perceptionem: quæ nec alienam gloriam deſiderat, nec ab alio percipi poteſt. Niſi quis illud percipi dicat, quòd neque natura neque immenſitas eius percipi queat. Cum autem Deum dico, patrem dico, & filium, & ſpiritum ſanctum: quæ eſt Deitas, autore magno patre Gregorio theologo. Deus igitur hac natura præditus, primum angelicas poteſtates creat, vt miniſtri ſint, & celebratores cœleſtis maieſtatis: non quòd iis indigeat, ſed ne ſui duntaxat contemplatione moueatur, ſed diffundatur & progrediatur bonum, & beneficentia latius pateat. Hoc enim ſummæ bonitatis fuit. Deinde mundum etiam hunc aſpectabilem, quíque conſtat ex materia, condidit. Ac initio quidem cœlum fecit, & terram. Cum autem terra latêret, (nam tenebræ erant, & aqua ſuperficiem eius occupabat) lucem produxit Deus, lucémque ac tenebras ſeparauit, ac illam, diem, has noctem appellauit: eiúſque initio, veſperi: primo diei exortui, mane nomen fecit. Sic ex mane & veſpere dies vnus extitit.

*I. Dies.*

Equidē ſcio in parua Geneſi ſcriptum, primo die cœleſtes etiam poteſtates, ante cætera, ab vniuerſitatis Opifice eſſe conditas. Sed quoniam parua iſta Geneſis à diuinis patribus non relata eſt in approbatos Hebraicæ ſapientiæ libros: nihil quod in ea ſcriptum eſt, ſatis firmum iudico, neque iſti rationi aſſentior.

*II. Dies.*

Poſtea firmamentum conſtituit, & in medio aquarum extendit, vt aliæ ſupra id repoſitæ ſint, aliæ infrà terræ circũfuſæ. Firmamentum autem appellatum eſt, eo quòd corpus eius eſt ſolidum, nec aquarum inſtar tenui & rara natura præditum, è quibus ortum habet, quod idem & cœlum nominatur.

*III. Dies.*

Tertio die iuſſit Deus aquam, quæ vniuerſam terræ faciem obtegebat, in vnum congregari locũ, & apparere aridam. Mox quod dictum erat, factum eſt: profundęque cauitates dehiſcentes, aquas exceperunt. Ac terram nominauit aridã: aquarum colluuiem, maria. Hoc eodē die plantæ & ſemina è terra ſunt edita. Oportebat enim terrã quæ inculta eſſet, herbis, infinitis germinibus, floribus, omnis generis fructibus, & arborum iucunditatibus exornari. Quartus

dies luminum ortum habuit, Solis, Lunæ ac reliquarum ſtellarum. Atque his Opifex rerum cœlum exornauit: & conſpectam primo die lucem his luminibus impoſuit, atque eis motus, exortus, curſus & occaſus præformauit, vt terræ ambitus per ea illuſtraretur, & menſura temporis è circuitibus eorum peteretur, pręberéntque iis qui exortus eorum rectiſſimè obſeruarent (non autem curioſè ſpectarent, nec vt verè ac rectè dici queat, ineptè vnà cum motu harum ſtellarũ omnia noſtra circumferri putarent) magnam miniméque fallacem certitudinẽ, & vtilitatem.

*IIII. Dies. Aſtrorum vtilitas.*

Die quinto, aquæ reptilia viuentium animarum & volucres produxerunt: quorum illa in aquis cum voluptate innatant, hæ aerem ſecant, ſublimésque per illum quodammodo repũt. Sexto die quadrupedia, feras & reptilia viuentis animæ, terra edere iuſſa eſt: atque omnia ex diuino mandato prodierunt. Viuentis porrò animę productionẽ terrę eſſe imperatam Scriptura dicit, vt ea ratione humani animi diſcrimen ab illa, declararet. Nam aliarum animantium anima è terra extitit ex mandato: qua de cauſa rectè terreſtris & mortalis habetur. cùm alibi etiam Scriptura dicat: Omnis iumenti animam eſſe ſanguinem, qui vtique corrumpitur. Hominis autem animam non terra edidit, ſed Deus eam Adamo inſpirauit. Quamobrem diuinum eſſe quiddam, & immortale, perhibetur.

*V. Dies.* *VI. Dies.* *Hominis excellentia.*

Sextus dies hominem etiam habuit manu Dei formatum. Nam cùm optimus artifex vniuerſa iam condidiſſet, & mundum ordine & ratione effeciſſet, vnde Græco nomine κόσμος dicitur, & tanquam ad regem excipiendũ regiã quandam inſtruxiſſet, tum demum producit hominem, quaſi rerum terrenarum regem supernè gubernandum, eúmque non item mandato conditum, ſed manibus ſuis informatum, vt peculiare ſuum opus, non ſimile cæteris, ſed diuerſum & incomparabile. Nam cætera quidem omnia verbo ſunt producta, hũc verò Deus opera ſuarum manuum eſt dignatus. Sumpto enim de terra puluere Deus (inquit liber Geneſeos) hominẽ formauit, & inſpirauit ei animam viuentem, ob quam etiam ad imaginẽ Dei homo factus eſſe dicitur. Nam rerũ quarundam, quę naturę diuinę verè inſunt, imagines in hominis animo relucẽt, cũ quidẽ in eo inſint, nõ natura, ſed gratia. Deus enim natura eſt inaſpectabilis, & immortalis: idémque incomprehenſibilis, & interitus expers. Eadem hęc animo etiam inſunt per gratiã, non per naturam. Neque enim natura eius & eſſentia vel comprehenſibilis eſt, vel aſpectabilis, prætereáque ab interitu & morte immunis: atque etiã alia, quibus natura diuina deſcribitur, in animo per gratiam cernũtur. Appellauit autem eum quem finxerat, Adamum, quod (autore Ioſepho) lingua Hebraica rufum ſonat, quòd è rubra terra formatus eſſet. Talis enim eſt pura terra. Sic mũdo ſex diebus cõdito, ſeptimo quieuit: eáque de cauſa Hebræorũ lege dies ſeptimus, quod Sabbatum hinc appellãt (ſabbatũ porrò eorũ lingua idem quod requies) feriatus eſt.

*Adamus.*

*Paradiſus.*

Collocauit Deus hominem in paradiſo, quem ipſe conſeuerat. Ibi fuit arbor vitæ, & arbor cognitionis, ſeu, vt Ioſephus ait, ſapientię: eique mandauit, vt reliquis frueretur, arbore cognitionis abſtineret. ac mortem fore pœnam interdicti violati denunciauit. Irrigatur autem fluuio Paradiſus, qui inde egrediens quadrifariam diuiditur. Ac primo fluuio nomen eſt Phiſon, quod multitudinẽ ſignificat: Græcis Ganges, eſt Indicam regionem perfluens, & omnem terram Euilat circundans. Alteri Geon eſt nomen, idem valet quod multum: à Gręcis Nilus vocatur. is eſt, qui totam Aethiopiam ambit. Tertius Tigris nominatur, hoc eſt ſonus. Reliquus Euphrates, hoc eſt impetus aut motus. atque hi ambo in mare rubrum ſeſe exonerant. Deus porrò animãtes omnes ante Adamum ſtatuit, vt is vnicuique generi nomen inderet: pręterea mulierem condit, coſta ſumpta ab Adamo dormiente: & eã adducit illi. Is verò ex ſe factã agnouit, ac mulierem nominauit. nam Euam Hebræi mulierem vocant, quo illa nomine fuerat appellata. Ac vtriq; vitam in Paradiſo beatam agebant, nudi ſimplicitate, & vita fraudis experte.

*Violatio mandati.*

Hanc inuidet eis ſerpẽs, vel draco potius, qui per ſerpentẽ intelligitur. Accedit ſerpens, fit autor mulieri guſtandi de arbore ſapientiæ (eandem autem tum fuiſſe vocem, Ioſephus tradit, omnium animantium) illa paret, eſúque delectata, marito etiam perſuadet, vt fructus eſſet particeps. Mox nuditate ſua agnita, è ficulnis foliis cingula ſibi fecere, ſéq; à conſpectu Dei ſubducunt Adam & mulier. Cuius rei cauſam Deo percontante, Adamus nuditatem excuſat, & culpam in mulierem transfert. Hæc verò à ſerpente ſe deceptam queritur. Deus autem ſerpentem prius execratus, priuatum pedibus, ademptaq; voce (iuxta Ioſephum.) & humi volutari iuſſum, hoſtẽ eorũ declarat, quos decepiſſet. ac ad mulierẽ cõuerſus, marito eam reddit obnoxiam, & partus doloribus mulctat. Deinde viro etiam pœnã irrogat huiuſmodi, vt & in terram, vnde ſumptus eſſet, reuerteretur: & in ſudore, pane ſuo veſceretur, & terra ſpinas & tribulos ei gigneret. Itaque Paradiſo eiicit pelliceis indumentis amictos, per quæ craſſior caro fortaſſis & mortalis ac refractaria intelligitur. Hinc laborioſa nobis & plena dolorum vita extitit, & ad vitia propenſio. Iam liberos ſuſcipiunt, quorum prior Cainus (acquiſitionẽ hoc ſignificat) quod hominem acquiſiſſent: poſterior Abelus (luctũ notat vocabulum: nã propter eum in luctu futuri erãt) appellatus eſt. Ac Abelus quidẽ erat opilio, virtutiſq; ſtudioſus: Cainus autem terrã colebat, hõ improbiſſimus. Porrò cum eis viſum eſſet primitias laborũ ſuorũ offerre Deo, Abelus preſtantiora ex primogenitis gregis offert, Caino ſine delectu de terrę fructibus offerẽte. Cũ autẽ Deus Abeli munera, Caini oblatione repudiata, acceptaſſet: Is illum ſibi prælatũ ægrè ferens, occidit: & diris obligatus à Deo ad gemitum & tremorũ condemnatur, & à cõſpectu Dei eiectus, in terra Naid habitat, ibíque liberos procreat. Hic menſuras & pondera excogitauit, & primus agros limitibus diſtinxit, magiſter ſcelerũ, atque vrbem de nomine primogeniti ſui Enoſſi cõdidit. Enoſſi filius fuit Gaidad, qui Maleleelem genuit. Maleleel Mathuſalem, cuius filius erat Lamechus. Hic è duabus vxoribus, Ada nempe & Sela, filios ſuſcepit LXXVII. Quorum Ioabel armentarius fuit, paſtu ouium gaudens. Iubal Muſicam



excogitauit, & citharam ac pſalterium compoſuit. Thobel Sela natus, faber fuit, ferro & ære tractando occupatus. Adamo poſt Abelis interitum annos nato CCXXX, alius natus eſt filius, quem Sethum appellauit. Obiit Adamus, cùm annos vixiſſet DCCCC & XXX. Sethus annos natus V & CC, genuit Enoſſum, qui primus auſus eſt inuocare nomen Domini Dei, & Deum appellare Dominum. Sethus cum annos DCCCC & XII expleuiſſet, defecit, filiis & filiabus relictis. Hic virtutem coluit, idémque ſtudium poſteris ſuis tradidit, qui doctrinam rerum cœleſtium à ſe inuentam, in poſterum ſeruãdam duabus columnis, alteri lapideæ, alteri ex latere coctili inſcripſerunt: eo quod Adamus prædixerat vniuerſitatem rerum & igni & aqua perituram. Enoſſo natus eſt Cainan, aliíque filij & filiæ. Mortuus eſt, cum vixiſſet annos V & DCCCC. Cainano orti ſunt Meleleel, aliíque liberi. Obiit. cùm vixiſſet annos noningentos & decem. Meleleelis filius fuit Iared, alij: vita exceſſit, anno ætatis octingenteſimo nonageſimo quinto. Iared pater Henochi, & præter hunc, aliorum, defunctus eſt, cum vixiſſet annos LXII ſupra DCCCC. Henochi filius fuit Mathuſala, & alij.

*Tranſlatio Henochi.*

Acceptus autẽ fuit Henochus Domino, & tranſlatus, nec repertus, annos natus trecentos ſexaginta quinque. Mathuſalæ filius Lamechus fuit, & alij. moritur anno ætatis DCCCCXIX. Lamecho natus eſt Noa. Lamechus verò mortuus eſt, expletis annis ſeptingentis quinquaginta tribus.

*Filij Dei. Filiæ hominum, ex quibus orti ſunt illi heroes tantopere à poetis decantati.*

Noæ tres nati ſunt filij, Semus, Camus, Iaphetus. Filij porrò Dei, conſpectis filiabus hominum, eas vxores duxerunt. Vocat autem Dei filios ſcriptura, Sethi poſteros, ob ſtudium & cultum virtutis: quo pacto etiam filios altiſſimi vocat eos, qui ſunt virtute prædíti. Hominũ verò filias nominat, oriundas ex Caini poſteritate.

*Angeli apud Ioſephum.*

Ioſephus autem ait, angelos accepiſſe filias hominum, eo ſic (opinor) vocatos, quòd placerent Deo, & angelorum vitæ rationem æmularentur.

*Humanæ vitæ ſpaciũ contractum.*

Multiplicati homines, ad improbitatem deflexerunt, ac liberos genuere iniurios, & ex fiducia viriũ temerarios: quibus numen offenſum, etiam longæuitatem ſuſtulit, vita hominum centum viginti annis circunſcripta. Noa verò gratiam inuenit apud deum. Itaque continente in mare vehemens & diuturnum commutata, omne humanum genus interit. Noa ſolus diuina prouidẽtia arca lignea conſeruatur, quam quadrangulam fabrefecit. longitudine cubitûm CCC, latitudine quinquaginta, altitudine XXX. Eam conſcendit ipſe cum filiis, & mater, vxoréſque eorum: ac ſeminibus variis impoſitis, & animalibus cuiuſque generis, ad genera eorum conſeruanda, binis immundorum, & ſeptenis paribus mundorum.

*Diluuium ab anno Mũdi 2242.*

Noa ab Adamo decimus numeratur, annis MM CCXLII. elapſis vſque ad diluuium. Apertis autem cœli cataractis ad dies XL. totidémque noctes, aqua XV. cubitis montium altiſſimorũ cacumina ſuperauit. Cùm pluuia deſiiſſet, & aqua poſt dies CL. minueretur: arca ad quendam Armeniæ montem ſeptimo menſe applicuit. Noa verò coruum per feneſtram emiſit, qui non reuerſus eſt. Poſt dies aliquot emiſit columbam, ea rediit. Septẽ diebus elapſis, eadem rurſus emiſſa, feſtucam oliuæ retulit. Vnde intellexit, aquam defeciſſe in terra. Itaque Noa & vxor eius, & filij cum ſuis vxoribus, ſunt egreſſi, & animalia quæ cum eis in arca fuerunt, ac ſacrificarunt Deo.

*Excenſus.*

Locum eum Excenſum vocari ab Armeniis, tradit Ioſephus, & arcæ reliquias ibi monſtrari, ac mentionem facere diluuij & arcæ multos barbaricæ hiſtoriæ ſcriptores: vt Beroſum Chaldæum, & Hieronymum Ægyptium, qui Phœnicias antiquitates ſcripſerit, & Mnaſcam Damaſcenum. Deus autem ſe non amplius talem cladem terræ immiſſurum dixit, & veſci iuſſit animantibus (carnem tamen in ſanguine animæ vetuit edere) & cæde hominum abſtinere.

*Iris.*

Signum non perituræ aqua terræ, vt in diluuio factum, arcum in nube poſuit, iridem per arcum intelligendo.

*Longeuitatis primorũ hominum cauſæ.*

Noa poſt diluuium vixit annos CCCL. moritur natus annos DCCCCL. Ioſephus de multitudine annorũ illius ætatis hominum ſic ait: Nemo hanc vitam, annorúmque paucitatem intuens, falſa exiſtimet ea quæ de veteribus memorãtur. Nam illos, cùm Deo chari eſſent, & ab ipſo Deo orti, ac cibis etiam ad diuturnitatẽ aptioribus vterentur: non mirum fuit, tantum temporis ſpacium viuere. Altera longæuitatis cauſa fuit, vtilitas rerum ab eis excogitatarum, vt aſtronomiæ & geometriæ: quæ deprehendi ab eis certò & explicari haud potuiſſent, ni DC annos vixiſſent, quanto ſpacio magnus annus completur. Hæc ille.

*Chamus ob deriſum patrem diris obligatur.*

Noæ verò filij, Semus, Chamus, Iaphetus, cum ſedes ſuas è montibus in planiciem trãſtuliſſent: Noa plantata vinea, epotóque vino inebriatus nudatur. Ibi Chamus nuditate patris viſa, rem veluti per deriſum ſenis fratribus nunciat. Verùm illi veſte in tergum reiecta, retrorſum acceſſerunt, & nuditatem eius auerſis oculis contexerunt. Qua de cauſa Noa diſcuſſa ebrietate, illos votis remuneratur, Chamum deteſtatur.

Campus quem incoluere Noæ filij, Sennaar vocatur. Quorum cuique multis liberis natis, & in familias propagatis: multiplicati ſunt eorum poſteri.

*Nemrodus.*

Nemrodus Chami nepos, qui primus in terris gigas viſus eſt, homo audax, & robore manuum præſtãs cæteris: tyrannicũ imperium inſtituit, ac eis cõdendæ turris ex coctis lateribus autor fuit.

*Linguarum confuſio.*

Sed Deus inſtitutum eorum ſcitè eluſit, iniecta linguarum diuerſitate, vt alij aliorum ſermonem non intelligerent. Campus ille nunc Babylon vocatur, ob ſermonum confuſionem. nam Babel Hebræis eſt confuſio. Ob eam linguarum diuerſitatem ita fuere diſperſi, vt omnem continentem, omnes inſulas complerent.

*Noæ poſterĩ terrarum orbẽ occupant.*

Ex illis Noæ poſteris ita diſſipatis, gentes conditæ & cognominatæ ſunt. Iaphetus quidem VII genuit filios, qui à montibus Tauro & Amano progreſſi ſunt, in Aſia quidem vſque ad Tanaim fluuium: in Europa autem, vſque ad Gades, quorum cognomina gentibus ſunt indita. Gomares enim à Gomer, nunc Galatæ dicuntur. Magogos ſuos poſteros nominauit Magog, nũc Scythæ vocantur. Ab Iouan Iones & omnes Græci cognomen habent. A Madai Madæi, hoc eſt Medi, vt nunc vocantur. Thobel Thobelos à ſe cognominauit, Iberes hi ſunt. Moſoch autor fuit Meſchenorum, qui nunc Cappadoces haben

tur. Thiras à ſe nominauit Thiros, qui mutato pòſt nomine Thraces dicti ſunt. Ab Iapheti porrò poſteris hi orti ſunt. Aſchanaxes, Regenes dicti, ab Aſchanaxo: Riphatæi (ſic olim Paphlagones vocabãt) genus ducere à Riphato creduntur. Thorgamæi Thorgaman autorẽ iactãt, pòſt mutato nomine Phryges appellati. Eliſan Aliſæorũ princeps extitit, qui ſunt Æolenſes: & Tharſeus Tharſenſiũ. ſic enim olim Cilices vocabãtur: vnde pręcipua vrbs eorũ Tarſus dicitur, facta vnius literæ θ nempe in τ. mutatione. Sic enim Ioſephus de Tarſo ſcribit: Alij dicunt, Perſeum in Ciliciam profectum, ac de condenda vrbe cogitantem, dum fabris locum vrbis demonſtraret, planta pedis terrã percuſſiſſe, atque inde vrbem (ταρσος enim plãtam Latinis ſignificat) cognominatam. Chetiman inſulam Chetim excoluit: hæc Cyprus eſt, quam Græci à Dea ſua Cypride, hoc eſt Venere denominant. Chami liberi Syriam & Amanum ac libanum montes tenuere, & quicquid terræ illius mare ſpectat, vſque ad Oceanũ occuparunt. A Chuſo Chuſæi ſunt orti, hoc eſt, Æthiopes. Meſrem Meſræorum (ſic Ægyptij vocantur, & terra Ægypti Meſren) conditor extitit. Phut Libyam incoluit, & regionis incolas Phutos nominauit, ipſamque regionẽ Phutam. Pòſt appellatio eius in Libyam eſt mutata, à Liby filio Meſremi. Chanaam Chananæam, pòſt Iudæam vocatam, incoluit, nomine à ſe indito: populus Chananæi dictus. Meſremi liberi terram quæ eſt à Gaza Ægyptum vſque, tenuerunt. Verùm ſolius Philiſtiim nomen pars illius retinuit, quam Græci Palæſtinam dixerunt. Sidonius primogenitus Chanaanis filius, vrbem à ſe in Phœnicia conditam Sidonem appellauit. Amathes vrbem Amatham, Macedonibus habitatam, condidit: cuius vrbis nomen Ptolemæus cognomento Epiphanes, in Epiphaniã commutauit. Semo Noæ filio v nati filij, ſumpto ab Euphrate initio, Aſiam vſque ad Indicum Oceanum incoluerũt. Elam Elymæos Perſarum maiores reliquit. Aſur vrbem Ninum condidit, & populum ſuum Aſſyrios vocauit. Arphaxad Chaldæorum fuit autor. Aram eos qui pòſt Syri nominati ſunt, Aramæos à ſe vocauit. Lud Ludos dixit, qui pòſt Lydi ſunt appellati. Cum autem Arami IIII. eſſent filij, alius Trachonitidem & Damaſcum condit, quæ inter Palæſtinam & Cœloſyriam interiacet: alius Armenios, alius Bactrianos. Arphaxadi filius fuit Cainam, Cainanis Sala. is Eberis pater. Eber Phalecum genuit, ob terræ diuiſionẽ ſic appellatum. Nam cùm illius temporis homines diuiderẽtur, etiam terræ facta eſt partitio. Hebræi autem partitionem Phalec dicunt, quæ gens ab Ebere autore ſuo nomen habet. Phaleci filius fuit Ragab, Ragab autem pater Seruchi. is Nachorum genuit, Nachorus Tharam, Thara Abrahamum.

*Abraamus ob Dei prædicationem exulatum abit.*

Gentis porrò Hebræorum autor & patriarcha ſuæ nationis magnus iſte Abrahamus extitit, genere Chaldæus, à Noa dicimus, annis CCLXXXXII. elapſis, ex quo Deus terram vniuerſam vndis demerſerat. Hic impiis ortus maioribus, primus cognouit Deum vnum, rerum vniuerſitatis opificem, autore ex operibus deprehenſo, cui ſoli tribuendum honorem aſſerebat. Qua de re controuerſia inter eum & Chaldęos orta, demigrauit illinc, autore quem cognouerat Deo, & Cananæam tenuit. Quam cum fames premeret, abiit in Ægyptum, ibíque ob ſapientiam admirationi habitus, Arithmeticam & Aſtronomiam rudibus tum artium illarum Ægyptiis tradidit: quæ quidem à Chaldæis in Ægyptũ, atque inde in Græciam tranſiſſe perhibentur.

*Chaldæi mathematum autores.*

Aſſyriis autem Sodomitas aggreſſis, apud quos Lotus fratris Abrahami filius, & Saræ frater habitabat: ac multis Sodomitarum interfectis, cæteriſque captis, Lotus etiam inter cæteros capitur. Quo Abrahamus intellecto, cum CCCXVIII. vernis & III. amicis Aſſyrios perſequitur, Lotum ac Sodomitas liberat. Reuertentem ab hoſtium perſecutione, vrbis Solymæ Rex nomine Melchiſedecus (qui Græcis regem iuſtum ſignificat) excipit. Solyma verò tum dicebatur vrbs Hieruſalem. Adeò vetuſta illa eſt, atque omnes antiquitate ſuperat. Deus approbata virtute Abrahami, remunerationem illi pollicetur. Illo autem dicente, quouis ſibi beneficium inſuaue fore, qui hærede careret (neque dum enim germanam ſobolem ſuſceperat, Saræ vulua obſtructa) Deus etiam filiũ ei ſe daturum promittit, à quo magnus populus eſſet propagandus, ſtellis numero par: eúmque vnà cum ſuis maſculi ſexus pudenda circumcidere iuſſit, ne genus eius cum aliis gentibus cunfunderetur: ac circumciduntur. Abrahamo iam centenario naſcitur è Sara filius, Dei iuſſu Iſaacus appellatus, quod riſum ſignificat: ſiue quòd Sara, dato oraculo de partu ſuo, riſerat: quòd ob effœtam ætatem, promiſſioni fidem habere difficile, neque vlla ſpes prolis erat (nonagenaria enim Iſaacũ peperit) ſiue quòd puer, riſus occaſio fuerit parentibus, hoc eſt, alacritatis & lætitiæ.

*Iſaacus.*

Octauo poſt natiuitatem die puer circunciditur: qui mos etiam à Iudæis obſeruatur. Arabes verò anno XIII circuncidere pueros ſolent, quòd Iſmael gentis conditor circa eam fuerit ætatem circumciſus. Nam quo tempore circumciſionem Abrahamo mandarat Deus, XIII annorum fuerat. Significat autem Iſmaelis nomen, diuinitùs vocatũ: quippe quod Deus Abrahamum ſupplicis voti compotem reddidiſſet, dato filio. Genuit autem hunc ex ancilla, cum qua eum Sara rem habere iuſſerat. Nam quia tum ex ſeſe nihil párere poterat, à marito petiit, vt cum ancilla domeſtica, Ægyptia genere, cui nomen Agar erat, concũberet: è qua natum Iſmaelem, pro filio ſibi vendicauit.

*Circoncisio Iudæorũ & Arabum. Iſmaël.*

*Agar. Iſaacus immolandus.*

Poſt tamen Iſaacum genitum, Agarem cum filio ex æmulatione relegauit: Cùm adoleuiſſet Iſaacus, aut vt Ioſephus Hebræus tradit, vir factus eſſet (nam Iſaacum tum vigintiquinque annorum fuiſſe ait) Deus periculum facit Abrahami, & filium immolare iubet, atque in monte quodã adolere vnigenitúm illum & dilectum. Non refragatur Abrahamus: ſed filio aſſumpto, & in deſignatum à Deo montem adducto, communicat ei oraculum: & hortatur, vt quoniam Deus ita iuſſiſſet, conſecrationem fortiter ferret. Paret ille, & vltro ſe offert victimam. Neque enim æquum eſſe, Dei & patris voluntati aduerſari. Sic iſta Ioſephus refert. Deinde filio parcere iubetur Abrahamus, & aries vltrò ad incẽſum ſubſtituitur. Poſt hæc Sara moritur, annos nata CXXVII. Abrahamus aliam



vxorem ducit, Cheturam nomine, è qua filij ſex ei naſcuntur. Iſaaco annos circiter XXXX. nato, Rebeccam filiam Bathuelis, ex fratre Abrahami Nachore nati, in Meſopotamia deſpõdet. Deinde moritur, cùm vixiſſet annos CLXXV. Iſaacus Rebecca ducta, gemellos ex ea procreat: quorũ natu maior, ob hirtos toto corpore pilos, Eſaus vocatus. minor plantam maioris, qui prior ex vtero materno exilierat, manu retinet: ob id Iacobus appellatus, quod ſupplãtatorem notat apud Hebræos.

*Eſaus.*

*Iacobus.*

Pòſt ſenio confectus Iſaacus, atque orbatus oculis, vocat Eſaum (is enim ob ætatis prærogatiuam præferebatur alteri) venatum ablegat, vt cœnam ſibi pararet, quò (inquit) ante obitum meum tibi bene precer. Eſaus venatum proficiſcitur. Rebecca Iacobi amantior, illi, acerſito quid pater Eſao iuſſiſſet, dicit: mandat, vt è grege duos teneros hœdos afferat, quò ex iis edulia conficeret ſeni, quibus eum delectari ſciebat: iiſque comeſis, ipſi bene precaretur ille.

*Rebbecæ dolus.*

*Iacobus proſperitatẽ Eſau intercipit.*

Paret maternis iuſſis Iacobus. Paratis iam eduliis, brachia filij pellibus hœdorum inuoluit mater, & cœnam dat, patri offerendam. Iſaacus Iacobũ ex voce agnitum, proximè ſe accedere iubet, manúſque contrectat. Sed quia Deus Eſaum fauſtis ominibus ſemel indignum iudicarat, putauit Iſaacus primogenitũ ſibi filium aſtitiſſe (pilorum forſan aſperitate deceptus) cibóque ſumpto, bene precatus eſt Iacobo. Redit & Eſaus, oblatáque patri cœna, fauſtam comprecationem poſtulat. Agnoſcit ille impoſturam: &, Frater tuus, inquit, illam intercepit. Quo eiulante, & fauſtam comprecationẽ flagitante (neque enim vnicam duntaxat illi eſſe) motus precibus Iſaacus, bene precari homini inſtituit ille quidem, ſed quia id reſonanti in eo ſpiritui ſancto non placebat, quòd tali fortuna indignus eſſet Eſaus, Iſaaci vox pro fauſta precatione in execrationem vertebat. His de cauſis infenſus fratri fit Eſaus: qui illius metu perculſus, de conſilio matris in Meſopotamiam diſcedit.

*Iacobi exilium, & ſcalam in ſomnis viſa.*

Inter proficiſcendum, oſtentum illud ſcalæ celebratum in ſomnis videt, cuius vna pars terræ, altera cœlo inniteretur, & futurarum cognitione rerum diuinitùs inſtruitur. Locum oblatæ viſionis Bæthel vocat, quod diuinum domicilium Græcis ſonat. Profectus Carram, apud Labanem Rebeccæ matris fratrem diuertit: à quo exceptus hoſpitaliter, curæ gregum præficitur.

*Carra. Laban.*

Labani porrò duæ erant filiæ: natu maiori Liæ, minori Rachelis nomen erat.

*Lia. Rachel.*

Iacobus amore iunioris corripitur, quæ ſororem forma ſuperabat: & Labanem de ea alloquitur. Is deſponſurum ſe illam ei pollicetur, ſi ſeptem ſibi annos inſeruiat. Annuit amator, tẽpus elabitur, nuptias apparat ſocer: ſed noctu filiam natu maiorem Iacobo in thalamum adducit. Qui manè impoſtura cognita, cum ſocero de iniuria expoſtulat. Ille autem Rachelem etiam ei poſt alterius ſeptennij ſeruitutem pollicetur. Eam conditionem Iacobus amore ſubactus denuò accipit: & alteris ſeptem annis elapſis, Rachelis etiam matrimonio potitur.

*Iacobi progenies.*

Lia iam è Iacobo liberos habebat, Rubenem primogenitum, quòd ex diuina miſericordia is ſibi contigiſſet. Ægrè ferebat enim amorem mariti erga ſororem: ſperabátque ſe honoratiorem fore, ſi vterum ferret. Secundum Symeonem appellat, quòd vota ipſius exaudiſſet Deus. Poſt hunc Leuis naſcitur, qui conionctionis cõfirmationem ſignificat. Hunc Iudas ſequitur, quod nomen gratiarum actionem ſonat. Rachel, quia liberos non habebat, verita ne minus gratioſa eſſet, maritum orat, vt cum ancilla ſua congrederetur: ille obtemperat. Ex eóque Iacobi cum Balla (id enim ancillæ nomen erat) congreſſu, Dan naſcitur: diuinum iudicium hoc vocabulum ſignificat. Rurſus eadẽ Nephthalim parit, hoc eſt aſtutum: quòd hoc aſtu fœcunditati ſororis ſe oppoſuiſſet. Lia æmulatione incitata, Zelpham ancillam ſuam & ipſa Iacobo deſpondet: quæ Gadum peperit, fortuitus vocari queat. Alium poſt hũc Aſerem parit, quem proſperum interpreteris licet: quòd Lia ob liberorum multitudinem celebris & beata per illum partum habenda eſſet. Cum autem Ruben Liæ filius mandragoræ mala attuliſſet, Rachel partem ſibi dari petiit, cõceſſo Liæ nocte illa, quæ ſibi debebatur, mariti concubitu. è quo muliercula Iſacharem ſuſcipit, quod nomen mercede genitum ſignificat: & alterũ filium Zabulonem, hoc eſt, pignus beneuolentiæ erga ſe: ac filiam Dinam. Naſcitur & Racheli filius Ioſephus: id nomen acceſſionẽ rei alicuius futuræ notat. Sic annis viginti Iacobus ſoceri opilio fuit: & cum diſçeſſurus eſſet, non ſitus eſt. Itaque clam cum vxoribus, ancillis & liberis fugam capit, abductis vnà bonis ſuis, & pecudibus, quas paſtionis mercede nactus fuerat.

*Iacobi fuga ex Meſopotamia, & Labanis perſecutio.*

Rachel etiam ſimulacra patris abſtulit: non quòd illa veneraretur, ſed vt ad ea cõfugere poſſet, ſi à patre perſequẽte deprehẽſa eſſet.

*Rachelis furtum, & muliebris calliditas.*

Cùm autem Laban eos die ſeptimo conſecutus eſſet, ſomnio diuinitùs monetur, vt reconcilietur Iacobo. Poſtridie verbis vtrinque factis, etſi Iacobus demonſtrarat, nullã à ſe ortam fuiſſe iniuriã, Laban tamen de patriis diis eum accuſabat. Qui eius rei neſcius, inquiſitionẽ illi permittit. Inquirit ille. Sed Rachel ſimulacris ſellæ cameli, qua vehebatur, ſubiectis inſidens, menſtruorum fluxu laborare ſe ait. Laban, qui filiam ad deos ſuos eo malo conflictantem, nunquam acceſſuram, perſuaſum haberet, ea præterita, domum reuertitur. Iacobus verò fratrem metuens, ſuum reditum illi, muneribus præmiſſis, denunciat. Nocte ſuperueniente, cum ſpectro ſibi decertare, victoriáque potiri viſus, cum angelum eſſe Dei animaduertiſſet, orat, vt ſibi diceret, quo fato vſurus eſſet.

*Iacobi lucta cum angelo.*

Ille victoriam diuini angeli, magnorũ bonorum ſignum habẽdam eſſe aſſerit, & Iſraelem vocari iubet. Quam vocem alij mẽtem, quæ Deum videat, interpretantur. Ioſephus, eum qui diuino angelo reſtiterit, ſignificare tradit. Iacobus locum illum Phanuel, hoc eſt, Dei faciem vocat. Et quia in lucta cum angelo, poplitis dolore affectus fuerat, cùm ipſe illius eſu abſtinuit, tum omnis eius poſteritas ab eo, vt illicito, abhorret.

*Iſraelis cognomẽtum, & claudicatio.*

Frater Eſaus obuiam illi progreſſus, ſalute dicta acceptáque recedit. Iacobus Sicima peruenit.

*Iacobi & Eſai congreſſus.*

Sicimitis autem feſtum celebrantibus, filia eius Dina, ſpectandæ feſtiuitatis gratia, vrbem ingreditur. Quam conſpectam Sychemus regius adoleſcens rapit, raptam ſtuprat.

*Dinæ raptus.*

Rex adoleſcẽtis pater Iacobum orat, vt Dinam Sychemo deſpondeat. Re non impetrata, Symeon &

*Sicimitarũ interitus.*

Leuis vterini puellæ fratres, ciuibus ob feſtiuitatem conuiuantibus atque inebriatis, vrbem noctu ingreſſi, mares prorſus omnes, ipſúmque regem cum filio trucidant. Hæc Ioſephus tradit. Sed liber Geneſeos probabilius his de rebus diſſerit. Cum, inquit, Emmor Sychemi pater Dinã filio vxorem peteret, Symeonem & Leuim dixiſſe, ſi mares vrbis omnes circunciderentur, ſe filio eius ſororem ſuam deſponſuros. Qua accepta conditione, circunciſos eſſe omnes. Ac die inde tertio, cum ex cruciatu ardoris malè haberent, ab illis trucidatos, Iacobo ignorãte. Quem facinus illud grauiter ferentem, bono animo Deus eſſe iubet. Inde Bethelem profectus Iacobus, vbi ſomnium viderat, rem diuinam facit. ac progreſſus, Rachelem ex partu mortuam in Ephrata ſepelit, puero ob matris ex eo dolorem Beniamine appellato. Chebronem profectus, patrem Iſaacum adhuc viuentem inuenit. Sed Rebecca iam obierat, nec multò pòſt etiam Iſaacus moritur, & vnà cum vxore in patrio monumento ſepelitur, expletis vitæ annis ſuprà CLXXXV. Eſaus autẽ Idumææ imperabat regioni à ſe dato nomine. Edom enim vocatus fuerat, quòd aliquando famelicus à venatu reuerſus, cum à fratre petiiſſet, vt lentem, quam ille ſibi coxerat, daret, iureiurando adactus, ætatis prerogatiuam propter famen illi conceſſit. Ex eo cognominatus eſt Edom, ob rufum admodum lentis colorem. Edom porrò Hebræis rufum ſignificat. Iacobus Ioſephum ob & vultus elegantiã, & ingenij dexteritatem, præ cęteris diligebat. Itaque & patria charitas, & ſomnia quæ viderat, fratrum inuidiam illi conciliarunt. Somnia huiuſmodi fuerunt. Vnum: Tempore meſſis cum fratribus metens, manipulos ſibi ligare & componere, ac ſuos immotos ſtare, quos fraterni accurrentes adorarent. Alterũ, à ſole & luna ac reliquis ſtellis adorari ſibi videbatur. Has viſiones fratribus etiam præſentibus patri referens, quid ſibi vellent, ſcire cupiebat. At ille fœlicitatẽ nato denunciabat: ac fore tẽpus, quo & à parẽtibus & à fratribus coleretur, & adoraretur. Hæc fratres ægrè ferre, & toruè adoleſcentulum intueri. Poſt hæc, pater Ioſephũ ad filios, greges Sicimis paſcentes, viſum mittit. Quo conſpecto, ad eum perimendum ſunt concitati. Sed Ruben monebat, ne fraterno ſanguine manus polluerent, ſed in proximum puteum coniectum emori ſinerẽt. Sic leuius fore facinus. Quo conſilio adoleſcentibus probato, Ruben puerum ſenſim in puteum demiſit. Iudas verò Arabicis mercatoribus viſis, autor fit fratribus vendendi illis Ioſephi. Aſſentiuntur, eúmque viginti minis vendunt, annos natum ſeptemdecim. Rubem noctu ad puteum accedit, vt Ioſephum inde ereptum clam fratribus conſeruaret. Quo non inuento, lugens, fratres criminatur: ſed re ex illis cognita lugere deſinit. Illi tunica adoleſcẽtis hircino ſanguine polluta, ad patrem veniunt, dicentes, ſe Ioſephum nec vidiſſe, nec quomodo interiiſſet ſcire: ſed tunicam illam reperiſſe, cruentatam & laceratam. Iacobus ſacco indutus, adoleſcentulum luget. At Ioſephum à mercatoribus emit Petephres, homo Ægyptius, Pharaonis regis coquis pręfectus, & honorificè tractat. Herilis autem vxor, & forma & dexteritate eius in amorem illecta, verbis ad eum de congreſſu factis, repulſam fert: ac nihilò tamen ſecius cupiditatis ardore ſubacta, ſpéque perſuadendi deiecta, vim parat. Vt autem adoleſcens veſte relicta exilit, illa triſtis & perturbata ſedet: maritóque reuerſo, Ioſephum accuſat, demonſtrans veſtem, quam ille violaturus dominam, reliquiſſet. Petephres Ioſephum in carcerem maleficorum coniici iubet, quò & pincerna Pharaonis per iracundiam coniectus fuerat, & magiſter piſtorum: qui inita cum eo familiaritate, petebant ſomnia ſibi ab eo ſua declarari. Pincerna vitem ſibi videre viſus fuerat, vnde tres palmites enaſcerentur, de quib. magnæ & maturæ vuæ dependerẽt, quas in phialam exprimeret, eámque Pharaoni offerret, qui benignè acceptaret. Ioſephus bonam ſomnij eſſe ſignificationem aſſerebat. nam intra triduum priſtinam ei functionem reſtitutũ iri: petebátque, vt is, rebus ſuis ſecundis, ſui recordaretur. Piſtorum autem magiſter viſus ſibi fuerat tria caniſtra in capite ferre, duo plena panibus, tertium obſonio & variis cibis refertum, quæ à deuolantibus alitib. diriperẽtur. Dixit autem huic etiam, Ioſephus, tria caniſtra ſignificare triduum, ac die III ſuſpenſum eum carniuoris alitib. fore cibũ. Vtrique accidére quæ Ioſephus prædixerat. Poſt hæc Deus Pharaoni bina viſa in ſomnis offert, eorúmque enarrationes. At ille viſa quidem meminerat, enarrationum autem oblitus fuerat. Itaque ſapientes Ægyptiorum conuocat, ſomnia enarrat, interpretationem expetit: quibus hæſitantibus iraſcitur. At pincerna etſi pridem oblitus, tandem Ioſephi redit in memoriam. De eo Pharaonem edocet. Adducitur ille ſtatim. Cui rex: Adoleſcens, inquit, ſomniorum quæ vidi iudicium mihi declara. Vidi boues VII pingues è flumine aſcendentes, ſe conferre ad paludem, quibus alij VII occurrerent tenues & fame confecti: atque pinguib. illis deuoratis, æquè tenues manerent. Ruſus vidi ſpicas VII ex vno vegeto calamo enatas, pondere granorum inclinatas: ac prope illas totidẽ videre videbar ſpicas tenues, & ob ſquallorem aſpectu fœdas, quæ & ipſæ fœcundas & pulchras conſumerent. Ad hæc Ioſephus: Etſi, ô rex, inquit, ſomnia bina ſunt, eadem tamen eſt vtriuſque in futurũ ſignificatio. Nam & boues, animal arando exerceri ſolitum, à deteriorib. deuorati, & ſpicæ florentes à tenuib. abſumptæ, tot annorum famem tuæ regioni portendunt, cum quidem totidem annis prouentus annonæ vberrimus à poſteriorib. ſit abſumẽdus. Tu verò, ſi priorem copiam in ſterilitatis annos ſepoſueris, ſenſum iſtius calamitatis Ægyptiis adimes. Pharao Ioſephi ſapientia obſtupefactus, tum ob ſomniorum coniecturam, tum propter conſilium: Tu, inquit, ipſe, rerum iſtarum coniector & ſuaſor, idem etiam conſiliorum adminiſtrator eris. Itaque poteſtatem ſuam in eum confert, vt & ſigillo Pharaonis vteretur, & purpurã geſtaret, & curru veheretur. Accidit hoc Ioſepho XXX annos nato, quem Pharao Tothomphanicum, hoc eſt, occultorum interpretem vocabat: eíque vxorẽ Aſenetham nomine, Heliopolitani pontificis filiam, deſpondet: è qua ante famem liberos ſuſcipit, quorum natu maiorem

*Rachelis obitus.* *Beniamin.* *Iſaaci obitus.* *Eſai & Iacobi permutatio.* *Ioſephi gratia apud patrem, & ſomnia.* *Ioſephus puteo extractus, in Ægyptum venditur.* *Ioſephus ob adulterij calumniam in carcerem cõiicitur.* *Pincernæ & piſtoris ſomnia expoſita à Ioſepho.* *Pharaonis ſomnia.* *Somnia Pharaonis Ioſephus exponit, atque annonæ præfectus deſignatur.* *Ioſephi coniugium, & liberi.*

Manaſſ



Manaſſem ab obliuione vocat, quòd calamitatũ oblitus eſſet: minorem Ephraimum, à retributione, quòd maiorum ſuorum libertas ſibi reſtituta eſſet. Aduentat interea penuriæ tempus: neque Ægyptum duntaxat inuadit fames, ſed eam quoque regionem, in qua Iacobus inquilinum agebat. Mittit igitur filios in Ægyptũ, ad emendum frumentum, ſolo Beniamine apud ſe retento, vt natu minimo. Accedunt illi Ioſephum: qui non agnitus, agnoſcit fratres, & exploratum veniſſe illos ait. Illi & vnde venerint, & ſe vno patre natos eſſe, adhuc ſuperſtite, ac alium fratrem natu minimum eſſe apud patrem, dicunt. Ioſephus tum demum ſe fidem illis habiturum dicit, ſi fratrem minimum ad ſe adduxiſſent. Dat eis frumẽtum: argentóque ſacco cuiuſque clam impoſito, Symeonem reditus illorum vadem retinet. Redeunt ad Iacobum filij, frumentum afferentes, & quid ſibi accidiſſet nunciantes. Ille retentum eſſe Symeonem ægrè fert, Beniaminem in Ægyptum perduci ſe paſſurum negat. Frumento autem iam conſumpto, cum eis alia conditione reuerti in Ægyptum non liceret, niſi Beniamine etiam adducto, victus neceſſitate pater cõcedit: & duplex frumenti precium, ac Ioſepho munera addit. Vt in Ægyptum venére, Ioſepho munera offerunt: qui Beniamine viſo, miſeratione commotus, ad lachrymas diſſimulandas ſecedit. Deinde fratribus ad cœnam adhibitis, duplis Beniaminem portionibus appoſitis honorat: & quæſtorem frumentum illis dare iubet, & precium in ſaccos imponere, & in Beniaminis ſarcinam ſcyphum argenteum coniicere. His factis diſcedunt fratres, recepto Symeone. Eos abeuntes circundant equites, obiicientes furtum ſcyphi: quem, inquiſitione facta, in Beniaminis ſarcina reperiunt. Beniaminem equites ad Ioſephum adducũt, quem fratres ſciſſis veſtibus plorantéſque ſequebantur. Ioſephus inſectatus eos, vt ingratos, miſſos facit, ſolius Beniaminis retentione contentus: cæteri attoniti aſtant. Iudas verò cauſam agere exorſus, cum multa ad commiſerationem apta dixiſſet, affectum Ioſephi ita commouit, vt nec iram diutius ſimulare poſſet, & ſe fratribus agnoſcendum præberet, & gratiã eis haberet, vt qui conſiliorum Dei de ſe ex parte fuiſſent adiutores. Abite ergo, inquit, & hæc ſignificate patri: ipſóque & omni eius cognatione aſſumpta, huc commigratote. nam fames adhuc quinquennium duratura eſt. Hæc locutus, fratres amplexus, muneribus proſequitur. Itaque illi abeunt. Iacobi Ioſephi rebus cognitis, ſtatim ad eũ properat cum omni ſua cognatione, qui omnes LXXV erant. Cum verò iam prope Ægyptum veniſſet, obuiam ei Ioſephus progreditur. At ille præ gaudio penè animo linquitur. Pharao audito Iacobi cum ſuis in Ægyptum aduẽtu, gaudet, eúmque ſecum congreſſum ſalutat: & quia illius domeſticos, opiliones eſſe cognorat, ſedes eis Heliopoli aſſignat. Fame porrò creſcente, Ioſephus pecunia frumentum vendit Ægyptiis: ea exhauſta, pecoribus id emũt. Denique agris etiã cedunt, vt haberent vnde viuerent. Sic Pharaone omnibus copiis potito (agris ſacerdotũ exceptis, qui ſuis poſſeſſoribus manebant) vt iam fames remiſerat, Ioſephus Ægyptios in vrbes quoſque ſuas conuocat, terram eis donat, & operi intentos eſſe iubet, vt quintas frugum Pharaoni penderẽt. Iacobus annis XVII in Ægypto trãſactis, ex valetudine moritur, cum prædixiſſet antè vt ſui poſteri in Chananæa habitaturi eſſent: ac cæteris quidẽ filiis fauſta comprecatus, & Ioſephi laudib. prædicatis, quòd fraternæ iniuriæ oblitus eſſet, mandat filiis, vt Ioſephi liberos Ephraimũ & Manaſſem, in ſuum numerum referrent, & in Chananææ terræ portionem admitterent. Ioſephus filiis ſuis ad Iacobum adductis, vt eis bene precaretur, maiorem ad dextram ſtatuit, iuniorẽ ad læuam. At ille manibus decuſſatim puerorum capitibus impoſitis, dextram iuniori admouet, ſiniſtram maiori. Ob quod factum à Ioſepho reprehenſus, collocationem manuum mutare noluit. Neque enim (vt Ioſephus putabat) per errorem ita fecerat, hebeſcente ob ſenium ingenio: ſed vatis inſtar futuros euentus per ambages denunciabat, & ſalutarem crucem informabat: ac recentem populum, è gentibus conflatum ſcilicet, dextrum à Deo iudicatum iri ſignificabat: antiquiori, Iudaico nimirum, præferendũ. Obiit Iacobus annos natus CL, tribus demptis. Ioſephus permiſſu Pharaonis Chebronem proficiſcitur, patrémque magno ſumptu ſepelit: & fratribus dubitantibus an cum eo reuerterentur (verebãtur enim, ne veterem iniuriam vlciſceretur) ſcrupulum illum eximit. Et ipſe etiam moritur, expletis annis centum & decem: cum mãdaſſet, vt populares ſui ex Aegypto remigraturi, ſua etiã oſſa in Chananæam terram ſecum aſportarent. Aegyptij, quia florere videbant Iſraelitas, obliti Ioſephi, varias in eos ærumnas excogitant. Nam & Nilum in plurimas foſſas deriuare iuſſerunt, & vrbes circundare mœnibus, & aggeres excitare, per quos Nili exundationes cohercerentur, & pyramides extruere. Huiuſmodi igitur rebus Hebræos excruciabant. Ac longo illi tempore iſtas ærumnas tolerarant, cùm quidam ex ſacerdotibus Pharaoni nũciat, fore vt circa id tempus quidam Iſraelitis naſceretur, qui ſi adoleuiſſet, & Aegyptios depreſſurus, & populares ſuos euecturus eſſet. Qua re perterritus Pharao, omnes maſculos qui Hebræis naſcerentur, in flumen proiectos necari iubet. quod quicunque parentũ negligerent, cum omni familia perituros: & partus Hebræarum mulierum ab Aegiptiis obſtetricibus obſeruari iubet. Ac illi quidem in his erant. Quidam autem vir nobilis ob edictum iſtud angebatur (nam vxor eius ferebat vterum) ac precatus Deum, in ſomnis monetur, ne deſperet. Nam & puer (inquit Deus) quem dixerũt Aegyptij, tuus erit, & manebit incolumis, & ignorantibus inſidiatoribus educabitur: ac popularibus ſuis ex Aegyptiaca ſeruitute ereptis, æterna memoria celebrabitur. Frater item eius cũ ſuis poſteris ſacerdos meus ſemper erit. Vxor clam cuſtodibus puerum marem ei parit, quem tres menſes parentes alunt. Sed metu tandem ſubacti, ſalutem eius Deo committunt: ac in fiſcellam bitumine illitam impoſitum infantem, in fluuium demittunt: Mariamme pueri ſorore obſeruante, quid de eo futurum eſſet. Interea Thermuthis filia Pharaonis ad ripam luſitans, fiſcellam videt, tolli iubet, puerúmq; viſum ob pulchritudinem

*Ioſephi fratres in Ægyptum profecti, arte tractantur.* *Ioſephus à fratribus agnoſcitur.* *Iacobi deſcẽſus in Ægyptum.* *Iacobus poſteris ſuis bene precatur, & vaticinatur.* *Permutatio manuum.* *Iacobi & Ioſephi obitus.* *Iſraelitarũ ærũnæ apud Ægyptios.* *Oraculum.* *Moſis natiuitas, & educatio.* *Thermuthis Pharaonis filia Moſem educandum curat.*

& magnitudinem diligit. Adducuntur Ægyptiæ mulieres, lactaturæ puerum: at ille mammam Ægyptiam aduerſatur. Tum Mariamme, quaſi fortuitò interueniſſet: Regina, inquit, ſi Hebræa mulier vocetur, fortaſſis admittet mammam infans. Illa vocari iubet: adducitur pueri mater, cui Thermuthis alimoniam eius mercede locat, nomine ex euentu indito. nam aquam Mos vocant Ægyptij: Hyſes, eos qui ex aqua eripiuntur. Ambobus igitur his verbis compoſitis, ad infantis nomen illa vſa eſt. Moſes ab Abrahamo ſeptimus numeratur. Nam Amarami filius fuit, Caathus Amarami pater, ille Leuis, Leuis Iacobi, Iacobus Iſaaci filius, patre nati Abraamo. Moſem tres annos natum & ſtaturæ proceritas, & formæ elegantia, beneficio quodam numinis decorabant: ingenium porrò ſupra captum ætatis in eo elucebat. Thermuthis itaque orba liberis, cũ adoptat, ad patrem affert. Is puerum complectitur, & diadema per blanditias ei imponit: quod puer, vt fert illius ætatis ſimplicitas, humi abiicit, pedibus inſiſtẽs. Quo is ſacerdos, qui ex gente Hebræorum oriturum eſſe dixerat, qui Ægypti regnum depreſſurus eſſet, conſpecto, exclamans: Hic, inquit, ille puer eſt: hoc interfecto, Ægyptios metu libera. Sed Thermuthis puero erepto anteuertit, & Pharaonẽ Deus ſegniorem ad cædem reddiderat. Ætate progreſſus Moſes, qua virtute eſſet, tali occaſione Ægyptiis innotuit. Æthiopes Ægypto finitimi regionem populantur. Ægyptij bello contra eos moto, & ſuccumbunt, & cõtemptui ſunt hoſtibus, ita vt vniuerſam Ægyptum incurſarent. Pharao ex oraculo Moſem iam virum factum, à filia ducem petit. concedit illa: ſed iureiurando patrem adigit, ne quid illi noceat. Moſes belli ſumma ſibi credita non ſolita via exercitum ducit cõtra hoſtes, ſed per loca ob venenatarum beſtiarum multitudinem inuia, ibíque prudentiam ſuam demonſtrat. Nam fiſcellis ibides (quarum multas, eáſq; cicures Ægyptus alit) incluſas, contra Æthiopes portat (ſunt autem ibides ſerpentibus infeſtæ) quibus propugnatricib. cõtra venenatas beſtias vſus, & Æthiopes nec opinantes aggreſſus, vincit, ac vrbes eorũ capit: qui in vrbem Æthiopiæ regiam Sabam (poſt à Cambyſe ex nomine ſororis Meroe dicta eſt) compulſi obſidentur, etſi vrbs illa haberetur inexpugnabilis. Verũ Tharbe principis Æthiopum filia, capta amore Moſis, internuncios ad eum mittit de coniugio. Ille annuit, ſi vrbẽ ſibi traderet. Fit hoc dicto citius. Moſes nuptias celebrat, Ægyptios reducit domum. At illi & oderant illum, quanquàm conſeruati, & Pharaonem contra eum inſtigabant. Qui & ſacerdotibus obtemperãs, & cæde Ægyptij, qui Hebræum flagellarat, irritatus (vt in libro Geneſeos continetur, etſi Ioſephus hoc præteriit) vitæ Moyſis inſidiatur. Tamen ille, quamuis viæ cuſtodirentur, clam per deſertum aufugit in vrbe Madiam, ac ſacerdotis eius loci hoſpitio vtitur: qui nomine duplici præditus, & Raguel & Iothor vocabatur. Is filiam ſuam Sephoram Moſi vxorem deſpondet, & curam gregum mandat. Cum autem ad Synæum montem paſceret, cernit miraculum illud rubi: qui cum arderet, nõ cremabatur. Deinde vocem etiã inde audit, quæ progredi vetaret: quòd locus ille diuinus eſſet, & futura prædiceret: & abire in Ægyptum iuberet, vt populares ſuos ex illis ærumnis eriperet: quos cum eduxiſſet ex Ægypto, ſacra in loco illo faceret. Hæc Moſi diuinitus è flamma ſignificãtur. Cæterùm is dubitabat, quo pacto vel popularibus ſuis perſuaderet, vel à Pharaone extorqueret exitum: cum Deus ea ſe facilima redditurum pollicetur. in cuius rei fidem, baculum humi proiiceret: quo facto, is ſerpens extitit: receptus, in baculũ redit. Manum item in ſinum abdere iuſſus, protulit inſtar calcis candidam: quæ mox & ipſa priſtinum colorem recipit. Rurſus è propinquo petitam aquam effundere iuſſus, cruentam videt. His portentis confirmatus, rem citra cunctationẽ iubetur aggredi. Aſſumptis igitur vxore, & ex ea ſuſceptis liberis, Gerſone, quod nomen ſignificat aduentum in peregrinam terram: & Eleazaro (à diuino auxilio ſumpta eſt appellatio) in Ægyptum proficiſcitur. Ad limites progreſſo, frater Aaron occurrit. Ambo Pharaonẽ adeunt, & Dei mãdatis expoſitis monent, ne diuino conſilio aduerſetur. Illo verba eorum deridente, miracula edunt. Baculus proiectus fit ſerpens. Quod incantatoribus Ægyptiorum imitatis, verſis illorum etiam baculis in ſerpentes, rurſus Moſes ſuum baculum humi proiicit: qui in ſerpentem mutatus, baculos Ægyptiorum, qui ſerpentium ſpeciem habebant, deuorat. Deinde in ſuam formam reuerſum recipit. Pharaone verò ſe offirmante, aquæ in cruorem mutantur, deinde ranæ omnem terrã Ægypti occupant, poſtea pediculi è terra ſcaturiunt. Ac cætera quidem miracula etiam Pharaonis præſtigiatores videbantur imitari. pediculorum autẽ ſpectrum quia effingere non poterant, Pharaoni dicebant, illũ digitum Dei eſſe. Verùm cum is nihil cederet, ingruerunt muſcæ, & perierunt pecudes. Deinde cum Moſes fuligine caminorum aërem oppleuiſſet, vlcera & puſtulæ tam in hominibus quàm pecudibus efferbuerunt. Rurſus grando depluit, quã ſecutæ ſunt locuſtę, poſt quas tenebræ Ægyptios tres dies operuerunt. Denique poſt hæc omnia primogenitorum cõſecutus eſt interitus. Nam cum occaluiſſet Pharao, iuſſit Deus Moſem ſacrificium in diem menſis XIIII apparare, qui menſis ab Hebræis Niſan, ab Ægyptiis Pharmuthi, apud Macedones Xanthicus appellatur, Græcè ἀπρίλλιος dicitur. Quæ dies XIIII cum adeſſet, ſacrificant omnes, & victimarum ſanguine limina ædium inungunt: cœnáque peracta, reliquias comburunt. vnde ex illo tempore feſtum Hebræi celebrant circa id tempus, & ſacrificant: quod feſtum Paſcha vocant. id alij tranſitum interpretãtur: Ioſephus præteritionem, quòd Deus nocte illa Hebręis prętenitis, Aegyptios interitu primogenitorum afflixerit. Qua de cauſa congreſſi Aegyptij Pharaonem orant, vt dimittat Hebræos. Iubet ille. Diſcedunt Hebræi: quorum fuere (militaris duntaxat ætatis) ſexcenta millia. Egreſſi ſunt menſe Xanticho, die XV, oriẽte Luna, annis quadringentis & triginta pòſt quàm Abrahamus in Chananæam peruenerat, poſt Iacobi in Aegyptum migrationem annis ducentis & quindecim, Moſe tum annos LXXX nato, quem Aaron triennio ſuperabat: auehentes etiã

oſſa

*Moſes Pharaonis diadema proculcat pedibus.* — *Moſis bellũ Æthiopicũ.* — *Moſes vxorem ducit.* — *Moſis fuga in Madiam.* — *Rubi ardentis miraculum.* — *Virga Moſis.* — *Moſes miraculis confirmatus, Pharaonẽ adit.* — *Moſis miracula apud Pharaonẽ.* — *Paſcha.* — *Hebræorum exitus ex Ægypto.* — *Quot anni Iudæi in Ægypto mã ſerint.*



oſſa Ioſephi ſecum, quemadmodum ille mandarat. Sic illi proficiſcebãtur. At Ægyptij acti pœnitentia, correptis armis eos perſequebantur, curribus DC, equitibus quinquagies mille, & ducentis milibus peditum. Hebræi in anguſtias redacti æſtuare, vix à lapidatione Moſis ſibi temperare: ille hortari, vt ſe ſequerentur, ad mare ducere. Ibi in littore ſtans, Deo inuocato, baculo mare percutit. Illud diſcluditur, vt nuda Hebræis tellus appareret: feſtinanter itaque tranſeunt. Quod videntes Ægyptij, equite in fronte collocato, perſequuntur. Iam autem Hebræis in oppoſitum littus citra noxam egreſſis Ægyptios aqua à Moſe virga percuſſa, vt in ſuum locum regrederetur, fluctibus coeuntibus, mare obruit. Itaque Ægyptij vniuerſi in vndis perierunt. Hebræi verò laudibus Deum læti cõcelebrant. Moſes etiam canticum Deo facit verſibus ſenariis, Ioſepho autore. Arma Ægyptiorum cum corporibus eorum à vento in littus eiecta capiunt Hebræi, ſibíque accõmodant. Moſes eos in montẽ Sinam ducit, ad exoluenda vota Deo ob ſalutem adeptam, vt in mandatis acceperat. Dum eò ducuntur, & cibariorum penuria, & aquæ inopia laborãt. Sic affecti in locum perueniũt, vbi puteus erat, cuius aqua ob amaricieẽ potari non poterat (quem locum liber Exodi Mærã nominat, Ioſephus ab Hebræis Mar vocatum fuiſſe tradit: ſic enim amarum dici lingua eorum) & contra ducem fremunt. Is Deum cõprecatus prius, ligno quodam in puteum coiecto, aquam dulcem reddit. Ioſephus non credere videtur, aquæ ſaporẽ miraculo mutatum, ſed naturaliter id accidiſſe. Ait enim Moſem ligno in aquam coniecto, exhauriri aquam iuſſiſſe: ac dum illi intenti eſſent operi, aquam continentibus ictibus exercitatam & expurgatam, potabilem tandem eſſe factam. Cibariorum item penuriæ occurrit, numine inuocato, per coturnices, quarum ingens multitudo in caſtra Hebræorum delata & capta, famem ſedat. Deinde Mannam pluit eis Deus, dulcedine melli parem, magnitudine grano coriandri ſimilem. Eſt autem Manna ab eis appellata, cum dubitarẽt, quid erit hoc. Man enim lingua illa interrogationis quoque nota eſt. ſic Ioſephus hæc tradit. Iuſſus autem erat quilibet aſſaronem (menſuræ id genus eſt) ex eo colligere: quo ſi quis plus collegiſſet, poſtridie non erat eſui, & vermibus & amaritudine corruptũ. Id eo conſilio factũ, ne vbi robuſti multum coaceruaſſent, infirmi egerẽt. Hoc victu annos XL ſunt vſi, donec è deſerto exceſſerunt. Denuò in locum aquarũ expertem progreſſi, nomine Raphidim, ſiti contra Moſem extimulantur. Is precatus Deum, iubetur baculo percutere petram: quo facto, aquæ limpidiſſimæ copia erũpit. Inde Amalechitæ, finitimis etiam in auxilium euocatis, contra Hebræos procedũt. Moſes bellicioſis à reliqua turba ſegregatis, & Ieſu Nauis filio illis duce creato, ac parte exercitus ad aquarum cuſtodiam relicta, ipſe montem conſcendit: Ieſúque mandat, vt Deo fretus, contra hoſtes educat copias. Conſerta iam pugna, quoad Moſes manus ſurſum tenebat, Hebræi Amalechitas malè tractabant: cum remiſiſſet, extenſione illa fatigatus iidem ſuccumbebant. Itaque Aaroni fratri, & Ori marito Mariammes eius ſororis mãdat, vt vtrinque aſtantes, manus ſibi fulcirent. Sic Hebræi victores, Amalechitas internecione deleuiſſent, niſi nox prælium diremiſſet, nullo è ſuis cæſo. Ex eo loco progreſſi, trimeſtri poſt exitum ex Ægypto ſpacio, ad Sinam montem perueniunt. Ibi Moſes ſacrificat: & à Raguele ſocero aditur, qui cum generum negociis obrutum videret, omnibus eum adeuntibus, ſuadet, vt iuris dicundi prouinciam aliis mandet: ipſe maiorum rerum cura ſuſcepta, ſaluti populi conſulat: & præfectos deſignet, qui decies millenis, qui millenis, qui quingenis, centenis, quinquagenis, tricenis item, vicenis, & denis præſint. Raguelis monitis paret Moſes: populum prope montem Sinam caſtra locare iubet: ipſe montem aſcendit. Populus iuſſa exequitur, cùm aliis rebus immundis, tum congreſſu mulierum triduum abſtinens. Die tertio nubes Hebræorum caſtra circundat, cum fulguribus terribilibus, & impetu ventorum quibus Hebræi perterriti, intra tabernacula ſe continent. Deinde Moſes procedit, fiducia plenus, ſuóque conſpectu popularibus metum adimit: quæ mandarit Deus exponit, & quæ eis inſtituta ſint tenenda: producit populum cum vxoribus & liberis ad audiẽdum Deum. Audiunt illi vocem ex alto demiſſam. Ille rurſus montem conſcendit: in quo cum diutius moraretur, populus ad Aaronem confluens, Facito, inquit, nobis Deos. nam quid Moſi acciderit, ignoramus. Aaron vi ſubactus, aureas inaures, & mundum muliebrem vxorum & filiarum eos afferre iubet. Afferunt illa, & vitulum aureum inde conflant, eíque immolant. Moſes de monte deſcendens, & duas teſtimonij tabulas manibus ferens, lapideas, vtrinque ſcriptas: vt caſtris appropinquans, vitulum videt, iratus tabulas confringit, vitulum comminutum comburit, ſcobe in aquam coniecta potat populum. Leuitis mandat, vt per caſtra graſſentur: à quibus tribus circiter millibus hominum occiſis, in montem reuertitur, dicens: Domine, populus peccauit. quod peccatum ſi eis condonas, bene eſt: ſin minus, me quoque è libro tuo deleto. Iubet Deus Moſem deſcendere, ac populum in locum deſignatum perducere: eíque conſpectum eius petenti, poſteriora ſua conſpicienda præbet. Sic rurſus ad populum ille deſcendit, duas tabulas afferens, quibus decem illi ſermones inſcripti erant. Cæterùm facies eius ita fulgebat, vt eam populus intueri nequiret: eáque de cauſa velat eam, atque ita cum eis colloquens, mandata Dei de ſacrificiis, de luſtrationibus, de animalibus mundis & immundis, quorum his abſtinerent, illis allerentur, de coitu illicito, de matrimoniis ſacerdotum & pontificum, de ſabbatho, de anno ſeptimo & quinquageſimo, quem Iubilæum vocant, exponit. Iubet porrò Deus tabernaculum fieri, in quod deſcenderet, quodque cum eis diſcedentibus transferretur: dimenſiones & figuram eius Moſi demonſtrat, ſecundum quas id fabricandum eſſet. Populus iis rebus lætus, aurum, argentum, gemmas, æs, ligna, pilos caprinos, pelles arietum, linum & lanas confert. Operi tabernaculi conficiendi præficitur Beſeleel, Mariæ ſororis Mo-

*Numerus perſequentiũ Iudæos.* — *Ægyptiorũ in mari rubro interitus.* — *Maramus puteus dulceſcit.* — *Coturnices.* — *Manna.* — *Raphidimiam ſitim petra leuat.* — *Amalechitæ Moſe manus ſuſtinente profligãtur.* — *Raguelis conſilium de creandis magiſtratibus.* — *Legiſlatio in monte Sina.* — *Aaron vitulum aureum cõflat.* — *Moſis iracũdia ob vitulum.* — *Promulgatio legis Moſaica.*

*Tabernaculum & arca fœderis.*

ſis filius, & Eliphatus. Tabernaculum iam confectum Moſes erigit. Arcam etiam fabrefecit è lignis non putreſcentibus, circumcirca inaurat: in

*Decalogus.*

eaque duas tabulas, quibus Decalogus continebatur, condit. Cuius primum præceptum, Vnum eſſe Deum affirmat, eúmque ſolum colendum. Alterum, Nullius animantis imaginem faciendã & adorandam eſſe. Tertium, Per Dei nomen ob nullam rem inanem eſſe iurandum. Quartum, Diem ſeptimum obſeruandũ, atque in illo omni opere abſtinendum. Quintum, Parentes honorandos. Sextum, Cęde abſtinendum. Septimum, Non adulterandum. Octauum, Non furandum. Nonum, Nõ dicẽdum eſſe falſum teſtimonium. Decimum, Nihil alienum concupiſcendum eſſe. Arcam hanc in adyta collocant, in æde menſam ſtatuunt, & in ea panes non fermentatos duodecim: candelabrum item aureum, & aram ſuffitoriam intrinſecus ligneã, foris auro incruſtatam. Ante tabernaculum aram poſuit ligneam, laminis ferreis circumtectam, in qua phialæ & crateres cum acerris collocabantur: aliáque vaſa, quæ ad ſacrificia parata erant, ex auro omnia. Parantur & ſacerdotibus ac pontifici etiam ſtolæ. Pontificem autem Aaronem renunciarat Deus. Tum Moſes populo conuocato: Viri, inquit, opus abſolutum eſt, ſacrificãdi autem honore Aaronem dignatur Deus. Deinde conferre ſingulos iubet ſicli ſemiſſem, ad tabernaculi miniſteria ſuſtentanda. Eſt autem ſiclus Hebraici numiſmatis genus, quod quatuor drachmas Atticas valet. Numerus eorum qui cõferebant, fuit ſexcentorum quinque millium, quingentorum & quinquaginta: cum ex ingenuis ij duntaxat conferrent, qui vigeſimum annum exceſſiſſent, vſque ad quinquageſimum. Confectum eſt tabernaculũ menſibus ſeptem. Oſtendit autem Deus deſcenſu in tabernaculum ſuo, id opus ex animi ſui ſententia confectum eſſe. Præſentiam porrò ſuam ita declarauit. Vapor ſoli tabernaculo incumbebat, neque denſus & inuolutus, ac nubibus ſimilis, neque omnino tenuis & rarus, vt penetraret viſus, ſed ſuauis inde ros deſtillabat. Moſes diebus ſeptem in tabernaculo ſub dio ſacrificat. Octauo, feſtum indicit populo, & ſacris operari iubet. At illi certare inter ſeſe liberalitate. Victimis iam aræ impoſitis, ignis ſponte ſua ortus, omnia quæ in illa erant, conſumit. Pòſt, quatuor

*Nadabi & Abij interitus.*

filiorum Aaronis natu grandiores, Nadabus & Abius ſacris non ritè factis, pectora & facies, igni vltrò exorto, aduſti: cadauera eorum extra caſtra elata, & ſepulta. Dehinc Moſes tribum Leuiticam ab aliis ſecretam, luſtrat: eíſque tabernaculum & ſacra vaſa tradit, vt ſacerdotibus ad pręſcriptum eorum miniſtrarent.

*Leuitæ ſacris miniſteriis deſtinãtur.*

*Numerus Iſraelitici populi.*

His peractis, numerare populum inſtituit: inuentíque ſunt, qui arma ferre poſſent, ſexcenties mille, ter mille ſexcenti & quinquaginta ex iis qui annum vigeſimum exceſſerant, & quinquageſimum attigerant. Pro tribu autem Leuitica Ioſephi filios Ephraimum & Manaſſem tribunis ſubſtituit, ſecundum mandatum progenitoris Iacobi. Leuitarum porrò numerus inuentus eſt trium & viginti millium, octingentorum & octoginta. Poſt hæc populus ſeditionem Moſi mouet, conquerens, ſe è bona terra in deſertis oberrare coactos ab eo. Itaque ex eo loco in terram eos ducit, quæ Vallis dicebatur, Chananææ terræ propinquam: & ſingulos ex qualibet tribu delectos, mittit exploratum vires Chananæorum, & agri qualitatem.

*Exploratores in Chananeã mittuntur.*

Hi XL diebus regione peragrata, reuertuntur, fructus etiam ex ea ſecum afferentes: ac terræ quidem bonitatem laudant, ſed populo metum iniiciunt, quaſi obtineri nequeat, tum ob fluminum magnitudinem, tum ob ardua iuga mõtium, tum ob vrbes munitiſſimas. Hoc nuncio rurſus irritantur animi popularium contra Moſem, adeò vt de eo & Aarone lapidibus obruendo, déque reditu in Ægyptum cogitarent.

*Chalebus. Ieſus.*

Verùm Ieſus Nauis filius & Calebus, ſoli exploratorum confirmant populum, nullas difficultates pertimeſcendas eſſe aſſeuerantes. Moſes quoque & Aaron deprecantur Deum, vt deſperationem illam vulgi ſedaret. Iam nubes in tabernaculo aderat. Dei præſentiam declarans, cum Moſes animo reſumpto, populũ alloquitur, ac Deũ iratum eſſe ait, non tamen perditurum omnes, neque totam gentem deleturum: ſed nec Chananæam terram traditurum ipſis, quibus per annos XL commorandum eſſet in deſerto, ſed liberis eorum.

*Iſraelitæ XL annis in deſerto exulãt.*

His à Moſe dictis, mœrere populus. Deinde Chananæos inuadere velle, quamuis vetante Deo, factáque impreſſione vincuntur, aliis cæſis, aliis in caſtra trepidè ſe recipientibus. orta eſt autem populi ſeditio, huiuſmodi ex cauſa.

*Coranæ ſeditio.*

Coras Leuiticæ tribus homo, genere & opibus maximè conſpicuus, auræ popularis captandæ inſignis artifex, inuidet Moſi, & contra eum vociferatur, vt tyrannum. Nam qua, inquit, ratione Aaroni, eiúſque filiis ſacerdotium attribuit? ſi ob tribum Leuiticam, ego ſum illo honore dignior: quippe & genere illi par, & opibus ac ætate ſuperior. ſin alteri tribui debetur id munus, Rubenia ob ætatis prærogatiuam primas feret, ac Dathan & Abiron illo potientur. Hæc malitioſe dicebat ille, cum & viros principes CCL inſtructos haberet, & plebs concitata eſſet. At Moſes in medium progreſſus: Ego, inquit, Cora & te, & eorum qui à te ſtant, quemlibet honore dignos iudico. Verùm Deus Aaroni ſacerdotium aſſignauit: idémque nunc denuò declarabit, à quo ſacra ſibi velit fieri. Manè igitur qui de ſacerdotio contenditis, prodite, thuribulo quiſque domo ſecum allato, & igne, ſuffitúque: Vnà vobiſcum etiam Aaron prodeat. Tum vobis in populi cõſpectu odoramenta incendentibus, cuius victimam ſuauiorem iudicarit Deus, is vobis pontifex erit. Collaudat hæc populus, poſtridie in concionem frequentes conueniunt. Moſes Abironem & Dathanem accerſi iubet. Non parent illi, minas inſuper contra Moſem adiicientes. Tum ille primoribus ſe ſequi iuſſis, ad tabernaculum illorum abiit: propè quod cum veniſſet, manibus in cœlum ſublatis, magna voce exclamat:

*Abironi & Dathani dehiſcit tellus.*

Quoniam Domine doli mali ſuſpectus habeor, tu ipſe venito iudex, ac demonſtra, nihil fortuitò geri, ſed tua prouidentia gubernari omnia: quòd ſi tuo iuſſu pontificatum Aaroni dedi, tellus cui Dathan & Abiron cum ſua progenie inſiſtunt, dehiſcat. Sin vera ſunt quæ contra me dicunt, quæ eis ſum imprecatus, ea in caput meum redundent. Hæc vbi lachrymans dixiſſet,



dixiſſet, tellus vehementer concuſſa, cum ingenti fragore iuxta illorum tabernaculum dehiſcẽs, cum & ipſos & eorum omnia deglutiſſet, iterum expletus eſt hiatus. His factis, populus ſtupet. Moſes eos qui ſacerdotium ſibi vendicabant, vocat. Conueniunt viri illuſtres CCL. Aaron & Cora ante tabernaculũ cum acerris ſuis ea quæ ipſi attulerant, ſuffiunt.

*Coras cum CCL. viris conflagrat.*

Tum ingens flamma emicat, qualis videlicet iubente Deo incendatur, qua illi CCL vnà cum Cora ita conflagrarunt, vt nec cadauera eorum reperirentur. Solus Aaron incolumis inuenitur. Moſes thuribula illorum virorum circa æneam aram reponi iubet, in rei geſtæ monimentũ ad poſteros. ac denuò habita cõcione, edicit tribunis, vt nomina tribuum baculis inſcripta afferant. Nam illius fore ſacerdotium, in cuius baculo ſignum edidiſſet Deus. Afferunt igitur tum alij ſuos baculos, tum Aaron quoque ſuum, Leuita inſcripto. Eos in tabernaculo Dei repoſuit Moſes, poſtridie protulit: ac cæteri quidem, quales fuerant, tales manſerant: Aaronis autem & ramos & fructus germinarat. quos fructus Leuitici liber, nuces: Ioſephus amygdalas fuiſſe dicit. obſtupuerunt igitur omnes, Aarone ter diuinitùs electo.

*Leuitarum reditus.*

Iam quia Leuitica tribus bellorum & expeditionum immunis erat, ne ob rerum neceſſariarũ penuriam, ſacrorum curã abiicerent, iubet Moſes Hæbreis, vt Chananæa terra parta, oppida XLVIII Leuitis aſſignarent, & agros ante ea & decimas annuarum frugum, tùm ipſis, tùm ſacerdotibus penderent: aliáque plurima eis à populo tribuenda conſtituit, quæ qui ſingulatim ſcire deſiderat, in libro qui Leuiticus inſcribitur, inueniet.

*Moſes Idumeos reformidat.*

His rebus ordinatis, Moſes cum exercitu ad Idumeam accedit, tranſitum petẽs. At rex illius terræ cum armatis copiis occurrit. Moſes itaque per deſertum pergit, monitus à Deo, ne pugnam auſpicaretur. Eo tempore etiam Mariamme moritur. Moſis ſoror, quadrageſimo anno poſt exitũ ex Ægypto. Populo igitur ductu Moſis per deſertum & Arabiam proficiſcente, Aaron etiam obit, alto monte cõſcenſo, & pontificalibus veſtibus Eleazaro filio traditis in populi cõſpectu, anno ætatis CXXIII.

*Amorræorum cædes.*

Moſes ad Moabitarum & Amorræorum regionem progreſſus, petebat vt traducere liceret exercitum. Sed loci illius rex

*Seon.*

Seon tranſitu populum prohibebat. Cum autem Moſi oraculum conſulenti, victoriæ ſigna dediſſet Deus, Hebræi armis ſumptis, in prælium vadunt. Statim in fugam vertuntur Amorræi, & omnes intereunt, rege etiam Seone occiſo, & captis vrbibus, ac prouincia occupata.

*Ogus.*

Og item Galaditicæ & Gaulanitidis rex, qui Seoni iam interfecto ſuppetias veniebat, Iſraelitas aggreditur. Sed & ipſe in prælio cadit, & exercitus eius deletur, captis vrbibus, & incolis interfectis. Inde Moſes copias in magnam planiciem ducit, & caſtra contra Hierichuntem locat, vrbem beatam, ac palmarum & balſami feracem.

*Balacus. Balaamus.*

Balacus autem rex Balaamum vatem accerſit, vt Iſraelitas diris deuoueret. Sed iter ingreſſo, angelus Dei occurrit. quo aſina, cui Balaamus inſidebat, animaduerſo, non progrediebatur, neque cedebat verberibus: ſed Dei nutu voce humana edita, expoſtulabat cum domino, à quo vapulabat, quòd non intelligeret, diuinitus ea prohiberi, ad quæ properaret. Voce illa perterrito etiam angelus apparet, ac ſe ait iumento iter intercludere. Reuerti volentem, vt pergat hortatur, & quicquid ei diuinitùs inſpiretur, dicat. Ac venit ille quidem ad Balacum, & in montem perductus, VII tauris totidémque arietibus immolatis, cum ſtragem ſignificari videret, non modò mala nõn imprecatus eſt Iſraelitis, ſed & ipſos & omne genus eorum fauſtis ominibus & diuinis laudibus proſecutus, ac grauiter illa ferenti Balaco, Non penes nos, inquit, eſt, ô rex, iſta vel loqui vel tacere: ſed cum diuinus ſpiritus nos occuparit, quas ipſe vult, per nos voces edit. Sed quia tibi gratum facere cupio, denuo inſtruenda erit ara & victimæ. Rurſus igitur ſacrificat, & in faciem prolapſus, clades regibus & vrbibus imminentes vaticinatur. Qua de cauſa Balacus cum ſine honore dimittit. Idémque pòſt de Balaami conſilio, virgines in Iſraelitarum caſtra mittit, à quibus Hebræi ad coitum alliciebantur, vt id facinus totum exercitum peruagaretur amore Madianiticarum mulierum, diis earum Hebræis ſacrificantibus & cibos inſolitos concedentibus.

*Manianiticæ mulieres ſeducunt Hebræos.*

Moſes populo ad cõcionem vocato, dicebat, adoleſcentes neque ſe neque patribus ſuis digna facere, eóſque corrigere ſatagebat. Cæterum Zambres Symeoniæ tribus princeps, qui Madianiticam mulierem ſibi nuptam inſano amore deperibat, impudenter ſeſe Moſi oppoſuit, neque vnquam deſerturum iureiurando affirmauit, Phinees autem pontificis Eleazari filius doloris acerbitate victus, nõ prius & Madianitidem & Zambrem gladio verberare deſtitit, quàm vtrumque occidiſſet. Hunc alij iuuenes ſtudioſi virtutis imitati perimebant adoleſcẽtes qui contra leges patrias alienigenis mulieribus ſe cõtaminarant. Ita viri XXIIII millibus haud pauciores perierunt. Ea re Moſes iritatus, contra Madianitas exercitũ mittit, Phineæ mandato imperio.

*Madianitarum cædes.*

Prȩlio commiſſo, reges eorum cadunt numero V. & multitudo ingens. Hebræi regionem eorum diripiunt, ciuibus vnà cum vxoribus occiſis, ſolis virginibus parcentes, quæ fuere ad XXXII milia, quas Moſes ſacerdotibus Leuitis & populo diſtribuit: & quia iam ſenio confectus erat, ſucceſſorem ſibi deſignat Ieſum Nauis filium.

*Amorræorum terram occupant tribus Gadia, Rubenia, & Manaſſea ſemiſſis.*

Cum tribus Gadia, Rubenia, & Manaſſeæ ſemiſſis Moſem orarent, vt Amorræorum terram ipſis attribueret: atque ille ignauiam eis opprobraret, vt qui belli Cananæi ſocietatẽ cum popularibus detrectarent: illi ſe defendẽtes, aliã afferebãt cauſam, quòd pecora, quorũ copiis abundarent, in ea regione relicturi eſſent, apta rei pecuariæ, vt ipſi popularium certamina expeditius adiutarent. Collaudauit ea Moſes, atque iis conditionibus Amoritidem eis Moſes attribuit.

*Hæreditas in eadẽ tribu manet.*

Cum autem quidam Manaſſeæ tribus, ſolis relictis filiabus, deceſſiſſet, interrogatus, cuius eſſet illius portio? reſpondit, ſi quibus tribulium nupſiſſent virgines, vt vnà cum portione ad illos tranſirent: ſin aliquibus alterius tribus deſpõderentur, portionem in patria tribu relinquerent. Sic cuiuſque bona in ſua tribu eſſe retinenda cõſtituit.

*Moſis obitus.*

Iam autẽ XL annis (demptis XXX diebus) elapſis, ex quo Iſraelitæ Ægypto exceſſerant,

Moſes annos c x x. natus, populo ſibi mortem inſtare denunciat, multis præceptis datis, legibus item & Reip. forma deſcriptis, & mandata cõtra Amalechitas expeditione, ac iureiurando exacto de ſeruãdis legibus, necnon Imperatore Ieſu ad » Cananæos bello petendos incitato: Ecce, inquit, » ego ad maiores noſtros abeo. Nam hunc mihi diem migrationis ad illos Deus præfiniuit. His auditis, populus in lachrymas & fletũ erupit inconſolabilem, ac tantum, vt affectus ille Moſi etiam vel inuito lachrymas excuteret. Abeũtem eum in locum, vbi inter mortales eſſe deſineret, proſequebantur omnes plangẽtes. At ille, manu cæteros vlterius progredi vetãs: Senatorib. tantũ & pontifice Eleazaro & Imperatore Ieſu comitantibus donec venit ad montem Naban & cacumen Phaſenę, quod eſt in cõſpectu Hierichuntis, vnde ei Dominus terra, cuius hæreditatem adituri eſſent Iſraelitæ, mõſtrata dixit: Oculis tuis iſtam intuere, ſed ingreſſurus non es. Ad mõtem hunc progreſſus, qui quidem altus eſt, Senatu dimiſſo, Eleazarum ſolum & Ieſum ſecum adducit: atque cum eis collocutus, denſaque nube circundatus, euanuit. Scribitur autem in ſacris libris ideò mortuus, ne ob excellentem virtutem, audaciores aliqui Deum eſſe factum perhiberent.

*Ieſus ſucceſſor Moſis.*

Summa ætatis eius fuere anni centum & viginti: quorum trientem, vno menſe minus, in Imperio fuit. Defunctum luxerũt dies triginta. Et hęc Ioſephus tradit. Sed Deutero. liber circa finẽ ſic ad verbum habet *. Et obiit Moſes, famulus Domini, neque in hunc diem quiſquam obitum eius nouit.

** Paulo aliter in Deut. legitur cap. vltimo.*

*Hierichuntis exploratio.*

Sopito iam luctu, Ieſus exploratores Hierichuntẽ mittit, & Gadiæ, Rubeniæ, ac Manaſſeæ tribus principes accerſitos, pacti cum Moſe initi admonet: qui cum quinquaginta millibus armatorum eum ad Iordanem ſequuntur. Cæterùm exploratores Hierichuntem miſſi, vrbe tota perluſtrata, cogniti & regi indicati, ſtatim comprehendi iubentur.

*Raab exploratores occultat.*

Ea re mulier nomine Raab, ad quam confugerant ex impetu quærentium intellecta, homines occultat ſub lini faſciculis, & inquiſitoribus dicit: viros illos ignotos, ante Solis occaſum, apud ſe cœnatos diceſſiſſe. Illi ſic à muliere eluſi, alius aliò dilabuntur, perſecuturi eos. Tum Raab domum ſe recipere iubet viros, beneficij ſui memores, ac terra Chananæa potitos, referre gratiam. Illi & gratias agunt, eamque vbi vrbs capta eſſet, vt res ſuas & neceſſarios in diuerſorio concluderet, ſuſpenſo pro foribus purpuræ panno, monent, quo noſceretur domus, & conſeruaretur. itaque ad ſuos incolumes reuerſi, quid geſſiſſent, renunciant.

*Iordanis tranſitus.*

Cum autem Iordanis intumuiſſet, ſic Ieſus Hebræos per eum traduxit. Præcedebant ſacerdotes, Arcam ferentes. Deinde Leuitæ, tabernaculum geſtantes. hos populus ſequebatur. Vt autem ſacedotibus primis ingreſſis, impetus fluminis ſtatim interrumpitur, omnes audacter traiecere, ſtantibus in medio ſacerdotibus, donec populus tranſiſſet: ac tum demum ipſi etiam ſunt egreſſi, curſu fluminis in integrũ reſtituto. Iordane ſuperato, caſtra decem* ſtadiis ab Hierichunte locant.

** Stadium menſura eſt conſtãs 125. paſſibus.*

Ieſus in ara ex lapidibus, quos ipſius iuſſu quilibet tribunus ex alueo Iordanis ſuſtulerat, immolat, & feſtum Paſchatis celebrat. eodémque tempore Manna eos defecit. quo per annos quadraginta fuerant vſi Iam enim ex agris omnia quibus opus erat, ſuppetebãt.

*Hierichuntis obſidio.*

Obſidionem Hierichuntis Ieſus primo die feſtiuitatis eſt auſpicatus, re ſic inſtructa. Sacerdotes arcam geſtantes mœnia circumibant, ſeptem cornua inflantes: ſenatus ponè ſequebatur, pòſt in caſtra redibant. idque ſex diebus cum feciſſent, ac die ſeptimo repetiiſſent, & ſepties circumiſſent, murus concidit.

*Excidium.*

populus ingreſſus, omnes occidit, & vrbẽ incendit. Solam Raabem cum ſuis, ſigno illo pro foribus conſpecto, exploratores conſeruarunt: Ieſus etiam agros donauit, & honorificè tractauit. Si qui verò vrbem inſtauraturi eſſent, eos diris huiuſmodi eſt deteſtatus, vt qui fundamenta iaceret, primogenitum amitteret: qui perficeret, natu minimum filium. Magna auri & argenti copia ex manubiis vrbis coacta, Deo vniuerſa conſecratur, primitiæ rei bene geſtæ: ac omnibus interdicitur, ne quid inde ſibi vſurpent.

** Achoris ſacrilegium punitur: is in lib. Ioſue c. 7. vocatur Achan ſed locus vbi lapidatus et combuſtus fuit, dicitur Achor.*

Sed Achor quidam Iudaicæ tribus, textum quoddam ex auro, & auri maſſam, quæ * ſiclos ducentos pendepant, nactus, retinet, ac in tabernaculo ſuo defodit. Pòſt orto bello, in fugam vertuntur Hebræi, triginta ſex ex eis interfectis. Eam cladem populus ægerrimè tulit. Ieſus in faciem prolapſus, deprecatur Deum: & oraculo edoctus, ſacrilegium eſſe factum, iudicium ſorti committit. quæ cum in Achorem incidiſſet, fatetur ille facinus, res ſurreptas profert, ipſe cum ſuis lapidatur, Ieſus Naim obſidione capit.

*Gabaonitarum aſtutia & pœna.*

Cæterùm Gabaonitæ, eorúmque finitimi, cum ad Chananæos pertinerent, veriti ne itidem vt Hierichuntij & Naitæ tractarentur, legatos ad Ieſum mittunt, ſe longiſſimè inde habitare dicentes, neque genere cum Chananæis coniunctos, fœdus inire cum Iſraelitis, & iungere amicitiam cupere. Ieſus poſtulatis eorum annuit. Pòſt, vbi eos Chananææ gentis eſſe intellexit: cum eis ob dolum expoſtulat. Illi neceſſitatem excuſant, atque excidij metum. Tum Ieſus, ne datam fidem violaret, publicos ſeruos eos facit. Sic Ioſephus. Sed liber Ioſue ait, eos lixas & calones totius ſynagogæ & diuini altaris eſſe factos.

*Hieroſolymitarum cædes, & Solis miraculum.*

Gabaonitas à rege Hieroſolymorum ob fœdus cum Iſraelitis initum, bello petitos, Ieſus defendit, hoſtes in fugam vertit, fugientes perſequitur. Tunc & grando ſolito maior, & fulmina cœlitùs in hoſtes irruerunt: & dies facta eſt longior, curſum Solis ad Ieſu preces ſiſtente Deo, ne ſuperuentu noctis hoſtes elaberentur. Reges etiam in quodam ſpecu deliteſcentes, deprehenſi, occiduntur omnes. His rebus geſtis, Ieſus in Cananææ montana regreditur, ibique magna cæde edita: & opima præda parta, in Galgalia caſtra ſeſe recipit:

*Galgalia caſtra.*

Loci autem illius nomen erat Galgala, ex eo quòd Iſraelitæ ſe & ſeruitute Ægyptiaca, & ærumnis deſerti liberatos eſſe cognoſcerent. nam Galgala Hebræis libertatem ſignificat. Cum autem Chananæi Libanum montem accolentes, & qui in campeſtribus habitabant, * Palæſtinis in auxilium aſcitis, bellum eis inferrent, atque in exercitu haberent armatorum trecenta milia, equitum decem milia, & milia

** Siue Philiſtinis. Idem enim eſt populus & planiciẽ Chananææ incolebat.*



curruum triginta, Deo victoriam Iſraelitis pollicito, prælium atrox committitur: quo hoſtes vniuerſi, paucis exceptis, perierunt, regibus etiam cæſis. Annus tum quintus exierat, neque Cananæorum quiſquam erat reliquus: cum Ieſus tabernaculum in oppido * Selomo collocat, donec templum ædificandi daretur occaſio.

** Vocatur, Silo.*

ac populi vniuerſi concilio indicto captas vrbes enumerat, cæſóſque hoſtium exercitus, & vt x x x eorum reges interfecti eſſent. Vrbes autem quæ ſupereſſent, munitiſſimas, diuturnam poſtulare obſidionem aſſerebat, & tranſiordaninorum auxilia iam domum remittenda cenſebat. Duabus igitur tribubus & ſemiſſi, quarũ viri erant quinquagies mille, ad ſua redeundi poteſtatem facit.

*Ara trans Iordanem.*

Illi Iordane ſuperato, aram in ripa conſtituunt. Qua de cauſa tumultu inter Iſraelitas excitato, decem honoratos viros vnà cum Phinee legatos mittunt, de ara extructa expoſtulantes. Illi non rerum nouandarum ſtudio ſe aram feciſſe reſpondent, ſed vt monimento eſſet poſteris neceſſitudinis eius, quæ ſibi cum illis interccederet. Vnũ enim ſeſe Deum agnoſcere, omnibus Hebræis communem. His auditis, Phinees cum ſuis ad Ieſum reuertitur. Is prouincia ſorte inter populũ diſtributa, *Sicimis degebat: ac ſenio confectus, & iamiã moriturus, populo officij admonito obit, cum annos vixiſſet c & x, quorum cum Moſe verſatus fuerat quadraginta, & poſt eius obitum exercitũ duxerat v & x x. Moritur & Eleazarus pontifex, filio Phinei ſacerdotio relicto.

** Sichem vocatur in Bibliis.*

*Mors Ieſus.*

*Mor Eleazari.*

*Cananæi Adonibezeco duce rebellantes, clãdibus afficiuntur.*

Poſt obitũ Ieſu Cananæi, gentis Hebrææ ſuperandæ ſpe concepta, bellum faciunt, Adonibezeco imperatore creato, quod nomen Hebræis Bezeci dominum ſonat, ſiquidem Hebræi dominum Adoni vocant. Cum his duæ tribus, Iudaica & Symeonia, congreſſę, in fugã vertunt hoſtes, Adonibezecum captum mutilant. Multa item oppida cæpere, & inferiorẽ * Hieroſolymorũ vrbem, habitatoribus occiſis. Verùm ſuperioris difficilis erat obſidio, tam ſitu q̃ mœnibus permunitæ.

** Duplex Hieroſolyma, ſuperior & inferior.*

Chebronem etiam captã, omnibus interfectis, Calebo in ſortem dederunt, vt mãdarat Moſes. Iothoris quoque poſteris, Moſis affinibus, agros aſſignarunt, quòd is patria relicta, populum Hebræorum in deſerto ſecutus eſſet. At Iudaica & Symeonia tribus, magnam adeptæ fœlicitatem, arma poſuerunt. Ephraimitæ verò Bethelis obſidione fruſtra tentata, cum ciuem eius vrbis cæpiſſent, incolumitatem illi & cognatis eius promittunt, ſi vrbem proderet. Is, vrbe prodita, cõſeruatur: illi ciuibus occiſis vrbẽ occupant. Beniamitæ, quibus Hieroſolymorum vrbs obuenerat, tributo impoſito, incolis cõtra diuinum mandatum pepercerunt. Idem etiam aliæ tribus ſunt imitatæ.

*Beniamiticum bellum ob ſtupratã Leuitæ vxorem.*

Iſraelitas rebus ſecũdis iam florentes, luxuria corrupit, vt & diuinas leges violarent, & ad laborem ſegnes eſſent. De» ſierat etiam optimatium magiſtratus, neque am» plius ſenatus legebatur. Itaq; atrox ſeditio inter eos oritur, tali de cauſa. Leuita quidã coniugem Bethleemiticam domum adducturus, apud ſenẽ quendam Gabaone, Beniamiticæ tribus oppido, veſperi diuertitur. Ibi quidã adoleſcẽtes Gabaonitæ, cùm mulierculã vidiſſent, adſunt, eam flagitantes. Seni recuſanti, necem minitãtur. ille filiã ſuam eis potius offert, modò hoſpites à vi & iniuria tueatur. Verùm illi non niſi rapta muliercula diſcedunt, eámque per totam noctem pro libidine ſua ſubagitatam, diluculo dimittunt. At illa & nocturna ærumna, & pudore mariti, & dolore oppreſſa, exhalat animam. Tum maritus, mortua in duodecim partes ſecta, ad ſingulas tribus vnam portionẽ mittit, & calamitate & autoribus illius expoſitis. Iſraelitæ igitur fæciales Gabaonem mittunt, qui ei facinori affines ad ſupplicium expoſcant. illis non dedentibus, omnes tribus bellum inferunt: ac bis acie congreſſi, à Beniamitis Iſraelitæ in fugam vertũtur. Tandem per Phineem ſacerdotem deprecantur Deum, & ſic aggreſſi Beniamitas ita cædunt, vt tantum D C ex eis ſupereſſent, qui in vicinos montes diffugerunt.

*Gabaonis et Iabis excidium.*

Iſraelitæ Gabaonẽ incendunt, mulieres & pueros omnes perimũt, idem in cæteris etiã vrbibus factum. Quin & Iabis Galaditicæ vrbis incolas cum vxoribus & liberis occidunt, ob recuſatam belli illius ſocietatẽ, C C C C virginibus exceptis, quas Beniamitarum reliquiis præbuerũt, vt coniuges haberẽt, miſerti calamitatis eorum: ſuſcepta etiam cogitatione, quemadmodum reliqui C C coniugibus potirentur. Pridem enim iureiurando interpoſito, facinoris illius odio ſanxerant, ne quis filiam Beniamitæ vxorem deſpõderet. Ea de re deliberãtibus viſum, non quidem dandas illis ob iuſiurandum, ſed concedendũ vt ipſi raperent virgines, quas ſibi thalamo ſociarẽt, ipſis neque prohibentibus, neque incitantibus. Hoc decreto facto, Beniamitæ rem executi ſunt. Cum autem Iſraelitæ longo iam tẽpore bellicæ rei ſtudium intermiſiſſent, contempſerunt eos Chananæi, quibuſdã vrbibus adeptis.

*Daniæ tribus migratio.*

Dania tribus in montẽ cõfugit, atq; inde in mediterranea ſedes trãſtulit. Iſraelitis, cum & Chananæorum inſtituta vſurparent, & ſuam Reip. formã aſpernarẽtur, numẽ infenſum extitit. Itaque * Chugargathaus Aſſyriorũ rex bellum eis infert, & grauia tributa imperat, quibus octo annos premuntur: donec vir quidam ſtrenuus Iudaicæ tribus, nomine Gothoniel, paucis ſociis ex oraculo cõparatis, Aſſyriorũ apud ſe præſidium cædit: ac pluribus deinde cõfluẽtibus, Aſſyrios prælio victos amouet.

** Is Libis. Iud. c. 3. Chuſan Raſathami regem meſopotamiæ vocatur.*

*Gothoniel 1. Iudex.*

Re bene geſta, imperium & iudicandi poteſtas à populo ei decernitur, qui cum magiſtratu ad annos L functus, vitam cum morte cõmutaſſet: Iſraelitæ ſine magiſtratu, ſine metu numinis viuentes, ab Eglone Moabitarũ rege ſubacti, annua tributa penſitarunt.

*Eglon.*

Is Hierichũte ædificata regia, dum per annos decem & octo variis illos malis exagitat, adoleſcens quidam Beniamiticæ tribus, nomine Aothus, quem Iudã vocatũ Ioſephus aſſerit, homo cõfidens & robuſtus, ſe in Eglonis familiaritatẽ inſinuat, aulã eius frequentans, & blanditiis hominem ſibi deuinciẽs. Hic aliquãdo cũ duobus famulis, Egloni munera ferens, clàm ſicas geſtat: cúmque iam meridies eſſet, ſatellitib. ad ſuã digreſſis, nactus eum ſolum, pro familiaritate ingreditur, ſeductúmq;, vt arcani dicturus aliquid, ictu opportuno illato, tyrãnum perimit. Digreſſus, Hierichũtiis autor fit vindicandæ libertatis. Hi arma capiunt. Eglonij ſatellites, rege inuento mortuo, in fugã verſi, à perſequentibus ciuibus occiduntur. Sic Iſraelitæ

*Aöth ſeu Iudas 2. iudex.*

** Aliter Abod vel abud.*
*Megar 3. iudex.*
*Siſaras Iabis dictator.*
*Debora legitur in libro Iudicum.*
*Baracus, Iael.*

ex Moabitica ſeruitute liberantur:* Aoth ſuffragio populi princeps creatus, cum annos L X X X præfuiſſet, moritur. Poſt hunc Megar Dinachi filius, multis barbarorũ cæſis, anno primo imperij decedit. Iſraelitis autem ob violatas diuinas leges irato numine, Siſaras dictator regis chananæorum Iabis eos aggreſſus, grauiter afflixit, & tributarios effecit, in quo ſtatu annos viginti permãſerunt. Tum deuora, fatidica mulier (apem illud ſonat) exorato Deo, pro populo, Baracum virum ex Nephthalia tribu, illius iuſſu imperatorem creat. (Fulgur Hebræis id nomen ſignificat) hortatúrque illum Deuora, vt x millibus virorũ, quemadmodũ Deus iuſſerit, aſſumptis, hoſtes inuadat: ipſa, petente illo, vnà proficiſcitur, imperij particeps. Prelio cum decẽ illis millibus aduerſus Siſarã cõmiſſo, magnus imber delabitur, & grando erũpit, quæ à vento in hoſtium faciẽ acta, aſpectũ illis eripiunt: itáque in fugam inclinãt, in qua Siſaras etiam ád mulierẽ quandam Iaẽlem nomine confugit, vt ab ea occultaretur. Illa excipit hominẽ, & lac bibẽdum præbet: quo epoto Iael ſopitũ aggreſſa, caput eius clauis humi affigit, & Baraco mortuum hoſtem oſtẽdit. qui armis cõtra Iabim Cananæorũ regem conuerſis, & ipſum occidit, & vrbẽ ſolo æquat. Moritur, cum annos xxx imperaſſet: Debora etiam circa idem tẽpus defuncta. Pòſt, Madianitæ cũ Arabibus & Amalechitis Iſraelitas prælio fundunt, fugántq;. quorum incurſionibus per ſeptem annos fatigati, ac ad egeſtatem & famem redacti, diuinam opem implorãt.

*Gedeonis vocatio, prodigia, delectus, ſtratagema, ſomnium & interitus Madianarum.*

Erat tum quidam tribus Manaſſeæ vir Gedeon, qui clam manipulos ſpicarum in torculari ſecans, quendam adoleſcẽtis habitu ſibi aſſiſtentẽ videt. à quo cum, vt Deo charus & beatus prædicaretur, ille irridens: Hoc ſcilicet, inquit, ſignũ eſt beatitatis meæ, quòd torculari pro area vtor. Adoleſcens eum bono animo eſſe iubet, ac properè vindicandæ popularium libertatis curã ſuſcipere. Gedeon eum qui apparuerat, orat ne diſcederet, ac ingreſſus victimam affert. eam angelus iuxta rupem poni iubet: quam cum baculo tetigiſſet, ignis vltrò exortus, victimam cõbuſſit. Deinde petit à Deo Gedeon vt ros in vellus deſcendat, & deſcendit. Rurſus petit, vt rore tellus madeſcat, vellus ſiccum maneat: itáque factũ eſt. Paret itaque Gedeõ, & decẽ millia virorũ cõtra hoſtes armat, eóſque iuſſu Dei ſub meridiem ad flumen ducit: & qui lambendo, ac feſtinãter circumagendo ſe, biberant (hi trecenti erant) eos, relictis cæteris, contra hoſtem ducit. Noctu, vno milite ſecum aſſumpto, caſtra hoſtiũ ingreſſus, audit quendam ſuo contubernali narrantem, ſe vidiſſe in ſomnis maſſam hordeaceam, quæ per caſtra volutaretur, & regis atque exercitus tabernacula deiiceret. Alter ſomnium id, exercitus interitum portendere cõiicit: Gedeonem cum ſuis ob paucitatem & imbecilitatem pani hordeaceo comparans. His Gedeon auditis, animum recipit. & in caſtra reuerſus, ſuos in armis eſſe, exercitúque in I I I centurias diuiſo, amphoram vacuam ſingulos cum face ardente & arietino cornu ferre iubet. Circa vigiliam noctis quartã educit eos contra hoſtes: quibus cum appropinquaſſent, & cornibus cecinerũt, & amphoras confregerũt, & clamore ſublato cum facibus irruerũt. Hæc horrorem hoſtibus incuſſere: & dum alij ab hoſte cæduntur, alij, & quidem longè plures, quippe noctu, à ſuis trucidãtur, ferè omnes ſunt deleti, cum duobus regibus, Orebo & Zebo. Reliquiæ ducum atque exercitus fugientes, à Gedeoniis comprehenſi, omnes ceciderunt. Tenuit imperium Gedeon annos quadraginta, & ſenex obiit, filiis legitimis è pluribus vxoribus ſeptuaginta relictis, & vno è concubina, Abimelecho: qui fratribus omnibus, vno Ioathane fuga elapſo, trucidatis, tyrannidem occupauit, Sicimitæ mota ſeditione, Abimelechum vrbe pellũt. Is vnius ciuis opera adiutus, vrbẽ dolo captã, omnibus puberibus occiſis, ſolo æquãt. Aliam itẽ vrbẽ Thebas, primo impetu capit. Multitudo vrbana in vnam turrem, in vrbe media ſitam, ægrè cõfugit. cuius portis Abimelechum imminentem, muliercula molæ fragmine in caput deiecto, occidit.

*Abimelech tyrannus & fratricida.*

*Iairus 6. iudex.*

Hebræorum principatus Iairo ex Manaſſea tribu poſt hunc creditur, quo ille annos I I & viginti functus obit. Tum Ammanitæ cum Palæſtinis regionem diripiunt. Cum autem Ammanitæ Galaditicã vaſtarent, incolæ Iephthan ducem eligunt: qui cum hoſtibus congreſſurus, vouet, ſi victoria potiretur, quicquid redeunti ſibi primùm occuriſſet, id ſe immolaturũ eſſe. Commiſſo prælio vincit. Reuertenti vnica filiola occurrit, virgo adhuc. Suſpirat ille: ſed ne fidem falleret, immolat puellam, & cremat. Cum autem Ephraimitæ illi iraſcerentur, quòd ad Ammanitici belli ſocietatem non accerſiti eſſent, neque vllam eius excuſationem acciperent: pugna inita multos eorum cædit, & ſex annos principatu adminiſtrato moritur. Ei ſuccedit Ameſas ex tribu Iudaica, qui VII annis adminiſtrato imperio decedit. Poſt illum Labdõ ex tribu Ephraimitica dux creatus, moritur ſenex, octauo magiſtratus anno.

*Iephtha 7. iudex.*

*Ameſas.*

*Labdon.*

Deinde Palæſtini ſubactos Iſraelitas per annos quadraginta tributarios habuerũt. quo tempore natus Sampſon (Robur hoc nomen ſignificat) illos infeſtauit, cuius quidem ortus huiuſmodi extitit. Manoes Daniæ tribus vir mulierem ſterilem in matrimonio cum haberet, vterque ſobolem orat Deum. Semel mulieri ſoli adoleſcẽs magnus & pulcher apparet, partum filij nuncians: eique mandat, ne vinum aut quicquam quod inebriaret, biberet, néve comam tonderet pueri. cum enim Nazaræum, hoc eſt, ſanctum fore Domino, & Iſraelem per eum è poteſtate alienigenarum eripiendum eſſe. Mulier domum reuerſo marito hæc nunciat. Tum ille, vt idem ſibi quoque appareret, orat Deũ. Angelus abſente Manoe denuò redit ad mulierem. illa orat, vt mariti aduentum expectet. Reuerſus Manoes, rogat, nato puero quid faciẽdum eſſet? At ille: Vinũ, inquit, nõ bibet, neque aliud quicquam quod inebriet, neq; vlla re immũda veſcetur, neque comã radet. Tum Manoes nomen eius qui cum colloquebatur, ſciſcitans, non aliud reſponſum accipit, niſi id eſſe admirabile: & hœdũ immolat, ac panes affert. Ille carnes & panes in petra collocari iubet. quo facto, baculo quem gerebat, ferit: ignis inde ortus illa conſumit. in eáque flãma, vidente Manoe & vxore, angelus in cœlũ aſcendit. Poſt hæc naſcitur Sãpſon grãdeſcit, ac ſpiritus Domini fertur ſuper eo. Cũ autẽ * Thamnæ

*Sampſonis natiuitas, coniugium, res geſtæ, interitus.*

*Angelus.*

*Victima.*

*Sampſonis coniugium.*
** In Bibliis Thamnata appellatur.*



(Palæſtinorum id opidum eſt) puellam alienigenam vidiſſet, amore captus, etſi parentib. alienigenæ cõiugiũ recuſantibus, tamen improbitate orandi impetrat. Dum autẽ puellæ parẽtes frequẽter adit, in leonem incidit: & quia nõ alia ad defenſionẽ arma ſuppetebãt, manib. belluam conficit, & à via deflectens, in ſaltũ abiicit. Poſt dies aliquot iterum ad ſponſam proficiſcens, examen apum in ore leonis reperit; & ipſe de fauo inde ſumpto comedit, & patri ac matri affert. Reuerſus ad alienigenas, x x x adoleſcẽtibus inter nuptiales epulas quæſtionẽ proponit, cuius ſolutionẽ intra dies VII ſi inueniſſent, cuique ſindonẽ & ſtolam daturũ pollicetur. ſin minus, tantundẽ à ſingulis illorum ſtipulatur. Aſſenſis adoleſcẽtibus, quæſtionem proponit, hoc modo: De comedente exiit cibus, & de forti dulcedo. Illi quæſtionẽ non intelligẽtes, puellã orant, vt eam ex marito cognitam ſibi renunciaret. Orat illa, Sampſon refragatur initiò: tandem victus ſpõſæ lachrymis, rem aperit. illa prodit adoleſcẽtib. qui die VII Sampſoni dicũt: Quid eſt melle dulcius? quid leone fortius? Sampſon igitur iratus, adoleſcentibus quidem dat quæ promiſerat, ſed nuptã abdicat. quã à patre alteri deſpõſam ægrè ferens, trecentas vulpes capit, eas facibus ardentib. caudis illarũ alligatis, in Palæſtinorũ arua immittit, ſegetem iam ferè adultam & vineas incendit. pro quo facto Palæſtini vxorẽ dudum eius, cum cognatis in ignem coniectã, concremarũt. Sampſon verò multis alienigenarum interfectis, in rupe conſẽdit. Illi expeditione ſuſcepta, Iſraelitis edicunt, ſi inſontes haberi velint, vt Sampſonẽ dedant. Acceſſere ad rupem armati ter mille. Sampſon deſcendit, vltrò ſe popularibus offert, qui eum Palæſtinis vinctũ tradũt. At ille abruptis vinculis, & aſini maxilla temerè illic iacente arrepta, mille alienigenas ea perimit, reliquos fugat. Vnde locus ille Maxilla dicitur. Cum autem præ ſiti deficiens, Deum cum ploratu obteſtaretur, aqua è fiſſura terræ, quam proiecta maxilla fecerat, ſcaturiit. Potu refectus Gazam adit, vbi cum Gazæi portis clauſis cauere vellent, ne elaberetur, ille ſub mediam noctẽ ſurgit, portam, limina & poſtes in humeris ſublata, & in montis perlata verticẽ deponit. Poſt hæc Sampſon Palæſtinam meretriculam deperit, nomine Dalidam. cum ea proceres alienigenarum agunt, multa polliciti, ſi tantarum virium cauſam è Sampſone cognitam ſibi renunciaſſet. Illa multifariam aggreſſa virum, vt id eliceret, à Sampſone aliud atque aliud dicente, cum rei periculũ faceret, eluditur. Sed cum illa inſtaret, oraretq; vehemẽtius, arcanum tandem prodit: ſe Dei iuſſu comam alere, qui interdixerit, ne eam radat, in eáq; repoſitum eſſe robur ſuum. Mulier dormiẽti comam radit, imbecillẽ hoſtibus tradit, illi oculos ei effodiũt. Ita ille prius formidabilis, ludibrio habetur. Progreſſu temporis coma illi renaſcitur, viréſque redeunt. Cum autem Palæſtini potarent, eorúmque proceres & magnates cõuiuarẽtur in domo quæ columnis fulciebatur: etiam Sampſon à puero ad illudendum adducitur. Ad illam domum multitudo virorum & mulierum circiter trium millium confluit, vt ludibria Sampſonis ſpectet. Qui cum dicteriis inceſſeretur, & alapis cæderetur, puerum ducem iubet ſe ad columnas adducere, vt defeſſus, inquit, eis innitar & quieſcam. Tum duabus columnis conuulſis, ædificium deiecit, cuius ruina & ipſe & omnes qui in eo erãt, ſunt oppreſſi. Et hunc exitum ille habuit, cum Iſraelitico populo per annos x x ius dixiſſet.

*Leo & fauus.*

*Quæſtio Sampſonis.*

*CCC. vulpes in Palæſtinorum ſegetem immiſſæ.*

*Aſini maxilla pro gladio, & fonte.*

*Gazæa porta.*

*Dalida Sãpſonem tondet & prodit.*

*Sãpſon cæcatus, dum ludibrio habetur, vnà cũ inimicis perit.*

Poſt Sampſonem non amplius iudices populo præfuerunt, ſed Elius põtifex: ſub quo fame ingraueſcente, vir quidam Bethleemiticus, Abimelechus nomine, cum vxore & duob. filiis in Moabitidẽ tranſmigrat. Ibi filiis Moabiticas vxores deſpondet, & intra x annos vnà cũ filiis moritur, relicta vidua vxore Noemide, duabúſq; nuribus. Orpha & Rutha. Noemis patriam repetit. ac Orpha nuruum altera monitu ſocrus apud Moabitas manet, Rutha cum Noemide proficiſcitur. Bethleemæ Boozus Abimelechi cognatus eas hoſpitio excipit. Ibi mulier à ciuib. ſuo compellata nomine: Ne me, inquit, Noemin, ſed Maram appellate (ſignificat autẽ Noemis felicitatẽ, Mara dolorem & acerbitatem) nam cũ plena diſceſſerim, vacua ſum reuerſa. Tẽpore meſſis Rutha de ſocrus ſententia ad ſpicilegiũ in Boozi agrum egreditur. Ille agnita puella, permittit, vt quod poſſet, meteret, & auferret, ac prandium ei præberi iubet à villico. Illa de cibo etiã quem acceperat, aliquid ſocrui conſeruat, & veſperi hordeũ quod collegerat, domũ ferens, vt à Boozo tractata eſſet, refert, ac cũ Boozi ancillis denuò egreditur. Ibi Noemis conſiliũ deſpondendæ Boozo Ruthæ capit, ac nurum ablegat, monitã, vt ad pedes Boozi in area dormientis procumbens, ſomnum caperet. obtemperat illa. Quod Boozus cum ſub mediam noctem ſenſiſſet, quæ eſſet rogat. re cognita, tum quidem quieſcit: manè autem excitatam Rutham ad ſocrum ire iubet. Ipſe, inquit, interrogabo eum, qui eſt tibi ſanguine propior. qui ſi te ducere voluerit, ad illum te conferes. ſin recuſarit, legitima mihi coniunx eris. Abit mulier, Noemidi exponit omnia. Boozus Rutham & cognatum eius ad ſenatum accerſit, eíq; dicit: Abimelechi cognati noſtri & filiorum eius hæreditatem tenes? affirmãte illo, tenere ſe ob propinquitatem ex lege: Non ergo, inquit, ex ſemiſſe obſeruandæ ſunt leges, ſed in omnibus rebus illis obtemperandũ. Reſtat igitur vt Mallonis Abimelechi filij vxorem ducas, & cognato ſemẽ excites. Recuſat ille, ac Boozo tam hæreditate quàm muliere cedit. Rutha, vt lege iubebatur coram ſenatu, ſoluto viri illius calceo, in faciẽ eius expuit, itáq; Boozo nubit & filiolum ei parit Obedum (δοῦλον id nomẽ græcè ſonat, id eſt, ſeruiens.) Obedo naſcitur Ieſſæus, Ieſſæo præterea Dauid, qui regnum Iſraelitarũ obtinuit, & filiis ſuis imperiũ reliquit, ad genus primum & viceſimũ propagatum. Elio autẽ ſummo pontifici, qui, vt diximus, populũ gubernabat, duo fuere filij homines nefarij, & omni genere ſcelerũ cooperti, Ophnis & Phinees: neque paternis monitis quicquã mouebantur. Horũ iniquitati iratus Deus, per Samuelem puerum adhuc, Elio ſignificat clades ipſi, liberíſq; & domui eius imminentes. Erat autem Samuel viri Leuitæ Elcanæ filius, qui duas habebat vxores, Annã & Phenannam: quarũ hæc liberos ex Helcana ſuſceperat, Anna nõ pepererat. Viro Silonẽ

*Elius pontifex.*

*Abimelechus.*

*Noemis.*

*Rutha.*

*Rutha Boozo nubit.*

*Paulo aliter narrantur hæc in libro Ruth. Ioſephum enim potius hic & alibi author ſequitur quàm ex ſcriptoribus alium quenquam.*

*Obedus, Ieſſæus, Dauid.*

*Elcana. Anna. Samuel.*

cum vxorib.profecto, cum peractis ſacris, conuiuij tempus adeſſet, ac Phenannæ liberi aſſiderent: Anna orbitatem ſuam deplorat,& properè tabernaculum Domini ingreſſa, Deum orat, vt liberos ſibi det,primogenitum ſe Deo conſecraturam vouet. Dum precibus immoratur, Elius pro tabernaculo ſedens,ebriam ratus,eam diſcedere iubet.At illa:Neque vinum,inquit,bibi Domine,neque aliud quicquam quod inebriet : ſed dolore orbitatis cõtabeſco. Tum ſacerdos: Abi, inquit,ac Deus te voti compotem reddat.Domũ reuerſa cum marito, concipit, & Samuelem parit,quem Deoptatum poſſis dicere.Puerum iam grādiuſculum ex voto ad Elium ducit, Deo educādum,alentem comam,in æde vitam degētem, & aquæ potu vtentem . Is duodecim natus annos,vaticinatur.& quodam tempore dormiens, nominatim à Deo vocatus, ad pontificem accedit,quaſi ab eo vocatus eſſet : ídque ter contigit. Tum Elius intelligēs diuinam eſſe vocationem, Samuelem iubet, ſi iterum vocetur, dicere : En adſum Domine . Cum ita feciſſet puer, ait ei is qui vocarat,magnam cladem Iſraelitis imminere, Elij filios vnà perituros, & ſacerdotium in Eleazari familiam tranſiturum . Ea verba cum ſacerdoti Samuel referre nollet, tandem iureiurando adactus,omnia quemadmodum audierat, recenſet . Dehinc Paleſtini bellum Iſraelitis inferentes,pugna ſuperiores euadunt. Populus arcam ſubſidio ferri poſtulat . Miſſa illa cum Elij filiis,redintegratur prælium,funduntur Hebræi, ad x x x millia cadunt, inter quos & filij pontificis , arcà item in hoſtium poteſtatem venit. Elius pontifex, qui in ſublimi ſella ſederet, ſtrage exercitus, & cæde filiorum , arcæque captiuitate cognita, præ mœrore de ſella delapſus moritur,annos L x x x x natus,cum x x x x populo præfuiſſet.Alienigenæ arcam in vrbem Azotum perlatam,Dagoni (ſic Deum ſuum appellabant) conſecrant . Manè in Dagonis ædem ingreſſi ſimulacrum ante arcam humi proiectum repererunt , ídque ſublatum in ſuam baſim reſtituunt. Vt autem hoc ſæpius factum deprehendunt , & ſtatuam quoties erexiſſent, toties ante arcam adorantis ſpecie proiectam reperiſſent,obſtupeſcunt, dubitantes quid rei eſſet. Ex hoc Azotiorum vrbem & agrum lues inuadit . Nam & homines circa ſedem laborare (dyſenteriam fuiſſe, ait Ioſephus) & mori complures ciues, & mures è terra exorti , agrum omnem vaſtare. Serò demum arcam ſibi malorum eſſe cauſam Azotij intelligentes,Aſcalonem mittunt:iis etiam eadē accidunt . Sic v Palæſtinorum vrbes arca peruagata , omnibus calamitoſa extitit . Itaque magiſtratus v vrbium iis malis conflictantium congreſſi,videlicet Getæ,Accaronis, Aſcalonis, Gazæ & Azoti,aliis aliud de arca cenſentibus, tandem decreuere omnes,ſedes quinque aureas,totidémque mures item aureos arcæ imponere, & nouum fabricare currum,& vaccas quę primùm peperiſſent currui iungere,ſed earum vitulos retinere,ac currui arca impoſita , boues in triuium abductas relinquere,vt quorſum impetus tulerit eant. Quæ ſi verſus Iſraelitas abeant , ob arcam mala illa ſe perpeti ſtatuēdum,neque prohibendum quo minus illò eant . Sin aliò ſe conuerterint, reducendas boues & currum , & quæ in eo ſint.His,vt decretũ fuerat,peractis, dimiſere boues,eminus ipſi ſequentes,vt euentum viderent. At illæ rectà verſus Hebræos ire,neque ſubſiſtere prius, quàm in magnum campum Bethſames perueniſſent . Vt autem pagi illius viri arcam viderunt,accurrunt,de curru tollunt,boues immolant:& lignis,è quibus currus cõfectus erat, cremant.Quo Palæſtini viſo,retrò abierũt.Numen autem iis qui arcam attigerant , cum profani eſſent,iratum,necem attulit.Reliqui cõmune Hebræorum de arca recepta certiores reddunt. Illi eam Cariathiarim abducunt , & in Aminadabi Leuiticæ tribus hominis ædibus collocant , vbi annis viginti manſit,cum apud alienigenas quatuor menſes fuiſſet.At Samuel propheta iam celebris,& magna præditus autoritate,populo cõuocato, de vindicāda libertate diſſerit ac perſuadet. Quo Palæſtini cognito , inopinata aggreſſione Iſraelitas perterrefaciunt. Qui ad Samuelem confugientes,de ſalute ſua eſſe actum aiunt, niſi ipſe numinis opem exorarit . Ille bonis animis eſſe iubet,& Dei auxilium pollicetur,agnóque immolato Deum orat.Nondum flamma victimam conſumpſerat , cum hoſtes impetum in Hebræos faciunt , facilius eos inermes ſuperari poſſe rati.Sed & terra diuinitùs concuſſa , & tonitribus erumpentibus , & fulguribus emicantibus perterriti, in fugam vertuntur . Fugientibus Samuel cum populo inſtat,ac multos cedit.Poſt eam cladem non amplius Iſraelitas inuaſere:ſed & terram quam Hebræis ademerant,Samuel recepit.Ita is populo ius dicebat,& imperabat.Verùm iam ſenex populi gubernandi munus ac iuris dicundi prouinciam filiis diſtribuit , quorum maiori Ioelis,minori Abiæ nomen erat:qui morem patris non ſecuti, ad largitionum corruptelas deflexerunt,& ius atque æquũ venale habuerunt.Hæc populus ægrè ferens,ad Samuelē confluit:& , Quoniam tu,inquit , per ætatem nobis præeſſe non potes, Regem creato, qui & gētem gubernet , & aduerſarios noſtros oppugnet . Ea re cum Samuel triſtaretur,dicit ei Deus: Non te pro nihilo habuit populus,ſed me.quem verò tibi monſtraro,eum regem vngito.Hebręis igitur conuocatis,Samuel proponit,ſe electurũ eis eſſe Regem:prædicens,fore vt pœniteret eos,ac liberationem à regibus Deum oraturos. Illi inſtant, Regem flagitantes,de reb.futuris ſecurũ eſſe iubent.Tum Samuel:Abite nũc,inquit:vbi cognouero,quem vobis regem Deus dederit,accerſam vos.Accidit autem,vt Beniamita quidam nomine Cis,Saulem filium , hominem ſtatura & forma excellenti,cum ſeruo ad aſinarum,quas amiſerat,inquiſitionem mitteret.Quas ille cum paſſim quæſiuiſſet,nec inueniſſet,Samuelem de aſinabus interrogaturus Armathaim venit.Ibi Deꝰ Samueli reuelat , eũ eſſe quem populo Hebræorum imperare velit . De aſinabus igitur rogatus, incolumes eſſe reſpõdet:& Saulem hoſpitio exceptum manè proſequitur.vrbem egreſſus, cum adoleſcentem ſeduxiſſet,oleo caput eius perfundit,ac deoſculatus:Vnxit te Deus,inquit,Regem populi ſui,cuius vnctionis illud tibi ſignum erit, quòd circa Rachelis ſepulchrum duo tibi viri occurrent , aſinas repertas gratulaturi . Adiicit & alia

*Palæſtini victis Iſraelitis, arcam Dagoni cõſecratā malis coacti reſtituunt.*

*Iſraelitæ de conſilio Samuelis Palæſtinos cadunt.*

*Saul ad imperium Iudæorum vocatur.*



alia ſigna confirmandæ veritatis ergò, atque inter cætera, vbi Gabatam venerit , cum illius loci prophetis vaticinaturum.Mandat etiam , cum à ſe accerſatur,vt Galgala veniat.Pòſt, coacto populo, ſortem mittere tribus iuſſit , vt conſtaret, cuias futurus eſſet rex . Cecidit autem ſors in Beniamiticam.deinde in gentem*Battarim:quę cum viritim ſortiretur,Sauli ſors obuenit.Quæritur ille, nec inuenitur. Samuel diuinitùs monſtratis eius latebris, adductum in medio ſtatuit. Erat autem proceræ ſtaturæ , & humeris eminebat ſupra omnes . Tum ad populum propheta: Hunc,inquit,regem vobis vnxit Dominus, cuius inter vos omnes non eſt ſimilis. Populus gratulabundus acclamat:Viuat rex. Saulum ita regno potitum,multi obſeruabant vt regem , & vt par erat honorabant.Multi etiam ſpernebant & irridebant . Poſt menſem Naas Ammanitarum rex Iaben Galaaditicæ obſidet , non alia conditione ſe viris parcere velle dicēs niſi dextrum oculum ſibi quiſque eruendum traderet.Illi ſeptem dierũ inducias petunt:iis impetratis,nuncios in Galaaditicam mittunt.Auditis Ammanitæ verbis, populus luget:Saul verò ingenti ira percitus , duos boues membratim cõciſos in omnes fines Iſraelitarum mittit, cõminatus, eodem modo ſe tractaturum eos , qui ad propulſandos Ammanitas non adeſſent.Concurſu populi facto,numeróq; inito, inuenta ſunt virorum D C C millia:& Saul numine afflatus prædicit, Iabinos poſtridie fore ſaluos.totámq; noctem cum exercitu profectus, circa primam vigiliam ad Ammanitas peruenit: ac trifariam diuiſis copiis,hoſtes circundat,multos cedit, ipſúmque regem Naam.reliquos fundit, & impreſſione in eorũ regionem facta,opimáque præda parta, illuſtris domum reuertitur, neque iam contemptui habetur , ſed ob fortitudinē celebratur , & honoratur ab iis etiā,à quib. dudum ſubſannatus fuerat . Itaq; Samuel rurſus congregato populo,Saulem denuò regē proclamat , iterũ inunctum oleo.Sic Hebræorũ Reſp. ex optimatium imperio in regnum eſt mutata. nam ſub Moſe & Ieſu parebant optimatib.Pòſt, per annos x v I I I magiſtratu caruerunt.Deinde ſub iis fuere,qui iudices vocabantur,iudiciorum & rerum omniũ ſumma vni ex optimis permiſſa.Samuele porrò ſacramento populum adigente,vt diceret, num qua iniuria illos affeciſſet:exclamarunt omnes, eum iuſtè & bene genti præfuiſſe.Tum ille:Scitote,inquit,vos rege flagitando grauiter deliquiſſe,eáq; re irritaſſe Deum:cuius illud vobis ſignum erit , quòd adulta æſtate tempeſtas orietur.Nec mora, tonitrua & fulgura,vt propheta dixerat, eruperunt,& grando delata eſt,vt populus perterrefactus Samuelem rogaret,vt ſibi delictorum à Deo veniam impetraret. Cum autem Palæſtini Hebræos ſubigerent, armis ademptis & vſu ferri interdicto,Saul Galgala deſcendit,populum vt ad vindicandam contra Palæſtinos libertatem exurgeret cohortatus. Illis verò multitudinem hoſtium reformidantibus , rex Samuelem ad ſe vocat . Is poſt v I dies venturum conſtituit,vt die ſeptimo re diuina facta cum hoſtib.confligant. At Saul cum videret populum clàm abire, ſéque deſeri, immolat : & audito Samuelis acceſſu , obuiam progreditur. Ibi vates:Quid, inquit,iſtud egiſti , violatis præceptis meis?Scito igitur, nõ ſtabile fore regnum tuum : ſed quæſiturum eſſe Deum hominem ex animi ſui ſententia.Ita diſceſſit Samuel.Saul verò & Ionathas filius eius cum D C militibus Gabaonem profecti ſunt.Alienigenæ autem copiis trifariam diuiſis, agros Iſraelitarum populabantur.Id Saul , Ionathas & Achia ſacerdos ex alto conſpicientes,& ob paucitatem ad opem ferendam impares, animis angebantur. At Ionathas, patre incõſulto, cum ſolo armigero de colle deſcēdēs:Aggrediamur,inquit,caſtra hoſtium : qui ſi nobis dixerint,Diſcedite, non aſcendemus ad eos . Sin aſcendere iuſſerint , ea verba victoriæ teſſera habenda erunt . itáque ad caſtra hoſtium fertur.Illi, Aſcendite ad nos, inquiunt, eſt enim quod vobiſcum colloquamur . Ea vox animum auxit Ionathæ,atque inde digreſſus,aliunde cum ſuo comite arrepit , hoſtes dormientes inuadit: ac cæſis ad x x,cæteris terrorem incutiũt,vt perturbati & fugientes alij ab aliis interirent. Saul caſtra hoſtium perturbata videns,& filij atq; armigeri illius abſentia cognita , impetum & ipſe in hoſtes perturbatos facit.Tum qui dudum præ metu ſe occultarant,receptis animis cum rege ſe coniungunt, hoſtes perſequuntur , cædunt.Saul diras imprecatur ſuis , ſi quis ante noctem cæde hoſtium intermiſſa,cibum guſtaret. Inter perſequendum,Ionathas, execrationis paternæ ignarus,cum in ſyluam eſſet ventum , in qua apiariũ erat , fauum comedit . Saul caſtra hoſtium oppugnaturus , per ſacerdotem oraculum conſulit,num victoriam largiatur Deus.Sed Deo nihil reſpondente,autorem offenſi numinis quærit:ac ipſum Deum teſtor,inquit,me ſontem occiſurũ, etiamſi filius meus Ionathas fuerit. Sorte ducta, Ionathas deſignatur , qui rogatus quid deliquiſſet, ſe nullius peccati ſibi eſſe conſcium ait , niſi quòd pridie,paternæ execrationis ignarus,de fauo guſtaſſet.Eo pater audito,ſe illum occiſurum iurat. Populus contrà & ipſe iurat,ſe non paſſurum,vt victoriæ autor occidatur.eóq; erepto votis Deum placat.Saul Palæſtinorum circiter L x millib.occiſis,regreditur:ac Ammonitis,Moabitis,Palęſtinis,Idumęis,Amalechitis,necnõ Subę rege ſubactis , Iſraelitas è manu exterorũ eripit. Sauli filij fuere tres, Ionathas , Ieſus & Melchiſus:ac filiæ duæ,Meroba & Melchol.Imperatorem crearat Abenerem,Neris cognati ſui filium. Dixerat autem Sauli Samuel , iubere Deũ vt cæderet Amalechum, victoriáque potitus , nemini parceret,non mulieribus, non infantib. non iumentis,nõ pecudibus, ſed eorum nomen funditùs deleret.Itaque Saul cũ Amalechitis congreſſus,hoſtes vincit,cædit omnes. Sed Agagũ illius terræ regem in poteſtatem redactũ , admiratione formæ & magnitudinis,non occidit:armenta etiam,greges,cæteráque eximia, diuini mandati immemor,cõſeruat.Proinde Samuel à Deo edoctus , pœnitere eum Saulis creati regis , occurrit regi.Is ait ſe gratiam habere Deo, cuius munere viciſſet hoſtes , & vt iuſſus fuerit adminiſtraſſe omnia.Tum Samuel:Vocē,inquit,audio iumentorum & aliarum pecudum . vnde iſta ? Saul reſpõdet,populum ea in victimam aſſeruaſſe Deo: cæterùm Amalechitas omnes,rege eorum exce-

** In bibliis atque etiam apud Ioſephum nominatur gens hæc Metri.*

*Sauli Ammanitis cæſis regnũ cõfirmatur.*

*Samuel cum populo expoſtulat.*

*Saul ob violatam religionem improbatur.*

*Ionathas cũ armigero ſuo caſtra hoſtium ingreſſus patris temeritate penè interit.*

*Saulis inſignes victoria, & improbatio ob Amalechitarum prædam.*

*Saulis liberi.*

*Abenner.*

pto, deletos eſſe. Ad ea Samuel: Quoniam, inquit, Dei iuſſis non obtemperaſti, ſcito te regnum amiſſurum. At ille, ſe peccaſſe faſſus, Prophetam orat, vt per ſacrificia Deum ſibi reconciliet. Diſcedit vates: quem dum Saul per vim retinere nititur, veſtem eius abrumpit. Ibi propheta: Sic, inquit, regnum à te abrumpetur, ac viro iuſto & bono dabitur. Rege autem ne ſic quidem remittente preces, paret: &* Agago adduci occidíque iuſſo, illico Armathaim reuertitur: ac mandante Deo, Ieſſæum accedit, vt virum ex filiis illius oleo regem inaugurarer, qui ſibi monſtratus eſſet. Bethleemam cum veniſſet, re diuina facta, Ieſſæum cum filiis accerſit. & cum primogenitum, virum magnum formoſúmque vidiſſet, illum Deo placere opinatur. Sed Deus: Ne, inquit, vultum eius intuere, neque proceritatem corporis. nam homo faciem ſpectat, animum Deus intuetur. Prætergreſſis igitur Ieſſæi filiis omnibus, nec vllo eorum Deo placente, Ieſſæo dicit Samuel: Nullum horum elegit Deus, ſed ſi quis alius tibi eſt, is prodeat. Tum Ieſſæus: Paruulus adhuc reſtat, qui oues paſcit. Eum accerſi Propheta iubet. Dauid accitus venit, rufus cum pulchritudine oculorum, cætera etiam formoſus: eum eſſe qui vngendus eſſet, Samueli ſignificat Deus, itaque ſumpta ampulla, oleo eum in medio fratrum inungit, ac Armathaim redit Spiritus autem diuinus in Dauidem inſilit, ac à Saule recedit, pro quo illum malus ſpiritus inuadit, præfocans & exagitans. Viſum igitur eſt regi adiungere hominem cinnyra pſallendi peritum, vt dæmonij inſultus ac turbatio cantu illo ſopiretur. Accerſitur Dauid, vt idoneus ad eam rem, & à rege magnopere diligitur, adeò vt armiger eius appellaretur. Quoties igitur ſpiritus ille malus regem inuadebat, carminibus illius abigebatur, & Saul ad ſe redibat. Cum autem Palæſtini bellum Iſraelitis intuliſſent, atque hi in procinctu ſtarent, quidam ex alienigenis ſtans in medio amborum exercituum, nomine Golias, vir robuſtus & magnitudine corporis omnibus ſuperior, quippe ſtatura V I cubitorum & dodrantis, cuius thorax ſiclorum quinque millia pendebat, haſta inſtar iugi textorij erat, mucrone ferreo, ſexcentorum ſiclorum pondere. Is igitur in medio ſtans, exclamat ad Iſraelitas: Deſcendat aliquis veſtrûm, & mecum congrediatur. qui ſi me percuſſerit, ſeruiemus vobis: ſin ego illum deiecero, vos noſtri ſerui eritis. idque X L diebus continenter fecit. Dauid autem à Saule ad patrem Ieſſæum remiſſus, ſubinde in caſtra mittitabatur, ad afferendum fratribus militantibus commeatum. Nam tres ex natu maioribus Saulem ſequebatur. Cum igitur ad fratres veniſſet, Golias rurſus de more ſingulare certamen poſcebat, & Hebræis exprobrabat, neminem ſecum congredi audere. Iis verbis auditis indignatus Dauid, ad eos qui aderant ait, ſe cum illo pugnaturum. quo nunciato rex Dauidi: Non, inquit, poteris pugnam committere cum iſto incircumciſo, cum puer adhuc ſis. Tum Dauid, ſe Deo fretum eſſe reſpondet, qui ſibi contra vrſam vires dediſſet, & contra leonem, qui gregem inuaſiſſent, & pecudes rapuiſſent. eos ſe perſecutum, & rapta recuperaſſe, & percuſſiſſe beſtias, atque occidiſſe. Eo igitur ſe eſſe fretum, qui & alienigenam illum ſibi perimendum ſit traditurus, & ignominiam Iſraeliticæ gentis depulſurus. Ac ille quidem hæc dicebat. Rex autem ire permittens, ſua illi arma accommodat. quibus Dauid grauatus, vti recuſat: ſed baculo ſublato, & quinque lapidibus in pera conditis, cum funda ſua ad alienigenam properat. At ille per deriſum interrogat, Num ad canem cum baculo & lapidibus iret? Dauid reſpondet, eum ſibi cane deteriorem videri. Tum ille iratus, verbis arrogantibus ſe carnem eius feris & alitibus daturum minitans, contra Dauidem ruit. qui & ipſe celeriter lapide fundæ impoſito, frontem hoſtis ictu adeò vehementi ferit, vt is pronus in faciem corrueret. Dauid accurrit, eductoque Goliæ gladio, caput illi præcidit, & ſpolia eius legit. Ea re alienigenæ territi in fugam vertuntur. Saul immiſſo fugientibus exercitu ſuo, magnam turbam occidit, plures vulnerat, caſtra diripit. Dauid Goliæ caput Sauli offert, gladium Deo conſecrat. Redeunti domum exercitui occurrunt mulieres, ac ſaltantes, Saulem mille occidiſſe, canunt: Dauidem verò decem millia deleuiſſe, reſpondent virgines. Ea verba Saulem ad inuidiam incitarunt, vt diceret, Quid ei præter regnum deeſt? & Dauidem ſuſpectum haberet. Itaq; cum malo ſpiritu corriperetur, cúmque Dauid de more excantaret, lanceam contra illum mittit, idque iteratò factum. ſed Dauid præſidio diuino ſeptus, ictũ declinat. Deinde rex Dauidem metuens, tribunum militum creat, vt inter hoſtes periclitetur. At ille Deo adiutore rẽ bene gerit, populo charus. Nec non Mechol filia regis, illius amore capitur. quo Saul nunciato, ſtruendarum inſidiarum occaſionem arripit, filiam ei ſe daturũ pollicẽs, ſi C præputia alienigenarũ ſibi attuliſſet: fore ſperans, vt in prælio caderet. Eo Dauid intellecto, cum ſuis militibus profectus, & cæſis hoſtibus, C Sauli præputia affert (Ioſephus nõ C præputia, ſed D C capita attuliſſe narrat) itaque Melcholis cõiugio potitur. Cæterùm Saul, qui eum & diuinitùs foueri, & publicè charum haberi cerneret, magis etiam formidare, inſidiari, moliri necem. Igitur Ionathæ filio, & famulorum fideliſſimis, cædem eius mandat. Verùm Ionathas, cum Dauidem amaret, mandatum patris ei refert, cauere iubet, cum patre acturum promittit, eíque indicaturũ omnia. Facit ita, & patris animum ad clementiam traducit, vt mutata ſententia iuraret, ſe Dauidi nullam facturum iniuriam. & Dauidem, his renunciatis, ad regem adducit, vt ſicut prius ei præſtò eſſet. Cum autem Palæſtini denuò ſe mouerent, & Hebræos inuaderent: Dauid contra eos à Saule miſſus, re bene geſta reuertitur. Sed quo hic plurib. ſucceſſib. vtitur, eo grauiorem regis inuidiam ſubit. itaq; cum Sauli quẽ malus genius denuò inuaſerat atq; angebat, cum cinnyra præſtò eſſet, & excantaret, Saul haſtam correptã cõtra eũ coniicit: at ille prçuiſo declinatóq; ictu, diſcedit. Saul verò ſatellitibus noctu in Dauidis ædes miſſis, manè eum tollere decreuerat. Quo Melchol cognito, Dauidem per feneſtrã demiſſum eripit. Mane cum Dauid abducendus eſſet,

Melchol

*Dauid à Samuele Rex inauguratur.*

** Illum met ↄcedit Samuel, vt ipſe ſuo libro teſtatur.*

*Dauid in Saulis regiã aſciſcitur.*

*Dauidis & Goliæ pugna.*

*Saul Dauidi inuidet et inſidiatur.*

*Melchol Dauidi nubit, cuius ope & Ionathæ fratris, regis inſidias effugit.*

*Ionathas Dauidem monet.*

*Melchol Dauidem aſtu liberat.*



Melchol ita parato lectulo, quaſi aliquis in eo iaceret, & ſtragulis corde recens mactatæ capræ ſuppoſito cuius motu ſtragula agitata opinionẽ afferrent, quaſi aliquis in lectulo recũberet, miſſos introducit, maritũ ægrotare dicens: quo Saul nunciato, eum in lecto afferri iubet. Illi ſublato lectulo, reiectiſque operimentis, commentum deprehenſum regi nunciant. Sic Dauid vitata morte, Armathaim ad Sumuelem ſeſe confert, cum eo Nabiothæ Ramæ degens. Saul eò quoque mittit ſatellites, qui Dauidem abducerenr: qui cum eò perueniſſent, vaticinari & ipſi cœperunt. eo cognito rex alios mittit, quibus & ipſis eodem modo affectis, iterum mittit alios: qui cum & ipſi numine afflati eſſent, ipſe ira percitus, properè deſcendit, cúmque propè acceſſiſſet, itidem vaticinari cæpit. quo tempore qui ibi erant, celebratum illud protulerunt: Nunquid & Saul inter prophetas? Cum verò ad Samuelem acceſſiſſet, tãquam alienata mente, exutis veſtibus, totum diem, totámque noctem nudus iacuit. Dauid inde aufugiens, Ionathæ patris contra ſe conatum ſignificat. quod cum ille non crederet, petit vt paterni animi periculum faciat, & ſibi extra vrbem manenti nunciet. Itaque Ionathas Dauidis apud patrem facta mentione, cum eum illius ſitire ſanguinem intellexiſſet, illi clàm ipſe omnem rem nunciat, & fuga ſalutem quærere iubet: Dauidémque iureiurando ſibi obſtringit, vt ſui recordaretur, quòd ſi ipſe mortuus eſſet, liberis ſuis benefaceret. His Ionathas dictis reuertitur, Dauid Nabam ad Abimelechum pontificem ſe confert. Ei miranti cur ſolus iret Dauid: Mihi rex, inquit, arcani aliquid mandauit, quod ne quis reſciſceret, ſolus adſum: hic autem conuenire me famulos meos iuſsit. His dictis, panes petiit. ſacerdos, ſe non niſi ſacros habere reſpondit: verùm ſi à mulieribus puri eſſent, acciperet atque ederet. Tum Dauid gladium etiam dari ſibi petit: ſed cum ſacerdos non alia arma niſi Goliæ gladiũ ſe habere diceret, quem ipſe Deo conſecraſſet, eo Dauid accepto, Getham ad regem alienigenarum Anchum ſe confert. Ibi agnitus, & perterrefactus, inſaniam ſimulans, quaſi mentis impos & incedere & agere omnia. Sic ab alienigenis elapſus, in tribum Iudaicam proficiſcitur, & in ſpelunca Odolla deliteſcit, vbi fratres & cognati eum conueniebant. Pòſt & alij ad eum confluxere, circiter C C C C. Inde in Moabitidem abiens, regem orat, vt parentibus ſuis illic exulare liceret, donec ſuæ res exitum aliquem ſortirentur. Obſequitur ille, & Ieſſæo cum ſua familia ſuſcepto, Dauid Gadis prophetæ iuſſu in terram Iudaicam redit. Saul vbi cognouiſſet, Dauidem manum feciſſe, conuocat amicos, cum eis expoſtulat, quaſi cum Dauide colludentibus. Doeg autem Syrus, Saulis ſeruus, qui adfuerat, cum pontifex Dauidi panes & Goliæ gladium dediſſet, regi nunciat, vt Dauidem ad pontificem profectum viderit, vt pontifex eius nomine Deum conſuluerit, vt commeatum & Goliæ gladium illi dederit. Rex pontificem accerſitum coniurationis cum Dauide initæ accuſat, & à ſatellitibus cum omni progenie occidi iubet. Illis cædem virorum Deo ſacra offerentium reformidantibus, Doego id negotij dat. is iuſſa regis exequitur, omnibus interfectis, numero * V & C C C. in ciuitatem eorum quoque graſſatus, ſublatis prorſus omnibus nullo ætatis aut ſexus reſpectu. Vnus duntaxat pontificis filius Abiathar fuga elapſus, Dauidi nunciat quid accidiſſet. Cum autem alienigenæ Ceilam impreſſione facta, prædas ex agro agerent, Dauid autore Deo cum C C C C eos aggreſſus, cædit, omnémq; prædam recipit. Tum Saul copias militum ad eum occidendum mittit: ſed Dauid relicta Ceila, in deſertum ſe confert. Saule autem ne ſic quidem ab eius occidendi conſiliis diſcedente, Ionathas ad Dauidem profectus, confirmat hominem, & ſpem bonam habere iubet: ſed cum Dauid in petram deſerti Maanis confugiſſet, Saule cum magnis copiis aggreſſo, in periculo captiuitatis fuiſſet, niſi nunciata hoſtium in regionem impreſſione, Saul relicto Dauide, ad ſua tuenda ſe recepiſſet. Poſt hæc Sauli nunciatur, Dauidem in deſerto Gaddi verſari. Aſſumptis igitur delectorum tribus millibus, inter eundem turbatis inteſtinis, in ſpeluncam ad requiſita naturæ ſeceſſit, in qua Dauid cum ſua cohorte latitabat. qui cum à ſuis ad occidendum Saulem incitaretur, non obſequitur, ſed laciniam veſtis eius clàm præcedit. Rege egreſſo, & ipſe procedit, clamore poſt eum ſublato. ad quem, conuerſum regem adorat, & ſic infit: Noli fidem adhibere ô rex calumniis. Ecce tradidit te Dominus in manus meas. Nam cum in ſpelunca veſtis tuæ laciniam præciderem, multo facilius teipſum occidiſſem. ſimúlque illam profert: &, Diiudicet inter me & te Deus, exclamat. Quæ cum regis animum perculiſſet, ſublata voce cum eiulatu Dauidi dicit: Tu iuſtus es, nam cum ego malè de te ſim meritus, tu in me beneficus extitiſti. Quare credo te ad regnum Iſraelis aſſeruari à Deo. Verùm dato mihi fidem, te domum meam non euerſurum, ſed conſeruaturum eſſe genus meum. Iurat Sauli Dauid, itaque diſcedunt inuicem. Sub id tempus Samuel etiam moritur, vir iuſtus & bonus, qui poſt Elij obitum Iſraelitis præfuerat annos X I I ſolus, cum Saule X V I I I. Dauid in deſertum Maanis recedit, & ad Nabalem Carmelitã, hominem diuitem, qui greges ſuos tondebat legatos mittit, petitum, vt ſibi & ſuis, quantum ipſi viſum eſſet, impertiretur, ob defenſos & greges & paſtores eius. Nabal homo aſper & ferox, Dauidicis inhumaniter reſpondet, & impudenter: Quis, inquit, eſt Dauid? quis eſt Ieſſæi filius? eúmq; fugitiuum vocat. His contumeliis irritatus Dauid, ſe Nabalem cum omnibus ſuis deleturum iurat, & cum C C C C armatis aduerſus eum proficiſcitur. Verùm Nabalis vxor, matrona prudens & formoſa, cum reſciuiſſet quemadmodũ Dauid maritum allocutus eſſet, & bona ipſorum cuſtodiſſet, atque vt maritus Dauidi contumelioſe reſpondiſſet: re cum illo nõ communicata, aſinos multis & variis munerib⁹ onerat, Dauidi obuiam proficiſcitur. Ad quem cum perueniſſet, honore prçbito, rogat, vt iniuriæ mariti ſui oblitus (cuius ingenium nomini reſpon-

*Dauidis & Ionathæ fœdus.*

*Dauid ab Abimelecho pontifice victum & arma petit.*

*Dauid ſimulatione inſaniæ, euadit Anchi Getitæ vltionẽ.*

*CCCC Dauidis coniurati.*

*Moabiticũ exilium.*

*Doeg proditor ſacerdotes perimit.*

** In Bibliiſ tãtũ 85 numerantur.*

*Abiathar ſacerdos.*

*Ceila direpta.*

*Ionathas Dauidẽ conſolatur.*

*Saul Dauidem perſequitur.*

*Dauid Sauli parcit.*

*Saulis cum Dauide fœdus.*

*Mors Samuelis.*

*Abigail Nabale ſublato, Dauidi nubit.*

deret Nabal enim vecordiam ſignificat) iraque depoſita, ea quæ offerentur, accepraret. Ille collaudata muliere, dataque venia recedit. Reuerſa domum, Nabali Dauidis hoſtilem acceſſum indicat: quo audito, & terrore & mœrore tanto oppreſſus eſt, vt poſt diem decimum vitam abruperit.

*Mors Nabalis.*

Quo cognito, Dauid ab Abigæam mittit, eámque ambit. Illa & ſi talis viri coniugio ſe indignam eſſe diceret, tamen ei nubit.

*Abigæam vxorem ducit Dauid.*

Interea Saul Dauidi nihilominus inſidiatur, cum tribus delectorum millibus iuxta collem Echelam caſtris poſitis, quo in loco Dauid cum ſuis C C C C viris verſabatur. Is cum Ameſa noctu in caſtra Saulis profectus, vſque in tentorium regis dormientis penetrat, vbi Ameſam ad trucidendum regem incitatum inhibet, haſta duntaxat & hydria regis ablata diſcedunt, nemine animaduertente: quamuis Abenerus multíque alij circum regem iacerent. Itaque montis cacumine conſcenſo, Abenerem his verbis inclamat. Cur non cuſtodis regem? Ecce vobis ignaris quidam ingreſſi ſunt, ad eum occidendum. Quære haſtam & hydriam regis vt intelligas, quale vos periculum fefellerit. Saul agnita voce Dauidis, qui cum occidere potuiſſet, denuò ſibi peperciſſet, ſe peccaſſe fatetur, ac mentis errore affici: Dauidémq; bono animo eſſe iubet, domúmque ſuam reuerti.

*Dauid Saulis caſtra ingreſſus, hoſti parcet.*

At ille: Dominus inquit, quemque pro iuſtitia & fide ſua remuneretur. cúmque D C ſuis ad Anchum Gethæ regem ſe confert, atque ibi menſes I I I I commoratur. Cum autem Palæſtini bellum Iſraelitis illaturi eſſent, Anchus Dauidi ait: Nunquid & tu cum tuis mecum ad bellum egredieris? Reſpondet ille, ſe ſtrenuam operam nauaturũ.

*Dauid ad Anchum Getæ regem ſe confert.*

Hoſtibus iam fines Iſraelitarũ ingreſſis, Saul perturbatus, Deum conſulit, vtrum pugna ineunda ſit: quo non reſpondente, Engaſtrimythum quærit, & mulierem conuenit, mutato habitu ne agnoſceretur, petitque Samuelis ſibi manes elici. qui cum euocati quibuſdam carminib. viderentur, Saul, Vehemẽter, inquit, angor. nam & alienigenæ contra me conuenerunt, & deus à me receſſit. Samuelis ſpectrum reſpõdet, Fecit ea Dominus, quæ per me predixerat, regnũ abs te auferens, ídque Dauidi tribuens, & populum hoſtibus ſubiiciens. Tu verò filiíque tui cras cadetis. His auditis, Saul ingenti mœrore affectus, diſcedit.

*Saul manes Samuelis elicit, & cum Ionatha filio à Paleſtinis interit.*

Iam caſtra poſuerant hoſtes, & Dauid cum ſuis D C à tergo eorum ſtatiua habebat. Verùm ſatrapis nõ probabatur ea ſocietas. Cauſabantur enim, metuendum eſſe, ne qua ſibi clades ab eo inferretur in bello, ad populares ſuos ſe conferente. itaque petunt, vt diſcedat. & Anchus Satrapis obſequens, eum abire iubet. Diſcedit igitur cum ſuis Dauid Sicelagem, ab Ancho ſibi ad habitandũ aſſignatam. incenſam reperit: vxoréſque ſuas ambas cum omnibus qui ibi fuerant, captas ab Amalechitis. Ea clade deplorata, per Abiatharem ſacerdotem, Deum cõſuluit, an perſequendi ſint hoſtes? Deo permittẽte, cũ C C C C perſequitur, C C ad impedimẽtorum cuſtodiam relinquit. & ſparſim comedentes bibentéſque adeptus, & ex improuiſo aggreſſus, omnes cædit preter quadringentos, qui curſoribus camelis effugerunt, omnémque prædam recuperat. quadringenti, Dauidici reuerſi, manubias cum ducentis partiri recuſant: bene cum illis actum dicentes, quòd vxores ſuas recepiſſent. Verùm Dauid eam ſententiam vt iniuſtam damnat: & quicquid partum eſſet, ex æquo iubet diuidi. Quæ lex eo tempore adhuc durat, vt ad impedimentorũ cuſtodiam relicti, in partem manubiarũ veniant cum iis qui pugnauere.

*Dauid à Palæſtinis dimiſſus, Amalechitas perſequitur.*

Prælio inter Palæſtinos & Iſraelitas cõmiſſo, plurimi ex Hebreis cadunt, & tres filii Saulis: qui & ipſe lethaliter in præcordiis ſe vulneratum ſentiens, ab armigero ſe confodi iubet, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniat. quod cum ille recuſaret, gladio incumbens moritur. Quo armiger viſo, & ipſe necem ſibi conſciſcit.

*Saulis cum tribus filiis interitus.*

Poſtridie Palæſtini dum interfectos Iſraelitas ſpoliant, Saulis & liberûm illius cadauera in montibus Gelboenis reperiunt, ac reſecta eorum capita domum mittũt, vbique ſpectatum proponunt, victoriam ſibi gratulantes, armis eorum diis ſuis dedicatis. Cadauera verò in cruces ſuſtulerunt iuxta mœnia Methoræ, quæ poſtea Scythopolis eſt appellata.

*Cadauerib. inſultãt barbari.*

Saulis clade apud Iabinos Galaaditas cognita, fortiſſimi quique itinere per totam noctem continuato, Saulis & Ionathæ cadauera ſublata, Iabim retulere: iíſque crematis, oſſa ſepeliuerũt.

*Iabini Saulem ſepeliũt.*

Regnauit Saul, ſuperſtite adhuc Samuele, annos octodecim: eo defuncto, vigintiduos. Dauidi recens à cæde hoſtium reuerſo vir quidam Iſraelitarum ſtragem, & Saulis ac Ionathæ interitum nunciat. Rogatus, num vera nunciaret? reſpondet: Saulẽ lethali vulnere accepto, cum ipſe ſeſe ob imbecillitatẽ occidere non poſſet, ſuam opem imploraſſe, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret. iuuiſſe igitur, vt qui gladio proprio iam incubuiſſet, eo ictu conficeretur: & ſuſtuliſſe regem, vt mandaſſet. Quæ vt vera crederentur, regij capitis coronam & armillas aureas Dauidi offert. Saulem igitur & Ionatham Dauid cum ſuis luget: ſed hominẽ illum ſupplicio afficit, qui vncto Domini manus attuliſſet.

*Dauid nuncium Saulini interitus occidit.*

Deinde iuſſu Dei Chebronem aſcẽdit, vrbem Iudaicam, cum vtraque vxore, Achinoa & Abigæa, eiúſque milites cum omni familia. Ibi à tribu Iudaica rex declaratur, & Iabinos ob ſepulti Saulis & Ionathæ officium collaudat. Abenerus autem Saulis imperator, reliquum herilem filium Ieboſthem, totius Iſraelitici populi, Iudaica tribu excepta, regem ſalutat, tum annos quadraginta natum, qui biennium imperauit.

*Ieboſthes ab Abenero rex ſalutatur.*

Idémque Abenerus Iudaicæ tribui ob Dauidem regem creatum infenſus, bellum infert. cui Ioabus Dauidis imperator cum ſuis copiis occurrit, ac principio duodeni vtrinque concurrunt: quibus mutua cæde ſublatis, & exercitibus congreſſis, Abenerij ſuccũbunt. Ioabi fratres erant Abeſa & Aſahel, quorum hic pedum celeritate fretus, Abenerum perſequebatur. monet ille, vt redeat. non obtemperantem, à tergo opportuno ictu illato, conficit. Tum perempti fratres Aſahelis cæde irritati, infeſto curſu Abenerũ petunt. At ille in vertice collis ſtans. Ioabum inclamat, ne inter populares pugnam concitet. Nam & Aſahel, inquit, parum feliciter contemptis meis monitis, occubuit. Ioabus his verbis obtemperandũ ratus, receptui cani iubet, ac perſequutionem inhibet. Extitit Hebræis hoc inteſtini belli exordium, quod longiſſimo durauit tempore, cum



cum quidem Dauidicorũ vires augerentur, Saulinorum minuerentur. Dauidi Chebrone habitanti, è diuerſis vxoribus. ſex nati ſunt filij, quorum natu maximus fuit Amnon. Ieboſthis porrò indignatio propter Abeneri cum patris Saulis pellice conſuetudinem, cauſam illi præbuit ad Dauidem deficiendi:

*Abenerus cum ad Dauidem defeciſſet, fraude Ioabi periit.*

Dauid miſſis ad Ieboſthem legatis vxorem ſuam Melcholem repetitum, obtinet, vt ea ſibi à marito, cui viro exulante à Saule deſponſa fuerat, auulſa, remitteretur.

*Melchol Dauidi reſtituitur.*

Interim Abenerus cum ſenioribus populi & centurionibus agit, vt ad Dauidem ſe cõferrent. Quo haud grauatim ab omnibus impetrato, ad Dauidem fide vtrinque iureiurãdo firmata profectus, cupidéque exceptus, ad conuocãdum populum abit, vt Dauid ab omnibus rex cõſalutaretur. Ioabus autem Chebronem profectus, Abeneri defectione cognita, cum virum apud Dauidem multis criminibus obiectis fruſtra calũniatus eſſet clàm nomine Dauidis accerſendum curat. Illi autem ab itinere ſuſcepto regreditur, cui occurrẽs Ioab illum longius à ſuis, tanquam archani quid cum eo acturus, ſeductum, pugione in ilia impácto, perimit, Quæ res ingenti mœrore Dauidẽ affecit, adeò vt diras vltrices inteſectori imprecaretur, & mortui exequias magno cum luctu honorificè celebraret. Paulo pòſt Ieboſthes per inſidias dormiens occiditur, eiúſque caput à duobus qui facinus id perpetrarant, Dauidi affertur. Is verò adeò gratiam eis non habendam eſſe cenſuit, vt ſupplicio affici iuberet ob cædem Domini. Deinde omnes Iſraelitæ ad Dauidem ſe conferunt, eúmque regem omnium tribuum vngũt.

*Dauid Ieboſthe cæſo totius Iſraelis rex declaratus, Hieroſolyma occupat.*

Iudaicæ tribus regnũ ſuſcepit Dauid * anno ætatis X X X. eíque ſoli Chebrone annos V I I imperauit, genti verò vniuerſæ I I I & X X X. Regno confirmato, Chebrone cum ſuis Hieroſolyma proficiſcitur.

**Cum ſex menſib. legitur 2. Reg c. 5.*

Iebuſæi tum vrbem illam & terram tenebant, cognati Chananæis, à quibus ipſa etiã vrbs Iebus appellabatur. Ii cæcis & claudis, aliíſque mutilatis ad propugnacula per deriſum collocatis, eos aiunt vrbis ingreſſu Dauidem prohibituros. Quo ludibrio commotus Dauid, vrbem obſidione capit, & Iebuſeis inde pulſis, inſtaurat, ac de ſuo nomine Dauidis vrbem vocat, cum Abrahami temporibus Solyma diceretur: conſtructáq; regia ibi habitat, & alios liberos è pluribus vxoribus & concubinis ſuſcipit. Alienigenas illi bellum inferentes, Dei nutu cum ſuis copiis egreſſus vincit. Qui cùm exercitu longè maiore reparato, denuò adeſſent, Dauid oraculo conſulto, in lucis luctus conſidere iubetur cum exercitu, neque prius hoſtes aggredi, quàm luci agitari cœpiſſent. Paret Dauid, hoſtes fundit, & vſque ad fines ipſorũ cædibus perſequitur.

*Paleſtini bis cæſi à Dauide.*

Poſt hæc ſacerdotes & leuitas omnémque populum Cariatharim conuocat, arcámque in currum nouum ſublatã ſacerdotes Hieroſolyma aduehunt, populo & rege cum cantu antecedentibus: quæ cum in periculo eſſet ne euerteretur, Oza filius Aminadabi extenta manu eam tenens, à lapſu defendit. iratóque Deo, quòd homo prophanus arcam cotrectaſſet, ſtatim moritur.

*Arca Hieroſolyma peruehitur.*

Vnde locus ille ſtragis nomen obtinuit. Veritus itaque Dauid in vrbem introducere arcam, domi Abeddaræ Leuitæ depoſuit: apud quem tres menſes manſit, ac viri illius domus multis bonis affecta eſt. Quo Dauid audito, eam in vrbẽ ſuam transfert, ſeptem cœtibus præcedentibus, cinyram ipſe pulſans, & ludibundus ſaltans. Quem Melchol vxor ſaltãtem & exultantem conſpicata, vt indecorè ſe gerẽtem increpat. At ipſe, eius facti non pudere ſe ait, neque indecora eſſe illa, vt quæ ad Dei honorem referẽtur. Sic arcam intulerunt, & in tabernaculo, quod Dauid in eum vſum erexerat, collocarunt. Cæterùm ædem illi extructurum, Nathan propheta iuſſu Dei deterrens: Non tu, inquit, ædem mihi conſtrues, ſed filius tuus, qui regnũ te mortuo ſuſcepturus eſt. His Dauid à propheta nunciatis, ad gratiarum actionem conuerſus, nõ multo pòſt alienigenas eorúmque ſocios cædit, fugátque, & Syriam ſibi vectigalem reddit, præſidio Damaſci collocato. In reditu item Idumæos ſternit, omnibus in ſeruitutem redactis.

*Dauid Syriã & Idumæam ſubigit.*

Deinde recordatus icti cum Ionata Saulis filio fœderis, quærit num quis ex eius familia ſuperſtes ſit? cognitóque, Ionathæ filium Memphiboſthem nomine, captum pedibus, ſupereſſe: accerſit hominem, omnes auitas opes ei donat, victu ſecum communi perpetuò vti iubet, paternis etiam ſeruis ei traditis: quorũ vnum Sibam procuratorem facit, vt prouentus fundorum, quos herus dono acceperat, colligeret. Sic Memphiboſthes Hieroſolymis habitat, menſaque regia fruitur.

*Memphiboſtes Ionatæ filius locupletatur à Dauide.*

Sub id tempus Ammanitarum rex Dauidis amicus moritur: Annone filio relicto, patrij regni ſucceſſore: Ad eum Dauid legatos mittit, qui luctum eius conſolarentur: ſimúlque nunciarent, Dauidem amicitiam erga illum quoque conſeruaturum. At ille exploratores eſſe legatos ſuſpicatus, raſis ex parte barbis eorum, & ſemiſſe palliorum præſecto, dimittit homines. Quos cum ſic affectos Dauid videret, Ioabum tradita validiſſima parte copiarum contra Ammanitas mittit: qui commiſſo prælio, & ipſos & fœderatos eorum Syros, vincit. Illi poſt fugam denuò aſcitis ſociis, bellum redintegrant. Tum Dauid cum toto exercitu eos adortus, multos cedit, Sobacum hoſtilium legionum ducem grauiter vulnerat: quo ex illo vulnere mortuo, Syri ex Meſopotamia ſocij Ammanitarum deditionem faciunt. Dauid Ioabum rurſus contra Ammanitas mittit, qui cum eos in illius terræ Metropolim compulſos obſideret: ipſe interim Hieroſolymis degens, cum è regia mulierem nomine Berſaben, domi lauãtem conſpexiſſet, cum illa accerſita rem habet.

*Ammanitarum cædes ob legatos Dauidicos ludibrio habitos.*

Quæ cum ſe eſſe grauidam Regi indicaſſet, Vriam (ſic enim maritus eius vocatur) obſidione auocat, & de exercitu percontatus, miſſis de cœna ferculis, domum ire iubet. Verùm ille non abit: neque enim decere, cum Dux & commilitones in caſtris ærumnas ferant, ſe cum vxore concumbere. Rege iterum hortante vt domum iret, & poculis ferèvſque ad ebrietatem vrgente, ille pro regiæ foribus ſomnum capit. Itaque Vriam in caſtra remittit Rex traditis ad Ioabum literis, quibus ille iubebatur ſtatuere Vriam, quà pugna eſſet aſperrima, deſeríque ibi ſolum, reductis cæteris, vt ita perimeretur. Fiunt iuſſa Regis, Vrias occiditur, ab vxore lugetur, finitóque luctu mulier Dauidi nubit, ac filium parit. Ob hoc facinus iratus Deus Na-

*Dauidis cũ Berſabe adulterium, & Vriæ cædes.*

*Natham Dauidem arguit.*

thanem ad Dauidem mittit, qui cum Rege congreſſus, hũc in modum infit dicere: Duo viri fuerunt, quorum alter greges & armenta habuit, alter vnam duntaxat agnam. Cum autem hoſpes quidam ad diuitem diuertiſſet, non de ſuis immolauit, ſed pauperis agnam mactatam amico epulãdam appoſuit. Ibi Dauid, eum qui id fecerit, quadrupli & capitis condemnat. Tum Nathan: Cõtra te ipſum, inquit, ô Rex, ſententiã tuliſti. Tu enim id facinus edidiſti. eíque adulteriũ & cædem commemorat, & iram Dei propter illa, & clades imminentes denunciat: atque inter cætera, mortem filij ex adulterio geniti. Dauid ſe peccaſſe Deo cum dolore exclamat. Nathan verò, Deum eius peccatum ab illo remouiſſe reſpõdet. Poſt hæc natus ex Berſabe filius ęgrotat. Dauid magno dolore affectus, ad ſeptimũ diem cibo abſtinet, pulláque veſte indutus, & in ſacco iacẽs, Deum pro vita pueri deprecatur. Septimo die puer moritur: quo ille cognito ſurgit, lauat, veſte mutata gratias Deo agit, & menſam parari ſibi iubet. Quæ regis miniſtris admirantibus: Dauid, viuente, inquit, puero ſpem habebam exorandi Dei, méque humilem ac ſupplicem præbebam. Nunc illo mortuo, & mœror & preces pro illo fuerint irrita. Sed Berſabe alium Dauidi filium parit, quem Salomonem nominauit. Interea Ioabus Ammanitas in extremas obſidionis anguſtias eſſe redactos, regi ſignificat. qui eò profectus, vrbem capit, & militibus diripiẽdam donat: ſed coronam regis auream, talenti pondere, gemma precioſa præditam, ipſe geſtandam ſibi ſumit, vrbanam multitudinem trucidat, aliiſque oppidis eodem modo tractatis, Hieroſolyma regreditur. Habebat autem Dauid filiam Thamarem, vterinam Abſalonis ſororem. Eam primogenitus Dauidis filius Ammon vehementer deperibat, adeò vt ex amore in morbum incideret. Decumbentem pater inuiſit: orat ille, vt Thamarem mittat, quò ſibi miniſtret. Annuit pater: venit puella, placentas ei parat. Ammon omnes diſcedere iubet, ſolámque ſororem ſibi miniſtrare, Tum puellam ſolam nactus vi ſtuprat, & confeſtim ardens ille amor in par odium conuertitur: ac ſtatim illam diſcedere, & à famulo eiici iubet. Illa & raptus & contumeliæ dolore, tunicam rumpit, & puluere cõſperſo capite, plorans abit. Abſalon ſororem quietam eſſe iubet, pertinaci contra Ammonem ira æſtuans. Nam rex & ſi facinus illud iniquo ferebat animo, filium tamen, quòd primogenitus eſſet, contriſtare nolebat.

*Ammon Thamare ſtuprata, ab Abſalome cæditur.*

Elapſo biennio, ſuas oues tonſurus Abſalon, fratres ad commeſſationem cõuocat: mandato prius miniſtris dato, vt gliſcente compotatione, Ammonem trucidarent. Parent illi. quo viſo, reliqui regij filij fugiunt: ortóque rumore, omnes eos ab Abſolone cęſos, Dauid veſtes ſuas lacerat, & humi ſtratus lamentatur. Interea cęteri veniunt, Ammonis cædem mœſti nunciantes.

*Abſolon ægrè impetrato reditu, regnum affectat.*

Abſolon ad maternum auum Gethæ regem confugit, & triennium ibi commoratur. Regis ira ſpacio temporis paulo remiſſiore facta, Ioabus Abſoloni regem huiuſmodi commento reconciliare nititur. Subornat mulierculam, quæ lugubri ſpecie regẽ adeat, conquerens duos ſibi fuiſſe filios, quorum vnus alterum occiderit. Nunc cognatos ſuperſtitem ad cædem quærere, ob parricidium. orare igitur regem, vt ſalutem filij ſibi condonet. Illa hæc apud regẽ perquàm dolenter exponit. Rex, filij ſalutem illi ſe donaturum pollicetur. Tũ mulier gratias agit, ſed vt pignus, inquit, habeam promiſſi tui: Tu ipſe ô Rex in primis tuo filio reconciliare, neque cum cæde filij te inuito facta, voluntariam coniunxeris. Animaduertit rex, commentum eſſe preces mulieris, Ioabo autore excogitatum: eíque Abſolonis reducendi dat poteſtatem. Ioabus igitur eum Hieroſolyma reducit, ea tamen cõditione, vt ne in conſpectum patris veniret, donec ipſe tãdem eum reconciliatus vocat, data petenti venia, & obliuione iniuriæ promiſſa. Reſtitutus in integrum Abſolon, equis curribus, & multis ſatellitibus comparatis, regiam quottidie frequentat: populúmque blandis alloquiis deliniens, multorum gratiam colligit. Iam quatuor annis à reditu elapſis, fingit ſe religionis ergò Chebronem profecturum, ad exoluenda vota, quę in exilio feciſſet. Annuit pater. Ille digreſſus, paſſim dimittit nũcios: plurimi ad illum confluunt, ac præter cæteros Achitophel, patri eius à conſiliis. Ita rex ab omnibus ſalutatur.

*Dauid ab Abſolome pulſus, illo cæſo regnum recuperat.*

Hoc Dauid cognito, cum iis quos circum ſe habebat, Hieroſolyma egreditur: comitãtibus etiam ſexcentis illis, quorum ſub Saule opera vſus fuerat. Neque vlla res mœrorem & metum eius magis auxit, quàm Achitophelis transfugium. nihilominus tamen Deũ inuocat, & omnem illi euentum permittit. Chuſus etiam Dauidis amicus, de illius ſententia, defectione ſimulata, ſe ad Abſolonem confert.

*Sibæ in herum Memphiboſthem calumnia.*

Inter proficiſcendum, occurrit Dauidi Memphiboſthis ſeruus Siba, iugum aſinorum agens, commeatum ferentium: & herum accuſans, quòd Hieroſolymis maneret, ac regnum populi ſuffragiis ad ſe rediturum eſſe expectaret. Ob quæ indignatus Dauid, omnia quæ Memphiboſthi prius donarat, Sibæ largitur,

*Semeis importunitas.*

Pòſt in itinere Semeis eum aggreditur, vir Saulis cognatus, lapides iactãs contra regem, & execrans illum, & virum ſanguinariũ atque iniquum vocitans. Ad quem perimendum Dauid ſuos concitatos inhibuit diuinitùs illi ea mandata eſſe aſſerens, itaque miſſum faciendum. Ad Iordanem profectus, ibi ſuos defatigatos refecit.

*Chuſus defectione ſimulata, Achitophelis conſilia euertit.*

Abſolon autem vbi Hieroſolyma peruenit, Chuſo ſe accedẽti: Cur, inquit, patre, cui amicus es, deſerto, me conuenis? Tum ille, Diuinitùs, inquit, electo adero, & eum ſequar, qui totius populi conſenſu rex eſt declaratus. Deinde quid agendum eſſet, percontanti Abſoloni, reſpondet Achitophel, conſtuprandas eſſe paternas concubinas; vt omnes, inquit intelligant, irreconciliabiles eſſe tuas aduerſus patrem inimicitias. Obtemperat ille cõſilio: ſed cum idem decẽ millia virorum peteret, vt regem Dauidem cum ſuis è veſtigiò perſequeretur, fatigatione eneruatos, ac illum quidem tolleret, hos autem reduceret: Abſolõ Chuſum rogat, quid de eo concilio ipſi videatur? Reſpondet ille, non eſſe id bonum. Nec enim ignoras, inquit, patris tui & militum eius fortitudinem, atque rei militaris vſum. Ego verò cenſeo, è tota prouincia colligendum exercitum, & ductu auſpiciiſque tuis patrem perſequendum,



quendum. Vinces nimirum, cum multis in paucos facto impetu. Abſolon cęteríque his auditis, Chuſi conſilium laudant, Achitophelis improbato. Quæ Chuſus omnia per Sadocum & Abiatharem ſacerdotes Dauidi nunciari iubet. Mittunt illi viros qui hæc regi ſignificent. Verùm Abſolon cum id reſciſſet, eos perſequitur. At illi, animaduerſo periculo, domũ quãdam ingreſſi, in puteo deliteſcunt: & deceptis perſecutoribus, rem omnem ad Dauidem perferunt. Ille noctu Iordanem tranſit.

*Achitophel laqueo ſibi conſciſcit necem.*

Cæterùm Achitophel tum alium ſibi prælatum egrè ferens, tum cladem Abſoloni imminentẽ animo præuidens, domum abit, ac ſe ſuſpendit. Dauid recenſens exercitum, quatuor millia virorum inuenit, eúmque trifariam partitur, cuique parti dùce prępoſito. Verùm amici eum intereſſe pugnæ, pati noluerunt. quòd ſi cum illo in fugam verterentur, omni ſpe deſtituti forent: incolumi verò, ſpem adhuc reliquam habituri eſſent. Populum igitur ſuum ad pugnam mittit, rogans, vt parcerent Abſoloni, ſi viciſſent. Commiſſo prælio, Dauidici victores Abſolonem mula fugientem perſequuntur. qui nemus ingreſſus, coma, quam denſiſſimam alebat, magnæ quercui implicita adhæſit, mula ſubter eum progreſſa. Ita dependentem quidam conſpicatus, Ioabo rem nunciat. is verò tribus ſpiculis in cor eius coniectis, eum perimit, & victoriæ nuncium ad Dauidem mittit. qui audita victoria, num viueret filius, percontatur. eiúſque interitu cognito, lamentatur. Sed Ioabus regem aggreſſus, ſuadet, vt finito luctu ſe militum conſpectui offerret: quo facto cum eos collaudaſſet, cæteri omnes ad officium rediere.

*Dauid ſeditioſis veniã dat.*

Hieroſolyma reuertenti obuiam fit Semeis, delictorum veniam petens. Rex & illi ſe condonare culpam, & omnibus iis à quibus violatus eſſet, iurat. Obuiam egreditur & Memphiboſthes, qui rege expoſtulante, cur fugæ ſocius non fuiſſet? culpam omnem in Sibam transfert, qui ſibi ad iter neceſſaria non paraſſet: cum ipſe, pedibus læſis, ſequi non poſſet. nec his contentum, adieciſſe calumnias, & nefaria mendacia. Dauid accepta hominis excuſatione, bonorum ſemiſſem ei reſtitui iubet. Poſt hæc rege Galgala profecto, omnis populus Iſraeliticus ad eum conuenit. Iudaicam tribum accuſans, quòd clàm ad illum ſe contuliſſet. At illi, non hoc ſibi vitio eſſe dandum aiunt, quòd genere coniuncti eſſent regi. Qui ſermo durus viſus eſt populo:

*Sabæ ſeditio.*

& vir quidam factioſus atque improbus, nomine Sabeas, ex tribu Beniamitica, exclamat: Nobis nulla in Dauide pars eſt, neque vllo in Ieſſæi filio hæreditas. inflatóque cornu, omnes à Dauide ad ſeſe abſtrahit, ſola tribu Iudaica apud eum permanente.

*Abeſas per inſidias à Ioabo occiditur.*

Rex autem Abeſam Imperatorem creatum, ad colligendas è Iudaica tribu copias ablegat, vt intra triduum reuerteretur. Verùm Abeſa ceſſante, Ioabo mandat, vt cum iis militibus qui ad manum eſſent, Sabeam inuaderet: Ne, inquit, procraſtinantibus nobis, inimici vires augeantur. Statim ad bellum vadit Ioabus, cui cum magnis copiis occurrit Abeſa: quo accedente, gladio quo accinctus erat, de induſtria è vagina humi proiecto, ſublatóque, ad eum ſalutandum propè aggreſſus, Abeſam, enſe in ventrem defixo, occidit: & populo eius aſſumpto, Sabeam perſequitur: qui in vrbem * munitam confugerat.

** Vrbs hæc appellabatur Abelmaaca 2. Reg. c. 20.*

Eam obſidente Ioabo, cordata quædam mulier, de muro clamans: Cur, inquit, euerſurus es metropolim Iſraeliticam? Ob Sabeam, reſpondet ille. Tum illa ciuibus perſuadet, vt Sabeæ caput amputatum in caſtra proiicerent. quo facto, Ioabus obſidione ſoluta, Hieroſolyma reuerſus, omnium copiarum imperator eligitur.

*Gabaonitis placatis fames deſinit.*

Poſt hæc annonæ penuria per triennium preſſit populum, cuius cauſam requirenti regi, reſpondet Deus, ob Gabaonitas factam famem: eíſque ſatisfaciendum eſſe pro quibuſdam eorum, quos Saul contra fidem à Ieſu & ſenatoribus eis datam, occidiſſet. Itaque Rex Gabaonitas accerſit: qua re ſatisfieri ſibi velint, rogat. Illi, ſeptem viros è Saulia familia poſtulant. Eos dedit Rex, vt petierant, Memphiboſthe conſeruato. Quibus acceptis, & occiſis, pluuiam demiſit Deus. Deinde bello contra Barbaros orto, Dauid cum ſuo exercitu hoſtes perſequitur, fatigatus plane viribus deſtituitur.

*Dauid ab Abeſa conſeruatus, in bellum ire non ſinitur.*

Quem ſic affectum quidam ex hoſtibus conſpicatus, ad eum occidendum accurrit. Sed Abeſa Ioabi frater defenſo Rege, Barbarum interficit. Ob id eius ſatellites iurant, ſe poſt hac non paſſuros eum inire bellum. Barbaris denuò arma inferentibus, Rex oppoſitis ſuis copiis multos occidit, reliquos in fugam vertit. Nec multo pòſt, iidem reſumptis armis incurſionem faciunt in agros Iſraelitarum, adducto ſecum giganteæ ſtaturæ viro, qui ſenos manuum & pedum digitos habebat: quo Ionathas Dauidis fratris filius occiſo ſpoliatóq; popularibus ſuis victoriam faciliorem reddidit.

*Dauidis muſica & viri artes.*

Ab eo tempore bellum inferre Barbari deſtiterunt. Ocium igitur nactus Dauid, odas compoſuit, Leuitáſque inſtrumentis ad eam rem factis, hymnos canere docuit. Inſtrumenta huiuſmodi fuerunt. Cinyra, decem ornata chordis, plectro, nablum chordarum duodecim, digitis pulſabatur. Parata erant & cymbala ærea, magna, latáque. Habebat porrò circa ſe cœtum virorum fortium, quorum illuſtriſſimi triginta & ſeptem, rem ſæpenumero bene geſſerant: & cum hoſtes quodam tempore circa Bethleemam caſtra poſuiſſent, Rex è puteo, qui circa id oppidum erat, aquam deſiderauit. Itaque tres ex eius ſatellitibus per media hoſtium caſtra profecti, aquam inde petitam, eadem regreſſi via, hoſtibus eorum audacia conſternatis & quieſcentibus, regi attulerunt. At ille: Sic propitius, inquit, ſit mihi Deus, vt aquam hãc non bibam, ſanguine virorum, & periculo animarum eorum allatam. neque bibit, ſed libauit Deo.

*Peſtis ob numeratum à Dauide populum.*

Poſt Ioabo mandat, vt populum numeret. is & ſi id conſilium improbabat, & rem minimè laudabat: tamen cum regem à ſententia dimouere non poſſet, paret, numerat, inuenit Iſraelitarum octingenta millia bellicoſorum & fortium virorum, & quingenta millia Iudaicæ tribus, item bellicoſo-

rum. Verùm Dauid ſtatim facti pœnitens, ſe peccaſſe confitetur, & Gad Propheta eum iuſſu Dei aggreſſus: Trium, inquit, tibi rerum optio datur, num malis tu & regio per ſeptennium fame premi, an per tres menſes ab hoſtibus vrgeri, an mortem per triduum graſſari in populo. Ibi Dauid vndique ſe in anguſtias redactũ eſſe queritur, ſed præſtare ſibi incidere in manus Domini. Itaque morte graſſante, à diluculo vſque ad prandij tempus, ex omni populo ſeptuaginta millia ceciderunt. Tum Dauid, cum angelus populi interfector manum ſuper Hieroſolyma extendiſſet, Deo in hæc verba ſupplicauit: Ego paſtor, ô Domine, peccaui: ſed populus, grex meus, non peccauit. Ego pœna dignus ſum, non iſti. Hac mœſtitia regis placatus Deus, luem compeſcuit, & per Gadem prophetam in * Ornæ Iebuſæi area conſtructa ara, ſacra fieri iuſſit. itaque fecit Dauid, empta ab Orna area. Quo in loco, vt Ioſephus tradit, Iſaacum Abrahamus immolaturus fuiſſe perhibetur, & Dauid illic ædem Deo conſtructurus erat, niſi ab ipſo prohibitus fuiſſet.

** Legitur Aramna 2. Regum c. 24.*

*Abiſag Dauidis fotrix.*

Dauidi cum ob ſenium algore vexaretur, puellam Abiſagem adiunxerunt, cuius concubitu foueretur. Sed cum ea rem non habuit rex ætate effœtus. Adonias autem quartus regis filius, homo perquàm formoſus, commotus patris ſenio, regnum ſibi vendicat, Ioabo imperatore & Abiathare pontifice ſuffragantibus.

*Salomon, Adonia repulſo, 111 Iſrelitarum rex declaratur.*

Itaque ſemel ſplendido ſacrificio apparato, fratres conuocat, & Iudaicæ tribus principes, Abiatharem item & Ioabum: Salomone, Gade propheta, & Banæa præfecto ſatellitum non inuitatis. Ait igitur Berſabæ Nathan: Num audiſti regno potitum eſſe Adoniam? quæ ad Dauidem ingreſſa: Tu iuraſti, inquit, Domine mi rex Salomonem filiũ tuum in regno tibi ſucceſſurũ. Ecce autem Adonias te ignorante regno potitur. Hæc nondum elocuta muliere, Nathan quoque propheta ingreſſus, rogat, num de illius ſententia regnum Adonias occuparet? At ille Deum teſtatus: Hodie, inquit, rex futurus eſt Salomon. vocatóque Sadoco pontifice, & Banæa, propheta quoque adhibito, & aulæ regiæ ſatellitibus, Salomonem in mula regis collocatum, & extra vrbem ad fontem Sionem perductum, ſacro oleo inaugurari, & cornibus inflatis regem proclamari, perq; vrbem mediam deduci iubet. Hi ſine mora parent, Solomonis electio paſſim prædicatur. qua etiam apud Adoniam & conuiuas eius cognita, cæteri ſuas quiſque domos abeunt. Adonias autem maiore perculſus metu, ad aram confugit: & vitam ea conditione à Salomone impetrat, vt ſi denuò in facinore deprehenderetur, capite pœnas daret.

*Dauidis teſtamentum & obitus.*

Cæterùm Dauid mortem inſtare ſibi videns, Salomonem accerſit. mandat, vt Dei præcepta obſeruet. & ſecundum leges eius viuat: Quo, inquit, ſemen noſtrum, quemadmodum promiſit mihi Dominus, thronum meum æternum teneat. Adiicit, ne Ioabum impunitum dimittat, ob Abeneri & Ameſiæ cædem. neque Semein, qui fugienti ſibi diras imprecatus fuerit. ac præter alia templum conſtruere iubet Domino, deſcriptione illius exhibita: ad id opus & ipſum & principes & Leuiticam tribum cohortatus, quòd multa ad eam rem neceſſaria relinqueret: videlicet auri decies, argenti centies mille talenta, ſmaragdos, alióſque lapides precioſos, æs & ferrum innumerabile, aliámque materiam copioſam. ac prius collectis ſe adiicere auri puri ter mille talenta ad adytum, & decies mille ſtateres, & argenti talenta totidem (Ad hæc, ſi cui gemma erat, eam quiſque in theſauros congerebat.)

*Mors Dauidis.*

Hæc effatus, paulo pòſt moritur, expletis vitæ annis ſeptuaginta, cum regnaſſet annos Chebrone ſeptem, Hieroſolymis III & triginta, vir omnibus rege dignis virtutibus illuſtris. Mortuum Salomon Hieroſolymis regaliter ſepelit, magnis opibus cum eo conſepultis. Salomon ſucepto regno admodum fuit adoleſcens, annos duodecim natus, cuius matrem Berſabem, Adonias ſic alloquitur: Noſti regnum ad me pertinere, tum ob ætatis prærogatiuam, tum ex conſenſu populi. ſed id ad Salomonem fratrem meum tranſiit: quod æquo mihi ferendum eſt animo, quoniam Deo ita viſum eſt. Vnum tamen peto, vt Abiſag patris mei concubina, quoniam præ ſenio illam non attigit, ac virginem reliquit, in matrimonium mihi detur. Berſabe, illa ſe relaturam ad filium, & ſummo ſtudio operam daturam pollicetur, vt nuptias illi conficiat. Illa regem adit. Sed re audita, rex iratus: Cur, inquit, Adonias non regno etiam ſibi cedi vt natu maiori poſtulat? ac ſtatim per Banæam ſatellitum præfectum, eum occidi iubet.

*Adoniæ cædes ob Abiſagem petitã. Abiathar relegatur.*

Abiatharem quoque in patriam relegat, vt ibi ruri degat. nam ei vitam ſe condonare, ob exantlatos cum patre ſuo labores. Ita ſacerdotij honos, quemadmodum Helio prædixerat deus, Ithamariæ familiæ ereptus, ad Sadocum tranſiit, è genere Phineis oriundum.

*Ioabus ad aram mactatur.*

His cognitis, Ioabus imperator perterritus, ad aram confugit. Vnde cum auocaretur, negauit ſe diſceſſurum, ſed ibi, & non alibi moriturum. Quo rex nunciato, ibi eum interfeci iubet.

*Banæas imperator. pontifex. Semeis occiditur. Salomonis coniugium, ſtructura, ſomnium, iudicium.*

Iam Banæas totius exercitus imperator deſignatus, iam Sadocus pontificatus dignitatem conſecutus erat, cum Semeim rex Hieroſolymis exire vetuit, mortem comminatus, ſi ſecus feciſſet: eúmque triennio pòſt ad fugitiuos ſeruos inquirendos vrbem egreſſum, interfici iubet. Vxorem duxit Salomon Pharaonis filiam, & mœnia Hieroſolymorum altiora & munitiora fecit. ac in ſomnis à Deo iuſſus optare quicquid vellet, intelligentiam & ſapientiam petit. qua petitione Deus comprobata, ei ſe & ſapientiam, & mentem præſtantem daturum pollicetur, qualem nec ante eum habuiſſet quiſquam, nec pòſt habiturus eſſet: adiecturum porrò ea etiam quæ non petiiſſet, opes victoriam, gloriam, ſi mandata ſua & iura conſeruaret. Poſt hæc, duæ mulieres eum conuenêre, quarum vna: Rex, inquit, nos in iiſdẽ ædibus habitauimus, neque quiſquam præterea nobiſcum. accidit autem, vt vtraque maſculum eodem tempore pareret. Paulo pòſt. iſta filium ſuum dormiens oppreſſit: & experrecta, infantem mortuum vlnis meis dormientis ſupponit, viuentem ablatum ſibi vendicat. Quo commento



mento animaduerſo, puerum repeto: illa negat. Altera, ſuum eſſe viuentem puerum affirmat, aduerſariæ mortuum, neque eò ſe improbitatis progreſſam eſſe iurat. Corona circunſtantium dubitante, quo pacto verum diiudicari poſſet. Rex puerum gladio in duas ſecari partes iubet, & vtrique mulieri ſemiſſem dari. Eam ſententiam vera infantis mater grauiter ferens atque repudians, aduerſariæ puerum viuentem tradi orat. Quæ verò ſe matrem eius falſò profitebatur, collaudato iudicio, diſſectionem maturari flagitat. Ibi rex puerum viuentem ei tradi iubet, quæ diſſectionem deprecabatur. eam enim eſſe matrem, quæ pueri cædem tantoperę reformidaret. Id populo euidens argumentum fuit ſapientiæ regis, qui quidem omnes veteres ingenio prudentiáque ſuperabat.

*Salomonis eruditio & inuenta.*

Similitudines ter mille compoſuit, cantilenas quinquies mille: & à cedro auſpicatus vſque ad hyſſopum, deſcribendis ſtirpibus progreſſus eſt, naturaſque animàlium terreſtrium, aëriorum, aquatilium, ac proprietates perquiſiuit & indagauit. Inuenit etiam ad vtilitatem hominum, excantationes dæmonum: & adiurationum rationes reliquit, quibus dæmonia fugentur. Quam curationem ad ſuam vſque ætatem duraſſe, Ioſephus aſſerit, & in eius rei fidem huiuſmodi experimentum narrat:

*Eleazari Iudæi annulus ad fugandum dæmonia.*

Eleazarum quendam popularem ſuum habuiſſe annulum, ſub cuius pala radix eſſet, ſecũdum doctrinã Salomonis, qui ſi naſo dęmoniaci admoueretur, ſolo olfactu per nares extraheret dæmonium. Deinde Salomonis facta mentione, recitaſſe excantationes, & adiuraſſe dæmonium, ne in hominem reuerteretur. Hoc in Veſpaſiani & filiorum eius conſpectu feciſſe Eleazarum. & vt vim contra dæmones inſitam probaret, poſuiſſe poculum aqua plenum, & iuſſiſſe dæmonio, vt egreſſum ex homine id euerteret: itaque factum eſſe, nemine cernente à quo euerteretur.

*Templi ædificatio aliter à Ioſepho, aliter in Biblijs deſcripta.*

Ædificationem templi auſpicatus eſt quarto anno regni ſui, anno poſt exitum populi ex Ægypto quadringenteſimo quadrageſimo. Verùm de ſpacio, altitudine & longitudine, formáque eius, non conſentiunt Regum liber tertius, & Ioſephus libro Antiquitatum octauo, vbi de templo ſcribit: ſed in pleriſque diſcrepant. Quam eorum diſſentionem, & alia, vt de duobus Cherubis aureis circa adyta collocatis, de arca, de mari æneo, de peluibus, de magnitudine altaris Ænei, de forma aureæ menſæ, & quæ vaſa aurea & argentea templo Salomon dedicarit: qui curioſius cognoſcere voluerit, is ea tertio libro Regum, & in Ioſephi antiquitatibus accuratè deſcripta inueniet. Templo cum omni ornatu annis ſeptem perfecto, populóque à Rege Hieroſolyma conuocato, ſacerdotes arcam & tabernaculum à Moſe facta, & ſacra vaſa in templum tranſtulerunt, Rege & omni populo præcedente, Leuitis libantibus & ſuffientibus. Arca, in qua duæ lapideæ tabulæ inerant, in adytum repoſita eſt inter duos Cherubos. Sacerdotibus adytum egreſſis, domus gloria Domini repleta eſt, & nubes toti templo circunfuſa: vnde coniiciebant, Deum templum ingreſſum, atque ibi habitaturum eſſe. Quibus rebus lætatus rex, & Deo gratias egit: & populo bene precatus. orauit, vt Numen omnium eorum qui ibi precarentur, vota exaudiret. Deinde victimas aræ admouit: quas Deus ſe benignè accepiſſe declarauit, igne ex aëre emiſſo, qui in aram delatus, omnes victimas conſumpſit. His viſis, Deum laudat populus Rex gratias agit: feſtóque ſplendidè celebrato, conuentus dimittitur.

*Salomonis alterum ſomnium, & res geſtæ.*

His peractis, Rex ſomniat, Deum exaudiſſe preces, templum conſeruatum iri, ſed magnam felicitatem peruenturum, & regioni ſuos poſteros impetraturos, ſi nec ipſe, nec illi, nec populus diuina pręcepta violarent. Alioqui verò genus eius radicitus extirpaturum, & ſeruitute populum atque aliis infinitis malis oppreſſurum, & templum ad incendium & direptionem daturum, vrbem etiã ſolo æquandam & ſpoliandam. Sic ædificatione templi perfecta, ſibi ipſi Salomõ ædes conſtruit ſumptuoſas & ſplendidas, Hieroſolymorũ mœnia inſtaurat, alias vrbes condit: Cananæos montis Libani accolas inſuetum ſubire iugum cogit, ac ſibi tributarios reddit. Præterea argutias & griphos à Chiramo Tyriorum rege ad ſe miſſos, diſſoluit atque explicat: quorum meminiſſe veteres hiſtoricos, Dium & Menandrum, Ioſephus autor eſt.

*Regina Æthiopum Salomonem conuenit.*

Eius igitur doctrina & ſapientia vbique gentium celebrata, Regina quædam Ægyti & Æthiopum, ſapientiæ ſtudioſa indagatrix, Hieroſolyma proficiſcitur. Eam Rex honorificè excipit, quæſtiones ab ea propoſitas facilè ſoluit, vt Regina obſtupeſcens, plura ſe videre diceret, quàm audiuiſſet. Miratur & regiam, & cœnarum lauticias, & omnia miniſteria Regis, & templi ſacrificia, & immolantium ordinẽ. Regem porrò donat auro, gemmis precioſis, ineffabilibus aromatibus, & balſami radicibus: vnde ab eo tẽpore balſamum in Palæſtina naſcitur.

*Salomon ex intemperantia libidinũ in idololatriã prolapſus, à Deo improbatur.*

Salomon viciſſim Reginam domum redituram multis bonis remuneratur: qui cum eſſet omnium ante ſe regum illuſtriſſimus, ſapientia & opibus præſtans, in diuinis inſtitutis non permanſit: ſed in libidinum intemperãtiam prolapſus, inſanóque mulierum amore correptus, neque popularibus ſuis contentus, etiam alienigenas complures duxit: quibus ex amore obſequens, Deos illarum coluit. Nam principum inſignium filias ſeptingentas matrimonio ſibi iunxit, concubinis trecentis aſcitis, & filiam Regis Ægyptiorum. Proinde Salomoni dixit Dominus: Quoniam mandata mea non obſeruaſti, regnum tuum diſrumpam, & ſeruo tuo dabo. Neque tamen viuenti tibi regnum eripiam, ob patrem tuum. Sed te mortuo, hæc filio tuo regnante faciam, Neque regnum omne tamen ab illo auferam, ſed duabus tribubus, & Hieroſolymis illi relictis, ob auum Dauidem, decem reliquas ſeruo eius dabo. Neque multum temporis interceſſit, cum Ader Iſraelitas bello adortus eſt.

*Ader Idumæus bello infeſtat Iſraelitas.*

Fuit is Idumæus, regis generis, qui Dauidis temporibus Idumæa à Ioabo ſubacta, puer in Ægyptum aufugerat, & à Pharaone benignè ſuceptus atque adamatus, ſororem regiæ coniugis vxorẽ duxerat. Is igitur vir factus, Dauidis & Ioabi obitu cognito, cupidus in patrium regnum redeundi à Pharaone retinebatur, donec Salomonis rebus turbatis, affine, cõſentiente in Idumæam re-

uerſus eſt. Sed cum ea firmis præſidiis teneretur, in Syriam ſe contulit: & latronum manu comparata, cùm hanc occupat, tum Iſraelitarum agros populatur. Ieroboamum autem Nabati filium, dum puer inſeruit Regi, Salomon generoſa eius indole animaduerſa, cum Hieroſolymorum mœnia conderet, operis ſtructuræ præfecerat. Qui cum aliquando iter ingreſſus eſſet, incidit in prophetam Achiam Silonitem. Is eo de via nonnihil ſeducto, veſtéque ſua in XII lacinias diſciſſa, X illi dat, cum his verbis: Sic regnum Salomonis diſcindet Dominus, eiúſque filio duas in aui gratiam tribus reliquet, te autem X tribuum regem conſtituet. Tu verò fac leges Domini amplectaris, & iuſtitiam colas. Hoc oraculo elatus Ieroboamus, nouis rebus ſtudet. Sed rex, cognita re, de illo tollendo cogitat. At ille in Ægyptum fugit, ibíque degit vſque ad Salomonis obitum. Obiit autem is, vt liber Regum narat, anno ætatis LII, cum XII annos natus regnum ſuſcepiſſe memoretur, & id per XL tenuiſſe. Ioſephus autẽ tradit, eum annos vixiſſe IIII & LXXXX, regnaſſe LXXX. Vita vſus eſt felici & glorioſa, niſi in ſenectute patrias leges violaſſet, amoribus impulſus illicitis peregrinarũ muliercularum, earúmque ſectatus religiones: relicto ſucceſſore filio Roboamo. ad quem cum populus cõfluxiſſet, ac ſuplex petiiſſet, vt patre clementior, ſeruitutis iugum à Salomone ceruicibus ſuis impoſitum relaxaret: ille ſe deliberaturum ait, & poſt triduum reſponſurum. Conſulit itaque ſeniores ex patriis miniſtris, quid reſpondendum eſſet? monent, clementer, non ſuperbè & arroganter alloquendum eſſe populum. Poſt ſenatum, re cum adoleſcentibus vnà ſecum educatis communicata, & conſilio ſeniorum expoſito: illi autores ſunt vt aſperius agat cum populo, & pro autoritate imperij ac regiæ dignitatis faſtigio verba faciat. Roboamus horũ ſententia comprobata, cum populus iterum cõueniſſet: Si pater meus, inquit, durũ vobis iugum impoſuit, id ipſe exaſperabo: ſi flagellis ille vos cecidit, ego ſcorpionibus in vos animaduertam: & quod in me paruum eſt, id craſſius paternis lumbis experiemini. His multitudo auditis, Quæ nobis in Dauide pars eſt? exclamans, rege faſtidito diſcedit. Cum autem Roboamus quendam ſuorum familiarium miſiſſet, qui mollioribus verbis populum placaret eum ira concitati lapidibus peremerunt: quo facto, ille perterritus Hieroſolyma confugit, ſola Iudaica & Beniamitica tribu penes ſe retenta. Reliquæ Ieroboamum, defuncto Salomone ex Ægypto reuerſum, regẽ crearunt. Cuius vnà cum Iſraelitis bello inuadendi conſilia agitantem Roboamum, Deus per Samæam vatem inhibuit. Veritus autem Ieroboamus, ne multitudo Hieroſolyma profecta, illorum hominum commercio ad priorem Regem, ſe deſerto, reuerteretur, duos vitulos aureos cõflatiles facit, altero Bethele, Dane altero collocato. aduocatáque concione: Deus, inquit, viri, vbique eſt, non Hieroſolymis duntaxat. Ego igitur Dei nomine duos vitulos feci, neq; poſthac vobis neceſſe erit ire Hieroſolyma, ſed ad hos profecti, adorate & ſacrificate. nam è veſtro numero ſacerdotem deſignabo. His populus

*Achia Ieroboamo regnum prædicit.*

*Ieroboamus regnum affectans in Ægyptum fugit.*

*Salomonis obitus.*

*Roboamus IIII rex Iudæorum.*

*X tribus reſponſo aſperiore à ſe alienat.*

*Ieroboamus X tribuum I Rex, falſum Dei cultum inſtituit.*

Iſraeliticus deceptus, patriis inſtitutis violatis, iram numinis in ſe prouocauit, vt alienigenis in ſeruitutem traderetur. Ieroboamus autem ſacerdotibus creatis, aráque extructa, feſtũ celebrat: conſcenſáque ara cum ſacrificulis aſtãtibus iam ſacrificaturus eſſet, propheta à Deo miſſus: Hæc, inquit, dicit Dominus: Heus ara, erit quidam Dauidicus, nomine Ioſias, qui ſacerdotes tuos ſupra te immolabit, & oſſa eorum comburet. Vt autẽ verba mea vera eſſe conſtet, rũpetur ara, & pinguedo in ea ſita fundetur humi. ſtatim his dictis, & ara rumpitur, & pinguedo victimarum effunditur. & Ieroboami manus, quam extenderat, prophetam comprehendi iubẽs, arida facta, manſit immobilis, donec precibus à propheta impetraſſet, vt in integrum reſtitueretur. Qui à rege ad cœnam inuitatus, recuſat, quòd diuinitus interdictum ſibi eſſet, ne vel panem ederet vel aquam biberet, vel eadẽ via reuerteretur, qua vrbem ingreſſus eſſet. Itaque alia via diſcedit. cęterùm in ea vrbe quidã pſeudopropheta erat, qui Ieroboamum ſeducebat, eius gratiã aucupans. is cõ audiſſet, quę Dei propheta & dixiſſet & feciſſet: abeũtem perſequitur, & aſſecutus rogat, vt ſuo hoſpitio vtatur. Quod illo recuſante vt diuinitùs interdictũ, improbus ille vir: Atqui & ego propheta ſum, inquit, & ex Dei mãdato adſum, vt ſis menſæ meæ particeps. Propheta fide adhibita pſeudoprophetæ verbis, redit. ſed dũ illo hoſpitio fruitur, diuinitùs audit, ſe propterea quòd iuſſa executus nõ ſit, à leone interfectum iri. Domum rediturũ, occidit leo, atque aſſidens & cadauer & iumentũ cuſtodit. Quo pſeudopropheta cognito, mortui oſſa collecta ſepelit, ſuiſque liberis mãdat, vt ſe mortuũ iuxta illum ſepelirẽt: eo vtique conſilio, vt cum ſecundum prædictionem illius altare euerteretur, & ſacerdotum ac pſeudoprophetarum oſſa igni traderentur, eam contumeliam ipſe, iuxta hominem diuinũ ſitus, effugeret. Et hęc ita geſta ſunt. Ieroboamus autẽ ſuam impietatem adeò non minuebat, vt etiam indies augeret, falſum illud editorum locorum ſacerdotium quibuſuis precio venditans: quę res noxiæ illi fuit imputata, & in familiæ eius perniciem & interitum vertit. Quòd ſi prophanum illud ſacerdotium addicere pecunia, nefas eſt habitum: quid de iis dicemus, qui verè diuinum illud ſacerdotium, quo veneranda illa & incruenta victima immolatur, precio vendunt atque redimunt? Cum autem Abias Ieroboami filius ægrotaret, rex vxorem ſuam, plebeia veſte indutam, ad Achiam prophetam mittit, percontaturam, num puer euaſurus eſſet morbum. Sed propheta commento agnito: Ne te, inquit, diſſimulato, Hieroboami vxor, ſed marito tuo dicito, quia Deo relicto, ipſe ſibi Deos conflauerit, & regni amiſſionem & interitum cum omni familia ei eſſe expectandum. Præterea cum populus etiam eius impietatem ſit ſecutus, ne illum quidem fore impunitum. Tu verò abi mulier, filium tuum mortuum inuentura, qui cum fletu ſepelietur. Solus enim ex Ieroboamicis bonus fuit. Mulier degreſſa, filium mortuum inuenit, & prophetæ verba marito nunciat, quibus ille, quippe homo corrupti ingenij, nihilo factus eſt melior. Sed Roboa-

mo re-

*Hieroſolymitanus propheta, reprehenſa Ieroboami religione, à pſeudopropheta ſeductus, à leone occiditur.*

*Caupones ſacerdotiorũ*

*Abiæ Ieroboami filij obitus, à vate prædictus*



mo regnante Hieroſolymis, Iſraelitici generis Leuitæ & ſacerdotes, & alij ex populo, quid bonum eſſet intelligentes, relictis ſuis oppidis, Hieroſolyma cõceſſerunt. Vnde Roboami regnum augebatur, quãuis & ipſe impietate lęſerit Deũ, & tota Iudaica domus Dei cultum neglexerit. Quamobrem Suſacus Ægyptiorũ rex cum magnis copiis aſcendit Hieroſolyma, Roboamo quintum iam annum regnante: qui vnà cum populo in vrbe concluſus, ſalutem à Deo votis expoſcebãt, delicta ſua confitẽtes. Deus exoratus, ſe nõ deleturũ illos, ſed dediturum hoſtibus, reſpondit. Itaque ſuſceptus à Roboamo per conditiones Ægyptius, rupto fœdere, & ſacros & regios theſauros ſpoliat, & aurea arma à Salomone facta, & aureas haſtas à Dauide dedicatas omnes rapit. Moritur Roboamus anno ætatis quinquageſimo ſeptimo regni decimoſeptimo, ſucceſſore relicto filio Abio, cui bellum intulit Ieroboamus, cum & Roboamum perpetuò armis laceſſiſſet. Abius autem impetu eius non reformidato, ſed domeſticis illi copiis oppoſitis, celebrem victoriam reportauit, vt Ieroboamus in aciem deſcendere poſtea non auderet. Mortuus eſt Abius, cum triennium regnaſſet Hieroſolymis, homo in Deum impius. Aſa verò filius eius, regno ſuſcepto, diuina inſtituta obſeruauit, exemplo Dauidis principis familię ſuę. Mortuus eſt & Hieroboamus, exactis in imperio annis duobus ſupra vinginti. Ei ſucceſſit Nabat filius, homo & ipſe ad exemplum patris impius: qui dum Gabatam vrbem barbaram oppugnat, per inſidias Baaſæ filij Achiæ occiditur, anno regni ſecundo. Baaſas verò regni Iſraelitici potitus, omne Hieroboami genus extirpauit, vir & ipſe Hieroboamo nihilo obſeruantior legum, & populo delinquendi autor. Quare Deus per Prophetam Iehum ei comminatur, ſe eius quoque familiam, vt Hieroboami, exciſſurum. mortuus eſt & hic anno regni vigeſimoquarto, Ela filio regni ſucceſſore relicto, quem anno imperij ſecundo Zambres eius magiſter equitum occidit ebrium, regnóque occupato, vniuerſum Baaſæ genus deleuit. Cæterùm Iſraeliticus exercitus, dum Gabatam obſidet, audito Zambris facinore, & occupatione regni: Zambrem aliũ, ducem ſuum, qui in caſtris erat, regem ſalutat, & vrbem Therſam ductu illius occupatam obtinet. Quare prior ille Zambres in intimam regiam ſeſe recipit, eáque incenſa, vnà conflagrat, cum VII dies imperium tenuiſſet. Facta poſt hoc populi ſeceſſione, alij Zambrem eligũt, alij Thamnim. Verùm Zambrea factio viribus ſuperior, Thamni ſublato, regnum Zambri tranquillum tradiderunt. Is principio Therſæ regnauit. Deinde Mareone monte occupato, vrbem condidit nomine Samariam: cum ipſe monti nomen Samarei indidiſſet, de nomine Semeri, à quo eum emerat. Vicit hic improbitate ſuperiores reges. mortuus eſt Samariæ, anno regni duodecimo, quod ad Achabum eius filiũ deuenit. Sic Iſraelitarum reges, alius poſt alium, ob leges violatas, exiguo tempore perierunt. Aſa verò rex Hieroſolymorum, Dei amans, anno regni ſui decimo regem Æthiopum cum magnis copiis iuuadẽtem, Deo adiutore inuocato, aggreſſus, multos hoſtium

*Suſacus Hieroſolyma ſpoliat.*

*Roboammi obitus.*

*Abius, V rex Iudæorum.*

*Abij mors.*

*Aſa VI rex Iudæorum.*

*Hieroboami mors.*

*Nabat II rex Iſraelitarum.*

*Interitus Nabat.*

*Baaſas III rex Iſraelitarum.*

*Baaſæ obitus.*

*Elas IIII rex Iſraelitarum.*

*Eliæ interitus.*

*Zambres V rex Iſraelitarum.*

*Samaria cõditur.*

*Zambris obitus.*

*Achabus VII Iſraelitarũ rex.*

*Aſa Aethiopes vincit.*

occidit: reliquos in fugam verſos perſequitur, caſtra diripit, multis & ipſe & populus ſpoliis auctus. Reducenti exercitum regi propheta Azarias occurit, victoriæ Deũ & ipſi & populo propter iuſtitiæ cultum autorem extitiſſe affirmat: quòd ſi virtutem colerẽt, in poſterum etiam fore felices: ſin Dei mandata neglexiſſent, multis ærumnis conflictaturos. Aſa igitur vita piè acta, & longam ſenectutem adeptus, obiit anno regni primo & quadrageſimo, filio Ioſaphato relicto ſucceſſore. Achabus autem Samariæ regiam incolens, anteceſſoribus ſuis impietate ſuperior, ab vxore Iezabele magis etiã ad improbitatem extimulabatur. Erat illa regis Tyri & Sidonis filia, muliercula ferox & audax, quę Belo Deo ſuo ædem condidit, & lucum conſecrauit, ſacerdotibus etiam & pſeudoprophetis inſtitutis. Elias autem vrbe Theſba ortus, peruerſam regis & populi religionem animo iniquiſſimo ferẽs, Achabo ait: Ita viuit Dominus, vt pluuia non deſcendet, niſi ad preces meas. Hæc elocutus, ex mandato Dei ad torrentẽ * Chorat abit, vbi à coruis alebatur, qui manè panes, veſperi carnes illi afferebãt, potũ præbebat torrens. quo exicato, Sarephthã Deo monẽte abiit, vrbẽ intra Tyrũ & Sidonem ſitam: antequam cum in mulierẽ quandam incidiſſet, orat vt aquam ſibi afferat. quæ dũ abit, vt panem etiã afferat petit. Illam iurantem, ſibi pugillum duntaxat farinæ vnum eſſe, & pauxillum olei, proinde ſe abire ad colligenda ſarmenta, vt exiguum cibum ſibi & liberis paret, quo abſumpto, fame perituri ſint & ipſi. Propheta bono animo eſſe iubet: neque farinæ ciſtam, neque olei ampullã defecturã eſſe, donec pluuia deſcendiſſet. Illa igitur & Prophetam hoſpitem, & ſe & liberos ſuos exigua illa farina alit, donec fames præteriſſet. Cæterùm filio ſuo ex morbo defuncto, cum Propheta expoſtulat. Sed ille mortuum ſibi puerum dari iubet. quem in cœnaculum, in quo ipſe diuerſabatur, allatum, in ſuo lectulo collocat: inuocatóque Deo & cadauere ter afflato, puerum matri gratias agenti viuentem reſtituit. Poſt hæc Eliæ mandat Deus, vt Achabo prædicat, fore pluuiã. Inualuerat autem Samariæ, & in tota prouincia fames. Achabus itaque cum Abdia œconomo ſuo, viro bono, exibat, quæſitum equis ſuis pabulum, aliam ipſe viam, aliam Abdias ingrediens, veſtigantes an in fontibus aut torrentibus alicubi gramen inuenirent. Abdiæ obuiam fit Elias, ſéque regi indicari iubet. At ille eũ accurratè ab Achabo ad cædem quæri reſpondet, monens, vt ſe occultet. ac c prophetrs à ſe clàm ali & cõſeruari, cæteris omnibus à Iezabele interfectis. Elia verò iurante, ſe illo die in Achabi conſpectum venturum, præſentiam eius regi nunciat Abdias. quo ille conſpecto: Num tu, inquit, is es, qui deprauat Iſraelem? Cui Elias: Tu potius, inquit, & domus patris tui, populum deprauatis, relicto Domino falſos deos venerãtes. verùm populũ, & tuos, vxoríſque tuæ prophetas in montem Carmelũ conuocato. quibus omnibus cõgreſſis, Elias ait: Ego ſolus Domini Propheta ſuperſtes: pſeudoprophetæ autẽ plurimi ſunt. Sed date ſoli mihi bouem, & illis omnibus alterũ, quibus immolatis, victimas lignis imponamus, igne non adhibito,

*Azarias.*

*Aſæ obitus.*

*Ioſaphatus VII rex Iudæorum.*

*Iezabel Achabi vxor.*

*Elias Iſraelitarum ſuperſtitionem arguit.*

*Carith appellatur lib. 3. Re. c. 17.*

*Sareptbana vidua Eliæ hoſpita.*

*Abdias.*

*Elia cum Achabo congreſſus.*

*Abdias.*

*Baalici ſacerdotes perimuntur.*

ac ſuum quiſque Deum inuocato. A quo autem ignis vltrò effulſerit, & ligna cum victimis cremarit, is verus iudicetur Deus. Hac oratione à populo collaudata, cum ignominioſi ſacrificuli ita feciſſent, & vitulo mactato, ac ſine igni lignis impoſito, Baalem à diluculo vſque ad meridiem inuocaſſent: propheta per deriſum eos hortatur, vt magnum vociferarentur, ſi forſitan dormitaret illorum deus, aut aliis negociis eſſet occupatus. Cum autem aſſiduè flagitando nihil proficerent, propheta duodecim ſaxis pro tribuum numero ſublatis, altare ſtruxit, ſcrobem effodit, ligna in altari digeſſit, victimas impoſuit, aquam in altare effundi iuſſit, vt ſcrobs etiam impleretur. His peractis, inuocato numine, ignis videntibus omnibus de cœlo in aram delatus, & victimas & lapides vnà cum aqua & puluere cõſumpſit. Quo portento conſternatus populus, pronus in terram cecidit, vnum eſſe Deũ verum & magnum confitentes. & iuſſu prophetæ, manibus in impoſtores illos vates iniectis, omnes occiderunt. Deinde regi dicit Elias, Deum paulo pòſt miſſurum pluuiam, itaque factũ eſt, vt prædixerat, & imber vehemens erupit. Sed Iezabele mortem illi comminata, propheta territus fugit: & in deſerto agens deſperabundus, mortem à Deo expetit. ſopitúſque à quodam excitatur, iubente ſurgere & veſci. Videt autem panem ſiligineum illic, & aquam. Quum ediſſet, rurſus obdormiit. Angelus denuò eum veſci iubet, quòd ei magnũ iter inſtet. Rurſus igitur cibo ſumpto, & recuperatis ex eo viribus, diebus x l ambulat: & in Chorebum montem profectus, antrum ingreditur. ibi voce audita, Cur eò veniſſet? reſpõdet: Cum Dei ſtudio vates Iezabelis occiderim, illa me ad necem quæritat. Tum is cuius vocem audierat, denuò illi ait: Cras egreſſus, ſtato corã Domino. Cum ita feciſſet, ventum ſentit & concuſſionem, & ignem ardentem videt. Deinde leui aura exorta, ex ea vocem audit, quæ reuerti iubebat, & Aſahelem Syriæ regem inungere, & Iehum regem Iſraelis, & Eliſæum ſuo loco prophetam, qui impios deleturi eſſent. Regreſſus Elias, quemadmodum iuſſus fuerat, Eliſæum arantem inuenit: cui cum vellus ſuum inieciſſet, ille relictis omnibus, eum ſequitur, ad vaticinandi munus euectus. Interim Achabus rex vineam Nabothi ſuis agris conterminam, vel emere vel permutatò accipere cupiens, recuſante poſſeſſore, in animi ægritudinem incidit. cuius Iezabel edocta cauſam, ſub nomine regis literas ad proceres regionis, in qua Nabothus habitabat, conſcribit, quibus illum accuſare iubebantur, vt in Deum & regem contumelioſis verbis vſum: ac falſis teſtibus ſubornatis, lapidare. Eas literas regio ſigillo appreſſo, ad illos mittit. qui iuſſa executi, Nabothum lapidibus obruerunt. Quo facto, Iezabel Nabothi mortui vineam occupare Achabum iubet: qui etſi cædem illius ægrè ferebat, tamen vineæ hæreditatem adiit. Itaque Elias ad illum miſſus à Deo: Quia, inquit, Nabothum occidiſti, vineæ illius obtinendæ ergò, propterea ait Dominus, quo in loco ſanguinem illius linxerunt canes: eodem in loco tuum vxoríſque tuæ ſanguinem lingent canes, & meretrices in ſanguine tuo lauabunt,

*Eliæ fuga in montem Orebum.*

*Eliſæus, ab Elia aſciſcitur.*

*Nabothus Iezabelis fraude perimitur.*

*Elias Achabo exitium minatur.*

omníſque familia tua extirpabitur. Quibus verbis vehementer contriſtatus Achabus, lamentatus eſt, indutóque ſacco ieiunauit, facinora ſua deteſtans. Ea regis pœnitentia motus Deus, prophetæ ſignificat, ſe pœnas quas comminatus eſſet, non ab illo expeditcurum: ſed temporibus filij eius, illa facturum eſſe. Poſt hæc Aderis filius Syriæ rex, cum magnis copiis & multis auxiliaribus. Samaria obſidione cincta, legatos ad Achabum mittit, qui ei dicerent: Diuitiæ tuæ, & vxores tuæ, & liberi tui mea ſunt. bello enim ea capiam. Si verò mihi quæcunque voluero conceſſeris, ſoluta obſidione diſcedam. Achabus ad hæc: Et ego, inquit, & mei omnes, tui ſumus. ac conuocatis imperij ſui ſenioribus, hoſtis legationem exponit. ſed populo eum à deditione dehortato, legatis reſpondet, ſe quæ poſtularentur, facere non poſſe. Eo Syriæ rex nunciato, iratus, vallo vrbem circundari, & aggeribus cingi iubet. Cum autem vates quidam Achabo dixiſſet, Deum traditurum illi hoſtes, cum pueris ducum eos inuadenti: numerus eorum inuentus eſt ducentitrigintaduo, cum quibus circa meridiem, conuiuantibus & inebriatis hoſtibus eſt egreſſus. Eos cum Syriæ rex vidiſſet, miniſtris ſuis imperat, vt ad ſe vinctos adducerent. Verùm pueri illos aggreſſi, multos occiderunt. quos ponè ſecutæ copiæ Iſraeliticæ, derepentè facto impetu, Syros in fugam coniecerunt, adeò vt ipſe rex eorum vix elaberetur. Inde reuerſus Achabus, direptis hoſtium caſtris, Samariam redit. Cui propheta Syrorũ aggreſſionem denuò prædicit. Itaq; inſtante vere, Syrus Iſraelitis denuò bellum infert, caſtris in planicie poſitis: cũ è ſuis audiſſet, Hebræorum Dei vires in montib. vigere, in vallib. non item. Verùm propheta denuò promittit victoriam Achabo, vt, inquit, in vallibus etiam ſuam potentiã demonſtret Deus. cæteris diebus exercitus quieuere: ſeptimo autẽ, prælio commiſſo, terga dant Syri. quos Achabus perſequens, multos occidit: multi etiam Apheccam elapſi, vbi ruina murorũ oppreſſi perierũt. Aderis porrò filius cum paucis in fuga occultatus. Eius ſatellites induti ſaccis, & funib. capita vincti, ad Achabum acceſſere, vt dominũ ſuum conſeruaret ſupplicantes. Annuit rex. adducunt illi ducem ſuum ad Achabum curru vehentem: qui eum curru recipit, ſalutat, bono animo eſſe iubet. Deinde fœdere icto, cum multis munerib. dimittit. Tum propheta Michæas à quodam popularium caput ſuum verberari iubet. recuſanti illi, At te leo, inquit, verberabit. itaq; factum eſt, vt prædixerat. Cum idem aliũ iuſſiſſet, íſque eũ verberaſſet, obligato capite Achabum acceſſit: à tribuno militũ, inquit, captiuꝰ meæ cuſtodiæ traditus, effugi, ob quod ille me ad necem quærit. Id vbi iuſtũ eſſe Achabus pronunciat, ſoluto capite Michæas agnitus, Achabo ait: Quoniam Syriæ regem, hominem peſtilentem, impunè dimiſiſti, ipſe illius loco morieris, & populus tuꝰ pro illius populo. His auditis rex turbatus eſt. actáq; pace per trienniũ, vrbem Reemam, vt ad ſe pertinentem, Syris erepturus: à Ioſaphato Hieroſolymitano rege petit, vt vnà militet. Annuit ille, Deúmq; per prophetam conſuli iubet, an expeditionem illam probet? Achabus prophetas ſuos

conuoc

*Syri Samariam obſidẽtes, per miraculũ profligantur.*

*Achabo ob cõſeruatum Syrum, exitium vaticinatur Michæas.*

*Achabi expiditio contra Reemmam.*



conuocat, an bellũ ſit ineundũ rogat? illis victoriam pollicentib. Ioſaphatus etiã diuinũ prophetam quærit. Achabus eſſe quendã reſpondet, ſed ſibi inuiſum eſſe, mala prædicere ſolitũ. Ioſaphatus eũ vocari iubet. Accerſitúmq; Michæã Achabus rogat, pugnandũ ſit an non? Reſpondet ille: Vidi Iſraelitas in montib. diſperſos vt gregẽ ſine paſtore. Sed Dominus mihi dixit, illos quidẽ incolumes redituros, te verò ſolũ Remmæ caſurũ. Hęc Michęa locuto, Achabus Ioſaphato: Nónne dixi, inquit, eũ mihi malè ominaturum eſſe? Sedechias autem quidã ex pſeudoprophetis alapã dedit Michææ. cui ille inquit, Tu paulo pòſt ex alio conclaui in aliud trãſibis, latebras quæritãs. Cæterùm Achabus Michæã in carcere cuſtodiri iubet ad reditũ ſuũ. Tum ille: Si tu, inquit, incolumis redieris, nõ locutus eſt per me Dominus. Regib. iã profectis, etiam Syrorũ rex aciem inſtruit, & ſuis mandat, ne quem petant niſi ſolum Achabũ. Is verò habitu regio depoſito, priuatum ſumpſerat. Itaq; Syrorum duces Ioſaphatum regaliter cultum, Achabũ eſſe putauerunt, eúmque circundederunt: ſed cũ non eſſe regem Iſraelitarum vidiſſent, reliquerunt. Achabus autẽ ſagitta ictus, cũ lethale eſſe vulnus ſenſiſſet, auriga currum è pugna educere iuſſo, circa ſolis occaſum moritur. eius obitu Syri cognito, domum redierunt. Regis autem cadauer Samariam relatum, ſepelitur. Sed currum de cæde eius cruentum, in fonte Samariæ occultarunt. Sic & canes ſanguinem eius linxerunt, & ſcorta fonte illo lauabantur, vt Elias vaticinatus fuerat. Mortuus eſt Achabus, vt Michęas prędixerat, interitu, quamuis antè audiſſet, non euitato, cũ regnaſſet annos i i & x x. regnũ ſuſcepit filius eius Ochozias. Ioſaphatum regem Hieroſolymitanum ab expeditione domũ redeũtem, Iehus propheta increpat, quòd „ homini impio opem tuliſſet: eúmq; à Deo, quãuis ea re offenſo, eſſe conſeruatum. Rex gratias agit: luſtratáq; omni ditione ſua, leges obſeruari, & iudicib. paſſim cõſtitutis, ritè fieri iudicia edixit. Cũ autem Moabitis & Ammanitis, qui etiã Arabes aſciuerant, Iudæam aggreſſis, diuinã opẽ imploraret: propheta quidam Deum pro eo pugnaturũ ait. ac educere quidem exercitum iubet, non tamen inuadere hoſtes, ſed ſtantes diuinum auxilium expectare. Rex manè egreſſus, exercitum ſtare iubet, ſacerdotes cum tubis ante exercitum conſiſtere, Leuitas & cantores gratiarum actionẽ cãtare Deo. Tum hoſtes cõcitati, mutuis ſeſe cædibus confecerunt, vt ne vnus quidem ſupereſſet. Ioſaphatus caſtra hoſtium exercitui diripienda concedit. Ab eo tempore Barbari, eũ vt Deo adiutore nixum veriti, quieuerũt. Ochozias autem Iſraelitarum rex, improbitatis parentum imitator fuit. Eius regni anno i i Moabitæ vectigalia retinuerũt, quæ patri pendere ſoliti fuerãt. Ipſe ægrotans ad Accaronẽſem Deam, Muſcam nomine, percontatũ miſit, an conualiturus eſſet? Legatis in itinere occurrit Elias ac domũ reuerti iubet, eíque à quo miſſi eſſent dicere: quia miſerit ad barbarorum deum, quaſi Iſraeliti Deus nõ eſſet, eum lecto ſuo non ſurrecturum. Illi regreſſi, audita referunt. Ochozia rogante, quíſnam id dixiſſet? atque illis ignorare ſe dicentibus, de forma illius hominis percontatur. quem cũ illi hirſutum eſſe dicerent, pelliceo cingulo cinctum: Eliam eſſe intelligit, ac centurione cũ l militib. miſſo, eum adduci iubet. Qui cum eum in vertice montis inueniſſet, ad regem ire iubet. Verùm ad Elię preces ignis de cœlo delapſus, illum cum ſuis omnibus conſumpſit. Alij porrò totidem à rege miſſi, pari exitio perierunt. Tertius ablegatus cẽturio cum ſuis militib. cum ad prophetam veniſſet, procubuit, eúmq; adorauit, pœnam deprecatus, quòd inuitus veniret, iuſſu regis coactꝰ. & orauit vt ipſe ad eum veniret. Elias ab angelo, amoto metu ire iuſſus, de mõte deſcendit, & regi ait: Quoniam ad alienum Deum miſiſti, quærens num euaſurus eſſes, ſcito te de morbo non ſurrecturum, ſed breui moriturum. Obiit igitur Ochozias ſecũdum Eliæ prædictionem, Ioramo fratri regno relicto, qui ſtatuas Baalis à patre Achabo erectas cõminuit ille quidẽ, cætera impius & improbus, atq; parentum ſimilis. Elias in cœlum aſſumendus, cũ Eliſæo profectus ad Iordanem, vellere aquã percutit. ea percuſſa dirimitur, vt ambo per ſiccũ trãſirent. deinde Eliſæum petere iubet, quid ſibi fieri vellet. Tũ ille: vt gratia ſpiritꝰ, qui in te eſt, in me cõduplicetur. Elias, „ etſi votum id improbũ eſſe diceret: tamen, ſi me „ in cœlum aſſumi videris, cõpos, inquit, eius fies. Dũ hæc loquuntur, currus igneus cum ſimilibus equis Eliã abripit. dũ ſurſum ferretur, vellus ſuũ Eliſæo iniicit: quo ille accepto, Eliã videre deſiit. ac ad Iordanẽ reuerſus, periculum facit petitę ab Elia gratiæ, aqua vellere verberata. quæ cũ nõ diuideretur: Vbi eſt, inquit, Elię Deꝰ? Sed cũ denuò „ percuſſiſſet, diuiſa aqua, trãſiit. Eo viſo, l filij prophetarũ dixerunt, Eliæ ſpiritũ in Eliſæo cõſediſſe: eúmq; ſecuti ſunt, quæſituri num ſpiritus Domini Eliã ſublatum in mõtẽ aliquẽ deieciſſet. Id Eliſæus principiò negat, ſed inſtantibus cõcedit. Quare viri l toto triduo quæſitum non reperenrũt. Eliſæũ Hierichunte habitantẽ ciues cõuenerunt, rogantes, vt eius loci aquas malas & ſterilitatem inducentes mutaret. Ille ſalem in nouo ſibi vaſe afferri iubet: allatũ, inuocato Dei nomine in fontẽ cõiicit: quo facto, aquarũ amaror in dulcedinem eſt cõuerſus, amiſſa omni vi noxia. Propheta quópiã iturus, paruos pueros per ludibriũ, Aſcẽde calue, clamãtes, indignatus, execratur. itaq; vrſi è montibus progreſſi, pueros x l i i occiderũt. Ioramus Achabi filius Moabitis bellũ illaturus, auxiliũ petit à Ioſaphato Iudęæ regẽ. Ille etiã Idumæorũ regẽ, qui ſibi parêret, ſe aſciturũ ſociũ promittit. Ita tres reges, inita cõcordia, ſeptẽ diebus per deſertũ abierũt. Exercitibꝰ autẽ aqua deſtitutis, Eliſæũ adeuntes orant, vt & ſe & milites conſeruaret. At ille Ioramo: Ad patris tui & matris prophetas, inquit, abito. & iurat, ſi abſque Ioſaphato eſſet, ſe ne verbũ quidẽ ei reſponſurum fuiſſe. „ Deinde quendam vocari iubet, qui pſalleret. eo pſallẽte, ſpiritu Domini afflatus Eliſæus, iubet multas effodi ſcrobes iuxta torrentẽ. viſuros enim torrentem plenũ, neque vento ſpirante, neq; imbre depluente: ac potaturos ad ſatietatem, & hoſtium potituros. His prædictis, poſtero die manè & torrentis alueus impletus eſt, adeò vt redũdaret, & omnis illius terræ ſuperficies ſtagnaret. Sole orto, igniti eiꝰ radij in aquas incidẽtes, effecere, vt rubicũdæ apparerẽt. Moa-

*Achabi interitus.*

*Ioſaphati res geſtæ.*

*Ochozias VIII Iſraelitarum rex.*

*Ochoziæ obitus.*

*Ioramus VIII Iſraelitarũ rex.*

*Eliæ raptus in cœlum.*

*Prophetæ L. Eliã fruſtra quærũt.*

*Heliſæus Hierichuntis aquas medicatur.*

*Eliſæus vrſos immitit pueris deriſorib.*

*Ioramo & Ioſaphato aquas, & victoriæ contra Moabitas occaſionẽ ſuppeditat.*

bitæ igitur in montibus caſtrametati, & ex alto deſpicientes, ſanguinem eſſe putauere: ſuſpicati, orto inter reges diſſidio, milites ſeſe inuicē trucidaſſe. & dum incompoſito agmine ad ſpoliorum direptionē properant, ab hoſtibus circumuenti, alij cædūtur, alij in fugam vertuntur: quos Iſraelitæ perſecuti, in Moabitidem impreſſione facta, & vrbes euerterunt, & regionem deuaſtarunt. Rex autem Moabitarum in vrbem reuerſus, filium ſuum primogenitum in murum adductum, ex deſperatione immolatum adolet Deo. Quo reges conſpecto, miſerti illius eò loci redacti, obſidionem ſoluerunt.

*Ioſaphati obitus.*

*Ioramus VII rex Hieroſolytanus.*

Ioſaphatus autē Hieroſolyma reuerſus, obit: anno ætatis L X, regni X X V, vir pius & iuſtus. multiſq; liberis relictis, natu maximum Ioramum ſucceſſorem deſignauit, Iſraelitico regi cognominem, auunculo ſuo.

*Eliſæus Samaritanæ oleum auget.*

Eliſæum Samariæ degentem mulier quædam vidua conuenit miſerabiliter cōquerens, quòd ſoluendo non ſit, liberos ſuos à fœneratore in ſeruitutem abripi. Eā propheta rogat, quid habeat in ædibus? quæ cum ſe nihil habere niſi pauxillum olei reſpōderet: iubet vt multa vaſa vtenda petat, & in omnia de oleo infundat. quo illa facto, vaſa omnia plena eſſe oleo, prophetæ nunciat. quo ille vendito, eam creditori ſatisfacere, & quod ſuperſit, ad vſum domeſticum conferre iubet.

*Sunamitidis filiū à mortuis reſuſcitat.*

Idem Sunamitidi, cuius hoſpitio vtebatur, orbæ liberis prædixerat, parituram eſſe filium. atque ita factum eſt. verùm puer iam grādiuſculus, obiit. Itaque mulier ad Eliſæum in Carmelum venit, & pedibus eius aduoluta, calamitatē ſuam deplorat. Ille diſcipulum Giezim, dato baculo ſuo, quem puero mortuo imponeret, cum ea abire iubet. Sed iurante muliere ſe non diſceſſuram, niſi ipſe ſecum abiiſſet, paret propheta, puerum in lectulo iacentem inuenit, precatus lectum conſcendit, puero incubat, in eum ſufflat: quod cum ſepties feciſſet mortuus reuiuiſcit, & matri viuus à propheta reſtituitur. Inde Galgala profectum, cum fame laboraretur, *filij prophetarum illum conueniunt: quib. cum à famulo aliquid elixari iuſſiſſet, ille ex agro herbas colligit, quib. & concurbita ſylueſtris (toxicum id eſt) admiſta erat, coctas apponit. illi cucurbita animaduerſa, prophetām inclamarunt tanquam eueſtigiò morituri. ille farina in lebetem iniecta, eos veſci iubet. quo facto, nihil ex eo cibo incōmodi ſenſerunt.

**Filij prophetarum ij ſæpe dicūtur in Bibliis qui cum prophetis familiaritatē & amicitia cōiuncti erāt.*

*Eliſæus venenū diluit, & cibū multiplicat.*

Cum quidam ei panes X X attuliſſet, ac palathas, miniſtrum ea populo apponere iubet. Qui cum diceret, Quid iſta ad C viros? Dato, inquit, vt veſcantur. nam & ſaturabuntur, & aliquid ſupererit. & ita factū eſt, vt ille dixerat.

** Naaman in Bibliis.*

*Neeman Syrus leproſus curatur ab Eliſæo.*

Erat quidam * Neeman nomine, magnæ apud Syriæ regem autoritatis, lepra infectus. Cuius vxori cū mulier Iſraelitica bello capta ſeruiens, dixiſſet, ſi ad Eliſæum prophetam abiret herus ſuus, morbum eius curatum iri: ea verba vxor marito, maritus regi Syriæ refert. Rex literas ſcribit ad regē Iſraelis, de Neemanis curatione. Ipſe Neeman ſumptis X argenti talentis, & V I mille aureis, & X ſtolis lautioribus, Samariam proficiſcitur, literáſque regi tradit. Quibus ille lectis, veſtes ſuas lacerauit, Syriæ regem cauſam contra ſe quærere dicens. Eo cognito, Eliſæus ad ſe Neemanem mitti iubet: qui cum veniſſet, ſepties in Iordane lauandum eſſe, per nuncium ei ſignificat, ſic lepra iri liberatum. Neeman verò iratus, quòd ſibi propheta non obuiam egreſſus eſſet, ac manibus impoſitis vota feciſſet, per indignationem diſceditt: quaſi verò Syria non haberet flumina Iordane meliora, in quibus ſi lauiſſet mundaretur. Sed inter abeundum, monitus à famulis, vt prophetæ parêret monitis, quæ nihil difficile complecterētur, obtemperat. & ſepties in Iordane merſus, mundatur: ac reuerſus, gratiis prophetæ actis, cōfitetur nō eſſe alium Deum præter Iſraeliticum, petens, vt muneris aliquid acciperet. Verùm illo recuſante, diſcedit.

*Giezis auaritia lepra punitur.*

Giezis autem eū perſequens: Propheta, inquit, me miſit, vt argenti talentum, & duas ſtolas acciperem, quæ det egentibus, qui illum modò cōuenerunt. Iis acceptis, Giezis ad Eliſæum redit. qui cum factum illius cognouiſſet, ei dixit: Quia pecuniam & veſtes à Neemane accepiſti, lepra illius tibi & ſemini tuo adhæreſcet. Sic ille leproſus exit.

*Securis recuperata è flumine.*

Prophetarū autē filiis ad Iordanem ligna cæſum profectis, vt ſibi tabernacula cōſtituerent, Eliſæo comitante: cuiuſdam: ſecuris elapſa capulo, in flumen decidit. Is prophetam vocat, & locum monſtrat vbi demerſum eſſet ferrum. At ille cum lignum iniecifſet, emerſit ferrum: ídque ſupernatans aquæ, recipit is qui amiſerat.

*Syrorū exercitus cæcitate percuſſus.*

Cum rex Syriæ Ioramum Iſraelitarum regem per inſidias captaret, Eliſæus miſſo nuncio eum monet vt caueat, nec venatū egrediatur. Paret ille. Ader fruſtratus inſidiis, ſuos proditionis ſuſpectos habere: illi affirmare, non ſe, ſed Eliſęum prophetam arcana regi nunciare. Mittit igitur exercitum Dothaim ad prophetam capiendum, à quo miniſter illius vrbem circundatam videns, perterritus rem prophetæ nunciat. At ille timere vetat, ac Deum orat, vt famulo demonſtret, quomodo ipſe diuinitùs cuſtodiatur. Quo impetrato, videt famulus prophetam curribus & equis igneis vallatū. qui denuò precatus, hoſtium oculos perſtrinxit, & ad eos egreſſus: Me ſequimini, inquit, & tradam vobis Eliſæum. Sequuntur illi, & oculis & animis occæcatis. Quos cum Samariam perduxiſſet, regē iubet eos ſuis copiis circundare: & Deum orat, vt caliginem illorum oculis amoueret. quo facto, Syri ſe in hoſtium medio verſari vident. Verùm Eliſæus neminem eos lædere patiebatur, ſed conſulebat, vt accepti hoſpitaliter, incolumes dimitterentur. Ioramus rex prophetæ monitis diligenter paret, illi diſcedunt: regi, quid acciderit, nunciant. Syrus audita re obſtupeſcit.

*Samariæ obſidio & fames.*

& pòſt, cum omnibus ſuis copiis Samariam obſidet, in qua tanta fames orta eſt, vt caput aſini L nummis argenteis væniret, & ſextarius columbini fimi, totidem. Cum autē rex Ioramus mœnia circumiret, inclamat eum muliercula, conſeruari ſe petens. quam ille cibum petere ſuſpicans, cum indignatione, Mihi neque area eſt, inquit, neque torcular, quomodo te conſeruem? Sed illa iudicium petere ſe dicente, cauſam agere iubet.

*Infantium deuoratio.*

Ibi mulier: Pepigi, inquit, cum vicina mea, vt filios noſtros mactemus, & alternis diebus, altera alteram alat. Nunc cum ego meum mactarim, illa non ſtat conuentis. His rex auditis, ingenti dolore affectus, & laceratis veſtibus ſuis prophetæ iraſcitur, quòd mala iſta precibus non



non auerteret, ac percuſſorem contra illum mittit. Sed Eliſæus cœtui diſcipulorum id prædixerat: Homicidę, inquit, fili⁹ miſit qui me perimat, ſed vos clauſis foribus, aditu percuſſorem prohibete, ſequetur enim rex, mutato conſilio: ſicque factum eſt. Nam Ioramus omiſſa priore cogitatione, properanter ad prophetam venit, expoſtulās, quòd ærumnarum depulſionem Deum non exoraret. At ille: Cras, inquit, duo ſata hordei ſiclo vendentur, & ſimilaginis ſatum tantidem. Tum quidam ex regis comitibus: Incredibilia, ait, propheta dicis. Cui ille: Quę pollicitus ſum, inquit, videbis: ſed ob incredulitatem, iis non fruêris.

*Syri ſtrepitu nocturno pauefacti, fugā capeſſunt.*

Ea igitur nocte ſonitum curruum, equorum & armorum, & multitudinis fremitum in Syrorum auribus excitauit Deus. Qui magnas auxiliares copias aduenifſe Ioramo rati, & contra ſe ire, caſtris relictis trepidè aufugiunt. Leproſi autem quatuor extra vrbem erant (nam iis habitare in vrbibus, lege interdictum eſt) qui fame penè enecti, caſtra Syrorum ingredi decreuerūt. Nam aut parcent nobis Syri (inquiunt) cibóque potiti viuemus, aut interfecti malis liberabimur. Veniunt diluculo ad caſtra Syrorum, vident neminem: vnum tabernaculum intrant, vacuum id hominibus deprehendunt, ex eo in aliud tranſeunt, illud etiam deſertum inueniunt: in plura progreſſi, cum in neminem incidiſſent, primum edunt & bibunt, Deinde aurum, argentum, veſtem ablata occultant: & ingreſſi vrbem, rem nunciant. Qua rex audita, Syrorum inſidias eas eſſe dicit, ſuos ab egreſſu deterret: ſpeculatores mittit, qui in itinere in neminem inciderunt, ſed caſtra plena veſtibus & vaſis repererunt. Tum rex caſtra populo diripienda dat: vnde tanta rerum neceſſarium copia extitit, vt duo ſata hordei ſiclo venirent, & ſatū ſimilaginis tantidem. Eſt autem ſatum ſemimedimnus Italicus. Eius vbertatis ſolus fructum non cœpit regis ille ſatelles, quēadmodum propheta dixerat, ob abrogatam verbis illius fidem. Nam multitudine populi ad portam confluente, obtritus eſt.

*Eliſæus Azaheli Syriæ regnum prædicit.*

Poſt hæc rex Damaſci ægrotauit. Eliſæus autem tum Damaſcum abiit: cuius aduentu æger audito, miſſo Azahe ex honoratioribus miniſtris, percontatur, an victurus eſſet, miſſis etiam muneribus multis. Reſpondet ille, paulo pòſt moriturum eſſe ægrotantem, ſed Azahelem vetat id illi dicere, & ipſe plorat. ploratus cauſam ſciſcitanti Azaheli, reſpondet, deplorare ſe mala, quæ ille Iſraelitis illaturus eſſet. Eum enim Syriæ regno potiturum. Azahel ad dominum ſuum reuerſus, nunciat, prophetam incolumitatem illi polliceri. poſtridie madido reticulo iniecto eum ſuffocat, ipſe regnum inuadit. At Ioramus rex Iudæorum (idem enim vtrique regi nomen erat) à Gotholia vxore, Achabi filia, ad impietatem deuolutus, & fratres ſuſtulit, & paternos miniſtros, & populum eandem ſequi coegit impietatem. Cui ita viuenti nūcium miſit propheta cladis imminentis & interitus vxorum & liberorum eius, ob impietatem, populíque vexationem.

*Ochozias IX Rex Iudææ.*

*Iorami VIII Iſraelitarū regis interitus.*

Neque multo pòſt, Arabes bello Iudæos afflixerūt, vno tantum Ochozia ex regiis filiis non interfecto, & Ioramus etiam, vt propheta prædixerat, ex morbi grauitate interiit, anno ætatis quadrageſimo, Regni octauo, Ochozia filio ſucceſſore relicto. Accidit autem, vt Ioramus alter Iſraelitarum rex, ſuſcepta contra Syros expeditione vulneratus, Iehu Amaſis filio apud exercitum cum imperio relicto, ad curandum ictum abiret. Sed Eliſæus quendam ex diſcipulis ad Iehum regem inungēdum mittit, vt delectum à Deo.

*Iehus Eliſæi iuſſu rex Iſraelitarum vngitur IX.*

Qui Iehu ſeducto, vt arcani aliquid communicaturus, & conclaue ingreſſus, caput eius oleo perfundens, eum diuinitus creari regem ait, ad Achabi genus delendum. & his dictis, ſubitò è conclaui ſe proripit. Percontantibus autem ſuis, quid ab illo vocatus eſſet, qui quidem furentis geſtū præ ſe ferret: Rectè, inquit, iudicatis, nam verba furore plena mihi nunciauit. Dixit enim, me diuinitùs creatum eſſe regem. quibus populus auditis, Iehū tubis inflatis regem ſalutat. Quo facto, ille delectis equitibus aſſumptis, ad Ioramum ſubitò opprimendum proficiſcitur.

*Iehus Ochoziam, Ioramū, & omnem Achabicam familiā euertit.*

Cum autem ſpeculator Ioramo dixiſſet, aduentare equites, mittit quendam qui roget quid velint. eum Iehus, nullo dato reſponſo, ſe iuſſit ſequi Miſſo & altero, nec reuerſo: Ioramus ipſe curru conſcenſo cum Ochozia ſororis ſuæ filio, qui viſendi eius gratià venerat, Ieho in agro Nabuthis occurrit, rogans, vt ſe haberet exercitus? Qui cum maledictis eum inſectaretur, Ioramus territus fugam capeſſit. Tum Iehus intento arcu eum ferit, vt curru delapſus moreretur. Sic in Nabuthis agrum eſt proiectus, quemadmodum Elias Achabo prædixerat. Ochoziam item fugientem ſagitta icit Iehus, ex quo vulnereis quoque paulo pòſt eſt mortuus, cum vnum regnaſſet annum. Iezabel autem de turri proſpectans, exquiſitè culta, vt gratioſior eſſet: Bonus, inquit, ſeruus qui dominum ſuum ſuſtulit. Iehus autem eunuchis mandat, vt eam ſupernè præcipitarent, è quo caſu cruentatis parietibus illa periit. Quam cum Iehus ob genus regium ſepeliri iuberet, miniſtri præter oſſa nihil repererunt. Canes enim eam dilacerarant, vt Elias prædixerat.

*Achabi 70. filij à Iehu interfecti.*

Erant Achabo Samariæ L X X filij. Iehus igitur magiſtratibus Samaritanis & puerorum educatoribus ſcribit, ſignificans, vt præſtantiſſimum illorum regem crearent. Id autem tentandi gratià faciebat. Illi reſcribunt, eum eſſe ſuum dominum. Reſcribit igitur Iehus, ſi ſe ſeruos ſuos eſſe faterentur, capita omnium filiorum Achabi allaturos. Exequuntur illi iuſſa. rex capita ante portam vrbis duobus poni locis iubet, eóque facto progreſſus: Ego, inquit, regem ſuſtuli: iſti ſecundum prophetæ prædictionem perierunt. & omnes Achabi cognotos conquiſitos necat. Samariam autem proficiſcentem Iehum, Ionadabus obuiam egreſſus, collaudat ob extirpatam Achabi familiā.

*Baalis ſacerdotum cædes.*

Ne quis autem pſeudoprophetarum, & Baalis ſacerdotum latêret: Iehus ſe magnificè facturum eſſe rem diuinam denunciat, ſacerdotes & prophetas omnes adeſſe iubet, mortem ei comminatus, qui non veniſſet. Cum conueniſſent, veſtes eit dat: & vnà templum Baalis ingreſſus, edicit, ne quis alius iis admiſceretur. qui cum neminem alium adeſſe dixiſſent, militibus qui foris aſtabant, mandat, vt omnes illos occiderent, & templum incenderent, & ipſam ſtatuam. cæterùm aureos vitulos non ſuſtulit. Promiſit autem ei Deus, cum Achabi do-

** Hæc athalia in Bibliis nominatur nec erat vxor ſed mater Ochoziæ.*

*Ioas x rex Hieroſolimorum.*

mum excidiſſet, regnū penes filios eius ad quartum vſque genus permãſurū. Sic Achabi familia extirpata eſt. At filia eius * Gotholia poſt obitū Ochoziæ mariti potita regno, Dauidis & ipſa genus extirpare contendit, vnóque excepto interfecit omnes. Nam Ioſabe Ochoſiæ ſoror, cū filij fratris occiderentur, vnum infantem nomine Ioam ſuffurata, clàm ad ſexennium aluit. Anno autem ſeptimo Iodaes pontifex, cui Ioſabe nupta erat, quibuſdam centurionibus aduocatis Ioam monſtrat, ſermonéque habito perſuadet, vt à Gotholia deſciſcentes, regnum Ioæ paternum reſtituerent. Illi ea pactione iureiurando firmata, ſacerdotes, Leuitas & tribunos ad Iodaē conuocant. Ille, Ioa monſtrato: Hic, inquit, rex veſter eſt, ex ſemine Dauidico. populóq; circum templum collocato, Ioam in medio ſtatuit, diademate cingit, vnctionis oleo perfundit, regem declarat, populo lætis vocibus acclamante. Gotholia clamore audito, trepidans regia erumpit, ſequente exercitu. Templum ingreſſam ſacerdotes admittunt, ſed ſatellites eius multitudo aditu prohibuit. Illa puerum coronatum conſpicata, necem comminatur iis qui regnum ſuum inuaſiſſent. Iodaes autem centurionibus mandat, vt Gotholiam foras protractam trucident. quo facto, regē & populū iureiurando adigit, vt Deum venerentur, & leges ſeruent. Statim igitur Baalis ædem demoliti ſunt, eiúſque ſimulacra comminuerunt, ſacerdote interfecto. Regémque ſeptēnem tum in regiam introducunt. Iodaes magnū habuit ſtudium, vt fides erga Deum & patriæ leges ſeruarentur. Rex cum adoleuiſſet, duas vxores duxit: & partes templi quaſdam à Gotholia dirutas inſtauraturus, Iodae accerſito, mandat, vt per totam prouinciam dimitteret, qui ad templum renouandum in ſingula capita ſicli ſemiſſem exigerent. Iodaes verò, qui id populo fore graue intelligeret, aliam cogendæ pecuniæ rationem excogitat. Ciſtulam vndique clauſam, quæ ſupernè foramen habebat, iuxta templum collocat, in quam quantum quiſque vellet, ad templi inſtaurationem coniiceret. Quia igitur collatio illa cuiuſque voluntati libera relinquebatur, nec grauatim contulere, & liberalitate inter ſeſe certauerunt. Itaque multum auri & plurimū argenti eſt collectum. Vnde & templum refectum, & vaſa multa ad ſacrificia ſunt parata: quæ quidem, quoad vixit Iodaes, Deo certatim offerebantur. Illo autem, anno triceſimo & centeſimo ætatis iuſtè legitiméque actæ defuncto, rex Ioas circa Dei cultum factus eſt negligentior, vnà cum illo tribunis cæteríſque magiſtratibus corruptis, neque ab impietate receſſerūt, quamuis à prophetis admoniti. Cum autem Zacharias propheta Iodaæ pontificis filius regem & populum moneret, vt ex legibus viuerent: Ioas iratus, eum lapidari iuſſit. Qui cum occideretur, Deum iudicem inuocauit, quòd ab eo vita priuaretur, qui patris ſui beneficio viueret. Neque diu dilatum eſt illud iudicium. Nam cum Syriæ rex Aſahel Hieroſolyma obſidione cinxiſſet, ille omnes & diuinos & regios theſauros, templíque donaria ei dedit: qui pecuniæ magnitudine delectatus, obſidionem ſoluit. Idem Syrus Iſraelitas etiam grauiter afflixit. Nam & Iehus eorum rex diuina præcepta violarat, anno regni v i i & x x defunctus. Ei ſucceſſit filius Ioachazus, quo regnante Syrus regioni cladem intulit, multis vrbibus, occupatis, & eius exercitu cæſo. Ioachazus verò precatus Deum, ſalutem impetrauit, & mitigationem calamitatum, mortuus anno regni x v i i filio Ioa relicto ſucceſſore Iudaicæ tribus regi cognomine. Hic patri diſſimilis extitit, & vir bonus. Nam Eliſæum ex morbo morientem luxit, patrem vocitans, & præſidiū, vt cuius ope victoria potiretur. At propheta eum conſolatur, arcúque ſumpto ſagittas eiaculari iubet. Qui cū ter eiaculatus deſiiſſet, dixit propheta: Si plures ſagittas emiſiſſet, Syrorum imperiū fuiſſe funditus euerſurum: nunc victorias ſagittis numero pares adepturum, & agros ſuo regno ademptos recuperaturum. His dictis propheta extinctus, magnificè ſepelitur. Sed latrones cum quendam interfectum in prophetæ ſepulchrum coniecissent, reuixit occiſus, & reſurrexit. Obiit & Azahel Syriæ rex, Adere filio relicto ſucceſſore: cum quo rex Iſraelitarum congreſſus, & ter victoria potitus, recuperauit Iſraelitarum prouincias & vrbes, quas eis Azahel Aderis pater ademerat. Ioas autem Iudæorum rex declaratus ſeptennis, anno Imperij x l deceſſit, à famulis ſuis occiſus: cuius filius Ameſias Hieroſolymitano imperio potitus eſt, vir pius, anno ætatis x x v, eóque functus x x i x. Patris ſui percuſſores ſupplicio effecit, eorum liberos indemnes dimiſit, ſecundum legem, cuius hæc verba ſunt: "Non morientur patres pro filiis, neque etiã filij pro patribus." Idem expeditione contra Idumæos & Amalechitas ſuſcepta, ſocios ex Iſraelitis ſtipendio conduxit. Sed cum prophetæ cuiuſdam monitu, Iſraelitis, condonato ſtipendio, dimiſſis, cum ſuis duntaxat popularibus adminiſtrato bello, barbaros ſuperaſſet, ſocij ob miſſionem irati, & agros Iudæorum incurſarunt, & multos occiderunt. Ameſias porrò ſucceſſu elatus, religionéque violata, ad Ioam Iſraelitarum regem miſſitauit, poſtulans, vt ad ſe veniret, cui deberet obedientiam, quippe à Dauide Salomone prognato. Ille reſpondet ad hunc modum: Rubus à Cedro petebat, vt ipſorum liberi affinitate iungerentur: ſed interea rubus à feris conculcatus periit. hoc tibi pro exemplo ſit ſatis, neque efferaris ob feliciter cæſos barbaros, neque populum tuū ac teipſum in pericula conieceris. Ob hæc iratus Ameſias, Ioæ bellū infert. Sed exercitus eius metu cōſternatus, in fugam vertitur. ipſe à ſuis deſtitutus, capitur ab hoſtibus, ad Ioam adducitur: quem ille vinctum ducens, Hieroſolyma venit, partem muri diruit, ea curru inuehitur: ſacros theſauros, & quicquid in regia repoſitum erat, aufert. ſolutóque Ameſia Samariam reuerſus, x v i regni anno moritur, relicto ſucceſſore filio Ieroboamo. Ameſias autem poſt hæc per inſidias occiditur, anno ætatis l i i i i, regni x x x i x. Oſias filius eius rex inungitur annos x v i natus. Ieroboamus autem Ioæ filius quamuis eſſet impius, & legis contemptor: tamen, Deo Iſraelitici populi ſubmiſſe ſe gerentis miſerto victoriam contra Syros eſt adeptus, à Iona propheta prædictam: quem Deus Niniuen miſit, vrbis excidiū & populi interitum annunciaturū. Ille verò non abit,

*Gotholiæ et Baaliticæ religionis interitus.*

*Templi inſtauratio.*

*Ioas Zachariam lapidari iubet.*

*Iehus obitus.*

*Ioachazus x rex Iſraelitarum.*

*Ioachaſi mors.*

*Ioas. x i rex Iſraelitarū.*

*Heliſæi obitus & miraculum.*

*Ioas Syros vincit.*

*Ioæ Iudæi interitus.*

*Ameſias x i rex Hieroſolymorum.*

*Ameſias temerè laceſſito Ioa vincitur & capitur.*

*Ioæ obitus.*

*Ieroboamus x i i rex Iſraelitarum.*

*Ameſiæ interitus.*

*Oſias x i i rex Hieroſolymitanus.*

*Ionas propheta.*

ſed



ſed conſcenſa naui fugit. Orta autem tēpeſtate, vectoribus ſortem iacientibus ad cognoſcēdum cauſam illius, ſors in Ionam cecidit: qui rogatus quis eſſet, negocium ſuum exponit, ſéque in mare abiici iubet, neque enim aliter periculum euaſuros. Eo abiecto, tempeſtas ſedata eſt: ſed cetus prophetam deglutit, eúmque poſt tres dies & totidem noctes, viuentem & incolumē euomit. qui petita à Deo contumaciæ venia, denuò mittitur cum eodem mandato. Profectus igitur Niniuē, poſt triduum vrbem euerſum iri prædicat. Sed rex vrbis & populus vniuerſus fide prophetæ adhibita, acta pœnitentia, Deo ſupplicarunt, vt ſui miſereretur, quibus precibus lenitus Deus, excidium ab eis auertit. Ieroboamus autem cum annos x l i regnaſſet, moritur, ac poſt eum potitur imperio Azarias filius eius. Oſias autem rex Hieroſolymorum, quia pius erga Deum & iuſtus erga ſubditos erat, multos barbarorum vicit, ac tributarios reddidit. Sed rebus ſecundis elatus, ab officio deceſſit. Nam ritu ſacerdotis ornatus, in aureo altari ſuffire aggreſſus eſt. à qua audacia pontifici Azariæ & ſacerdotibus deterrentibus, ac monentibus, ne legem violaret, mortem comminatus eſt, niſi quieſcerent. Interea quiddam luminis inſtar in æde effulſit, & in regis faciem illapſum, effecit vt in ea lepra effloreſceret. Eam calamitatem indicant ſacerdotes, ſuadentes vt vrbe exiret: in quo ſtatu cum aliquandiu vixiſſet, præ mœrore obiit, anno regni l i i, ætatis l x v i i i, tradito imperio Ioathamo filio. Azarias autem Ieroboami filius ſexto regni menſe, vita impiè acta dolo occiſus eſt, à Selumo, quem & ipſum Manaimus cum x x x diebus imperaſſet occidit, regno Iſraelitico occupato, & Phuã Aſſyriorum regem bellum inferentem, datis, mille talentis, quæ à populo collegerat, placauit, & cum annos x impiè crudelitérque imperaſſet Manaimus, occiſus eſt, regno in filium Phaceſiam tranſlato: qui patris ingenium & mores referens, à Phacea Romeliæ filio occiditur, qui cū interfecto ſucceſſiſſet, atque imperium impiè ac nefariè adminiſtraret: Theglapharaſar Aſſyriorum rex Iſraeliticam regionem aggreſſus, cùm multas vrbes euertit, tum captiuos ſecum abduxit penè innumerabiles. Ioathamus autem Hieroſolymorum rex, vir pius & iuſtus, & vrbis & templi curã geſſit, & Ammanitas prælio victor tributarios reddidit. Excidium Iſraelitarum ab Aſſyriis, Nahumus propheta prædixerat, cuius verba ad rem collata ſunt, poſt annos c & x v. Ioathamus obiit anno ætatis x l i, regni x v i, imperio in filium eius Achazum tranſlato, qui impius in Deū, legibus eius violatis, ſimulachra adorauit, & altaria eis ſtruxit, & filium ſuum adoleuit. Hunc Raaſon Syriæ dux, & Phaceas rex Iſraelitarum inita conſpiratione diu Hieroſolymis obſederūt. Ac Raaſon quidem aliis vrbibus potitus, ciuibus abductis, & Syris in eas collocatis, Damaſcum rediit. Achazus autem cum ſolo Phacea congreſſus, vincitur, c x x millibus amiſſis, atque inter eos multis viris illuſtribus & filio. Phaceas exercitum in Samariam reducit, & magnum captiuorum numerum. Sed propheta quidam Samaritanus ante mœnia progreſſus, eis perſuadet, vt captiuos, quòd cognati ſint, miſſos faciant atque ita liberantur. Aſſyriorum autem rex ab Achazo contra Syros & Iſraelitas in auxilium euocatus, & Syriam vaſtat, Raaſone cæſo, & in Iſraelitarum regionem incurſionibus factis, plurimos captiuos abducit. Theglaphalaſarem Achazus remuneratus eſt, datis theſauris regiis, & quicquid in templo repoſitum erat: eò progreſſus impietatis, vt non tantū alienos deos coleret, ſed & templum clauderet, & donariis ſpoliaret. Obiit vita ſic acta, anno ætatis x x x v i, regni x v i. relicto regno Ezechiæ filio. quo tempore Iſraelitarum quoque rex inſidiis Oſeæ periit, qui cum & ipſe improbus eſſet, à Salmanaſſare Aſſyriorum rege ſubactus, annua tributa penſitare coactus fuerat. Ezechias autem vir pius & iuſtus, concione aduocata, ſacerdotes & Leuitas templum aperire iuſſit, & de more ſacra facere, populúmque diuino cultu nihil habere antiquius. Miſit etiam qui ex toto regno homines conuocarent ad feſtum Azymorum celebrandū, longo tempore ob regum iniquitatem intermiſſum. Iſraelitas etiam cohortatus, vt patrium Deum pro veteri conſuetudine venerarentur. Qui adeò non obtemperauere, vt & prophetas, à quibus monebantur, occiderent. Nonnulli tamen ad veram religionem reuerſi, Hyeroſolyma ad Deum adorandum accurrerunt. Rex cum populi principibus templum ingreſſus, hoſtias magnificas per ſacerdotes immolauit, & populo multas pecudes in viſcerationem dedit, & ſacerdotibus mandauit, vt regionem paſſim piacularibus ſacrificiis luſtrarēt. Deinde Barbaros aggreſſus, vrbes eorum cæpit. Oſeas autē cum Sobam Ægypti regem contra Aſſyrios ad belli ſocietatē euocaſſet, Salmanaſar ea re comperta, iratus, Samariam per triennium obſedit, vrbe potitus regnum deleuit, populum vnà cum rege Oſea in ſuam prouinciam captiuum abduxit, & alias ſuæ ditionis gētes, quæ à loco quodã Chuto cognomen habēt, Samariã & in regionem circūiacentem traduxit. Decem igitur Iſraeliticæ tribus, annis d c c c c l v i i, poſt exitū ex Ægypto: c c x l, menſibus ſeptem, poſtquam relicto Roboamo, Hieroboamum peculiarem ſibi regem elegerãt, tranſlatæ ſunt. Cæterùm Chutæorum quinque populi à Perſiæ loco, in quo concederant, ita cognominati, Samaria occupata, ſuos priſtinos deos, vt ſoliti fuerant, coluerunt. Deus autem vt quartus liber Regum docet, leones excitauit, à quibus eorum multi perierunt, aut (vt Ioſephus narrat (peſtilentia conflictantes, cum ira numinis ſe premi intellexiſſent, regem ſuum orarunt, vt Iſraelitici generis ſacerdotes ſibi mitteret, à quibus Hebræorum religionem edocerentur. Quo facto, lues illa graſſari deſiit. Ab Hebræis Chutæi appellantur, à Græcis Samaritani. Anno Ezechiæ regis Hieroſolymitani decimoquarto, Senacherib rex Aſſyriorum Iudæam inuaſit: qui cum omnia oppida duarum tribuum cæpiſſet, Ezechias Hieroſolymis metuens, legatos ad eum mittit, ſe tributū ei penſitaturum pollicens, quod iuſſiſſet. Sennacherib autem argēti talenta c c c, auri x x poſtulauit: & ſacramento interpoſito, iis acceptis ſe diſceſſurū pollicetur. Quibus appenſis, ipſe quidem contra Ægyptum & Æthiopes proficiſcitur, Rabſacem autem Im-

*Ieroboami obitus.*

*Azarias x i i i Iſraelitarū rex.*

*Oſias leproſus moritur.*

*Ioathamus x i i i rex Hieroſolymorum.*

*Azariæ obitus.*

*Selumus x i i i i, & Manaimus x v, reges Iſraelitarū.*

*Phaceſia x v i, & Phaceas x v i i reges Iſraelitarū*

*Theglapharaſar Iſraelitas abducit.*

*Nahumus.*

*Iothami obitus.*

*Achazus x i i i i rex Hieroſolymitanus.*

*Raaſon.*

*Phaceas.*

*Theglaphalaſar Achazo fert auxilium.*

*Achazij obitus.*

*Ezechias x v rex Hieroſolymitanus.*

*Oſeas x v i i i rex Iſraelitarum.*

*Religiones inſtauratio.*

*Iſraelitæ Samaria capta in ſeruitutē à Salmanaſare abducūtur.*

*Chutæi Samariam occupant.*

*Senacheribus Hieroſolyma obſidet.*

*Rabſaces.*

peratorem cum aliis duobus ducibus & magno exercitu ad vaſtanda Hieroſolyma relinquit. Qui aggeribus ante mœnia excitatis, ad colloquium euocāt Ezechiam. Verùm is ſe committere illis non auſus, tres ex honoratis miniſtris ſuis ad illos miſit. Tum illi: Si Ægyptiis, inquiūt, Ezechias fretus eſt, delirat non minus, quàm qui confracto arundineo baculo innititur, à quo nec à lapſu defenditur, & manu vulneratur. Talis eſt Pharao Ægyptius. Hæc Rapſaces Hebraicè cum legatis colloquebatur. qui cum rogarēt, vt Aſſyrio ſermone vteretur, ne populus ea quæ dicerentur intelligeret: ille magis etiā ſublata voce, vt ab omnib' exaudiri poſſet, rurſus Hebraicè dixit: Ne ſeducat vos Ezechias, dicēs, Dominus nos liberabit. nunquid Samariā liberauit? His Ezechias renunciatis veſtes ſuas lacerauit, & ſacco indutus, & humi ſtratus, in rebus deſperatis opē diuinā implorat, & ad prophetā Eſaiā mittit, obteſtans, vt Dei pacem exoret populo.

*Eſaias opem diuinam pollicetur Ezechiæ.*

Prædicit ille, hoſtes citra dimicationem ſuperatum iri: & Senacheribum re infecta ex Ægypto reuerſum, occubiturum. Scripſit & Senacheribus ad Ezechiam, in hanc ſententiam: Ne extollat te Deus, quo fretus es, quo minus Hieroſolyma capturum eſſe me exiſtimes: ſed illud potius cum animo tuo reputa, vbi ſint reges gentium, quos maiores mei confecerūt.

*Senacheribi literæ.*

Eam epiſtolam Ezechias lectam in templo repoſuit, & ſupplicauit Deo: Vide, inquit, Domine, & audi verba Senacheribi, quæ ad me ſcripſit in tuam contumeliam, viuētis Dei, & eripe nos è manu eius. Eſaias confirmat regem, aſſerens, Deum exaudiſſe preces eius: eáque nocte cæſa ſunt ab angelo in caſtris Aſſyriorum c & L X X X V millia, quorum cadauera poſtridie inuenta ſunt. Exercitus reliquiæ Hieroſolymis diſceſſerunt.

*Aſſyrij diuinitus caſi.*

Coactus eſt & Senacheribus obſidionem Peluſij ſoluere, cum mures vna nocte arcus, cæteráque Aſſyriorum arma corroſiſſent. Hoc in libris Regum ſcriptum non reperitur, ſed Ioſephus ab Herodoto mutuatus refert: & Beroſum Chaldaicarum rerum ſcriptorem narrare ait, Senacheribum ab Ægyptiaco bello redeuntem, exercitum Rhapſacis Hieroſolymis reperiſſe: ac peſtilēti morbo diuinitùs in Aſſyrios immiſſo, C L X X X V millia vna nocte periiſſe, cū ducibus & centurionibus.

*Mures Peluſiaci.*

*Senacheribi interitus.*

Qua clade perterritum, & iis qui ſupererant metuentem, cum reliquiis Niniuen profectum: & paulo pòſt inſidiis maiorum filiorum ſublatum eſſe, percuſſoribus fuga elapſis, & Nachordane filio eius regnū adepto. Ezechias adempto metu gratias agit Deo. Verùm nō multo pòſt eū ęgrotantem Dei iuſſu conuenit Eſaias, ac teſtamentū facere iubet, neque enim victurum eſſe. At illi & expectatio mortis, & orbitas liberorū, qui in regno ſuccederent, exaggerebant malū. Itaque anxius flebiliter orat Deum, vt vita ſibi prorogetur. Cui, reuerſus Eſaias, poſt triduum ſanitatem pollicetur, & additamentum X V annorum vitæ. At ille miraculū quod veri fidē excedebat reputās, ſignum poſtulat in cōfirmationem pollicitationum. Quo prophetæ precibus impetrato, vmbra ſolarij iam decem verſus occaſum progreſſa, partes, totidem verſus ortū regreſſa eſt.

*Ezechiæ vita prorogatur.*

Ezechia morbo iam liberato, rex Babyloniorum Baladas legatos cum muneribus ad eum mittit, ſocietatem eius & amicitiam expetens. At ille, theſauros & arma, omnémque regiā magnificentiam legatis monſtrat, eóſque cum muneribus ad Babyloniū remittit. Tum Eſaias Ezechiæ ait: Tēpus erit, cum diuitiæ quas ſpectandas exhibuiſti, Babylonem transferentur, & filij tui regis Babylonij eunuchi erunt.

*Babylonij regis ſocietas fraudi futura Iudæis.*

Ezechias, qui verbum Domini non irritū eſſe poſſe ſciret: Pax, inquit, eſto mea ętate. & adiecto ſibi tempore pacatè exacto, moritur anno vitæ quinquageſimo quarto, regni nono & vigeſimo. Manaſſes autē filius eius, ſuſcepto regno, nullum flagitij & impietatis genus prætermiſit. Nam & templū polluit, ac ne à prophetis quidem occidendis ſibi temperauit.

*Ezechiæ obitus.*

*Manaſſes rex Hieroſolymorum XVI.*

Quamobrem iratus Deus Babyloniorum exercitum contra Iudæam exciuit, qui & prouinciam vaſtauit, & Manaſſem cæpit. Qui ſe calamitatis eſſe cauſam intelligens, ad pœnitentiā deflexus, Deum orat, vt ærumnas depellat. ita voti cōpos factus, & vinculis ſoluitur: & in regnum reſtitutus, cùm ipſe religionem colit, tum populo autor eſt vt idem faciat. & exemplum pietatis factus, obit anno regni quinquageſimo quinto, ætatis ſexageſimo ſeptimo, regno ad filium eius Amoſum deuoluto.

*Manaſſis pœnitentia.*

qui adoleſcentiæ paternæ imitator, anno ætatis vigeſimoquarto, regni ſecundo per inſidias occiditur. de cuius percuſſoribus ſupplicio ſumpto populus filium eius Ioſiam annos octo natum regem appellat.

*Manaſſis obitus.*

*Amoſus XVII rex Hieroſolymorum.*

*Amoſi interitus.*

*Ioſias XVIII rex Hieroſolymorum.*

Is pius fuit, & populum ad Dei cultum cohortatus, ſuſceptáque templi refectione, monuit eos qui aderant, vt ſuo quiſque arbitratu ad opus aliquid cōferret. Eo pacto pecunia coacta, & templum inſtauratum eſt: & quæ ſuperfuerat, in crateres, calices, & phialas collata, Helcia pontifice adminiſtratore. qui dum pecuniam ex ærario depromit, ſacros libros Moſis temerè illuc coniectos, inuenit, ac per ſcribā regi mittit. Qui lectis illis, veſtes ſuas lacerat, & Chelciam ſacerdotem cum aliis ad Oldam fatidicam mulierem Selumi vxorem mittit, petens, vt Deum placet

*Sacri libri reperti.*

*Olda vates.*

Illa reſpondet, Numen iam ſuffragium tuliſſe contra regionem, & populum violatæ religionis "reum, tamen ob regis iuſtitiam clades non eſſe "nunc immiſſurum: ſed amoto illo, tum demum "ſententiam latam executurum. Rex his auditis, "populum Hieroſolyma conuocat, & ſacros li"bros audientibus omnibus recitandos curat. Deinde iureiurando obſtringit omnes, vt leges ſeruent, & numen colant. Quare populus ſacrificiis placat Deum. Poſt hæc ſimulacrorum donaria incendit, eorum ſacerdotes occidit, & pſeudoprophetarum oſſa in ea ara cremat, quam Hieroboamus extruxerat: quemadmodum propheta ille ei immolanti prædixerat, fore Ioſiam quendam è poſteritate Dauidica, qui illa facturus eſſet. idque factum poſt annos trecentos ſexaginta vnum. idem etiam Iſraelitas, qui captiuitatem effugerant, monuit, vt patrium Deum colerent, & leges obſeruarent: & ſublatis ex omni prouincia ſimulacris, populóque Hieroſolyma congregato, Azymorum feſtum, quod Paſcha vocant, celebrauit. ac vita trāquilla acta, tandem ſagitta ictus obiit. Nam rex Ægyptiorum Nechaus, bellum Medis illaturus, cum tranſitu per Iudæam à Ioſia prohiberetur,

*Ioſias ſuperſtitionibus infeſtus.*

*Ioſiæ interitus.*

*Nechaus Ægyptius.*

quanuis



quamuis ſine maleficio trāſiturum promitteret, pugnam inſtruit: & Ioſia, dum aciem ordinaret, ſagitta icto, bellū ſoluit. rex Hieroſolyma reuerſus decedit, anno regni X X X I, quod annos octo natus ſuſceperat. Sub hoc fuit propheta Hieremias, qui cladē Hieroſolymis imminentem vaticinatus, fore prædixit, vt ab Aſſyriis caperentur. Neque hic ſolum, ſed & Ezechiel primus his de rebus duos libros reliquit, vterque ex tribu ſacerdotali.

*Hieremias propheta.*

*Ezechiel propheta.*

Ioſia defuncto, Ioachaſus filius eius annos XXIII natus, regnare incipit, homo impius, quem Ægypti rex à bello reuerſus, in vincula cōiecit, ac regnum ſeniori fratri Eliacimo dedit, mutato eius nomine in Ioachimum: imperatóq; regioni C argenti, & vnius auri talentum tributo, Ioachaſum in Ægyptum abduxit, vbi & mortuus eſt. Tempus regni eius fuere I I I mēſes & X dies.

*Ioachaſus XVIIII rex Hieroſolymorum.*

*Eliacimus ſeu Ioachimus X X rex Hieroſolymorum.*

*Ioachaſi obitus.*

Ioachimus autem vir impius & facinoroſus, cum quartum iam annum imperaret, Nabuchodonoſor Babylonium imperium ſuſcipit, Nechaum Ægyptium victum magna parte prouinciæ mulctat: anno Ioachimi octauo cum magnis copiis Iudæam ingreſſus, ita hominem perterrefacit, vt ſuam regionem Babylonio tributariam redderet, ac tributa per triennium ſoluit: pòſt cum audiſſet Ægyptios rebellantes Babylonium inuaſuros, ea inhibuit: quamuis Hieremias propheta prædixiſſet, fore vt Babylonius & vrbem caperet, & Ioachimum tolleret: neque prædixiſſet ſolum, ſed etiam ſcripſiſſet, ſcripturámque populo audiente recitaſſet, quam duces regi obtulerunt: ille verò iratus exuſſit, prophetam & Baruchum ſcribam eius ad ſupplicium quærens. Sed illi fuga iram eius declinarunt.

*Nabuchodonoſor graſſatur in Ægypto & Iudæa.*

Neque multò pòſt bellum infert Babylonius, & à Ioachimo ocioſe in vrbem admiſſus, & ciuium optimum quemque, & ipſum regem occidit, & tria millia formoſiſſimorum captiua abducit, inter quos & propheta Ezechiel fuit, puer adhuc. Filiū autem regis interfecti, qui & ipſe Ioachimus vocabatur, Iudæorum regem appellat. Hic finis Ioachimi fuit, cū vixiſſet annos triginta ſex, imperaſſet vndecim.

*Ioachimi interitus.*

*Ioachimus II rex Hieroſolymorū XXI.*

At Babylonius veritus ne filius paternæ cædis memor, deſciſceret, miſſis copiis eum obſedit. qui cum vrbem ſua cauſa periclitari nollet, ſe cum neceſſariis eo pacto illi dedit, vt nec vrbem nec ipſos violaret: quo non ſtetit hoſtis: ſed omnem pubem ciuitatis, & artifices ad ſe perduci iuſſit, quorum numerus inuentus eſt ad X mille, D C C C & X X X I I. Ioachimum cum matre & amicis in cuſtodia habuit: regno Hieroſolymitano Sedechiæ Ioachimi patruo tradito, quem iureiurando adegerat, ne ſtuderet Ægyptiis, ſed prouinciam ipſi conſeruaret.

*Sedechias X X I I rex Hieroſolymorum.*

Is verò principatum adeptus, adoleſcens natus annos I & X X, faſtu elatus, æquitatis & officij nulla ratione habita, Hieremiæ ab impietate & iniuriis dehortanti neque paruit, neque credidit eas ſibi & populo clades imminere, quas & Ezechiel Babylone prædicens, literis mandatas Hieroſolyma miſerat. Neutri autem ex prophetis fidem adhibuit Sedechias, fortaſſis ob diſſenſionem. nam cæteris quidem congruebant, de Sedechia autem videbantur diſcrepare, cum Ezechiel eum Babilonem non viſurum prædixiſſet, Hieremias captiuum abductum iri Babylonem vaticinaretur. Sed & illa inter ſe conſentiebant. Nam cæcatus in Iudæa, & captiuus abductus, Babylonem non vidit.

*Hieremiæ Ezechiæ & lis oracula in ſpeciem pugnantia.*

Hic Sedechias Babyloniis per octo annos ſeruata fide, ad Ægyptios inclinauit. Qua de cauſa Nabuchodonoſor Hieroſolyma obſedit, profligatis prius Ægyptiis, qui Iudæis ſuppetias veniębant. quos dum perſequeretur, negabant pſeudoprophetæ hoſtes vrbem porrò obſeſſuros. Hieremias contrà, & redituros, & capturos vrbem, & euerſuros affirmabat, & templum incenſuros, & populi reliquias in captiuitatem abducturos, vbi ſeruiturus eſſet annos L X X, donec Perſæ & Medi Babyloniorum imperium deſtruxiſſent: ac tum demum captiuos dimiſſum iri, & templum atque vrbem inſtauraturos. Hieremiā hæc aſſeuerantem, rex & aulici proceres ſubſannabant. qui cum aliquando in patriam Anathotam iret, in via à principe quodam pro transfuga comprehenſus, ad magiſtratus adducitur, à quibus excruciatus, ad ſupplicium aſſeruabatur.

*Hieremias cōprehenſus, & excarnificatus, deditionem ſuadet.*

Anno regni Sedechiæ nono, ſecundum aggreditur Hieroſolyma Babylonius. cúmque vrbem mēſes X V I I I obſidione preſſiſſet, ad hoſtilem metum fames & peſtis acceſſit. Tum Hieremias in carcere multitudinem adhortatur, vt Babylonium recipiant. Sic fore incolumes: alioqui vel fame vel gladio perituros, qui autem ad hoſtes trāſiſſet, mortem vitaturū. Cæterùm prophetæ fidem habebat nemo, duces etiam regem contra eum inſtigabant. qui tempori ſeruiens, eum illis tradit, vt ſuo arbitratu tractent. quem illi in lacum cœnoſum coniecerunt. Vnde Sedechias extractum, & clàm accerſitum interrogat, quid de vrgentibus malis ſentiret? Propheta vrbem Babylonio dedendam cenſet, regémque metum exitij cauſantem confirmat, ſi obtemperaſſet, nihil ei graue euenturum. itáque dimittitur. At Babylonius magna vi vrbem adortus, vndecimo regni Sedechiæ anno capit.

*Hieroſolymorum excidium.*

Sedechias ex vrbe fugiens, ab hoſtibus cum liberis & vxoribus capitur: à ſuis ducibus & amicis, aliis alio dilapſis, deſtitutus: Babylonius ad ſe perducto, ingratum animum & perfidiam exprobrat, liberos atque amicos in eius conſpectu iugulari iubet, ipſum effoſſis oculis vinctum Babylonem abducit. Tum demum ſenſit, vtrunque prophetam fuiſſe veracem. Hic poſtremus fuit familiæ Dauidicæ regum, qui numero vigintivnus fuerant vniuerſi: elapſis, ex quo Saul regnum inierat, annis quingentis & quatuordecim, menſibus ſex, diebus ſexdecim. Nabuzardan Nabuchodonoſoris magiſter equitum, iuſſu regis & templum & regiam incendit, & vrbem euertit, omni ornatu templi ſpoliato.

*Nabuzardan.*

Crematum eſt templum anno quadringenteſimoſeptuageſimo, menſe ſexto, die decimo pòſt quàm conditum fuerat: poſt Iſraelitarum migrationem ex Ægypto annis milleſexagintaduobus, menſibus ſex, diebus X. à diluuio, annis M D C C C C, menſibus ſex, diebus decem, à primo homine condito in eum vſque diem annis III. MDXIII, menſibus V I, & diebus X. Nabuzardā Hieroſolymis euerſis, & populum & pontificem Sabæum, & ſacra vaſa Babylonem transfert, ea Nabuchodonoſor ſuis diis dedicat, captiuis in ſua regione ſedes at-

*Chronologia Iudaici imperij.*

tribuit. Qui in obſidione vrbis ad Babylonios transfugerant pauperes, Nabuzardam in Iudæa relinquit, præpoſito eis Godolia viro nobili, iuſto & moderato: & agros colere iubet, ac Nabūchodonoſori tributa pendere, Hieremiam prophetā hortatus, vt Babyloné iret. cum ille in ruinis Hieroſolymorū degere mallet, ibi relinquit, Godoliæ diligentiſſimè commendatum: conceſſo etiam Barucho ſcriba, in lingua patria præclarè erudito. Quotquot igitur propter obſidioné transfugerant, cum ad Godoliam ſe contuliſſent, ab eo moniti ſunt, vt agros colerent, & quas quique vellent vrbes incolerēt, ruináſq; inſtaurarēt: quem ob probitatem eius mirifice dilexerunt.

*Godolias reliquiis Iudæorum præfectus, per inſidias occiditur.*

*Iſmael Godoliæ percuſſor.*

Cum autem inter cæteros Iſmael quidam ex regio genere, qui tempore obſidionis ad Ammanitas confugerat, acceſſiſſet: quidam hominis occidédi poteſtatem à Godolia petierunt, quòd eius vitæ ab illo inſidiæ ſtruerentur. Verùm Godolias fidem illis nō habuit: atque etiam præſtare dixit, ſemetipſum perire, quàm occidere hominem, qui ipſius fidei ſe commiſiſſet. Aliquanto pòſt, ille Iſmael cum aliis à Godolia hoſpitio exceptus, tum ipſum, tum cæteros conuiuas occidit. Deinde Babylonios in vrbe relictos noctu aggreſſus, vnà cum omnibus Iudæis qui ibi erant perimit. Poſtridie viros LXXX Godoliæ dona oblaturos, paucis exceptis, qui in agris occultatam ſupellectilem, veſtes & frumentum ſe ei oſtēſuros pollicebantur, trucidat: iiſque rebus & multis captiuis acceptis, reditum ad Ammanitas parat. His duces quidam Iudæorum cognitis, cohortati ſuos, & Iſmaelē perſequuti, captiuos recipiunt, illo cum octo viris elapſo.

*Iudæorum reliquiæ in Ægyptum profugiunt.*

Qui cladi illi ſuperfuerant, Babylonios metuentes de petenda Ægypto deliberabant. Cum autem Hieremias eis manēdi autor eſſet (numen enim prouiſurum, ne quid mali paterentur: ſin abiſſent, deſerturum eos) fidem prophetæ non habuerūt: ſed ſpretis eius monitis, in Ægyptum & ipſum & Baruchum ſecum abduxerunt.

*Hieremias lapidatus, & oſſa eius Alexādriā tranſlata.*

Quò propheta cum perueniſſet, quid futurum eſſet diuinitùs edoctus, popularibus prædicit, Babyloniū Ægyptios inuaſurum, Ægyptíque potiturum; atque alios occiſurum, alios in captiuitatem abducturum: eáque de cauſa à popularibus ſuis, lapidibus obrutus occidit, ſed quæ prædixerat facta ſunt. Nam quinto pòſt vaſtationē Hieroſolymorum anno Nabuchodonoſor Cœleſyria occupata, Moabitis & Ammanitis ſubactis, Ægyptóque in poteſtatem redacta, & rege obtruncato, alium prouinciæ præponit: Iudæos qui illic erant, Babylonem traducit. Ferunt Alexandrum regem Ægypto ſubacta, cum Hieremias ab Ægyptiis diuinis laudibus celebraretur, oſſa eius in vrbem à ſe conditam Alexandriam tranſtuliſſe. Propheta igitur, vt iam expoſui, ſic res futuras prædixit. gens autem Hebræorum talem ſortita eſt exitum, vltrà Euphratem abducta.

*Iudæa per annos LXX vaſta.*

Nam decem tribus, Oſea Samariæ regnante, ab Aſſyriis, pòſt duæ tribus cum iis qui captiuitati Hieroſolymorum ſuperfuerant, à Nabuchodonoſore captæ fuerunt. At Salmanaſſar Chutæorum gentem Perſicam Samariam tranſtulit: Nabuchodonoſor verò Iudæam vaſtam iacere paſſus eſt, itaque māſit per annos ſeptuaginta. Inter captiuitatem tribuum Samariæ decem, & Hieroſolymorum duarum, interceſſerunt anni centum triginta, menſes ſex, & dies decem. Captiuorum puerorū nobiliſſimum quemque, & regi Sedechiæ cognatum, & è cæteris robuſtiſſimos & formoſiſſimos, Babylonius caſtratos pædagogis tradidit, literis & inſtitutis Chaldæorū erudiendos, victu de ſua menſa illis conſtituto.

*Daniel. Ananias. Miſael. Azarias.*

Fuerunt autem IIII pueri regij generis, & forma & ingeniis præſtantes, quorum Danieli Balthaſaris, Ananiæ Sedrachi, Miſaeli Miſaci, Azariæ Abdenagi nomen fecit Babylonius, & præ cæteris honorem habuit, ob indolem diſciplinarum capacem. Hi igitur adoleſcentes eunuchum cui parebant, rogarunt, ne ſibi regiæ menſæ fercula præberentur, ſed legumina, dactyli, & alia id genus. Ille cum ſe vereri diceret, ne illo cibo extenuatis eorum corporibus, ipſe à rege malè tractetur: tamen pueris petētibus, vt decem diebus ita paſcerentur, quòd ſi corpora ſua non mutarentur, ita pergeret: ſin extenuari videret, priſtinum victum præberet: obtemperat. cúmque non modò nihil eis decedere, ſed vegetiores etiam cæteris reddi videret, cibos inanimés eis præbet, Ita ſubtilioribus redditis ingeniis, in omni doctrina Chaldaica & Aſſyriaca egregiè profecerunt. Daniel etiam ſomniis coniiciendis animum intendit.

*Nabuchodonoſoris ſomnium de ſtatua.*

Cum autem Nabuchodonoſor mirabile ſomnium vidiſſet, cum eiuſdem enarratione: vtriuſque oblitus, mane Chaldæos vates & magos accerſit, ſomnium & eius explicationem ab eis flagitat. Verùm illis petentibus, vt ſomnium prius enarraret, ac tum demum diiudicationem poſtularet: Rex iratus, quòd ſomnium ſe reperire poſſe negaſſent, omnes capitis condemnat. Inter hos & Daniel & tres pueri, vt homines eruditi, & vocati & vnà condemnati fuerant. Daniel igitur regiorum ſatellitum præfectum orat, vt cædem damnatorum vnam noctem differret, Fortaſſis enim, inquit, præcati Deum, ſomnium cognoſcemus. Mora impetrata, tribus cognatis adhibitis, pernox precatus Deum, & ſomnium & eius ſignificationem cognoſcit: mane regem accedit, ſomnium & eius ſignificationem à Deo ſibi reuelatam eſſe indicat, miſerto eorum, qui propterea inſontes in capitis periculo eſſent: nec minus ipſius regis, qui tot occiſurus eſſet ſine culpa, à quibus ea poſtulaſſet, quæ ſciri ab eis non potuiſſent, ac ſoli naturæ diuinæ cognita eſſent.

*Daniel ſomnium Nabuchodonoſoris interpretatur.*

Ea verò quæ vidiſti, inquit, huiuſmodi ſunt. Viſus es videre ſtatuam magnam hominis ſtantem, cuius caput eſſet aureum, humeri & brachia argentea, venter cum femoribus æreus, crura & pedes partim ferrei, partim teſtacei. Deinde lapis ex monte abruptus, viſus illidi ſtatuæ, eámque contenere, atque aurum, argentum, æs, ferrum, & tēſtam ita comminuere, vt à vento diſſiparentur. Lapis verò in tantam molem excreſcere, vt omnem terram impleret. Et hoc ſomnium vidiſti, cum de regno & ſucceſſore imperij ſolicitè cogitares: quæ verò eo ſignificantur, hæc ſunt.

*1. Aſſyriorū monarchia.*

Aureum caput tu es, & cæteri reges Babyloniorum. nam aurum imperij tui felicitatem innuit. Duæ verò manus & humeri, duo regna repræſentant, à quibus veſter principatus deſtruetur. Venter & femora ærea, regem ſignificant ære indutum, qui eos opprimet, à quibus vos opprimendi eſtis, illius porrò regnum ab alio potentiore deſtruetur. Nam & auro & argento & ære ferrum eſt durius. Aurum enim, purum præſertim, eſt argento mollius: argentum, vt auro denſius, ita ære laxius: ferrum porrò ære etiam ſolidius eſt. Capiti igitur regnum Aſſyriorum eſt comparatum, vt antiquius & vetuſtius cæteris.

*2. Perſarum monachia.*

Altero, Medorum & Perſárum regnum intelligitur, qui Aſſyriorum euerterunt. Nam Cyrus, vt pòſt narrabitur, Perſa patre, matre Medica natus, vtriuſque gentis armis Aſſyrios deuicit eorúmque regnum euertit. Duabus autem manibus duæ gentes ſignificantur.

*3. Macedonū monarchia.*

Tertium regnum eſt Macedonum, æri comparatum, vtpote potentius, quod Perſicum imperium deſtruxit. ac venter quidem Alexandrum refert, duo femora diuiſionem regni poſt eius obitum.

*4. Romanorum monarchia.*

Quartum regnum eſt Romanorum, cui ferrum attribuit ob ſoliditatem, & tibias, ratione temporis, quòd cæteris magnis imperiis ſit poſterius, quēadmodum crura & pedes extremæ ſunt partes corporis. Iā teſta ferro admiſta, ſignificat, regnum illud, etſi robuſtum ſit, tamen fragile aliquid & imbecillum habere adiunctum, cuiuſmodi eſt teſta limo conſtans.

*Romani imperij pedes partim ferrei, partim teſtacei.*

Quòd ſi quis hanc viſionem ad priorē Reipublicæ ſtatum, quo penes ſenatum, dictatores, conſules, tribunos & plebem, ſumma rerum fuit, referat: videbit plebē ſæpe mortis ſeditionibus à patribus diſſenſiſſe, alia ſenatu, alia plebe decernente. Vnde cum inter ſeſe pugnarent, res eorū ex diſcordia nonnunq̄ deteriores & imbecilliores extiterunt. ac ſenatus cum ferro cōferri queat, ob animi grauitatē: plebs magiſtratibus & ſenatui admiſta, teſtæ, cùm ob vilitatem & humilitatem, cuiuſmodi limus eſt, vnde teſta cōficitur, tum ob leuitatē & infirmitatē conſilij. Eſt enim multitudo leui ſententia, & facilè huc atque illuc impellitur: quæ, ſi quis Romanorum veteres annales euoluat, ei genti ſæpiſſimè accidiſſe reperiet. Hæc igitur diuerſæ materiæ miſtionem ad primum Reip. ſtatum referenti, in mentem venire queant. Sin poſteriorem Imperij rationē ſpectes, Republica, ex ariſtocratia in monarchiā cōmutata, & ab Imperatoribus occupata, etiam tum è Romanorum diſſentionib. multas ortas eſſe calamitates deprehendas. Nam & Cæſar cupiditate regni impulſus, bellum ciuile cum Pōpeio & cæteris antiquæ libertatis defenſoribus geſſit, & Cæſar Auguſtus atq; Antonius itidem bellum eius interfectoribus intulerunt. Qui deinde ambo inter ſeſe, vter ſolus regnaret, certantes, grauia bella geſſerunt, cæſis vtrinque ciuibus in præliis, & Romanorum viribus immunitis. Imò nec deinceps quieuiſſe ſeditiones videas. Iam ſi ferri & teſtæ qualitatem cum poſterioribus regnis conferas, Romanū imperium ibi quoq; partim firmū inuenies, partim imbecillū, amiſſa maxima parte potentiæ veteris, vix reliquiis quibuſdam retentis. Atque hæc de quatuor regnis.

*Chriſtiana monarchia.*

Reſtat illud, quod non eſt euertendum, lapide ſine manibus exciſo adumbratum comminuente materias quibus imago conſtabat, & vniuerſam terram implente, quódque propheta dixit nullo æuo periturū. Hoc Ieſus Chriſti Domini noſtri aduentum ſignificat, qui, cum regnum ferreū, ob teſtæ admiſtionem factū fuerit imbecillius, apparebit, cū ei ſubiicientur omnia: cū regno infinito & non perituro dignabitur eos, qui ſe illo dignos præbuerunt. Lapidē enim ſcriptura Chriſtum ſolet dicere. Nam & Dauid: Lapis, inquit, quem reiecerunt ędificantes, in caput anguli tranſlatus eſt. & Eſaias ſub perſona Dei dicit: Ecce pono lapidem in ſummo angulo. D. Paulus item, angularem lapidem Chriſtum vocat: cui inædificatos eſſe credentes ſcribit. atque iterum: Aliud, inquit, fundamentum nemo iaciet, præter id quod iactum eſt, Ieſum Chriſtū. Item alibi: Biberūt de petra ſpirituali, eos ſecuta, petra autem erat Chriſtus. Adhæc petra ſcādali, & lapis offenſionis dicitur: multáque præterea loca inuenias, vbi Dominus petra & lapis appellatur. Quod autem is ſine manibus exciſus eſt, id ortum eius naturam ſuperantem indicat, ſine ſemine & coniugali congreſſu. Nam mons putari queat Iudaica tribus, è qua ortus fuit Dauid. Lapis autem, Chriſtus, ſecundum humanitatem ex ea exciſus. Sine manibus quidem, quia non lege naturæ prodiit, ſed ex vtero rudi viri & ſancto: qui primùm paruus eſt viſus, ob naturam humanam, in progreſſu verò terram omnē ſuæ gloriæ impleuit, magis etiam impleturus futuro ſuo aduentu. Propheta igitur & ſomnium Nabuchodonoſori expoſuit, & comparationē eius reuelauit. Qui coniecturæ ſolertiam admiratus, pronus in faciē cecidit, Danielem adorauit & ſacrificari ei iuſſit. Non ipſi omnem illū honorem tribuens, homo ſuperbus & arrogans: ſed Deo, qui à Daniele colebatur. Dixit enim: Verè Deus veſter, Deus eſt Deorū, & dominus regum, & arcanorū reuelator. datíſque multis munerib. Danielē totius Babylonis principē conſtituit, nomine Balthaſſaris (ſic Deus eius vocabatur) indito.

*Daniel princeps Babylonis conſtituitur.*

Deinde auream ſtatuā cubitos altam LX, latam VI erigit, principes ex omni ſuo imperio conuocat, auditáque tuba proſtratos illā adorare, qui nō paruiſſent, in caminum ignis coniici iubet, quem ibi magnum & vehementem incenderat. Quā cum adorarent omnes, tres adoleſcentes, quos hiſtoria cognatos fuiſſe Danielis tradit, patria inſtituta violare nolentes, non adorarunt. itaque ſtatim in caminum coniecti ſunt. Verùm ignis eos non attigit, ſed ſtantes in medio flammæ intollerabilis, hymnū cecinerunt Deo. aſtitit tribus illis & quartus, Angelus nēpe, qui vnà cū eis deſcēderat, & ardētem illum aërem in aurā roſcidam cōmutabat.

*Tres adoleſcentes ob contemptam ſtatuam in caminum cōiecti, ab angelo conſeruantur.*

Hæc immanem & atrocē regis animum ita obſtupefecerūt, vt ſepoſito faſtu accedens, adoleſcētes nominatim vocaret, & eorum Deo collaudato, ipſos honore afficeret, & principes omniū Iudæorū qui Babylone erant crearet.

*Nabuchodonoſoris ſomnium de arbore.*

Non multo pòſt idem Aſſyrius aliud ſomnium videt huiuſmodi. Arbor erat magna, extremitates terræ amplectens, foliis ornata, & fructu grauis, ſub qua beſtiæ agreſtes degebant, & volucres in ramis eius nidificabant. Deinde * Ir cernit cœlo egreſſum, qui cōtenta voce clamaret, Excidite arborē, & ramos eius euellite, & folia decutite, & fructū eius diſſipate. verùm ſtirpem radicū eius relinquite, & vinculo ferreo ligate. in herba ter-

** id eſt, vigilem, & eſt epitheton Angeli.*

ræ,& in rore cæleſti habitabit, deget cũ beſtiis, cor eius ab hominibus alienabitur, & cor beſtiæ ei dabitur,& ſeptem tempora ſuper eo mutabũtur. Hac viſione conſpecta, rurſus ſapientes & magos Babylonios cõuocat, eius ſignificationẽ ſcire cupiens. Qui cum æſtuarẽt,nec ſignificationem ſomnij reperirent:iterum ad Danielẽ confugit,narratóq; ſomnio, eius expoſitionẽ requirit: id eum poſſe,cum ſanctus Domini ſpiritus in eo ſit. Tum ille: Domine mi rex, inquit, ſomnium iſtud in eos vertatur, qui te oderunt. Deinde ſignificationem ei exponit,hoc modo: Arbor magna,quam vidiſti,rex,tu es,qui magnus & potẽs euaſiſti, ac magnitudo tua cœlum attingit, & dominatus tuus ad terræ extremitates protenditur(magnitudinem autem vocauit elationem animi & faſtum)Ir autem ſanctus,qui de cœlo deſcendit,eſt diuinus angelus.Nam Ir Latinis vigilantem declarat, quo natura incorporea innuitur.nam cui corpus eſt,is ſomno ſuccumbit: qui non,natura eſt corporis experte. Quoniam igitur vigilantem illum clamantem vidiſti,vt arbor excinderetur, & ſtirpis radicum eius relinqueretur, &c. futurum eſt, vt regno excidas, & commercio hominum pulſus,inter beſtias degas,gramine veſcens. Regnum tamen non penitus amittes,ſed in integrum reſtitutus, recipies. id enim ſignificatur, ſtirpe radicum relicta. Sic igitur viſionem Nabuchodonoſori Daniel expoſuit, omniáque facta ſunt ſecundum diuinum oraculum:& rex furore percitus, ob arrogantiam & ſuperbiam,pòſt ſeptem annos in deſertis exactos,regnum interea à nemine occupatum,recipit,placato Deo:& cum annos quadraginta tres regnaſſet,moritur.Huius multos, etiam ex veteribus hiſtoricis, Beroſum, Metaſthenem, Philoclem & Philoſtratum meminiſſe, Ioſephus refert. Huic defuncto, filius natu maior Euilad Merochad in Imperio ſuccedit, qui regem Ioachimum (idem & Iechonias appellatur) à Nabuchodonoſore in vinculis habitum, ſoluit, & honorificè tractat, muneribus afficit,& perpetuum conuictorem habet. Eo quoque mortuo, regnum ad fratrem eius Balthaſarem tranſit, qui Cyri ductu & auſpiciis à Perſis & Medis eſt oppugnatus.Hic proceribus ad compotationem inuitatis, cum concubinis ſuis accumbẽs, atque inebriatus, ſacra vaſa, quæ Nabuchodonoſor Hieroſolymis direpta, Diis ſuis conſecrarat, afferri iubet, atque iis vtitur, quorum vſu pater abſtinuerat: dúmque inter pocula blaſphemat Deum, videt digitos humanæ manus è pariete prodeuntes in tectorio parietis ſcribere. quibus conſpectis obſtupefactus, toto corpore cohorruit. & Chaldæis ac magis accerſitis, magnis propoſitis muneribus, ſententiam literarum ab eis requirit. Sed ſcriptura illa ignota erat omnibus. Quamobrem auia regem triſtem conſpicata, & perturbatum, ait: Si Balthaſar Iudæus accerſeretur, qui & Nabuchodonoſori multa ſignificarit, quæ nemo alius explicare potuerit, eum arcanum ſyllabarum illarum declaraturum. eſſe enim ſanctum Dei ſpiritum in eo. Statim igitur Balthaſar Danielem accerſi iubet, flagitans ſcipturæ illius declarationem, citra diſſimulationem omnem,etſi triſte aliquid portenderet: daturum pollicitus geſtandæ purpuræ & torquis aurei ius, & tertiam regni ſui partem. Daniel verò muneribus recuſatis, dicebat, ſcripturam ei obitum portendere, quòd ne paternæ quidem impietatis pœna factus eſſet modeſtior, ſed diuinis vaſis cum concubinis ad miniſterium eſſet vſus.Literas verò ita legebat:Mani, Tekel,Phares. Quarum ſignificationem ſic interpretabatur: Numerauit Deus tempus vitæ tuæ,atque imperij tui, cuius perparum ſupereſt. Nam vocabulum Mani, Latinis eſt numerus: Tekel,ſpacium: quòd Deus limitem regni eius conſtituiſſet, quod quidem deorſum vergeret & frangeretur. Nam Tekel etiam fragmen ſignificat,lingua Latina.Phares diuiſionem interpretabatur, quòd regnum eius inter Medos & Perſas à Deo diſtribuendum eſſet. Scripturam igitur parietis ita legit, itáque ſyllabas eas inter ſeſe comparauit: hoc eſt, interpretatus eſt, rege mœrore affecto, nec diu pòſt prophetæ prædictione euentu comprobata, cum Cyrus Perſarum rex bello illato, Babylonem cæpit, Balthaſare in captiuitate vrbis interfecto. Sunt qui aſſerant,eadem nocte,qua viſi eſſent digiti ſcribentes, & Babylonem captam, & regem cæſum eſſe. Cæterùm poſt vrbis captiuitatem Daniel ſub Dario Medo, qui & Cyaxares nominabatur,Cyri auunculus, filius Aſtyagis Medorũ regis, in Mediam tranſlatus,omni honore afficiebatur. Qua de cauſa Medorum principes ei inuidentes, inſidias parant vitæ eius. Nam cum eum quotidie ter Deum adorantem viderẽt, Cyaxari ſiue Dario autores ſunt ferendæ legis,vt intra dies triginta neq; Deos adoret quiſquam, neque ipſum regem oret. quam legem qui violaſſet, in caueam leonum coniiciendum. Rex, qui ignoraret illud in perniciem Danielis ſtrui, edictum huiuſmodi proponit. Ac cæteris ſecundum edictum quieſcentibus, Daniel,qui de more Deo ſupplicabat, delatus à Satrapis, beſtiis obiicitur. rex lapide, quo cauea claudebatur, ſignato, diſcedit: eámque noctem inſomnem agit, ſolicitus & dolens. Nam etſi Danielem à beſtiis non læſum iri ſperabat, quippe quem ſancto Dei ſpiritu præditum ſciret:non tamen tranquillo eſſe animo poterat,metuẽs ne quid ei accideret: nec Dei potentiam, vt homo barbarus,ſatis intelligens.Statim verò vt diluxerat,ad caueam leonum accedit, Danielem vocat: reſpondentem extrahi iubet, intactum & ſaluum videns obſtupeſcit. Sed cum delatores dixiſſent,leones ob ſaturitatẽ illum non attigiſſe:improbitatis illorum odio, intellecta fraude atque inſidiis,quas prophetæ ſtruxerãt, affatim beſtias paſci iubet, iiſque iam ſatiatis accuſatores Danielis obiici, vt cognoſceretur, an leones ob ſaturitatem homines non tangerent. Tum improbis illis ſtatim dilaceratis, perſpicuum fuit omnibus, vi quadam diuina Danielem conſeruatum eſſe,obturatis beſtiarum faucibus. Itaque rex prophetæ Deum celebrat, eíque maiores etiam honores habet. & hoc quidem poſterius accidit. Cæterùm primo anno regni Balthaſaris, huiuſmodi viſum prophetæ oblatum fuit. Quatuor animalia mari emergere videbantur, quorum primum leænam referret, pennis aquilinis:ídque à terra elatum, pedibus humanis inſtitit,accepto etiam corde humano.Mare autem ſignificat vitam humanam fluctuantem, plurimis, iiſque aſſiduis mutationibus,& inuerſionibus obnoxiam. Leæna regnum Aſſyriorum repræſentabat.ſublatio à terra,imperij illius finem denotabat,& poteſtatis amiſſionem.Quia pedibus hominis inſiſtebat, id ſubditis par fore, innuebatur.Quia cor hominis ei dabatur,notabat, fore vt experiẽtia diſceret ſe hominem eſſe:neque per arrogantiam ea ſibi fingeret,quæ naturã humanam excedunt.Alæ præter naturam beſtiæ enatæ, elationem regum illorum ſignificabant, quorum animi ſuperbia nubes tranſcendebat. Alterum animal vrſæ erat ſimile, & in vna parte ſtabat, ac tres coſtas in ore habebat.cui dicebatur:Surge & ede carnes multas.Ea regnum Perſarum denotabat,ob ſæuitiam gentis, & immanitatem. Nam Perſæ atrocitate pœnarũ omnes barbaros vincũt, ſcaphis & excoriationibus ſupplicia grauiora & diuturniora reddentes. Cæterùm quod de ſcaphis dixi, declarandum eſt, ob imperitiores. Duas ſcaphas inter ſeſe pares coniungunt,ita inciſas,vt caput,manus & pedes foras emineant,in quibus eum qui ſupplicio afficitur,ſupinum reclinant, itáque ſcaphas clauis inter ſe compingunt. Deinde potionem ex melle & lacte in os miſeri infundunt,donec ad nauſeã repleatur, eadémque & faciem & pedes & brachia eius perfundunt,& ſub dio ad ſolem exponunt. & hoc quotidie faciunt. Ita fit, vt muſcæ, veſpæ & apes liquorum ſuauitate allectæ, faciei & reliquis mẽbris è ſcaphis prominentibus inſideant, miſerúmque vexent & pungant.At venter eius lacte & melle diſtentus, liquida reiicit excremẽta,è quibus putrefactis lumbrici & vermes ſcaturiunt : qui verò in ſcaphis iacet,in ſordibus illis carne putreſcente, à vermibus eroſus, & crudelius & tardius interit. Hoc ſupplicij genere Pariſatis,Artaxerxis & Cyri mater,eum ſuſtuliſſe fertur, qui ſe Cyrum cũ fratre de regno pugnantem interfeciſſe gloriatus fuerat,per dies quatuordecim excruciatum. Ac ſcapharum ſupplicium huiuſmodi eſt.Cæterùm verba iſta,Surge & comede carnes:non ſunt hortantis,ſed futura prædicentis. Nam quatuor Aſſyrij, & ſocij illorum plurimi, ſunt à Perſis & Medis interfecti. Eadem etiam ad crudelitatem gentis referri queant. Tres verò coſtæ vel alæ, quas ore tenebat, trium orbis terræ partium imperium denotabant.Nam Cyrus Aſſyrij regni euerſor, orientem omnem vſque ad Helleſpontum ſubegit. Cuius filius Cambyſes & Ægyptum & Æthiopiam,quæ Auſtro obuerſæ iacent, obtinuit. Darius autem Hyſtaſpis filius, Scythas vagos domuit:hi verſus Septentrionem habitant.Xerxes porrò Darij filius expeditione ſuſcepta, conatus ille quidem eſt Europã ſubigere:ſed ab Athenienſibus nauali pugna victus,cum dedecore domum rediit.Iam ſtatio in parte,ſignificat eos regnum non prorſus amiſſuros : ſed eius exiguam partem retenturos. Nam cum imperium illud olim totam Aſiam, Æthiopiam, Ægyptum Palæſtinam, Phœniciam,ipſamque Ciliciam teneret, reliquis excidit, Media & Perſide retentis. Vel ſtatio illa in parte, referri poteſt eò, quòd Perſarum regnum ad tempus otioſum & ignauũ ſit futurum. nam Alexandro poſt id ſubactum mortuo,eius Monarchia in quatuor regna eſt diſtracta. Cum autem ſucceſſores eius crebris inter ſeſe præliis vires ſuas attriuiſſent,Perſæ arrepta occaſione,reſumptáque fiducia, multum de ſuo imperio recuperarunt.Tertium animal panthere fuit ſimile, quatuor alis volucribus in dorſo præditum,quatuor etiam capitibus in eo enatis,cui propheta poteſtatem eſſe datam ait. Hoc animal imperium Macedonicum repræſentat. Nam pantheræ comparatus eſt Alexãder ob celeritatem & agilitatẽ, quod ipſum & alæ innuebant : quarum quaternio quatuor mundi partes notabat, quas inſtar volucris eſt peruagatus, ac propè omnium potitus.Quatuor capita,diuiſionem imperij poſt eius obitum in partes totidẽ declararunt. Nam Ægyptum Ptolomæus Lagi filius obtinuit,eiuſque poſteri vſque ad Cleopatram. Syria & adiacentibus regionibus Seleucus eſt potitus.Antigonus Aſiam ſubegit, Macedoniæ Antipater imperauit:vel,vt quidam narrant, Aridæus frater Alexandri ex patre Philippo.Ait enim Chæronenſis, Perdiccam maxima potentia præditum,ſtatim poſt mortem Alexãdri Aridæum, tanquam regni munimentum attraxiſſe, ex muliere ignobili & vulgari ortum, & mentis parum compotem:non quidem ita genitum,ſed veneficio Olympiadis corruptum. Quarti animalis formã non expreſſit propheta, ſed formidabile & terribile nominat, magnis ferreis dentibus vorans & comminuens,& reliqua pedibus conculcãs,magno diſcrimine inter illud & cætera conſtituto.Verùm id Romanorũ imperiũ innuit.Quod cũ ſit variũ te multiforme,propheta, neque nomen eius,neque formam poſuit. Nam à Romulo vſque ad Tarquinios Roma regibus paruit:quorum tyrannide euerſa, optimates, ſenatus & conſules rempublicam adminiſtrarunt: aliquando etiam ad popularis imperij formam redacta eſt,ſeditione plebis aduerſus patres,pòſt iterum vnius poteſtate oppreſſa, & ad regij nominis appellationem reuerſa.Beſtiam porrò illã terribilem & formidabilem vocat,quòd Romanum imperium cæteris potentius extitit, & quæ Macedones non attigerant, ea quoque ſubegit, Græciam videlicet vniuerſam, Carthaginem cũ Lybia,Siciliam, Sardiniam, cæteráſq; inſulas,& complures gentes occidentales,quibus non imperauit Alexander : quæ cui ſcire ſtudio eſt, is Dionis Romani & Polybij legat hiſtorias. Ferrei dentes ei beſtiæ ſunt attributi, quòd Romanorum principatus omnibus aliis imperiis horribilior fuit : atque etiã in imagine per ſomnum oblata Nabuchodonoſori,quartum regnum ferro comparatur. Ferreis porrò dentibus edere & comminuere beſtiam dixit,& reliqua conculcare pedibus. quorum priora ad tributorum exactionem referuntur, grauiorem cæteris, quibus reges aluntur & ſaginantur, ſubditi attenuantur,& ad egeſtatem rediguntur. Qui verò tributa detrectabant,& libertatem defendebant, eos conculcabat beſtia, & exterminabat. Per pedes autem intelliguntur exercitus,vt quibus regnum inſiſtat & innitatur, & ab aliis ad alia tranſeat. Præterea x cornua beſtiæ, ſignificant, id impe-

*Daniel alterum quoque ſomnium interpretatur.*

*Ir.*

*Euilad Merochad ſucceſſor Nabuchodonoſoris.*

*Balthaſar poſtremus Aſſyriorũ rex.*

*Manus in pariete ſcribens.*

*Daniel ſcripturam parietis interpretatur.*

*Babylonis captiuitas.*

*Daniel in Mediã trãſlatus, inuidia procerum leonibus obiicitur.*

*Danielis ſomnia fatidica de monarchiis.*

*Mare.*

*Leæna.*

*Cor hominis.*

*Alæ.*

*Vrſa.*

*Scaphenſis ſupplicij Perſici genus.*

*Tres coſtæ.*

*Cyrus.*

*Cambyſes.*

*Darius.*

*Xerxes.*

*Statio in parte.*

*Panthera.*

*4. Alæ.*

*Ptolomæus.*

*Seleucus.*

*Antigonus.*

*Antipater.*

*Aridæus.*

*Perdiccas.*

*Romanum imperiũ beſtia horribilis & informis.*

*Ferrei dentes.*

*Pedes.*

*x Cornua.*

rium poſtremis temporibus in multa eſſe regna diuidendum. In medio porrò x cornuū, paruum prodire cornu, quo tria alia cornua extirpētur: & oculos habere cornu illud, & os magniloquum

*x i cornu Antichriſtus.*

& infeſtum ſanctis. Hoc cornu quidā Antichriſtum interpretantur. paruum autē vocatur, quòd ex parua tribu Hebræorum ſit oriturum, & tres

*Oculi.*

de x regibus euerſurū. Per oculos, improbitatem eius, & calliditatem innuit, quibus multos ſit ſeducturū.

*Os.*

Per os magniloquum, eius arrogātia, & animi elatio declaratur.

*Bellum aduerſus ſanctos.*

Iam belli aduerſus ſanctos ſuſceptio, arguit, omne ſtudiū adhibiturum eſſe, vt omnes ad ſuę improbitatis & blaſphemię communionē pertrahat. blaſphemiā porrò contra Deum illa arguunt, cum ait: In ſublime verba faciet. His propheta ſubiicit: Spectabam, donec ſellis poſitis, longæuus conſediſſet, cuius veſtis erat niueo candore, capillus inſtar puræ lanæ, ſedes vt flamma ignis, rotæ eius ignis comburens, fluuius agnitus ante eum manans euoluebatur. decies centena millia miniſtrabant ei, & millies centena millia aſtabant ei, iudicióque coacto libri aperti ſunt. Quæ igitur cornu facere dicitur, ea non diu eſſe duratura, monſtratum eſt Danie-

*Iudicium.*

li: ſed donec lōgæuus iudicium coegerit, hoc eſt, iudicij tēpus ſtatuerit, & facta cuiuſque memo-

*Libri.*

ria, repererit. Recordationē enim, libros vocat:

*Longæuus. Candor.*

& longæuum, eum qui æternus eſt. cādor autem capillorum, & veſtis, puritatem eius & integritatem oſtendit. Vt autem ſignificet ea quæ ab Antichriſto agentur Deo conniuente actum iri: nō verò ita, quaſi à diuina potētia vel coherceri, vel ne prorſus non fierent, prohiberi non poſſent:

*Miniſtri.*

decies centena millia miniſtrorum, & millies centena millia apparitorum commemorat, & ſellam igneam, conſimiléſque rotas, & fluuium ardentem. ſpectauítq;, donec beſtia tolleretur, & corpus eius igni conflagraret. Nam ob furorem

*Corpus beſtiæ comburendum.*

Antichriſti, totum ab eo regnum auferetur: neq; ipſa beſtia igni tradetur, ſed corpus eius. Nā cum beſtia regnum innuat, probabile eſt, in eo fore multos qui Deum colant, & virtuti ſtudeant. Non eos igitur conflagraturos, ſed maleficos, & corporis voluptatibus aſſiduè deditos, ſpiritus prorſus negligentes. Poſt interitum beſtiæ, pro-

*Filius hominis.*

pheta ait, ſe quendam vidiſſe tanquam filium hominis in nubibus venientem, & vſque ad longæuum progreſſum, cui datum ſit imperium, honos & regnum, eiúſque ſeruituti ſubiecti populi omnes, lingue & tribus: & poteſtatem eius æternam fore, non præterituram, nec regnum eius interiturum. Hæc apertè ſecundum aduentum ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti pręnunciant. Filius enim hominis dicitur ob aſſumptam naturā noſtram, venturus in nubibus, ex promiſſo ipſius, cum dixit, Viſuros filium hominis venientem in nubibus cœli. Hæc Daniel edoctus eſt primo an-

*Danielis aliud viſum.*

no Balthaſaris. Tertio, viſum aliud vidit. Nam cum Suſis, inquit, eſſem, ſublatis oculis, vidi arietem ſtantem in Vbale, altis cornibus, altero

*Aries.*

tamen altiore: id ad extremum ſurgebat, & contra mare, Septentrionem & Auſtrum arietabat, neque vlla animalia coram eo conſiſtere poterant. Fecit igitur omnia ſuo arbitratu, & ma-

*Perſicum imperium.*

gnus euaſit. Hac viſione propheta rurſus de regnis edocetur. Nam Perſarum imperium ob diuitiarum affluentiam arieti comparatum eſt. Stabat autem is in Vbale, quæ eſt porta Suſorum, metropolis & regiæ Perſarum, in eáque de genti prophetæ viſio oblata erat. Duo cornua ſigni-

*Duo cornua.*

ficabant duas familias illius imperij gubernatri-

*Cyrus. Cambyſes. Darius.*

ces. Minus Cyrum, & Cambyſem eius filium, in quibus imperium conſtitit, non progreſſo vlterius Cyri genere. Maius Darij genus portendit: quo vſque ad eum Darium perdurauit, quem deuicit Alexander. Nam Cambyſe filio Cyri mortuo, Magi per fraudem regnum ſibi vendicabāt: quo non diu retento, agniti à ſeptem Perſicis familiis ſunt oppreſſi, è quarum vna Darius ortus, Hyſtaſpis filius, regno potitus eſt, familia eius vſque ad regni excidium propagata, id quod propheta innuit, cum addit, altius cornu ad extremum creuiſſe: hoc eſt, diu & vſque ad Perſici regni excidium duraſſe. Arietabat autem is aries

*Mare.*

verſus Auſtrum, Septentrionem & mare. nam & Auſtralem & Septentrionalem plagam ſubegit: & inſulas pleraſque, quæ per mare intelliguntur, in ſeruitutem redegit. Eſt & Xerxes inſularium auxiliis vſus, bello illato Greciæ quam-

*Fera.*

obrem propheta arietem etiam mare ferire cornibus videt, neque vllam ferā conſiſtere coram eo poſſe. feras porrò vocat regna ſingularia, quippe ſubditis formidabilia: cuiuſmodi fuerūt, regnum Syrorum, Cilicum, Arabum, Ægyptiorum, Iudæorum, & cætera, quorum nullum tandem Perſico imperio obſiſtere potuit, quin id ſubigeret omnes quos inuaſiſſet. [Et magnus euaſit.] ſiue quòd amplificatum eſt imperium, multis gentibus & prouinciis ſubactis: ſiue quòd magna quædam & natura humana maiora ſibi finxit, rebus ſecundis elatum. Dum propheta de

*Hircus.*

iis quæ viderat, dubitat, hircum videt ab Africo venientem in omnem terram, cui cornu erat ſpectabile in medio oculorum, qui vſque ad arietem progreſſus, ferociter illum perculit, & eius cornua comminuit, & humi proſtratum conculcauit pedibus, neque erat qui arietem eriperet de manu eius. Macedonicum imperium repræſentauit hircus, ariete celerior

*Alexander magnus.*

& agilior. Veniebat autē ab Africo, quòd Alexander, Ægypto prius ſubacta, tum demum Darium inuaſit denuò: eóque victo, Perſicum imperium euertit. Nā eum prius etiam ad Iſſum profligarat, eius vxore, filiabus, curru & arcu potitus, direptíſque caſtris Perſicis. ſed Darius fuga elapſus, & recollectis copiis, pugna cum Alexandro ex Ægypto reuerſo ad Arbela commiſ-

*Cornu ſpectabile. Oculi.*

ſa, iterū ſuperatus, in fuga periit. Spectabile porrò cornu vocat, vt inſigne & conſpicuū, regnum Alexandri per id intelligens. Et in medio oculorū eius enatum eſſe cornu dicit, ob ſolertiam & prudentiam, ac generoſum animum Alexandri. [Et venit, inquit, hircus vſque ad arietē cornigerum, & vidi eum progreſſum ad arietem, & efferatum contra illum: quem cū perculiſſet, ambo eius cornua contriuit, vt coram eo conſiſtere non poſſet, ſed ab hirco proſtratus humi cōculcaretur. Et ſunt, inquit, ambo arietis cornua contrita ab hirco, impetu in eum facto] Hoc eſt, ambæ eius copiæ, Perſicæ & Medicæ, quibus fretus erat. Nam Perſarum rex vtrique genti imperabat, Cyro, vt dictum eſt, vtrinque ducente originem,



ginem, & vtroque regno potito, quæ gētes ambæ Aſſyriorum regnū euerterunt. [Et hircus euaſit valde magnus.] Neque enim ea duntaxat quæ Aſſyriis paruerant, ſed alia quoque multa ſubegit. Indiam aggreſſus, Porum deuicit, & Taxilem ſibi cōciliauit, & alias Indicæ regionis partes occupauit. Deinde non diu duraturam eius felicitatem propheta ſignificās, ſubiungit. [Et inter vincendum comminutum eſt cornu illud magnum, & infra ipſum quatuor cornua ſunt enata.] Nam Alexādro breui poſt ſucceſſus illos mortuo, eius

*4. cornua infra magnū enata.*

imperium ad partes quatuor eſt diuiſum: vt iam in tertia fera dictum eſt, quæ in ſomnis Danieli viſa eſt è mari egreſſa, quatuor prædita capitibus. [Et ex vno cornu extitit cornu terribile, ídque in immēſum eſt auctum verſus Auſtrum, verſus Orientem, verſus Africum, & verſus Occidentē: & amplificatum eſt vſque ad potentiam cœli, & ceciderunt ſtellæ etiam in terram à potētia eius, & conculcatæ ſunt.] His verbis Daniel ea prædo-

*Antiochus Epiphanes.*

cet, quæ ſub Antiocho Epiphane contigerunt, Antiochi magni filio, ſuperiorum regnum potētiam ſupergreſſo, qui Seleucho ſucceſſerant. Is Ægypto & aliis prouinciis potitus, bellóque Iudæis illato, & Hieroſolyma & totam gētem ſubegit, templum ſpoliauit & polluit, porcis in eo immolatis, & ara Ioui extructa, populúmque ad paganiſmum adegit, & pueros mares circumcidi vetuit. Nam eius furorem contra Deum illa verba innuunt: [Et elatus eſt vſque ad cœli potentiam.] Illa verò, [Ceciderunt à potentia eius & ſtellæ in terram, & conculcauit eas] ſignificāt eos ex Iudaico populo, qui ab illo coacti religionem violarunt, & tyranno ceſſere, legitima diuináque viuendi ratione deſerta, ab eóque conculcati ſunt. Stellæ autem vocantur, vel ob pietatis

*Stellæ.*

puritatem & ſplendorem: vel quòd Abrahamo promiſerat Deus, ſe progeniem eius ſtellarū cœleſtium inſtar amplificaturum. [Et vſque ad principem copiarum eſt elatus] Cōtra ipſum Deum furorem exercuit, principem cœleſtium copiarū. [Et ſacrificium turbatum eſt cadauerib. & factū eſt, ac ſecundis rebus vſus eſt, & datum eſt ad victimam peccatum, & humi abiecta eſt iuſtitia.] Nam cum interdicta ſacrificaſſet, turbauit ſacrificium: hoc eſt, confudit, polluit. Cadauera porcos nominat: & peccatum in ſacrificio, violatas ab eo leges. Proiectam humi iuſtitiam dicit, ob contempta inſtituta patria. Significantur etiam iniuſtæ cędes eorum, qui ab impietate abhorruerunt. Sed quamuis, inquit, hæc ageret, támq; impiè ſe gereret Antiochus, tamen reb. ſecūdis vſus eſt His ſubiicit Daniel. [Et dixit vnus ſanctus Phelmuni, Quando tandem viſio terminabitur? & ſublatum ſacrificium, & peccatum vaſtationis conceſſum? Is dixit ei: Vſque ad veſperam & mane, dies bis mille & trecenti, tunc repurgabitur ſanctum.] Ad prophetam ex viſione ſolicitum mittuntur angeli, qui ei ſignificent, finē ærumnarum fore: & tempus eum doceant, quo deſituræ ſint, & alius alium interrogabat. Nam Phelmuni, aliquē ſignificat. Rogabat autem non vt ignarus, ſed vt Daniel cognoſceret. Qui rogabatur, reſpondet: Dies bis mille trecenti vſque ad veſperam & mane, tum repurgabitur ſanctū. Veſperā

*Veſpera.*

igitur vocauit principium moleſtiarū, aut totum tempus earū. nam moleſtiæ nocti & tenebris cōparantur. Mane, pacatū ſtatum poſt calamitates.

*Mane.*

Verba igitur illa hoc volunt, à principio malorū vſque ad eorum finem, tātum tēporis elabetur. Dies autē in annos redacti, cōficiunt ſex menſes, & annos totidem, ſecundum calculum Hebræorum. Nam tandiu viguit calamitas Iudæis ab Antiocho illata. Hæc Danieli intelligere cupienti, à Gabriele archangelo ſunt reuelata. Deinde iterū ſub Dario Medorum principe (qui & Cyaxares & Aſſuerus) Aſtiagis filio, prophetam populariū

*LXX Hebdomadum reuelatio.*

ſuorū captiuitatem lamentantem, & Deū deprecantem, attigit vir quidam nomine Gabriel. attigit autē ſub tēpus ſacrificij veſpertini (ſiue tēpus veſpertini cultus intelligatur, ſiue tantū ſpacium, quanto ſacrificium veſpertinum peragitur) & ait Danieli: Nunc egreſſus ſum ad tribuendā tibi intelligentiā, & ad annūciandū, quia Deſiderius es. Quare conſidera, quæ dicūtur, & viſionē intellige: hoc eſt, attente auſculta. Nam verba obſcura ſunt, maximámq; poſtulāt attentionē. Aliquādo autē res diuinæ per ambages innuuntur, ne omnium intelligentiæ expoſitæ cōtemnantur. Deſiderius autē appellatus eſt Daniel, ſiue quòd prauis deſideriis fortiter & generoſe reſiſteret: ſiue quòd ſcire deſideraret, quid populo & tribubus ſuis euenturum eſſet, ſiue quòd ob ſtudium virtutis deſiderabilis eſſet, atque amabilis. Deinde ſubiicit angelus. [LXX hebdomades contractæ ſunt ſuper populum tuū, & ſuper ſanctā vrbem tuā, donec inueteraſcat delictū, et perficiatur peccatum, & obſignetur peccatū, & expietur iniuſtitia, & æterna iuſtitia adducatur, & obſignetur viſio & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum] Propheta inter orādum ad Deum dixerat, Populus tuus & vrbs tua. Angelus autē Danieli ait: Populus tuus & vrbs tua. quaſi indign9 eſſet, qui populus Dei vocaretur. Eadem loquendi ratio & in Moſe reperitur, cū Iſraelitę vitulo à ſe facto ſacrificarēt. Nam tum etiam prophetæ precāti ſic reſpondet Deus. Ait igitur angelus Danieli, & Hieroſolyma inſtauratum iri, & populum eſſe reuerſurum, & ad annos CCCCLXXXX permanſurum. Nam LXX hebdomades tantum cōficiunt, ſingulis diebus pro ſingulis annis ſupputatis. Cōtractæ, hoc eſt, decretæ, ac præfinitæ ſunt. Donec inueteraſcat delictum, & peccatum conſummetur: hoc eſt, donec durarit & auctum fuerit peccatum. hoc enim ſignificat inueteraſcere. iis verbis deſignat audaciam Iudæorum, & rabiem contra Dominum. Nam prius etiam multa ſcelera perpetrarant, eorúmque pœnas dederant, ſed reuocati fuerunt. Poſtquam autē contra Seruatorē inſanierunt, & ad ſummum improbitatis peruenerunt, peccatúmq; conſummarunt: nō amplius reuocati ſunt. Obſignari peccatum, & expiari iniuſtitiam, ſignificat remiſſionē delictorū, à Domino iis donatam, qui ei credunt. Hic enim eſt, qui tollat peccatum mūdi. Nā obſignari idē eſt, quod deſinere. Adducere iuſtitiam æternam, eſt ipſum venire in mundum, qui eſt iuſtitia, redemptio & ſanctificatio. Obſignari viſionem & prophetiam, ſignificat, Prophetiā deſiiſſe: ſiue quòd ea quæ à prophetis de Chriſto prædicta fuerunt, euenerint: ſiue quod prophetiæ donum apud Iudæos deſierit: ſiue vtrunque. Nam Chriſtus cum

veniſſet, prophetias obſignauit, hoc eſt, impleuit & confirmauit, atque etiam terminauit. neq; enim iam apud eos princeps eſt, propheta aut dux. Et adduci iuſtitiam æternam, eſt ipſius Domini & ſeruatoris noſtri aduentus: qui, vt Apoſtolus ait, datus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, ſanctificatio & redẽptio. atque alibi de Euãgelio ſcribẽs: Iuſtitia, inquit, in eo reuelatur. Dominus porrò docet, regnum Dei petendum eſſe, & iuſtitiam eius, quam ipſe adduxit, ſuáque doctrina aperuit. Vngi ſanctum ſanctorum, ipſum ſcilicet Chriſtum dominum aduenisſe ſignificat. Quis enim ſanctus ſanctorũ appellabitur, præter Dominum & ſeruatorem noſtrum? qui cum fons ſit ſanctitatis, vngitur ille quidẽ ſancto ſpiritu ſecundum humanitatem, vt Eſaias prænun-
» ciauit his verbis: Spiritus Domini ſuper me, quã-
» obrem vnxit me. & vt Dauid cecinit hoc modo:
» Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, præ
» conſortibus tuis. & vt ſummus apoſtolorũ apex
» Petrus docet, cum ſic de Chriſto ſcribit: Nam
» vnxit eum Deus ſpiritu ſancto & potentia. Obſignat & confirmat veteres ſcripturas, dum facit omnia, & patitur, quæ in illis prædicta fuerunt. Expiat iniuſtitiam, dum eos qui deliquerũt, Deo patri reconciliat, eúmque placat peccatoribus. Deinde ſubiicit diuinus archangelus [Et cognoſces & intelliges ab exitu ſermonum, vt ſeparatio fiat, & ædificentur Hieroſolyma. Vſque ad Chriſtum ducem hebdomades VII, & hebdomades LXII] Cœpit igitur ædificari templum ſub Cyro, qui populo Iudaico primus reditum conceſſit: inhibitum tamen ſub Cambyſe, inuidia finitimorum populorum. Templi porrò inſtauratio denuò Iudæis conceſſa eſt, cum Darius Hyſtaſpis filius Perſis imperaret. A quocunque autem horum numerus inchoetur, non erit integer ſecundum archangeli vocem, ſed redundãs. Sin à temporibus regni Artaxerxis Longimani ſupputetur, neque plus neque minus inuenietur, ab eóque repetendus eſt: quia tum & vrbs cincta eſt mœnibus, & adiecta templo quæ deerãt, & vrbs habitatoribus referta, cum Neemias Artaxerxis pincerna, impetrato à rege in patriam reditu, vrbem muniit, & ciuibus frequẽtem reddidit, & templum imperfectum adhuc abſoluit. Si quis igitur à Seruatoris aduentu, per quem ſolum remiſſio peccatorum data eſt, & iuſtitia introducta, & prophetarum oracula completa ſunt, retrò tempus numeret: id expleri deprehendet anno Artaxerxis XX, quo Neemiæ conceſſum fuit redire Hieroſolyma, quæ in hiſtoriæ progreſſu ac ſerie fuſius declarabuntur. Quem autem ſanctum appellauit ſanctis ſuperiorem, eum rurſus Chriſtum ducem appellat, nomine humano vſurpato. Vt enim primogenitus nouæ creaturæ, & primogenitus ex mortuis, dicitur: ſic etiam dux appellatur. D. etiam Petrus apoſtolus apud Iudæos diſſerens, ſeruatorem vitæ principem vocat, quemadmodum in Actis à D. Luca ſcribitur. Vt igitur primogenitus noſtrûm & princeps à D. Paulo dicitur, ſecundum humanitatem: ita etiam dux à Gabriele archangelo nominatur. Sed dubitari queat, qua gratia ſeparatim, & non coniunctim numerentur hebdomades, in VII, LXII, & I diſtinctæ? Non hoc temerè fit ab Archangelo, ſed per hæc noua quædam docet, in temporum diuiſionibus euẽtura. Nam ſi ab inſtauratione Hieroſolymorũ, ſub Neemia facta, vt dictum eſt, tempora vſq; ad Hyrcanum pontificem numerentur, ſub quo Aſamonæorũ genus fungi ſacris deſtitit: LXII hebdomadum numerus expletur. Nam à viceſimo anno regni Artaxerxis, qui Nehemiæ redeundi Hieroſolyma poteſtatem dedit, à quo vrbs mœnibus adornata eſt, vſque ad Darium Arſamis filium, quem deleuit Alexãder, anni ſunt C & XIIII. ab euerſione porrò imperij Perſici, quæ anno ſexto Aſiaticæ expeditionis Alexandri contigit, vſque ad C. Iulium Cæſarem, qui primus Romanorũ monarchiam occupauit: anni præterierunt CCLXXXII. Ab eiuſdẽ Cæſaris principatu vſq; ad annũ XV Tiberij Cæſaris, quo Chriſtus à Ioanne Baptiſta baptizatus, miracula cœpit edere, anni fuerunt LXXIII: vt hęc ſumma conficiat annos CCCC & LXIX. qui quidem Hebraica ſupputatione annorum conficiunt annos CCCCLXXXIII. Neq; enim quemadmodum nos, ita & Hebræi annos ſupputant, ſed ad curſum lunarem diebus CCC & L abſoluunt, vt de quolibet noſtro anno dies XI redundent: qui dies redundantes in annos redacti, explent numerum quadringẽtorum octogintatrium annorum hebraicorum. Quia verò cum Daniele Hebræo colloquebatur angelus, annos vtique illi notos nominauit. Proinde vſque ad interitum Hyrcani pontificis, quem rex Herodes ſuſtulit (qua de re copioſius agendum erit) LXII hebdomades ſunt expletæ. Ab eo tempore cum pontificatus non per omnem ætatem ei maneret, cui contigerat, ſed annuo aut etiam breuiore ſpatio contra inſtituta maiorum circumſcriberetur, & pecunia cuilibet venalis eſſet, id quod & à Ioſepho refertur: ſeptem præterierant hebdomades. Quod archãgelus his verbis innuit [Et poſt hebdomades LXII extirpabitur vnctio, nec futurum eſt in ea iudicium] hoc eſt, vnctio pontificatus peribit, cũ ij contra legem vngentur, qui potiti illo fuerint. Neque enim vnctio vim ſuam retinebat, ſed vt corrupta, gratiæ diuinę erat expers. quare adiicit, iudiciũ non eſſe in ea: hoc eſt, nullo iudicio, nulláque exploratione adhibita pontifices creatum iri, ſed citra delectũ vel ambitu, vel gratia. Dum hæc fierent, etiam ſeptem hebdomades ſunt elapſæ, cum vſq; ad Chriſti aduentum duraſſent. Ac LXII & VII hebdomadum diuiſio hac de cauſa inſtituta eſt. Cum autẽ præter eas quæ initiò ſunt expoſitę, adhuc vna reſtet hebdomas, de ea quoque archangelus ſic ait [Et cõfirmabit teſtamentum multis hebdomas vna, & in ſemiſſe hebdomadis tolletur ſacrificiũ & libatio, & præter hęc abominatio vaſtitatis ſuper templũ: & vſque ad cõplementum temporis, cõplementum dabitur ſuper vaſtationem] reliqua, inquit, hebdomas, LXIX ſecutura, nouum teſtamentũ introducet adeò validum, vt per id tollatur è medio ſacrificium & libatio in ſemiſſe hebdomadis. Nam cũ poſt baptiſmum Chriſtus triennium & vltrà docuiſſet, & miracula edidiſſet, ad ſuppliciũ venit eóque pro toto mundo immolato, qui eſt agnus Dei, tollẽs peccata mũdi: ſacrificiũ & libatio, cõſtituta lege, deſiit. Ac ſacrificarunt tũ Iudæi, vt & nunc,

*Hebraici anni.*

*Chriſtus ſanctus ſanctorum.*

*Hebdomades cur diſtractæ?*



nunc, contra legem, neque eorum ſacrificia & libationes acceptæ fuerunt Deo. Illud porrò [confirmabit teſtamentum multis] etiam aliter exponi poteſt, quòd ſanctos Apoſtolos illa hebdomas potentes affectura ſit ad prædicationem Euangelij. Nam eam hebdomadam bipertiri videtur archangelus, in id tempus quod paſſionem & antecedit & ſequitur. Nam cum Dominus circiter tres annos & dimidium, ſecundum Euangelium filij tonitrui, & prædicaſſet, atque apud ſanctos ſuos apoſtolos ſermonum veritate, & mirabilium operum effectione ſibi fidem conciliaſſet: ſic ad paſſionẽ profectus eſt, & crucem ſuſcepit, mortémque perpeſſus eſt. Reliquo hebdomadis tempore poſt reſurrectionem à mortuis, & aſcenſum in ſinum paternum, à quo nunquam ſeparatus fuit, & paracleti viſitationem, diuinum afflatum, ſancti eius diſcipuli, cum diuinum Euãgelium Hieroſolymis annunciaſſent, & prædicationem miraculis confirmaſſent, & turbas hominum ad veri Dei agnitionem attraxiſſent, in gentes diſperſi ſunt, eáſque illuminarunt. Hoc igitur archangelus præſignificans Danieli prophetæ, ait [Confirmabit teſtamentum multis hebdomas vna] hoc eſt, vires ſuggeret multis diſcipulis nimirum, tempus & antegreſſum & cõſecutum paſſionem Domini complexus, quo prius Hieroſolymis prædicabant Apoſtoli, pòſt etiam orbis terrarum extremitates obeuntes docebant. Mox eandem hebdomadem diuidit, his verbis [In ſemiſſe hebdomadis tolletur ſacrificiũ & libatio] quo declarat finem vmbræ legis. Deinde ſubiicit [& ſuper templũ abominatio vaſtitatis] nam cum hæc fient, templum pridem ſanctum & venerabile, abominatio iudicabitur, quod poſt hebdomadem hanc extremam aliquid abominabile in templum introducetur, in ſignũ vaſtationis eius & vrbis. quod ſub Pilato accidit, qui noctu vexilla in eo collocauit, cum imagine Imperatoris: quæ Iudæis abominanda erant, cum interdictum eſſet, ne quam imaginem ſiue humanam ſiue animalis alicuius haberẽt, aut colerẽt. Dominus item: Vbi, inquit, abominationem vaſtitatis in loco ſancto ſtantem videritis, ſcitote inſtare vaſtitatem eius, vrbis Hieroſolymorum ſcilicet. Alibi quoque ait Dominus: Ecce Domus veſtra relinquetur deſerta. Hæc Danielem præmonens archangelus, cum prædixiſſet legalem cultum è medio ſublatum iri, ſubiicit [Et ſuper templum abominatio vaſtitatis] Ne vero Iudæi putarent, vaſtitatem ad tempus duraturam, & vrbem inſtaurandam, ac templum reædificandum eſſe, cuiuſmodi & alia creberrimè vrbi & templo acciderant, ſubiicit [& vſque ad complementum temporis, cõplementum dabitur ſuper vaſtitatem] hoc eſt, donec æuum expletum fuerit, manſura eſt etiam vaſtitas. Tum vero & huius finis erit, cum non erit tempus vel vrbis vel tẽpli inſtaurandi. Hæc Danieli de popularibus ſuis per viſionem oblata & reuelata ſunt. Idem aliis quoq; viſionibus & ſomniis diuinitùs eruditus eſt de futuris rerũ humanarũ mutationibus, nec de mutationibus rerũ duntaxat, ſed & de temporibus quibus quęque euenturæ eſſent: quæ quiuis abſolutius cognoſcere poterit, lecto viſionum prophetæ libro: certóq; ſtatuere, nihil accidere caſu, neque fortuitò & temerè quicquam geri, ſed prouidẽtia diuina gubernari omnia, & perduci ad exitum. Atque hęc ita ſe habent, & piis hominibus perſuaſa ſunt. Nobis autẽ nec viraginis Iudithæ res geſtæ ſunt prætereundæ ſilentio, quæ Holoferne ſublato, & vrbem & gentem ſuam conſeruauit. Res verò ita ſe habet, Nabuchodonoſor Aſſiriorum rex XII regni ſui anno bellũ ſuſcepit aduerſus Arphaxadum regem Medòrum, finitimis gẽntibus in auxilium euocatis. quod cum & aliæ plures & Iudæi negaſſent, recuſata belli ſocietate. Nabuchodonoſor iratus iurauit ſe confecto bello Medico inuaſurum Ciliciam, Damaſcum, Syriam, Iudæam & Ægyptum, ferróque & igni vaſtaturum & euerſurum. Igitur Arphaxado Medo acie ſuperato & capto, atque interfecto, cùm cæteris vrbibus, tum ipſis Ecbatanis regia illius potitus, copiarum ſuarum imperatorem Holofernem iubet, ſe iureiurando quo ipſe ſeſe obſtrinxerat, ſoluere: & cum magnis copiis iis inferre bellum, qui medici belli ſocietatẽ detractaſſent: conſeruatis iis qui ſe dederant, eorúmque vrbibus illæſis. contumacibus verò non parcendum: ſed & ipſos cædendos, & vrbes eorum diripiendas ac vaſtandas eſſe. His mandatis acceptis, Holofernes cæteras gentes tractauit vt iuſſus erat. Iſraelitas autem armis aggreſſurus (neque enim illius fidei ſupplices ſe committebant) rogabat, quí nam illi eſſent, & qua re freti reſiſterent? Tum Achior Ammanitarum princeps, & originem eorum illi, & qua ratione vrbes illas initiò occupaſſent, & vires Dei illorum recenſet. His ſubiicit: Nunc igitur deliberandum eſt. Nam ſi Deo ſuo peccauerũt, aſcendemus, eóſque debellabimus: ſin minus, prætereat Dominus meus, ne fortè illis à deo ſuo defenſis, nos ſuperemur. Quæ cum Achior dixiſſet, Holofernes ira percitus, ſatellites iubet Achiorem vinctum tradere Iſraelitis, vt cum illis captus ſupplicio afficeretur. Betuliam itaque perducunt hominem, & cũ ab oppidanis ſagittis & fundis peterentur: Achiore vincto in montis radicibus abiecto, redierunt. Eum oppidani in vrbem introduxerunt: & cognita ex eo illius facti cauſa, Deũ vindicem inuocarunt. Poſtridie Holofernes copiis ad Betuliam adductis, peditum cẽtum & ſeptuaginta, & equitũ duodecim millibus, caſtra locat. Deinde ſtatuit non gerere bellum, ſed fontes occupare, vnde aquarentur, vt aut ſiti perirẽt, aut vrbem traderent. partémque exercitus ad cuſtodiam aquarum mittit. Ita cum diebus triginta quatuor ab hoſtibus circumſiderentur, aqua deſtituti ciues, magiſtratus adeunt, petentes vt vrbẽ & ſeſe dederent vt aut conſeruati ſeruirent hoſtibus, aut occiſi malis liberarentur. Ozias autem ciuitatis princeps: Fratres, inquit, dies adhuc quinque expectemus. quòd ſi diuinitus auxilium nobis oblatum fuerit, bene erit. Sin minus, conſilium veſtrum exequar. Erat autem in ea vrbe vidua nomine Iuditha, mulier modeſta, cordata & formoſa, quæ decreto populi & magiſtratuum audito, Oziam cæteróſque magiſtratus accerſitos obiurgat: vt qui Deum tentarent, cum dicerent, niſi intra dies quinque auxiliũ diuinitùs offerretur, ſe vrbem hoſtibus tradituros. Illi quamuis eam re-

*Iudithæ res geſtæ.*

*Nabuchodonoſoris contra Arphaxadum Medum expeditio.*

*Achior Ammanita ob verum conſilium hoſtibus deditur ab Holoferne.*

*Betuliæ obſidio, & penuria commeatus.*

*Iuditha conſilium init liberãdæ patria.*

eam rectè dicere concederent, tamen populi ſitim & violẽtiam opponebant. Tum illa, eos per noctem illam ad portas vrbis præſtolari iubet: ſe cum ancilla ſua exituram, neque dicturam prius quid cœpiſſet conſilij, quàm rem ipſam perpetraſſet. Exitu impetrata, digreſſis illis, ad preces conuertitur: & depoſito lugubri ex viduitate veſtitu, lota, & vnguentis delibuta, amictum hilarem induit, ornamenta ſumit, & exornata ad amoris illecebras ancillæ in vaſis ferendum dat vinum & oleum, & peram, farina, ficubus & panibus plenam: & ea comite vrbem egreſſa, in caſtra Aſſyriorum tendit: ab excubitoribus compreheſa, ad Holofernem adducitur. qui eius formam admiratus, ſecuram eſſe iuſſit, nihil enim paſſuram mali.

*Iudithæ cũ Holoferne colloquia.*

Tum illa: Audi, inquit, Domine verba mea, & quæ Achior dixit, animo tuo non excidant. Verùm enim eſt, Iſraelitas, ni peccauerint, gladio non ſuperatum iri. Nunc autem, quia cibis & aqua deſtituuntur, lege interdictis veſci, & primitias frumenti, viníque decimas, quæ ſacerdotibus attributa, ne attingi quidem ab aliis fas eſt, abſumere decreuerunt. Quæ cum & Hieroſolymitani ſtatuerint, legatos eò miſere, veniã eius facti petentes. Sic igitur lege violata, non defenſi à Deo, in exitium ruent. Quibus ego cognitis, ex vrbe profugi, vt interitum vitem, & nunc apud te manebo Domine: & egreſſa noctu in vallem, adorabo Deum, vt cum is mihi dixerit, quando peccarint, ego tibi renunciem, & te per Iudæam Hieroſolyma vſque perducam, ſoliúmque tuum in vrbis medio collocem. Holofernes hac oratione delectatus, introduci eã iubet in cellam conclauis ſui, & dari quod edat. At illa, ſe negat illorum cibis vſuram, ne ſibi fraudi eſſent: ſed iis quos ſecum attuliſſet, victitaturam. Cum Holofernes rogaret, vbi ij defeciſſent, quo victura eſſet? Reſpõdet illa: ita tu viuas Domine, vt nõ prius cibi hi me deficiẽt, quàm Deus mea manu id peregerit, quod decreuit. Media nocte petiit, vt ſibi in vallem egredi liceret ad precandum: concedit Holofernes. Quum autem illa triduum ita feciſſet, quarto die conuiuium apparat, & Bagoæ eunucho, qui omnibus eius opibus præerat, mandat, vt Hebręæ mulieri perſuaderet, vt ad ſe veniret. Sibi enim turpe fore, ſi talẽ fœminam dimiſiſſent, nulla conſuetudine cum ea habita. Bagoas Iudithæ ait: Veni ad dominum meũ, vt glorioſa ſis in conſpectu eius, & nobiſcum compotato, eo loco futura, quo eę ſunt, quę degunt in ædibus Nabuchodonoſoris. Iuditha igitur exornata ad Holofernem ingreditur, accumbit, ea edit & bibit, quæ ab ancilla ſua ſibi parata erant. Holofernes obſtupefactus, amore illius inflammatur: productóque conuiuio, & plurimo vino hauſto inebriatus, in lectulo ſe reclinat, mero grauato capite, digreſſis omnibus, Bagoas tentorium claudit, ſola Iuditha in eo relicta. Mandarat autem illa ancillæ, vt exitum ſuum obſeruaret, egreſſuram enim eſſe ad orandum.

*Holofernis cædes, & Aſſyriorũ profligatio.*

Sed cum Holofernem vino demerſum, & profundiſſimo ſomno oppreſſum videret, inuocato Deo, ſtricto acinace illius caput reſecat: egreſſa, ancillæ tradit: abit vt de more precatura, cumq; vrbi ſuæ propinquaſſet, portarum cuſtodes aperire iubet, intromiſſa, quæ miracula Deus ipſius opera edidiſſet, commemorat, Holofernis caput profert: id è propugnaculis ſuſpendendum eſſe monet, & armatos mane egredi. Nam, vbi vos, inquit, viderint Aſſyrij, ad imperatoris ſui tabernaculum concurrent, & eius cæde perterrefacti, fugam facient. Vos eos inſecuti ita cædetis, vt campi cadaueribus impleantur. Quæ cum ciues monuiſſet, Achiori accerſito caput Holofernis monſtrat: quo ille conſpecto, attonitus petebat, vt quid egiſſet, ſibi recenſeret. cum autem illa in conſpectu totius populi quę Deus per ipſam feciſſet, narraret, vtq; caſtitatem & viduitatẽ ſuam inuiolatam conſeruaſſet: credidit Achior Deo, & circumciſus eſt.

*Achior Iudaiſmũ amplectitur.*

Magiſtratus verò & populus vrbis, capite Holofernis de pinnaculo ſuſpenſo, cæteráque de Iudithæ conſilio executi, Aſſyrios inſtar graminis cæciderũt: magnáque copia ſpoliorum potiti, Iudithę tabernaculum Holofernis attribuerunt. quod illa Hieroſolyma profecta, Deo conſecrauit, eíque cum omnibus Iſraelitis canticum cecinit, oleagino ramo coronata: & reuerſa domum in caſtitate conſenuit, mortua cum vixiſſet annos v & c. Et hic euentus fuit Iudithæ.

*Tobiti genus & mores.*

Nũc ſeries narrationis poſtulat, vt & Tobiti hiſtoriam breuiter percurramus. Is igitur ex tribu Nephthalia oriundus, captus fuerat temporibus Enamaſaris regis Aſſyriorum, homo pius erga Deum, & iuſtus aduerſus homines. cumq; tribules eius Baali immolarent, ipſe Hieroſolyma proficiſcens ſacrificabat Deo, vita ex legis mandatis inſtituta. In captiuitate non contaminatus fuit cibis gentilibus: conciliatáque ſibi Enamaſaris gratia, de opibus, quas magnas pararat, impertiebat egenis popularium ſuorum. Cum autem in Mediam proficiſceretur, depoſuit apud quendam popularium ſuorum Gabaelum x argenti talenta.

*Anna. Tobias.*

ductáque vxore ſuæ gentis Anna, Tobiam filium ex ea ſuſcepit. Enamaſare mortuo, Senacheribus filius regni Aſſyriorum ſucceſſor, cum bello Iudæis illato fœde profligatus eſſet, domum reuerſus, per iracundiam ex dolore cladis multos Iſraelitarum occidit.

*Tobiti exilium, & reſtitutio.*

Eos Tobitus noctu ſepeliebat. Quamobrem delatus apud regem, cum quereretur, ipſe fugam capit, & facultates eius omnes diripiuntur. Nec dum dies L exierant, cum Sennacheribo à ſuis filiis occiſo, parricidæ perterriti in exilium profugiunt: & alius eius filius Nachordan regnum paternum ſuſcipit, qui Tobiti cognatum, Achiacharum nomine, ſuarum rerum procuratorem cõſtituit, cuius interceſſione Tobitus rege exorato Niniuem reuertitur. Feſto Pentecoſtes, quod ſeptenis hebdomadibus Iudæi celebrabant, Tobitus lauto prandio apparato, filio mandat, vt quencunque fratrum inopem & Domini memorem videret, eum ad epulas adduceret. Tobias egreſſus reuertitur, patri nuncians, populariũ quendam ſtrangulatum in foro iacere Statim abit Tobitus, cadauer ſublatum domum portat, & poſt ſolis occaſum ſepelit. à ſepultura reuerſus, domum non ingreditur: vt qui ex lege impurus eſſet, contacto cadauere.

*Tobiti excæcatio.*

Sed iuxta parietem in aula dormit, in quo paſſerculi nidulati, excrementa alui in oculos eius deiecerunt. Vnde cæcatus Tobitus, & ad egeſtatẽ redactus, ab vxore nente alebatur: quæ aliquãdo mercede accepta, auctarij vice hœdum

etiam



etiam retulerat, cuius balatu audito, rogabat, num furto ſublatus eſſet? Reſpondente illa, dono ſibi datum eſſe: inſtabat, ſi furtiuus eſſet, vt ſuis dominis reſtitueretur. Mulier dolore commota, & maritum ob nimium iuſticiæ ſtudium veluti ſubſannans: Vbi, inquit, ſunt eleemoſinæ tuæ, & iuſticia tua? Iis verbis Tobitus perturbatus & lacrymans, mortem à Deo exoptat.

*Sara Raguelis filia infeſtata à dæmone Aſmodæo.*

Cæterùm accidit, vt eodem die Ecbatanis Medię Sara filia Raguelis à paternis ancillis maledictis laceſſeretur, quaſi maritos ſuos ſuffocaret, cũ ſepties deſponſa, neque vlli nupta fuiſſet. Nam dæmonium quoddam, nomine Aſmodæus, illos ad eã ingredientes, ſuffocabat. Ea contumeliæ impatiens, de ſuſpendio deliberabat: ſed ne patri ſuo luctui & dedecori eſſet, ab eo ſibi tẽperat: & ad preces conuerſa, Deum inuocat, mortem optãs, & liberationem ab opprobriis, aut clementem melioris fortunæ adeptionem, qua & ipſa ignominiam effugeret. Vtriuſque autem preces exauditæ ſunt: miſſúſque à Deo Raphael archangelus, qui & Tobiti cæcitatem curaret, & Saram Tobiæ deſponderet, & Aſmodæum malum dæmonium vinciret, ne quid Tobiæ noceret Sara ducta. Tobitus igitur filium Tobiam vocat, multa monet, denique exponit, ſe apud Gabaelum, Gobriæ filiũ qui Ragis Medicis degat, decẽ argẽti talẽta depoſuiſſe, iubet vt ea recipiat, reddito chirographo, & comitem mercede conducat.

*Raphael archangelus, Tobiam in Mediam comitatur.*

Is dum comitem quærit, in Raphaelem archangelum incidit, qui virili ſpecie illi oblatus, profitebatur ſe ſcire viam & ædes Gabaeli, & eius fore comitem. Eo igitur adhibito, quaſi homo eſſet, Azarias nomine, iter ingreditur: iuxta Tigrim fluuium pernoctant. Cum autem Tobias fluuiũ ingreſſus eſſet, vt ſe ablueret, exiliit inde piſcis, adoleſcẽtem deuoraturus.

*Piſcis cor, iecur & fel.*

At angelus vt piſcem apprehendat, & pertractum in terram diſſecet, hortatur: eiúſque cor, iecur & fel diligenter aſſeruet. Cùm prope Ecbatana veniſſent, Tobias, frater Azaria, inquit, quis nobis vſus eſt cordis, iecoris & fellis piſcis? Reſpondet ille: cordis & iecoris ſuffitu, fugari dæmones, ſi cui ſint moleſti: fel inunctum oculis, albuginem detrahere, & reſtituere viſum. Pręterea Tobię ait, ſe in vrbe apud Raguelẽ cognatum eius pernoctaturos, cui filia ſit Sara, cordata & formoſa: eam ſe illi vxorem petiturum. Tum adoleſceris: Audiui, inquit, puellam ſeptem viris fuiſſe elocatam, qui omnes in thalamo nuptiali perierint. Nam à Dæmonio adamari, quod ſponſos illius perimat. Vereor itaque, ne & mihi idem vſuueniat. Cui angelus: Me, inquit, audi, neque vlla dæmonij ratione habita: vbi in thalamum veneris, portionẽ de corde & iecore piſcis carbonibus imponito. Dæmonium enim odore illo profligatum, nunquam redibit. Cũ ingreſſi eſſent ædes & Raguel Tobiam Tobiti filium eſſe cognouiſſet, vtrunque humaniter excipit, adoleſcentem deoſculatur, & patris eius calamitatem deplorat.

*Sara Tobiæ deſpondetur.*

Angelo autem à Raguele petente, vt Tobiæ Saram deſponderet: cum annuiſſet pater, & filiam accerſiſſet, puellã manu prehenſam Tobiæ tradit, & libellum matrimonij conficit. A cœna Tobias in conclaue ad illam introductus, corde & iecore piſcis carbonib. impoſito, cubiculum ſuffumigat, eóque nidore fugat dæmonium. Raguel autem, cum dilux iſſet, ancillam miſit, viſum an adhuc viueret Tobias: quæ cum eum ſaluum eſſe renunciaſſet, laudato Deo Tobiæ ait: Nuptias per quatuordecim dies celebrabimus, nec ante eos elapſos te dimittam, pòſt accepto mearum opum ſemiſſe, diſcedes. reliqua, me, vitæque meæ ſocia defuncta, accipietis. Tobias igitur ad Raphaelem ait: Frater Azaria, Cape chirographum meũ, & Raga Medica profectus ad Gabaelũ, argentũ affer. Nam ſi diu morabimur, pater meus vehementer angetur. Abit angelus, dato Gabaeli chirographo, argentóque accepto reuertitur. Elapſis nuptiarum dieb. Tobias petita à Raguele venia, vxoréque ſua, cum ſemiſſe bonorum ſoceri accepta, diſcedit. Cum autem iam Niniuæ appropinquarent, angelus ei ait, Præcurramus, & preparemus ædes: tu verò fel piſcis in manus ſumito, vt aperiantur oculi patris tui. Nam vbi tu eos inunxeris, & ille ex morſu cõfricuerit, albuginem detrahet. Mater porrò eius ſedebat, reditum filij expectans: eo cõſpecto, aduentum eius Tobito nunciat properéque accurrens, filiũ deoſculata: Vidi te, inquit, fili, neque mihi poſthac mors curæ eſt.

*Tobitus viſum recipit.*

Tobitus verò ad ianuã exiens impingit. ſed Tobias eo apprehenſo, felle inunxit eius oculos: quos vbi ille compunctos defricuit, albugo inde ſquãmarum inſtar decidit, Viſo igitur filio, laudat Deum. cúmque audiſſet, quid ei apud Medos accidiſſet, egreſſus eſt ſponſæ obuiam & bene precatus. Niniuitæ autem cum eum videre cernerent, & magnifica Dei opera audirent, mirabantur. Dixit autem Tobitus filio, vt ſuo comiti mercedem cum auctario daret. Verùm Tobias: Pater, inquit, æquum eſt eum ſemiſſem eorum omnium quę attulit accipere. & Raphaeli ait: Mi frater Azaria, ſume dimidium eorum omnium quę attuliſti, & bene ambula.

*Raphael indicat qui ſit*

Tũ angelus vtrúmque ſeducit, & eis opera Dei magnifica recenſens, ſe Raphaelẽ eſſe ait, nec ſua ſpõte veniſſe, ſed à Deo eſſe miſſum: monet vt Deũ celebrent, eiúſque in ſe beneficentiam prædicent. Nam arcanum, inquit, regis celare bonũ eſt: Dei autem opera ſunt celebranda & extollenda. Illi his auditis, ad pedes eius ſunt prolapſi: ſed cum ſurrexiſſent, eum non viderunt amplius, & prædicarunt miracula diuinitus in ſe edita. Natus erat Tobitus, cum viſum amitteret, annos L V I I I, eúmque poſt annos V I I I recuperauit, & ab eo tempore magis etiam veritus eſt Deum, & maius virtutis ſtudiũ habuit.

*Tobiti & Tobiæ obitus.*

Cum planè conſenuiſſet, Tobiæ dixit: Ego fili planè conſenui, iamiam moriturus. Tu verò cũ liberis tuis proficiſcere in Mediam. Perſuaſum enim habeo, ea quæ Ionas de Niniues excidio prædixit, euentura eſſe. Hieroſolyma item fore deſerta, & templum cõbuſtum iri: ſed Deo vrbi reconciliato, populum reuerſurum, & eam inſtauraturum. Tu verò legem obſeruato, & miſericors eſto & iuſtus. His filio mandatis expirauit, annos C L V I I I natus. Eo Tobias vnà cum matre honorificè ſepulto, cum vxore Ecbatana Mediæ ad ſocerum Raguelem proficiſcitur: quem cum & ipſum natu grandem ſepeliſſet, hæreditatem eius adit. Mortuus eſt & Tobias, annos natus C X X V I I audiuítque, priuſquam obiret, excidium Niniues à Nabuchodo-

noſore

noſore & Aſsyriis captæ, Omnis igitur Hebræorum populus, vt iam expoſitum eſt, ab Aſsyriis captus, & aliò tranſlatus eſt, deſertis Hieroſolymis: neque prius dimiſſus, quàm Aſsyriorũ imperiũ, vt prophetæ prædixerant, à Medis & Perſis eſſet euerſum, anníque L X X ab Hieremia deſignati præteriſſent. Neque verò alienum hoc loco fuerit, Aſsyrij regni excidium breuiter perſtringere, atque oſtẽdere, verè prædictum fuiſſe à Prophetis, id à Medis & Perſis euerſum iri. Cęterùm res ita ſe habet. Medorum & Perſarum diſtincta regna fuerunt, quorum illud Aſtyages, hoc Cambyſes tenuit, qui Mandanen Aſtyagis filiam in matrimonio habebat, ex eáque Cyrum filium procreauit. Is Perſarum inſtitutis educatus, in virum fortiſſimum, modeſtiſſimum, cordatum & iuſtiſſimum euaſit. Perſarum autem inſtituta, Xenophonte autore, huiuſmodi fuerunt. Forum habuere, quod liberum vocabatur, in quo & regia & cæteræ curiæ extructæ erant, repulſis inde rebus venalibus & circumforaneis hominibus, eorúmq; turbis & vociferationibus, ne iis hominũ bene inſtitutorum diſciplina turbaretur. Diuiſum erat id forum in quatuor curias, quarum vna pueris, altera adoleſcentibus, tertia viris, quarta iis qui ætatem militarem exceſſerãt, erat attributa. Suam igitur quæque ætas curiã frequentabat. Verùm adoleſcentibus cum armis gymnicis iuxta curias excubare moris erat, exceptis iis qui vxores duxerant. Iis verò neque adeſſe, niſi denunciatum eſſet, neceſſe erat: neque crebrius abeſſe, conceſſum. Curia quælibet duodecim principes habebat, pro numero Perſicarum tribuum. Pueri qui ludos frequentabant, iuſtitiam diſcebant, eorúmque principes maximam diei partem iure dicundo conſumebant. Nam inter pueros æquè ac viros controuerſiæ naſcuntur, de furto, vi, rapina, dolo malo, iniuria, & aliis. Quos ex his peccaſſe cognorant, mulctabant: eos item, qui falſum aliis crimen intenderant. Docebant item eos temperantiam exemplo ſeniorum, & continentiam in cibo & in potu. Nam apud magiſtrum capiebãt cibum, domo ſecum panem & obſonij vice naſturtium afferentes. potus eis erat cothon (poculi genus eſt) profluentis aquæ. ante cibum ſagittare & iaculari diſcebant: & hæc vſque ad annum ætatis X V I, aut X V I I. Ex eo, inter adoleſcentes referebantur: & decennium iuxta curias ſomnũ capiebant, & interdiu quoque magiſtratibus, cum opus erat, in publicis negociis operam nauabãt. Rex item venatum exiturus, ſemiſſem eorum educebat. Venabantur communiter, quòd illa exercitatio rei militari non abſimilis videretur. Aſſuefaciebat eos ante lucem ſurgere, frigus & æſtum ferre: itineribus & curſibus exercebat, ferã vel ſagitta vel iaculo ferire docebat, & ferociores etiam beſtias ſubſiſtere. In venatu ſecum ferebant prandiũ puerili copioſius, cætera ſimile. neque prãdebãt in venatu, niſi vel feræ cauſa diutius manẽdũ eſſet, vel alioqui venatui immorari liberet. Eo prãdio in cœna cõſumpto, poſtridie vſque ad cœnã venabãtur, vtrumque diẽ pro vno numerãtes. Id eò faciebant, vt & militiæ, ſi eſſet opus, idem facere poſſent. Obſonium erat, quod cæperant: Si nihil cæpiſſent, naſturtium. Tribus quæ manebant domi, præter cætera ſagittando & iaculando exercebantur, & inter ſeſe decertabant. Adoleſcentes qui manebant, inſeruiebãt magiſtratibus in iis negociis publicis, quæ vires & celeritatem deſiderabant. Sic X annis exactis, in virorũ cœtũ transferebantur, in eóque annos X X V permanebant. Cúmque militandum erat, non amplius gerebant arcus & pila: ſed arma quibus cominus pugnatur, pectus thorace munitum, ſcutum læua manu, dextra gladium aut ſecurim. Ex his omnes magiſtratus legebantur. Iis X X V annis exactis, vtique iam L ætatis anno ſuperato, in ſeniorum claſſem tranſibant. Ii ad extera bella non proficiſcebantur, ſed domi ius dicebant, de omnibus rebus & publicis & priuatis, & cauſis capitalibus etiã. Iidem magiſtratus omnes creabant. quòd ſi quis ſiue adoleſcens, ſiue vir inſtituta violaſſet, eũ ſeniores curia eiiciebant. eiectus, per omnẽ ętatẽ ignominioſus erat. Turpe habebatur apud Perſas expuere, emungi, aut anhelare coram aliis, aut vrinam reddere, aluúmve deiicere publicè. Quæ cauere nõ potuiſſent, niſi & moderato victu eſſent vſi, & labore humiditates conſumpſiſſent. Cyrus igitur huiuſmodi Perſarũ diſciplina enutritus & educatus, cum adoleſcentiæ annos egreſſus, in virorũ numerum relatus eſſet: omnibus in rebus laudẽ eximiã eſt conſecutus. Auo eius materno Aſtyage defuncto, Cyaxares, qui & Darius dicitur, Cyri auunculus, paternum regnum ſuſcepit. Cæterùm rex Aſsyriorũ, imperio in immẽſum aucto (nam præter ingentem ſuæ nationis multitudinẽ, Arabes & Hyrcanos ſubegerat, & Syros tributarios fecerat: &, Hebræis iam euerſis, Bactrianos obſidebat, & plurimas alias gentes in ſua poteſtate habebat) putabat, ſi Medorum vires fregiſſet, ſe omnes circumiacentes populos facilius oppreſſurum. Hac cogitatione ſuſcepta, ſuos inſtruit: legatos ad Crœſum Lydorũ regem, & ad vtróſque Phryges, ad Paphlagones & Indos, ad Cares & Cilices mittit, petens, vt belli quod contra Medos moliretur, ipſis quoque vtile futurum, ſocij eſſe vellent. Nam eam gentem potẽtem eſſe, & affinitate cum Perſis iuncta, illorum quoque vires aſciuiſſe, & vtramque ab altera firmari. Ac niſi maturè vires eorũ premerentur, ordine omnes gẽtes oppreſſuros. Ille igitur huiuſmodi ſermonibus paſſim iactãdis, quoſdam verbis, nonnullos muneribus, quoſdam etiam metu ſui adduxit, vt auxilia pollicerentur. Cyaxares eo motu cognito, & ipſe ſeſe parat, & miſſis ad commune & regem Perſarum Cambyſem legatis, auxilia petit, & Cyrum ſororis filium auxiliorum ducem. nam in claſſem virorum iam tranſierat. Perſis belli ſocietatem pollicitis. ſeniores Cyrum expeditionis Medicæ ducem creant, X X X millibus ſcutatorum, ſagittariorum & funditorum delectis. Creatus Imperator, re cum patre communicata, ad Medos abit cum exercitu. Quò cum ante Aſsiriorum aduentum perueniſſet, bellicas exercitationes ſuis militibus imperat. Interea à Cyaxare accerſitur, vt Indicæ legationi audiẽdæ adeſſet, miſſa veſte pulcherrima, vt ſummo in ſplendore ab Indis conſpiceretur. Cum autem Cyrus ad ianuam Cyaxaris habitu Perſico veniſſet, ægrè tulit ille veſtis tenuitatem. Indi vo-

*Aſsirij regni euertendo occaſio.*

*Aſtyages Cambyſes. Mandane. Cyrus.*

*Perſica diſciplina.*

*Pueri.*

*Adoleſcentes.*

*Viri.*

*Senes.*

*Aſsyrius bellũ aduerſus Medos parat.*

*Cyaxares Cyri & Perſarum auxilia petit.*



tem. Indi vocati referũt, ſe à ſuo rege miſſos eſſe, vt cognoſcerent, quæ cauſa belli eſſet inter Medos & Aſsyrium, eadémq; ex illo etiam percontarentur, & vtriſque dicerent, regem Indorum, æquitate cognita, iis fore adiutorem, qui iniuriis afficerentur. Ad hæc reſpondit Cyaxares, ſe quidem nullã Aſsyrio facere iniuriam: quid autem ille dicat, id eis ex ipſo eſſe cognoſcendum. Cyrus item: Si quam, inquit, Indi, Aſsyrius iniuriam ſibi à nobis eſſe ortam queritur, ipſum regem veſtrum iudicem ſumimus. His legati auditis abierunt. Cyrus verò, ne ſuus exercitus deſideret ocioſus, Cyaxari ait: Memini me nuper ex te audiuiſſe, Armenium neque milites neque tributa tibi mittere, pactis violatis. Quòd ſi vis, mediocrem equitum numerum mihi adiungito: effecturum enim cõfido, adiutore Deo, vt & copias & tributa tibi mittat. Aſſenſo Cyaxare, pollicitóq;, vbi ad Ameniæ fines acceſſiſſet, ſe illi equites miſſurum: Cyrus proficiſcitur, quaſi venatum exiret. Nam venari conſueuerat intra fines amborum, Medorum inquam, & Armeniorum. Inter venandum igitur montes Armeniæ conſcendit, & paulatim vlterius progreditur. Quo Cyaxares cognito, equites illi mittit. Quibus acceptis, tribunos cõuocat, arcanũ profert: ſe adeſſe propter Arminij iniquitatem, qui datam Cyaxari fidẽ violet. Chryſantæ mandat vt ſemiſſe Perſarum accepto, Armeniæ montes occupet: & caueat, ne cognoſcatur, exercitũ in eis verſari, ſed quoſdam pręmittat & numero & habitu pręd onibus ſimiles: vt ſi qui fortè in illos inciderint, latrones eſſe exiſtimẽt. Ita Chryſantas mõtes cõſcendit. Cyrus legatis ad Armeniũ miſſis, imperat, vt quamprimum & tributa & milites adducat, ipſe inſtructo exercitu proficiſcitur. Armenius his auditis perculſus, & copias contrahit, & vxores ac filium iuniorem cum pecuniis in montes mittit. neque enim regiã habebat munitam. Qui cũ in eos incidiſſent, qui illic in inſidiis erãt, capiũtur vxores Armenij regis, filius & filiæ, ipſe quoque animo æſtuans, Cyro ſe dedit. Interea natu maior etiam Armenij filius Tigranes, qui peregrè abfuerat, & aliquãdo in venatione cum Cyro fuerat, reuerſus, cognito ſuorum caſu, ſtatim ſine vlla cunctatione Cyrũ conuenit: cúmq; patrem & matrem & ſorores, vxorémque ſuam captiuas vidiſſet, lachrymat. Cui Cyrus: Tempeſtiuè, inquit, ades, longóque ſermone cum Armenio habito, eiúſque perfidia conuicta, tãdem dicere iubet, quantas habeat copias, quantum item pecuniæ? Cum ille reſponderet, equitum V I I I, peditum X L millia: pecuniæ, ſi ad argenti rationem computaretur, vltra I I I millia talentũm: ibi Cyrus, exercitus ſemiſſem ſecum mitti iubet: de pecunia, pro quinquaginta talentis annui tributi, duplum Cyaxari mitti, & ſibi tantundem mutuò dari. His dictis vxorem & liberos Armenio donat, Tigrani item coniugẽ ſuã reddit, recens nuptã, & omnes dimittit. Inter Chaldæos porrò & Armenios, vt inter vicinos ſolet, aſſiduæ contẽtiones & pugnæ erãt: quib. inter ſe reconciliati, Cyrus recedit, ac milites ab Armenio acceptos ad Cyaxarem mittit: & in Mediam reuerſus, pecuniáq; inter ſuos tribunos diſtributa, cum Cyaxare impreſſionem in agrum hoſtilem facit, caſtríſque poſitis, magna præda potitur. Vt autem Aſsyrios etiam accedere cognouerunt, inſtructa acie progreſſi interuallo † paraſangę ab hoſtibus caſtrametantur. Poſtridie Cyrus ſuos milites eductos ordinat. Cyaxares cum Medis alterum cornu occupat. Ex aduerſo idem & Aſsyrij cum ſuis fœderatis faciunt. Perſæ inter ſeſe cohortati ipſéque Cyrus, curſu feruntur in hoſtes. at illi vitato illorum impetu, ad munitiones ſe recipiunt. inſtant Perſæ, & dum alij alios vrgent, multos ſternunt: & eos etiam qui in foſſas inciderant, ſaltu conſecuti cædunt. Medorum item equites, hoſtium equites inuadunt: cedũt illi, fit fuga & equorum & virorum, & vtrorumque cædes. Quæ cum Aſsyriorum & fœderatorum vxores viderent, exclamãt, & conſternatæ currunt, & veſtes lacerantes plangentéſque, viros obteſtantur, vt ſemetipſos, vt vxores, vt liberos defendant. Ibi reges cum fidiſſimis aditu caſtrorum occupato pugnam & ipſi cient, & cæteros cohortantur. Veritus igitur Cyrus, ne ſi vi penetrarent in hoſtile vallum, pauci à multis circumuenirẽtur, ſignum receptui dat, vt milites paulatim extra teli iactum recederent. quod cum celeriter feciſſent, ſuos tantũ abducit, quantum rectum eſſe videbatur, & caſtra locat. Aſsyrij verò, cũ & Imperator & fortiſſimus quiſque cecidiſſet, animis angi. Crœſus & alij fœderati dolere, caſtríſque noctu deſertis diſcedere: Manè cum viderent vallum hoſtium eſſe vacuum, Cyrus Perſas primos traducit, Cyaxaris copiis ſequentibus: cúmque perſequi hoſtes conſultum putaret, Cyaxares autem quiduis mallet: petit, vt Medos qui ſponte ſequi vellent, ſibi traderet, Annuit Cyaxares, & præconem cum Cyro mittit, qui Medis ea nunciet. Interea nuncij ab Hyrcanis veniunt: Aſsyriorum hi vicini ſunt, gens ob paucitatem ſubiecta Aſsyriis, qui ita eis vtebãtur, vt nec in laboribus, ne in periculis eis parcerent. Tum autem agmen claudere iuſſi erant, equites circiter mille, vt ſi quid à tergo periculi eſſet, id in eos primos verteretur. Hi igitur ærumnis ſuis conſideratis, legatos ad Cyrum mittunt, qui dicerent, Aſsyrios ſibi iure inuiſos eſſe: ſi vellet, ſe duces fore & adiutores ad eos perſequendos. Cyrus rogat, an eos adipiſci poſſit? Reſpondent Hyrcani, ſi vel poſtridie mane cum expeditis copiis proficiſcatur, aſſecuturum illos. Tum Cyrus petit firmari ſibi fidem ab eis: pollicentur illi ſe obſides daturos, ſi viciſſim dexteras daret, & ſacramento firmaret fidem. Annuit Cyrus: Quòd ſi re præſtarent, quæ verbis profiterentur, ſe eis pro fidis amicis vſurum: neq; deteriore loco futuros, quàm Perſas aut Medos. His actis, cum adhuc luceret, educit exercitum, Tigrane cum Armeniis comitante: & Hyrcanos etiã expectare iubet, vt vnà irẽt. Medi verò ferè omnes Cyrũ ſequebantur. Iubet igitur Hyrcanos præcedere, multóq; itinere confecto, eorũ exercitui appropinquat: de quo à legatis admonitus, iubet, ſi amici ſint: citra morã occurrere ſublatis dexteris Faciũt illi, vt iuſſi erant: quos Cyrus benignè acceptos, dicere ſibi iubet, quantum abſint hoſtium duces & vniuerſæ copiæ? cũ reſponderent, paulò plus paraſanga: iubet ducere. ipſe cum Perſis in medio proficiſcitur, a-

*Cyrus Armenium fidẽ ſeruare cogit*

*Armenij mulcta, & pacis conditiones.*

*† Menſura triginta ſtadiis conſtans.*

*Aſsyriorum fuga.*

*Cyrus Aſsyrios perſequitur.*

*Hircani ſe cum Cyro coniungunt.*

lis equitū vtrinque adiunctis. Cum diluxiſſet, hoſtes re cognita, partim fugere, partim ſine pugna cædi. Crœſus autē Lydorū rex, mulieres cū curribus noctu ablegarat, vt in frigore proficiſcerentur (æſtas enim erat) & ipſe cum equitibus ſequebatur. Idē & Helleſpōtiacæ Phrygiæ ducem feciſſe memorant. Quos cū ij qui fugerāt, aſſecuti, quo loco res eſſet, docuiſſent, & ipſi fugere incipiūt. Hyrcani autē, Cappadocū regem in propinquo adhuc deprehēſum occidūt. Ac cęteri quidē perſequēdis hoſtib. intenti erāt.

*Cyrus deditiis parcit.*

Cyrus autē ſuos caſtra circūuehi iubet, & qui armati egrederentur occidere, qui intra munitiones erant vt arma in vnum conferrent, & æquos ad præſepia relinquerent, per præcones edicit: qui ſecus fecerit, capitale fore. Itaq; arma abiiciunt: ea in vnū aceruū congeſta, quibus id negotij datum erat, cremāt. Deinde recordatus Cyrus, ſe neque cibaria, neq; potū attuliſſe, omnes tentoriorū curatores cōuocat, & in omnibus tabernaculis duplū eius quod dominis, eorúmq; ſeruitiis pararint, inſtruere iubet. Dum illi iuſſa exequuntur, Medi qui longius excurrerāt, alij currus cōmeatu plenos adducūt, alij carpenta in quib. lectiſſimæ fœminæ erant: iiſque Cyro oſtenſis, ad prædā redeūt.

*Cyrus Perſicum equitatum inſtituit.*

Mordebat ea res Cyrum: & ipſe ſibi iratus, tribunos conuocat, ſuadet vt & ipſi equitatū inſtituāt, quo equites perſequi & fugientes capere poſſint. Aſſenſere cæteri. Interea Hircani & Medi, cū iam vltra meridiē eſſet, captiuos & viros & equos adducunt.

*Victis tantū domini mutatio propoſita.*

Captiuos iubet, relictis equis, domū reuerti, agros colere, ædes ſuas tenere, & ſuis vxoribus liberíſque frui, ac idem nunciare cæteris. Vnum dūtaxat eis fore nouū, quod nō idē imperaturus eſſet qui prius, cætera futura eadem eſſe omnia. Illi adorato rege, diſcedūt. Cyrus autem, Medis & Armeniis: Cœnæ, inquit, tempus eſt, eáq; parata, viri optimi, vt licuit. Vos autē Hyrcani, deducite eos in tabernacula, principes in maxima, cæteros prout rectū vobis videbitur. Cœnatote & ipſi. nā veſtra tentoria ſalua ſunt, & inuiolata.

*Caſtrorum cuſtodia.*

Dum hi iuſſa exequuntur, Cyrus Perſarum multos mittit, qui caſtra vndiq; ſeruarēt, vt & ſi quis foris accederet, nō latêret: & qui intus aufugerēt, deprehenderentur.

*Diuiſio prædæ.*

Poſtridie ſpolia diuidi iubet inter milites, & equos Perſis dari, vt & ipſi equites euaderent: & Cyaxari ea eximi, quæ ei grata eſſe ſcirēt: Perſas ſuos iis fore contentos, quæ ſupereſſent. Neq; enim nos inquit, delicatè ſumus educati: & fortaſſe derideretis nos, ſi quid elegans nobis tribueretis. quēadmodum noui multā riſus materiam præbituros, vbi equis inſederimus, atque etiā in terram deciderimus. Vocatis tribunis, equos ſorte æqualiter inter eos diſtribui iubet.

*Gobryas ſe ad Cyrum confert.*

Interea venit Gobryas Aſſyrius, homo ſenex, cum equeſtri comitatu, ſe ad Cyrū ſpectandum admitti petēs. Ad eū adductus: Domine, inquit, ego ſum genere Aſſyrius, arcémque validā habeo, & amplæ ditioni impero. Sunt mihi & ad M equites, quos regi Aſſyriorū præbere fui ſolitus, cuius ſumma amicitia fui vſus. Poſtquā verò is à vobis interiit, eius verò filius mihi inimiciſſimus, ob filiū meū vnicum & chariſſimū ex inuidia interfectū, regnum ſuſcepit: ad te venio, méq; tibi trado ſeruū & cōmilitonem, petens vt iniuriam mihi factā vlciſcaris.

Cyrus reſpondet: Si Gobrya ita ſentis, vt loqueris, te & ſupplicē ſuſcipio: & cædem filij tui me vlturum, Deo iuuante, polliceor. Tum Gobryas, Quia hæc verè dico, do tibi meā dextrā, & accipio tuam. His Actis, & Gobrya cum armis dimiſſo, Medi aderāt, qui Cyro pulcherrimum tabernaculū, & Suſiam mulierem, quæ Aſianarum pulcherrima fuiſſe traditur, & duas muſicas præſtantiſſimas: Cyaxari verò ſecundaria munera elegerant. Superuacua tabernacula Cyro tradiderunt, vt eis Perſæ vterentur.

*Panthia Abradatæ Suſiani vxor, donata Cyro, Araſpi Medo cuſtodienda traditur.*

Cyrus quæ Cyaxari deſtinarant, ab illius intimis aſſeruari iubet: quę ſibi data eſſent, grato animo ſe accipere ait: & Araſpi Medo à puero amico cuſtodienda tradit, & tabernaculū & mulierē. Erat ea vxor Abradatæ Suſiorum regis, qui dum caſtra caperētur, abfuerat legatus, ad petendam Bactrianorum regis ſocietatem, hoſpitis ſui. Mane Cyrus eques cum Perſarum duobus millibus, qui & ipſi equites facti erant, ad Gobryam proficiſcitur, ac die altero & ipſi & eorum ſocij in Gobryæ arcem perueniunt. Ibi cū didiciſſet, Aſſyrios Babylone longè maiores copias, quàm prius habuiſſent, comparaſſe, Babylonem ſe duci iubet. Quarto die cum ad fines Gobryanæ ditionis perueniſſent, & iam in hoſtili agro verſarentur: pedites & equitum nonnullos apud ſe retinet. reliquos equites excurrere iubet, & quos armatos inuenerint, occidere, cæteros & omnem prædam ad ſe adducere: cum iis Perſarum etiā quoſdam emiſit, quorum multi equis deuoluti, multi etiam maxima præda parta redierunt. Deinde verſus Babylonem progreditur, inſtructa velut ad præliū acie.

*Aſſyrius pugnam detrectat.*

Cum Aſſyrij non egrederentur, iubet Gobryam adequitare ad mœnia, & dicere: Si velit rex egredi in aciē, & pro regione dimicare, ſe illi pugnæ copiam facturū. Sin regionē non defenderit, neceſſe fore, vt pareat victoribus. Quæ cum Gobryas dixiſſet, Aſſirius miſit qui ei diceret, Dominus tuus Gobrya reſpondet: Si pugnare velitis, vt in diem x x x redeatis, nōdum enim nobis eſſe ocium qui adhuc inſtruamur.

*Gadates ſe ad Cyrum confert.*

His renunciatis, Cyrus exercitu reducto, Gobryam de Gadata rogat: qui cū regis cuiuſdā filius & Aſſyrij ſodalis eſſet, in cōuiuio ab illo cōprehenſus & caſtratus, patre mortuo regnū eunuchus tenebat. Ad eum igitur adducendum mittit Gobriā, qui iuſſa & mandata regis executus rediit. Gadatas autem cum Aſſyrij ſocietatem ſimularet, & caſtellum quoddā Aſſyrij occupaſſet, bellum inferenti impedimēto futurū: eo tradito, humaniter à Cyro excipitur, cum hac oratione: Aſſyrius tibi Gadata procreandi liberos facultatem ademit, non etiam parandi amicos.

*Cadduſij & Sacæ ad Cyrū deficiunt.*

Eo caſtello ſubacto, Cadduſij Sacæ, & plures Hyrcani ſe ad Cyrum conferunt. Sed Gadatas nunciat Aſſyrium ob iacturam illam iratum, ſuæ ditioni bellum illaturū. Si dimitteretur, ſe loca munita defenſurum, de cæteris minus eſſe ſolicitum. Rogatus quanto tempore ſuum regnum attingere poſſet, atque ipſe cum exercitu conſequi? reſpondet, ſe quidē intra triduū ibi cœnaturum: ipſū verò, ante V I aut V I I dies eò peruenire nō poſſe. Tū Cyrus: Tu, inquit, quā cellerrimè abi, ego verò vt potero proficiſcar: & conuocatis ſociorum principib. Gadatæ, homini bene merito,

qui ab



qui ab Aſſyrio oppugnaretur, opem ei ferendam ait. Iis aſſenſis: Quia, inquit, vobis idem videtur, eamus, ſumptis & viris & equis fortiſſimis, ac tridui cōmeatu, vt expediti ſimus. Sic parati, media nocte, Gobrya duce, iter ingrediuntur.

*Gadatas à quodam ſuorum proditus, Cyri interuentu liberatur.*

Gadatæ verò quidam ex eius magnatib. inſidiatus, Aſſyrio vires eius nunciat, monet vt eum per inſidias cum ſuis comprehēdat. Aſſyrius his auditis, inſidias ponit: ad quas cum Gadatas perueniſſet, iámque capi poſſe videretur, inſidiator exurgit, & humerum eius ferit, nō tamen lethali vulnere illato: & ſtatim ad Aſſyrium profectus, cum eo Gadatam perſequitur. cuius equites partim capiuntur, partim conuerſis frenis fugientes Cyrum aduētare vident. Is re cognita ducit contra hoſtes, qui illū conſpicati vertūtur in fugam. Cyrus perſequitur, capiuntur multi & currus & viri, multi occiduntur: & inter alios is etiam, qui Gadatam vulnerarat. Reliqui & ipſe Aſſyrius, in vrbem quandā magnā ſe recipiunt. His peractis, Cyrus in Gadatæ regionē peſgit, eum inuiſurus. ſed Gadatas obligato vulnere ei occurrit: & gratiis actis, ſe, quātum in ſe fuerit, periiſſe, ſed ſtrenua illius ope cōſeruatū eſſe, profitetur.

*Cadduſij temeritatis ſuæ dant pœnas.*

Cadduſij verò à Cyro in ſubſidiis collocati, cū perſecutioni hoſtiū non interfuiſſent, volentes & ipſi egregium facinus edere, Cyro inconſulto, in prouinciam Babyloniā incurſionem faciunt. At Aſſyrius egreſſus vrbē, quò confugerat, obuiam factus, cum ſolos eſſe vidiſſet, eos inuadit, & principē eorū cū multis aliis occidit, atque aliquandiu perſequitur. Qui ex Cadduſiis euaſerant, ſub veſperam in caſtra reuertūtur. Cyrus vulneratos tradit medicis: alios ipſe conſolatus, monet, vt ſuæ gentis ducem eligant. Interea Gadatas multa & omnis generis munera offert, & equos plurimos. Cyrus equos ſe accipere ait, vt equitatum Perſicum ad numerum x millium expleat: pecuniam auferre iubet, & ſeruare, donec & ipſe eum remunerari poſſet. ſuadet, vt vrbē ſuam accuratè cuſtodiat, ipſe verò ſecum proficiſcatur. Gadatas conſilio delectatus, compoſitis ſuis rebus, Cyrum comitatur.

*III Syriaca caſtella capta.*

Cum ad confinia Syrorū & Medorum peruētum eſſet, vbi tria erant Syrorū caſtella, vnum Cyrus vi capit: reliqua duo ipſe perterrefacit. Gadatas verò cuſtodib. perſuadet, vt ea tradāt.

*Cyaxares Cyro ſtudia Medorū & gloriam inuidet.*

His factis ad Cyaxarē mittit, vt in caſtra veniat, quo quid facto opus eſſet, deliberarēt, & tabernaculū ei à Medis attributum cùm cæteris reb. tū muliere cū duab. muſicis in peculiare cōclaue introducta, quampulcherrimè exornari iubet. Accepto nūcio Cyaxares, cum Medis equitibus, qui manſerant, proficiſcitur. Eius aduētu cognito, Cyrus cum Perſicis equitib. qui multi iam erant, & Medis qui aderāt, & Armeniis, cæterorúmque ſociorū equitib. optimis obuiā progreditur, vt copias Cyaxari oſtentaret. Is verò cū illum multos viros præſtantes ſequi. ſibi verò exiguū & vilem eſſe comitatū videret, ignominioſum quiddā eſſe ratus, præ dolore in manifeſtas lachrymas erupit. Cyrus eo ſeducto, cauſam iræ & doloris quærit, & multis verbis vltrò citróque factis: Denique per deos, inquit auūcule, deſine me in præſentia culpare. ſed vbi expertus fueris, quomodo erga te affecti ſimus, tum mihi vel gratias agito, vel iniuriam exprobrato. His verbis delinitum hominē oſculatur. quo viſo Medi, Perſæ & cæteri ſupra modum ſunt gauiſi.

*Cyrus dat operam, ne copiæ dilabantur.*

Cyrus autē & Cyaxares conſcenſis equis in caſtra peruenerunt. Cyaxari in tabernaculū ſuū perducto, Medi ordine munera offerunt, vnū ſaltem ex iis quæ quiſque pulcherrima nactus erat. Cū cœnæ tempus eſſet, Cyaxares epulis indulgebat: Cyrus autē de retinendis ſociis ſolicitus, cōuocatis amicis ad rem bene gerendā idoneis, petebat vt elaborarent, ne ſocij diſcederent: ſed diutius manerēt, atque auxilio eſſent. Poſtridie ad Cyaxarem omnes cōueniunt, quē prius quā alloquerentur, Cyro amici alius aliā gentē adducebāt, orātes vt permanerēt, & belli cōficiēdi adiutores eſſēt. Interea Cyaxares tabernaculo egreſſus: Socij, inquit, deliberādū eſt, vtrū adhuc militādi tēpus eſſe videatur, aut exercitus iā ſit dimittēdus. Singuli igitur progreſſi ſentētias dixere, & omnes militandū eſſe decreuerūt. Poſt omnes Cyrus: nō me latet, inquit, viri, ſi copias dimiſerimus, noſtras opes tenuiores, hoſtium auctiores fore. Sed video nos ab hoſtibus inuadi, quibus pares eſſe nō poterimus.

*Hyems & fames, hoſtes inuicti.*

Inſtat enim hyēs & penuria cōmeatus. Nā alia ſunt à nobis aſſumpta, alia propter nos ab hoſtib. in munitiones cōportata. Quis autē, ſi cū frigore & fame pugnandū ſit, militare queat? Ego verò arces hoſtiū intercipiēdas, nobis verò quāplurimas munitiones parādas eſſe cēſeo. Nā ſi nos caſtella habuerimus, ea & prouinciā hoſtibus adiment, & nobis oportuna erūt. His & plurib. in hāc ſententiā dictis, omnes ſe ſtrenuos fore adiutores dixerunt: ipſéq; Cyaxares. & machinas obſidionales moliri decreuerunt. Cyrus verò qui eam rem breui confici non poſſe videret, exercitū in tuta deductum, prædatū eduxit, vt & victus abūdè ſuppeteret, & labore valetudo militum firmaretur, & diſciplina militaris cōſeruaretur.

*Araſpes fruſtra tentata Pāthiæ pudicitia, transfugæ habitu conſilia & vires hoſtium explorat.*

Interea transfugæ Babylonij nunciant, Aſſyrium in Lydiā proficiſci, & multū auri argentíque & omnis generis ornamēta ſecū auehere. Id cum turba militaris ita interpretaretur, quaſi metuens ſibi, opes ſuas apud amicos deponeret. Cyrus contrà, eum ſocios quæſitū abiſſe dicens, ſe ad pugnā inſtruebat, exploratorem in Lydiam miſſurus Araſpem (nam is eam ad rem aptiſſimus videbatur) qui amore captus formoſæ mulieris, quam cuſtodiebat, fruſtra illam appellarat, fidei coniugalis erga maritū etiā abſentem, non oblitam. Neque tamē id Cyro mulier antè dixit, quàm amator comminatus eſſet, ſi vltrò nollet obſequi, vel inuitam facturam. Tum demū vim verita, per eunuchum Cyro nūciat omnia: qui re audita, riſit, & Artabazo cum eunucho miſſo, mandat, ne tali matronæ vim inferret: ſed ſi perſuadere poſſit, ſe non obſtare. Ob hæc Araſpem partim pudore, partim metu perturbatum, & mœrore oppreſſum, Cyrus aggreſſus: Araſpa, inquit, deſine timere & verecundari. Ego enim & deos amori cedere audio, & quò is vel cordatiſſimos homines impellere ſoleat, noui: atque iſtius culpæ ipſe tibi ſum autor, qui te cum re tam inuicta concluſerim. Ad hæc Araſpes: Tu quidē, inquit, Cyre, in his facilis es, & ad errata humana cōniuere ſoles; verum alij homines dolore me opprimunt. Nam & inimici inſultant, & amici autores mihi ſunt excedēdi è medio, ne

tu quid grauius in me conſulas. Cui Cyrus : Scito, inquit, te iſta opinione & mihi gratificari, & exercitui prodeſſe poſſe. Vtinã verò, inquit Araſpes, in tempore tibi vtilis eſſe poſſim. Si igitur, inquit Cyrus, te iram meam fugere ſimulans, ad hoſtes abieris, fides tibi ab illis habebitur. Imò, inquit Araſpes, etiam ab amicis : atque omnia, inquit Cyrus, hoſtium conſilia nobis renunciabis. Sic Araſpes cum fidiſſimis ſuorum miniſtrorum abit. Panthia verò diſceſſu illius cognito, Cyrum nuncio miſſo hortatur, ne defectione illius doleat. Nam ſi ſe ad maritũ mittere nũcium

*Abradates à Panthia accerſitus ſe ad Cyrum confert.*

pateretur, vẽturum ei amicum Araſpe fideliorẽ. Quod cũ Cyrus permiſiſſet, atq; Abradates notas vxoris agnouiſſet: cupidè profectus, cũ prope ſpeculas veniſſet, Cyro nunciandum curat, quis ſit: Cyrus eum ad vxorẽ deduci iubet. Cum ſeſe vidiſſent coniuges, & poſt deſperatam coniunctionem cõſalutaſſent : Panthia marito Cyri ſanctitatem, modeſtiã, & clementiã erga ſe prædicat. Deinde Cyrũ cõuenit Abradates, eiúſque dextera prehenſa ait, Pro beneficiis in me collatis, meipſum tibi amicũ, miniſtrum & ſociũ trado. Cui Cyrus: Et ego, inquit, te recipio. Eodem

*Indorum legati pecuniã Cyro afferut & operam nauant.*

tempore legati ab Indo venere, qui ſe gaudere aiebat, quòd quibus reb. egeret, ſignificaſſet, & pecuniam mittere : ſi maiore opus eſſet, vt peteret, & hoſpitiũ ſuum illi offerebat. Mãdarat præterea ſuis, vt quicquid à Cyro iuberentur, facerent. Ad hæc Cyrus cæteros in ſuis tabernaculis pecuniam cuſtodire iubet, tres autem ex eorum numero proficiſci ad hoſtes, quaſi ab Indo ad expetendam illorũ ſocietatẽ miſſos, rebus illorum cognitis, quãprimum & ſibi & Indo renunciare quid molirentur. Igitur Indis, compoſitis rebus ſuis, poſtridie profectis : Cyrus omnia quæ ad

*Cyrus ſe parat ad pugnã denuò cũ Aſſyriis committendam.*

rem bellicã pertinerent, magnificè apparat. Erat numerus Perſicorum equitum ad decies mille iam expletus, & falcati currus circiter c confecti, Medicíque totidem ad eandem redacti formam, cum prius ad Troianam & Libycam aurigationem accommodati eſſent, camelis etiam bini ſagittarij attributi. Cyro his rebus occupato, Indi ab hoſtibus reuerſi nũciant, Crœſum imperatorẽ exercitus eſſe delectũ, multóſque reges & populos, atq; etiã Græcos paratos eſſe ad opẽ illi ferendã. His in exercitu vulgatis, milites ſoliciti eſſe cœperũt: ſed Cyrus vt metũ per caſtra vagari ſenſit, habita cõcione ſuos animoſiores reddidit, conſultũ ſibi videri dicẽs, vt hoſtes quãprimũ inuaderet. Aſſenſis omnib. Cyaxares cũ tertia

*Cyaxares ad cuſtodiã ſui regni manet.*

Medorũ parte remãſit, ne ſuũ regnũ omni præſidio deſtitutũ eſſet. Cyrus autẽ ſumma celeritate proficiſcitur. cúmq; ſpeculatores præmiſſi fumũ aut puluerẽ excitatũ, & homines ſibi videre viderẽtur, qui pabulũ & ligna colligerẽt: hoſtilẽ exercitũ in propinquo eſſe cõiecerũt, idq; Cyro nunciarunt. Is eos in ſpeculis manere, & præmiſſa equitũ ala ab iis decurſione in planiciẽ facta, capi aliquos iuſſit, è quib. vbi cognouit, exercitum in quo & ipſi fuerint, ad duas paraſangas abeſſe, & de ſe multa verba fieri ab hoſtib. aduẽtu ſuo minimè lętis, atq; aciẽ inſtrui à Crœſo & Græco ac

*Araſpes à Cyro & exercitu honorificè excipitur.*

Medo quodã, qui profugiſſe à ſuis diceretur: Cyrus, Vtinã, inquit, illũ ita capiã, vt volo, & captiuos abire iubet, neq; multo pòſt de reditu exploratoris Araſpis fit certior, eũq; lęticia exultãs obuiã egreſſus amplectitur. Quod cũ omnes mirarẽtur: Amici, inquit, adeſt vir optimus, qui nulla turpi de cauſa, nec mei metu abierat, ſed à me ablegatus, vt hoſtiũ res cognitas, nobis certò renũciaret. Ab omnib. igitur ei honos eſt habendus, qui noſtri boni cauſa & ignominiã & pericula ſubiit. Ita ſalutatus ab omnib. Araſpes, quę vidiſſet exponit, copias hoſtiũ, ſtatiões, cõſilia. Quib. auditis Cyrus quenq; arma ſua & equos curare iubet, & manè ad pugnã paratos eſſe. Parẽt illi. cumq; poſtridie omnes armarẽtur, Abradatẽ cui ſorte obuenerat, vt contra Ægyptios locaretur, Panthia galea aurea exornat, & armillis, purpureaq; veſte ad talos vſq; demiſſa, & cono hyacinthini coloris, quæ ipſa ei fecerat, ſuis ornamentis cũflatis quod maritũ ſibi maximũ eſſe ornamẽtũ diceret. Dũq; ei arma indueret, & ſi ploratũ diſſimulare ſtudebat, tamẽ lachrymæ per genas manabãt, iámque cõſcẽſuro currũ, cęteris diſcedere

*Panthiæ ad Abradatem oratio.*

iuſſis: Abradate, ait, te, vitæ etiã meæ anteponi à me noſſe arbitror: tamẽ mutuũ amorẽ noſtrũ teſtor, malle me, ſi te virũ fortẽ prębueris, eadẽ terra tecũ tegi, quàm ignominioſam cũ ignominioſo viuere. Nã Cyro quidẽ magnã debemus gratiã, quod me captiuã, & ſibi attributã, nõ pro ancilla, aut ingenua parũ honorata tractauit, ſed tibi cõſeruauit, haud ſecus ac ſi fratris vxorẽ cæpiſſet. Pręterea cũ Araſpes cuſtos meus ab eo defeciſſet, pollicita ei fui, ſi te accerſi pateretur, te illo multo & meliorẽ & fideliorẽ ei futurũ. His verbis delectatus Abradates, Iouem precatus, vt ſibi daret, vt & Panthiæ coniugio, & Cyri amicitia dignus videretur, currum conſcendit. Cyrus autem duces ad rem fortiter gerẽdam cohortatus, proficiſcitur. Cum in hoſtium conſpectum ventum eſſet, ſuis quàm pulcherrimè inſtructis, ſingulos ordines obiens, milites ad pugnam acuit.

*Crœſi & Cyri pugna.*

Crœſus contrà, ſuas copias Cyri exercitui opponit, & ſigna canere iubet. Procedunt igitur tres phalanges, vna à fronte, altera dextra, tertia læua, vt omnis Cyri exercitus terreretur, vndique præter quam à tergo circumuentus: nihilo tamẽ ſecius ſigno dato, omnes ſe ad hoſtes conuertunt. Ac magnum erat ſilentium, donec Cyro, cum tempus videretur, pæanem auſpicato, omnis exercitus ſuccinuit. Eundem cum equitibus hoſtes aggreſſum, pedites inſtructi ſequuntur. Artagerſes porrò camelis præfectus, læuam hoſtium aciem emiſſis belluis aggreditur. equi verò eas ne eminus quidem ferentes, alij fugere, alij exilire, alij inter ſeſe permiſceri. Eodem tempore & currus dextra læuáque irruebant, à quibus in fuga multi capiebantur. Abradates milites cohortatus, nihil equis parcens inſtat, prouectis vnà cum eo cæteris quoque curribus, & cum ſibi proximis in Ægyptiorum phalangem irrumpit. ac cæteri quidem ad currus fugientes perſequendos declinarunt. Qui

*Abradatis interitus.*

verò cum Abradate erant, obuios impetu equorum proſternunt, proſtratos cædunt. Nam quocunque falcati currus agebantur, omnia & arma & corpora diſſecabant. In eo inexplicabili tumultu, rotis in tam varia ſtrage exilientibus, Abradates cæteríque curribus excuſſi, cæduntur. At Perſæ inſecuti, Ægyptiorum turbatos



batos cædunt, iis qui ordines ſeruabant reſiſtentibus. Ibi verò atrox præliũ exoritur. Nam Ægyptij & multitudine & armis ſuperiores erãt, neque Perſæ ſtare poterant: ſed Paulatim recedentes, & cædebant, & cædebãtur, donec ad machinas eſſet ventum. Ibi rurſus Ægyptij è turribus cædebãtur, & multa hominum cædes edebatur, magnus armorum ſtrepitus, magnus clamor. Interea Cyrus aciem aduerſam perſequens, cum Perſas loco motos videret, indoluit : & iis quos ſecum habebat ſequi iuſſis, hoſtes à tergo aggreſſus, multos cædit. quo animaduerſo, Ægyptij cõuertuntur. Ita confuſa pugna oritur equitum & peditum: ac Cyrum, equus à quodam iacente, in ventre vulneratus, exiliens, excutit. Quo facto, ſtatim exclamant omnes, & cum impetu cient pugnam. Sed quidam è Cyri miniſtris, dominũ in ſuum equum attollit : quo is conſcenſo, videt Ægyptios paſſim cædi. & ad machinas prouectus, turri conſcenſa, proſpicit campum plenum equorum, hominum, curruum, fugientium, perſequentium, vincentium, victorum, neque quicquam amplius cernere poterat, quod maneret,

*Ægyptij Cyro ſe dedunt.*

præter aciem Ægyptiorum, qui vndique circundati, ſub clypeis ſedebant: cúmque iam nihil agerent, multa acerba perpetiebantur. Miratus igitur, & miſertus eorum, quòd viri fortes interirent, ſuos à pugna cohibet. ac præconibus dimiſſis rogat, num perire malint, an conſeruari. Iis quærentibus, qua mercede ſalutem redimere poſſent? Reſpondet Cyrus, ſi arma ſibi traderẽt, qui cum eos perdere poſſet, conſeruatos mallet. quo Ægyptij audito, fidem dederunt & acceperunt. His rebus geſtis, Cyrus iam tenebris obortis, reducto exercitu, in caſtra ſe recipit, milites cœnati ſomnum capiunt. Verùm Crœſus cum

*Crœſus Sardibus capitur.*

exercitu ſtatim Sardes fugit : cæteræ gentes noctu, quo quæque poterat, abierunt. Mane Cyrus verſus Sardes ducit. cum vrbem attigiſſet, machinas erigit, ſcalas profert. inſecuta nocte Chaldæos & Perſas adducit ad præruptiſſimam petram propugnaculi Sardianorum, via monſtrata per quendam Perſam, qui cuiuſdam ex arcis Sardianæ cuſtodibus ſeruus fuerat. Arce occupata, Lydi mœnia deſerũt. Cyrus orta luce vrbem ingreditur, atq; edicit, ne quis aciem deſerat. Crœſus autem in regia concluſus, Cyrum inclamat, qui nonnullis ad illius cuſtodiam relictis, & ſuis in caſtra deductis, ad illum redit. quo viſo Crœſus : Salue, inquit, Domine. & tu Crœſe, inquit Cyrus. Verùm, nunquid conſilij mihi dare velis? Velim, inquit ille, modò poſſim. Tum Cyrus: Milites meos, inquit, Crœſe fatigatos, & plurimis periculis defunctos, capta vrbe poſt Babylonem Aſianarum opulentiſſima, ſpem habere video emolumentorum. Ego verò etſi eos remunerari cupio, tamen vrbem diripiendam non dabo. Ad hæc Crœſus: Si me apud Lydos quoſdam dicere ſiueris, me impetraſſe à te vrbis incolumitatem, ſcito eos vltrò quicquid Sardibus eſt precioſum, ad te allaturos. in primis autem ex meis theſauris ſumito, quantum voles. Cyro aſſenſo, ea re occupati diem tranſegerunt. Poſtridie alios ex amicis theſauros, alios pecunias quæ à Crœſo præberentur, accipere iubet. Inde percontatur:

*Panthia cũ*

Nunquis Abradaten vidiſſet? cúmque ex miniſtris quidam dixiſſet, eum in prælio cecidiſſe: femore percuſſo, conſcenſóq; equo ad illum properat.

*eunuchis tribus ſe ob mariti interitũ iugulat.*

Vtque Panthiam humi ſedẽtem iuxta mariti cadauer videt, lachrymans ait. O fortem & fidelem animum. Ad hæc mulier : Hoc, inquit, ei accidiſſe propter me ſcio. & forſitan etiam propter te Cyre. Nam & ego demens ſedulò eum hortabar, vt amicitia tua ſe dignum præberet : & ipſe cogitabat, qua re gratum tibi faceret. Ac ille quidem honeſtè occubuit, ego verò hortatrix illius viua aſſideo. Cyrus cum aliquandiu tacitè lacrymaſſet, multáque deinde ad leuandum luctum attuliſſet, diſcedit. Mulier eunuchis ſecedere iuſſis, nutrici mandat, vt ſe mortuam eadem cum marito veſte tegat : eáque plorante, ſeipſam iugulat, & capite ſuo pectori mariti impoſito, moritur. quo facto nutrix ſublata voce lamentatur, ambóſque tegit. tres autem eunuchi dominæ cæde cognita, ſtrictis gladiis & ipſi ſeſe perimunt. Cyrus cognita cæde, mulierem admiratus deplorat, ac ingenti tumulo excitato, magnificè & ipſam & maritum ſepelit. Interea Cares, ſeditione inter ipſos

*Cares & Phryges Cyro ſe dedunt.*

orta, vtrique Cyro ſeſe dedunt: Phryges item ad Helleſpontum habitantes, plurima dona obtulerunt, ne Barbaros intra mœnia recipere cogerentur, ſed tributa duntaxat penderent. Prygiæ verò rex ſe parabat, vt pacem repudiaturus. Cum autem præfecti deficerent, Hyſtaſpe ſe dedidit. qui præſidio caſtellis impoſito, multos etiam Phryges equites & parmatos cum ſuis adduxit. Cyrus quoque relicto Sardibus præſidio, Crœſóque ſecum abducto, qui plurimos currus vehebat, plenos magnis & variis opibus, & accuratè deſcriptũ habebat quid in quolibet curru eſſet, diſceſſit. eáq; deſcriptione accepta : Tu quidem, inquit, rectè feciſti Crœſe, ſed qui pecunias acceperunt, ij omnino eas mihi vehent. Quòd ſi quid furati fuerint, ſua furabuntur. Idem Crœſus plurimos etiam Lydos, ſplendidis armis exornatos, ſecum duxit. Cyrus autem dum Babylonem proficiſcitur, magna Phrygia, Cappadocia & Arabia ſubactis: è ſpoliis deuictorũ equites Perſicos haud pauciores quadragies mille inſtruxit, & omnibus ſociis multos captiuorum equos diſtribuit, & multis equitibus, multis ſagittariis & ferentariis, ac funditoribus innumerabilibus Babylonem adductis, vrbem copiis cingit. & cum principibus atque amicis mœnia contemplatus. adducit exercitum, & circum vrbem caſtra locat. Cum autẽ vidiſſet flumen Babylonem per-

*Babylonis captiuitas.*

flere mediam: conſilio ſuo cum nemine communicato, caſtra cingi iubet foſſa lata & profundiſſima, forſitan vt cuſtodibus quàm pauciſſimis eſſet opus. Ei operi milites intenti, mediocri à flumine ſpacio fodiunt, egeſtámq; humum verſus caſtra coniiciunt. Babylonij verò deridebant obſidionem, vt qui amplius viginti annorum commeatum haberent. Foſſa iam abſoluta, Cyrus obſeruato tempore quo Babylonios per totam noctem potare & comeſſari cognouerat, foſſam verſus fluuium (is Euphrates eſt, vt Herodotus tradit) aperuit. aquáque in eam noctu traducta, factum eſt, vt alueus fluminis in vrbe ab hominibus tranſiri poſſet. Tunc igitur miniſtros & pedites & equites vadum periclitari iuſ-

ſit, atque interea duces multitudinis ad rem capeſſendam exhortatus,arma capere,ac ſe ducem ſequi:Gobryam & Gadatham,quibus vrbs nota eſſet, vbi in eam perueniſſent, viam monſtrare, qua rectà ad regiam iretur, iuſſit. Summa igitur feſtinatione Gobryas & Gadatas cum ſuis ad regiam vſque progreſſi, portas clauſas reperiunt; & cuſtodes potantes opprimunt. Sublato clamore & ſtrepitu, qui in regia erant, iuſſu regis viſuri quid rei eſſet,portas aperiunt: irrumpunt hoſtes, ad regem vſque penetrant, eum ſtricto iam acinace aſtantem Gobryas & Gadatas capiunt: ſatellites partim repugnantes, partim fugientes cædunt. Cyrus turmas equitum in vias dimittit,cum mandato, vt quos foris deprehenderint, occidant: cæteris per Syriæ linguæ peritos,denuncient,vt intra ædes ſe contineant. Qui egreſſus fuerit, occiſum iri. Interea Gadatas & Gobryas adſunt, atque nefarij regis vltionẽ primùm diis immortalibus acceptam ferunt. Deinde Cyri pedes & manus deoſculãtur. Xenophon in Cyri hiſtoria, capti Aſſyriorum regis nomen haud ponit. Sed Ioſephus libro x Antiquitatum, Balthaſarem illum eſſe tradit, cui manus viſa ſit, quæ ex pariete extiterit,eáque ſcripſerit quæ iam expoſita ſunt,& à Daniele declãrata. Cum diluxiſſet, & caſtellani vrbis captiuitatem, & ſui regis cædem cognouiſſent:arces Cyro tradunt,qui præfectos & præſidia in eas miſit. Deinde magis accerſitis, vt vrbe expugnata Diis primitias immolet, ædes & curias rerum geſtarum ſociis aſſignat,atque ipſe etiam vitæ rationem rege dignam inſtituit:eámque,quo minus inuidioſa eſſet,de amicorum ſententia inchoat: ac dicendo conſequitur, vt ipſi id à ſe poſtularent. Regiam ingreſſus, ſatellites legit, ſui corporis miniſtros caſtrat ac eunuchos facit. ſatellites Perſarum circiter x millia legit,vrbem iuſto præſidio firmat. His factis, qui honoratiores erant in exercitu, eos ita ornat, ne ignauam & luxurioſam vitam agerent. ac aliarum rerum curam aliis mandat, alios reditus accipere,alios ſumptibus,alios operis præeſſe,alios poſſeſſiones cuſtodire,alios cõmeatus & annonam, alios equos & canes curare iubet. Eorum autem curam, qui felicitatem tueri debeant,ipſe ſuſcipit. Eas porrò facultates conſecutus,vt liberalis in alios eſſe poſſet, nullũ mortalibus beneficium iucundius eſſe cogitans cibi & potus communione, plurima ſibi fercula iis ſimilia quibus ipſe veſceretur, apponi iuſſit, quàm plurimis ſuffectura:eáque,exceptis iis quibus ipſe cum conuictoribus ſuis frueretur,diſtribuebat. Ac cum liberaliſſimum & munificentiſſimum fuiſſe, minus eſt in tantis opibus mirandum:ſed regẽ obſeruantia & cura ſuperare amicos, id verò magis eſt memorabile. Qua de re dictum eius quoddam refertur, Conſimilia eſſe munera boni paſtoris & regis. Nam & paſtorem decere ſaginatis in primis à ſe iumentis vti:& regi vrbes & homines, quos bearit, inſeruire. Fertur & Crœſum, qui eum ob crebras donationes pauperem fore dixerat,rogaſſe, quãtum ſibi pecuniæ eſſe putaret, ſi aurum, vt ipſe cenſeat, ex quo regnare cæperit, collegiſſet? cúmque ille ingentem ſummam nominaſſet,dixiſſe: Age igitur Crœſe, mitte aliquem cum Hyſtaſpe. Tu verò Hyſtaſpe adito amicos meos,eíſque dicito,mihi ad rem quandam conficiendam auro eſſe opus, vt quiſque quàm plurimum poſſit comparet,idque literis inſcribat atque obſignet, & epiſtolas Crœſi miniſtro tradat. Eadem quæ mandarat,literis inſcripta omnia,& obſignata, Hyſtaſpæ tradidit,eúmque ab omnibus vt amicum ſuum tractari iuſſit. Cum circumiſſent,& Crœſi miniſter epiſtolas attuliſſet, Hyſtaſpes dixit: Rex Cyre, me quoque nunc vtere vt diuite. Nam propter commendationem tuam & ipſe plurimis affectus ſum muneribus. Tum Cyrus,& hic, inquit, Crœſe vnus eſt ex theſauris noſtris. Tu verò cæteros contemplatus,ſupputa, quanta mihi pecunia ſit,ſi fuerit opus. Is verò lõgè maiorem ſummam reperiſſe fertur,quàm in theſauris eum habiturũ fuiſſe dixerat, ſi collegiſſet. ac Cyrum dixiſſe,Viden' Crœſe & mihi theſauros eſſe? cum autem in animo haberet, ad puluinaria deorum immortalium ſupplicatum ire: vocatis principibus Perſarum & cæterorum, ſtolas Medicas inter eos diſtribuit, quas Perſæ tum primũ induerunt. Stolis optimis inter optimos diſtributis, etiam aliis Medicis ſtolis prolatis (vt enim plurimas pararet,neque purpureis,neque Orphninis, neque Caryccinis,neque puniceis pannis pepercerat) cuique ducum partem earum tradidit,quibus & illi ſuos exornarent. Rogatus autẽ à quodam, quando ipſe ſeſe ornaturus eſſet? Nónne, inquit,vobis nunc ornatus eſſe videor, cum vos ornaui? Nam vbi de amicis fuero bene meritus, qualibet in veſte formoſus erò. Suplicatione abſoluta, & victimis immolatis, cum familiaribus cœnatus eſt, amicis honoratiſſimis ad læuã collocatis,vt quæ magis oportuna ſit inſidiis:cæteris ad dexteram. A cœna, eos qui vltro in bellis ſecuti fuerant, dimiſit domum, præter eos qui ſponte manere vellent:iis verò & agros & ædes dedit, diſcedentibus tam militibus quàm ducibus plurima donauit. Dedit & ſuis militib⁹ multa de Sardianis pecuniis,pro dignitate cuiuſque. Qui vt ea acceperant,alij dixere,nimirum ipſum Cyrum habere plurima, qui tam multa largitus eſſet:alij, nõ id eſſe Cyri ingenium,vt pecuniam faceret, qui dando quàm accipiendo delectetur magis. Quibus Cyrus animaduerſis, amicis & aliis idoneis aduocatis: Apertiſſimi, inquit,ingenij mihi eſſe videtur, vt princeps copiis ſuis palàm expoſitis, de laude bonitatis certet. Et ego igitur, quicquid mearum opum eſt, quod monſtrari poſſit, oſtendam: quæ oſtendi nequeunt, enarrabo. His dictis res multas & præclaras deprompſit. Quæ verò repoſita erant,nec proferri facilè poterant,recenſuit. Et hæc,inquit,viri non tam mea ſunt exiſtimanda, quàm etiam veſtra. Nam ea colligo, vt qui honeſtè ſe erga nos geſſerit, eum remunerari queam: & ſi cui veſtrûm quid opus fuerit, à me vti petat. Rebus Babylone compoſitis,reditum in Perſiam parat. In Mediam progreſſus,ſe ad Cyaxarem conuertit: eóque ſalutato, & multis egregiis muneribus affecto,ait, domum etiam illi Babylone aſſignatam eſſe. At Cyaxares filiam ad eum mittit, cum aurea corona,armillis,torque & veſte Medica pulcherrima. ea Cyrum coronat:rex verò,Hanc,inquit,Cyre filiam meã, vxorem tibi do, & totam Mediam

*Balthaſaris cædes.*

*Cyrus pro rege ſe gerit.*

*Vbi amici, ibi opes.*

*Perſæ Medicis ſtolis exornantur.*

*Cyri reditus in Perſiam, & nuptiæ.*



Mediam doti dico. Neque enim mihi ſunt mares liberi Germani. Ad hæc Cyrus, ſe & genus laudare, & puellam & munera, ſed eam de ſententia patris & matris ducturum eſſe. His dictis, in Perſiam contendit,relictóque in finibus exercitu,ipſe cum amicis vrbem ingreditur,victimas adducens, quæ & ad ſacrificandum & ad conuiuendum Perſis omnibus ſatis eſſent: parentibus atque amicis munera affert, qualia par erat, & qualia magiſtratus ac ſeniores decebãt, necnon Perſis omnibus eorúmque vxoribus & liberis. Aliquandiu apud parentes commoratus, in Mediam reuertitur: probatóque à patre coniugio, Cyaxaris filiam ducit. Celebratis nuptiis, ſtatim cum ea Babylonem proficiſcitur. Inde ſatrapas ad gentes ſubactas mittit,vt in Arabiam,Cappadociam, Phrygiam maiorem, Lyciam, Ioniam, Cariam, Phrygiam, Helleſpontiacam & Æoliã. Ad Cilices verò, Cyprios & Paphlagones ſatrapas non miſit,eo quòd vltrò ſe ad illum contuliſſe videbantur: nihilominus tamen & hi tributa penſitabãt. Vt autem in tanta imperij amplitudine nuncij celeriter ad ſe perferrentur,cõſiderauit, quantum itineris equus vno die curſu conficere poſſet. ac tanto interuallo diſtincta diuerſoria ſtruxit,equis & equiſonibus in iis collocatis,quorum cuique præfecit virum ad recipiendas literas quæ afferrentur idoneum, qui & traderet & acciperet fatigatos equos, & alios mitteret integros. Anno iam elapſo, expeditionem ſuſcepit, in qua omnes gentes quæ ab ingreſſu Syriæ vſque ad mare rubrum incolunt,ſubegiſſe fertur. Deinde Ægyptum etiam,vt eius Imperiũ verſus Orientem rubro mari,verſus Septentrionem,Ponto Euxino:ab occaſu, Cypro & Ægypto,verſus meridiẽ Æthiopia terminaretur. Ipſe in medio conſtitutus,ſeptenos menſes hyberno tempore, ob regionis teporem Babylone degit: ternos menſes vernos, Suſis: Ecbatanis binos æſtiuo tempore. Vita igitur ſic acta,ſenex admodum in Perſiam ſeptimùm venit, parẽtibus iam olim defunctis. Ibi in regia dormienti, viſus eſt in ſomnis apparere vir quidam humana conditione maior,qui diceret: Pára te Cyre. nam dij te nũc accerſunt. Vnde coniiciebat,ſibi vitæ finem inſtare: ac tertio die pòſt,filiis (nam eum comitati fuerant) amicis & Perſarum magiſtratibus accerſitis: Mihi, inquit, iam vitæ finis inſtat. Eſt autem declarandum, cui relinquam imperium, ne controuerſiæ de eo ortæ vobis negocium faceſſant. Tu igitur Cambyſe, qui natu maior es, regnum teneto, quod tibi & à Diis & à me tribuitur. Te verò Tanaoxare ſatrapam conſtituo Medorum, Armeniorũ & Caddufiorũ. Hæc vbi filiis mandarat,multáque pręceperat,affatus eos qui aderant,ac dextra porrecta omnibus cõtecta facie,expirauit. Eo defũcto,ſtatim filij ſeditionẽ mouerunt, vrbes ac prouinciæ defecerunt, ac in peius ruebant omnia. Atque hæc à Xenophonte de Cyro prodita ſunt. Sed Herodotus Halicarnaſſeus ea de Cyri educatione,obitu, totáq; vita narrat, quæ recẽſere prolixum fuerit. Mihi verò cõpendiũ hiſtoriarum ſcribenti,nõ cõuenit verboſum opus contexere:ſed ſatis eſt ea conſectari,quæ probabiliora vidẽtur. Cui verò etiam Herodoti de illo narrationes euoluere libet, is hæc libro primo, cui Clionis Muſæ primæ titulum indidit,inueniet. Cyrus igitur Aſſyriorum regnũ ſic euertit, & primo ſui imperij anno,à captiuitate Hebraicæ gentis ſeptuageſimo, Iudæis qui Babylone degebãt,redire Hieroſolyma, vrbémque & templũ inſtaurare permiſit, id quod propheta Hieremias prædixerat,& ante illũ Eſayas. Nam ille tum vixit, cũ vrbs caperetur ac templi euerſio fieret:hic ante captiuitatem vrbis, & tẽpli euerſionem,annis centum quadraginta. Neque verò hæc duntaxat conceſſit,ſed & ſacra vaſa,à Nabuchodonoſore Babylonem trãſlata,per Mithridatem quęſtorem ſuum & Zorobabelem vnà remiſit. Et Syriacis ſatrapis mandauit,vt eis ad ædificationem adiumento eſſent, & omnes ſumptus de regia pecunia ſuppeditarent. His à Cyro conſtitutis, duarum tribuum Iudaicæ & Beniamiticę principes,Leuitę & ſacerdotes Hieroſolyma contenderunt. Multi etiam Babylone manere, quàm ſuas poſſeſſiones relinquere maluerunt. Quò cum perueniſſent, Cyri ſatrapæ omnes ad ædificationem eis (fuere autem qui redierant quadraginta duo millia & ſexcenta) adiumento fuerunt. Iam in vrbis & templi inſtaurationem intentis,finitimæ gentes, Chutæi præſertim,quos Salmanaſſar,captis Iſraelitis Samariam traduxerat, inuidentes, Satrapas in primis ſibi conciliant, ne ædificationem promouerent. Deinde Cyro defuncto,apud Cambyſem filium & ſucceſſorem eius Hebræos, vt gentem perfidam & rebellem, per litteras criminãtur. Quòd ſi vrbem & templum perfecerint, neque tributa penſuros,neque dicto audientes futuros. His & pluribus aliis ſcriptis ei perſuaſerunt, vt vrbis & templi inſtaurationem prohiberet. Ita opus impeditum eſt vſque ad ſecũdum annum Darij regis,filij Hyſtaſpis per annos nouem. Nam Cambyſes cum ſeptem regnaſſet annos,& Ægyptum ſubegiſſet, inde reuerſus Damaſci obiit,regno à Magis occupato. de quibus & hic breuiter eſt dicendum. Cambyſes fratrem habuit, quem Xenophon Tanaoxarem,Heredotus Smerdim appellat. Viſus igitur eſt in ſomnis Cambyſi in Ægypto agenti quidã dicere,Smerdim regio throno occupato,capite cœlos attingere. Regno igitur metuens,Prexaſpem Suſa mittit,qui fratrem clanculum perimeret. Ac ille quidem ita periit, ſed Cambyſes fati vim nõ effugit. Fuerunt enim duo fratres Medi, quorum alter Catizithes,alter Smerdis vocabatur,profeſſione Magi. Ac Smerdis non tantum nomen,ſed formam etiam cum Smerdi Cyri filio communem habebat. Alterũ Cambyſes ſuarum rerum curatorem delegerat. Dum igitur rex in Ægypto morabatur, Cathazithes cæde Smerdis,quam pauci norant,cognita, regnũ inuadere deſtinat:idque fratri qui Smerdi & nomine & lineamentis corporis perſimilis eſſet,tradit,non vt fratri ſuo,ſed vt Cyri filio,fratri Cambyſis. & præcones paſſim dimittit, qui Smerdim Cyri filium regem proclament. Ea re cognita,Cambyſes Prexaſpen incuſat vt mandata non executum: qui cum affirmaret, fratrem, quem ipſe & occidiſſet & ſepeliſſet, ei non mouere ſeditionem:præconem qui Smerdim, Cyri filium,regem in exercitu proclamabat, & comprehenſum rogat,non ipſe Smerdim viderit, &

*Satrapæ miſſi in prouincias.*

*Equi certis locis diſpoſiti ad nuncios celeriter perferendos.*

*Perſici imperij fines.*

*Cyri ante obitũ oratio.*

*Cyri erga Iudæos benignitas.*

*Cambyſes Chutæorum criminationibus impulſus,vrbis inſtaurationẽ Iudæis interdicit.*

*Magorum tyrannis.*

*Smerdis filij Cyri cædes.*

num de illius mandato iſta proclamet? Reſpondet homo, ſe Smerdim non vidiſſe, ſed iuſſu Magi regiæ magiſtri ea proclamare. Cambyſes igitur veritate inde cognita, fratrem à ſe temerè occiſum luget, & bellum inferre Magis parat. Sed dum in equum inſilit, elapſo vagina gladio lethaliter in femore vulneratus, quod illius loci nomen eſſet, rogat? Cum Ecbatana dici, reſponſum eſſet: ibi ſibi fatale eſſe mori, reſpondet. Acceperat enim oraculum, ſe Ecbatanis moriturũ. & hactenus putarat, ſe Ecbatanis Medicis obiturum, cum oraculum de Ecbatanis Syriæ loquutum eſſet. Ita moritur orbus liberis, cùm annos ſeptem & quinque menſes regnaſſet. Eo mortuo, Magus ſecurus tenebat imperium, vſurpans Smerdis Cyri filij nomen: & miſſis in omnes prouincias legatis, triennij immunitatem proclamat. Cum autem iam menſes ſeptem regnaſſet, hoc modo eſt agnitus. Otánes nobilitate & opibus Perſicorum principum nullo inferior, filiam habebat Phædimiam, Cambyſi nuptam. eadem Magus, vt & cæteris regiis concubinis, vtebatur. Ab ea pater clam per internuncium quærit, num cum Smerdi Cyri filio concumbat? illa reſpondet? ſe nec vidiſſe Cyri Smerdim, neque ſcire quis ſit is cum quo dormiat. Pater denuò ad eam mittit, vt ſuum mandatum vel cum periculo exequatur, ſi ſit opus: ac monet, vt quãdo cum rege dormiat, eius dormientis aures cõtrectet. Nam ſi habeat aures, ſciẽdum, eam cum Smerdi Cyri filio concumbere: ſin minus, Magum Smerdim exiſtimandum eſſe. Paret Phędymia patri: cúmque carere auribus, qui rem ſecum haberet, patri ſignificat. Pręciderat autem ei Cyrus aures, ob delictum quoddam. Otanes arcanum illud cum amicis, Aſpatine & Gobrya, Perſarum principibus communicat. qui cum idem prius eſſent ſuſpicati, ſtatim fidem habent. Statuunt igitur, alios quoque ſibi adiungere: Otanes Intaphernem, Gobryas Megabyzum, Aſpatines Hydarnem, & Darium Hyſtaſpis filium, qui recens ex Perſia Suſa peruenerat. Qui cum rem cupidè audiuiſſet, eius ſtatim aggrediendæ ſit autor. quòd ſi vel illum diem ignauum elabi paterentur, ſe inſidias Mago indicaturum. Conſilio eius & cæteri aſſenſi, negocium capeſſunt. Nam & alia conatus maturandi cauſa inciderat. Cum enim ſcirent Magi, Prexaſpem, Smerdis Cyri filij perpetraſſe cædem, atque ob id facinus malè audire à Perſis: amicitia cum eo inita, magnáque polliciti, iureiurando hominem obſtrinxerant, ne cui commentum illud detegeret. Quę cum ille promiſiſſet, ſubiunxerunt, ſe aduocaturos populum ad mœnia regiæ. Ei, turri conſcenſa, proclamandũ, omnibus exaudientibus, Smerdim Cyri filium, & non alium, eſſe regem. Nam ſe illi peperciſſe, nec occidiſſe, vt Cambyſes iuſſiſſet. Cum & hæc promiſiſſet, conuocatur populus: Prexaſpes turrim conſcendit, beneficia à Cyro in Perſas collata cõmemorat. Filium eius Smerdim ſe à Cambyſe coactum occidiſſe, Magos tenere imperium affirmat: Perſas execratur, ſi id facinus inultum ſinant. His dictis, ſe de turre præcipitauit, ac mortuus eſt. Septem igitur illi ea re audita, ſtatim ad regiam feruntur, non prohibentibus cuſtodibus, dignitatem eorũ reueritis. Progreſſi in aulam, in eunuchos, qui nuncios vltrò citróque perferebant, incidunt. eos, rogati quid venirent, & vlteriore progreſſu prohibiti, occidũt, & properè ingrediuntur. Magi, qui intus eunuchorum tumultum cognorant, ad vim propulſandam ſe parant: atque alter qui haſtam arripuerat, Aſpatinem in femore, Intaphernem in facie vulnerat, vnde læſus ei eſt oculus: alteri arcus fuit inutilis, cum res cominus gereretur. itaque in thalamum ſe proripit, inſequitur Gobryas & Darius. ac ille Magũ amplectitur: hic veritus ne amicum in tenebris interficeret, aſtat ocioſus. Ob eam rem à Gobrya obiurgatus, & vel vtrunque traiicere iuſſus, pugione Magum ferit. Cæteri etiam, altero occiſo, capita vtriuſque amputant, eáque ferentes, relictis duobus, tum ob vulnera, tum ad regiæ cuſtodiã, excurrunt, cæſorum capita Perſis oſtendunt, rem geſtam narrant. Illi fraude intellecta, Magos omnes obuios occidunt. Sopito poſt aliquot dies tumultu, de componendis rebus deliberant. Ac Otanes democratiam inſtituendam, Megabyzus ariſtocratiam, Darius iterum eligendum eſſe regẽ cenſet. cuius ſententiæ & cæteri IIII principes ſuffragati, decreuere, conſcendendos eſſe equos: & cuius equus, exorto ſole, cum in ſuburbiũ peruenerint, primus hinnierit, ei⁹ eſſe regnũ. Id decretum Darius ſuo equiſoni aperit, qui cũ vir prudens eſſet, bono animo dominum eſſe iubet, eius enim regnum fore: noctu equam à Darij equo adamatam in ſuburbio alligat, equum prope illam adducit, ac deniq; ad coitum admittit. Manè cum ſeptem viri in ſuburbium conueniſſent, & via qua equa alligata fuerat, tranſirẽt: Darij equus illius recordatus hinniit. atq; ita Darius regno potitus eſt. Nonnulli igitur Darij equiſonem Oebarem hoc machinatũ eſſe ferũt, alij diuerſum quiddam tradũt. Nam equæ à Darij equo adamatæ, genitalia contrectaſſe manu, eáque intra ſubligaculum condita, cum ſole iam oriente ſeptem viri equos conſcenderent, Darij equi nares palpaſſe: qui percepto odore, ſtatim cum fremitu hinnierit. hoc ſiue ita, ſiue aliter factum fuerit, regno certè potitus eſt Darius. qui priuatus adhuc votum fecerat Deo, ſi rex eſſet factus, ſe vaſa reliqua, quæ adhuc Babylone eſſent, omnia in templum Hieroſolymitanum remiſſurum eſſe. & quia vetuſtate amicitiæ cum Zorobabele coniunctus erat, eum recens Hieroſolymis profectum cum aliis duobus ad cuſtodiam ſui corporis adhibuerat. Cum autem primò ſui regni anno conuiuio magnates excepiſſet, ac poſt eorum abitum, parum in lectulo dormiſſet, experrectus, cum ſuis cuſtodibus colloquitur, & ſingulis ſingulas quæſtiones proponit. Primo, an vinum omnia vincat? alteri, an reges? tertio (is Zorobabel fuit) an mulieres, eáſque veritas? pollicitus victori præmia, vt purpuram, cydarim byſſinam, & torquem aureum geſtaret, ac poteſtatem haberet in poculis aureis bibendi, & in lecto aureo dormiendi, & curru aureis frænis vehendi: vtque proximum à ſe locum teneret, & ſuus cognatus vocaretur. Manè proceribus accerſitis, quenque ſatellitum quæſtionem ſuam declarare iubet. Primus igitur vini potentiam extollit, quòd animos abutentiũ deciper

*Cambyſis interitus.*

*Otanis filia Magorũ impoſturam detegit.*

*Perſicorum ſeptem virorum coniuratio contra Magos.*

*Prexaſpis interitus.*

*Magorum cædes.*

*Darius III rex Perſarũ.*

*Problemata de vino, rege, mulieribus, & veritate.*



deciperet, affectus mutaret, & ebrios variis modis transformaret. Alter regem præſtare omnibus diſputat, cum homines ob ſapientiam cæteris omnibus antecellant: iis autem quibus alia pareant, reges imperent. At Zorobabel maius eſſe robur mulierum aſſerit. nam ex eis & reges naſci, & vinitores: eas ab omnibus & parentibus & patriæ & chariſſimis quibuſque anteponi: eas ipſis regibus imperare, qui ſe ſubmittant & adulentur, ſi quid illas ægrè ferre cognorint. Sed veritatem tamen potentiorem eſſe mulieribus. Ipſum enim Deum veracẽ & eſſe & perhiberi: cúmque cætera caduca ſint, veritatem eſſe immortalem & æternam. In huius ſententiam cum iuiſſent omnes, vt qui de veritate rectiſſimè diſſeruiſſet: Darius ei permiſit, vt præter promiſſa præmia, quiduis etiam poſtularet. At ille regem admonet, quemadmodum vouiſſet, ſi regno potiretur, ſe & templum Hieroſolymitanum inſtauraturum, & vaſa quæ Babylone reliqua eſſent, remiſſurum. & hæc, inquit, peto. His rex delectatus, ſcribit ad ſatrapas, vt cedrina ligna præbeant ad templi ſtructurã, & ad vrbis inſtaurationem Zorobabeli ſint adiumento: omnes Iſraelitas, qui in Iudæam abeant, libertate & immunitate donat: ad templũ inſtaurandum L talenta largitur, vaſa quæ penes ipſum erant, mittit: & quæcunque Cyrus de Iudæis promulgarat, eadem & ipſe confimat. His peractis, Zorobabel Babylonem proficiſcitur, & popularibus ſuis lætum affert de regis benignitate nuncium. Quibus igitur cordi erat reditus, ij Hieroſolyma ſe conferunt, quorum ſumma fuit * Myriades CCCCLXII & milia VIII, abſque Leuitis & ianitoribus & ſacris ſeruis ac miniſtris, qui reducem populum ſequebantur. Horum dux fuit Zorobabel, Salathielis filius, ex tribu Iudaica & Dauidis poſteritate, & Ieſus Ioſedeci pontificis filius. Præter hos & Mardochæus & Gerebus, delecti à populo: vrbem ingreſſi, victimis immolatis templi ædificationem auſpicantur, eáque celeriter abſoluta, ſacerdotes, Leuitæ, & Aſaphi liberi Deum celebrant. Tribuum verò ſeniores, reperita prioris templi magnificentia, quòd recens illud longè inferius eſſe cernerent, ita illachrymant atque lugent, vt eorum eiulatus ſonum tubarum ſuperaret. Dum templum conderetur, Samaritani Zorobabelem adeunt, petentes, ſe inſtructuræ ſocietatem admitti. Id ille recuſat: cæterùm ea abſoluta, ſi in templo adorare velint, licere. Ea repulſa homines irritati, Syriæ gentibus autores ſunt petendi à ſatrapis, vt templi æficationem prohibeant. Itaque præſides Syriæ & Phœniciæ Hieroſolyma profecti, rogant, Cuius conceſſu templum inſtar caſtelli ædificent, & vrbem muris fortiſſimis cingant? Zorobabel & pontifex Ieſus id primùm à Cyro, deinde à Dario etiam permiſſum eſſe, reſpondent. Quo illi audito, non impedienda opera cenſuerunt, ſed Dario ſtatim ſcripſerunt. Iudæos autem perterritos ac metuentes, ne regem liberalitatis ſuæ pœniteret, Aggæus & Zacharias prophetæ bonis animis eſſe iubẽt, neque moleſti quicquam ſuſpicari. Igitur prophetis freti, continenter inſtant operi. Darius autem litteris & Samaritanorum accuſationibus, acceptis, quòd Iudæi vrbem munirent, & templum caſtelli inſtar extruerent, cum eorum ædificatio à Cambyſe prohita fuerit, hæc in regiis monimentis inquiri iubet: ac inuentum eſt Ecbatanis (id Mediæ caſtellum eſt) ſcriptum, Cyrum anno regni ſui primo iuſſiſſe, templum & ſacrarium Hieroſolymitanum extrui, & ſumptus ad eam rem ex regia ſuppeditari, templíque vaſa reſtitui, & vicinos prætores opus illud adiuuare: & Iudæis ad ſacrificia pendere tauros, arietes, agnos & hœdos, ſimilámque, vinum & oleum. Hæc Darius cum in commentariis inueniſſet, præſidibus in hanc ſententiam reſcripſit: Exemplum vobis mandati Cyri in monimentis repertum, mitto: atque omnino id fieri volo, quòd illo continetur. Valete. Regis voluntate cognita, prouinciarum illarum prætoribus. Iudæos adiutantibus templóque annis ſeptem abſoluto, Iſraelitæ victimas immolarunt, priſtinorum bonorum renouatrices. In feſto Azymorum omnes è pagis in vrbem confluxerunt: peractóque ſacrificio, quod Paſcha dicitur, feſtiuitatem concelebrarũt. Qui Hieroſolymis conſederant, formam reipublicæ tenuerunt ex optimatium & paucorum poteſtate contemperatam. Summa rerum enim vſque ad regnum Aſamonæorum penes ſacerdotes fuit. Nam ante captiuitatem quidem regibus per annos DXXXII, menſes VI, & dies X, paruerunt. Ante reges, magiſtratus ij præfuere, qui Iudices vocabantur, & dictatores: ſub quibus & ipſis annos amplius D. poſt Moſem & Ieſum egerunt. Samaritani tamen infeſti Iudæis, multa mala dederunt. Quamobrem Zorobabel & alij IIII ex magiſtratibus cum eo Hieroſolymis legati ad Darium iuerunt. Quorum rex querelis cognitis, ad prætores & ſenatum Samariæ ſcripſit: Ne moleſti eſſent Iudæis, ſed è regio fiſco tributorum Samariæ, omnia ſuppeditarent ad ſacrificia neceſſaria. Dario mortuo, Xerxes filius paterni & regni & pietatis ſucceſſor, erga Iudæos optimè affectus fuit. Erat autem eo tempore Babylone Eſdras, vir bonus, & Moſaicæ legis peritiſſimus. Is cum ſe in regis amicitiam inſinuaſſet, atque aſcendere Hieroſolyma, Iudæis quibuſdam Babyloniis ſecum adductis, cuperet: Regem orauit, vt ſe per literas ſatrapis commendaret. Rex igitur huiuſmodi ſcribit literas: Meæ humanitatis eſſe ratus, vt qui ex Iſraelitis voluerint, Hieroſolyma diſcedant: hoc negocium Eſdræ ſcribæ & diuinę legis lectori dedi. Qui igitur voluerit, abeat. & quicquid auri atque argenti in regione Babyloniorum inuentum fuerit, Deo conſecratum, id omne iubeo perferri Hieroſolyma. Tu verò Eſdra, quæcunque tibi viſa fuerint, ea perficito, impenſis è fiſco regio ſumptis. Sacerdotibus porrò Leuitis & omnibus templi miniſtris neque tributum, neque quicquam aliud moleſtum imperari volo. Túque Eſdra pro diuina tua ſapientia deſignato iudices legis peritos, qui in Syria totáque Phœnicia ius dicant, & ignorantibus legem cognoſcendam exhibeto. Hanc epiſtolam Eſdras Iudæis Babylone degẽtibus legit, & exempla eius in omnes prouincias ad populares ſuos miſit: qui omnes ſupra modum exhilarati ſunt, multi etiam cum ſua re familiari ſe Babylonem contulerunt, vt redirent Hieroſolyma. Sed vniuerſus Iſraelitarum populus illic manſit.

*Zorobabel inſtaurationem Hieroſolymorum à Dario impetrat.*

*Maior reperitur hic numerus apud Ioſeph. l. 11. c. 4. ant. Minor verò in lib. 3. Eſdræ. c. 5.*

*Samaritani Iudæis negocium faceſſunt.*

*Darius Iudæorum ædificationem promouet.*

*Iudæorum reſpublica.*

*Xerxes IIII rex Perſarũ. Eſdras.*

*Xerxis literæ ad ſatrapas.*

*Iudæorum infinita multitudo trans Euphratem.*

Ea de cauſa Ioſephus ait, duas tantum tribus tam in Europa quàm in Aſia parêre Romanis. decem verò vltra Euphratem eſſe, quarum infinita ſit multitudo, cuius iniri nullus queat numerus. Eſdras igitur multis Hieroſolyma ſecum profectis, munera quæ Xerxes, eiúſque conſiliarij & Babylonij Iſraelitæ Deo donarant, magnam argenti & æris ſummam gazæ cuſtodibus, prouinciarum prætoribus, literas regis reddit, qui genti honorem habuerunt omnibúſque rebus adiumento fuerunt. Poſtea cum intellexiſſet quoſdam è populo, ſacerdotibus & Leuitis alienigenas duxiſſe vxores: eos multis lachrymis & crebris monitis impulit, vt eas vnà cum liberis eiicerent.

*Eſdras legẽ Moſaicam quaſi poſtliminio reuocat.*

Feſto tabernaculorum omnis ferè populus congregatus, ab Eſdra petiit, vt leges Moſaicas legeret: quibus auditis, commiſſa piacula deplorarunt. Sed Eſdras, in feſto non eſſe lachrymandum, dixit: ſed operandum ſacris, & conuiuandum, ac leges in poſterum obſeruandas. Et hic quidem ſenex obiit. Quidam autem ex captiuis, Neemias nempe Xerxis pincerna, ante mœnia Suſorum deambulans, cum hoſpites quoſdam vrbem ingredientes, qui hebraicè collequebantur, vidiſſet, rogat qui ſint? Cum ſe Hieroſolymis veniſſe reſponderent, de ſtatu populi & metropolis percontatur. cúmque intellexiſſet, res malè ſe habere, & multis malis affici Iudæos à vicinis gentibus lachrimat:

*Neanias. Sic legitur in Græco, ac legendum videtur Neemias.*

& hora inſtante regi miniſtraturus, ita vti erat, cœnaculum ingreditur. Qui cum triſtitiæ cauſam percontaretur, patriæ calamitates commemorans, orat regem, vt ſibi liceat eò proficiſci, & muros extruere, & quod templo adhuc deſit, perficere.

*Neemias Hieroſolymorum ſtructuram abſoluit.*

Rex poſtulatis annuit, & poſtridie literas ei dat ad Phœniciæ, Syriæ & Samariæ præſidem, quibus iubebatur honorem habere Neemiæ, & ſumptus ædificationis præbere. Venit igitur Hieroſolyma, cum magno popularium comitatu, anno regni Xerxis xxv, redditis Præſidi literis: & ædificationem oppidatim & vicatim diſtribuit, vt ea quàm primum abſolueretur. Iudæi igitur operi accinguntur,

*Iudæorum nomen.*

ſic nominati, ex quo die Hieroſolyma Babylone redierunt. Nam tribu Iudaica primùm in loca illa reuerſa, & ipſi Iudæi vocati ſunt, & nomen regioni indiderunt. Cæterùm Ammanitæ, Moabitæ & Samaritani mœnium ſtructuram ægrè ferentes, agreſſi Iudæos, multos occiderũt, ipſi etiam Neemiæ inſidiati. Ac populus iis rebus perturbatus, parum abfuit quin opus inchoatum deſereret. Verùm Neemias ſatellitibus præſidij cauſa aſcitis, conſtanter perſeuerans, noctu & interdiu mœnia vrbis obibat. eámque ærũnam per bienniũ & menſes quatuor tolerauit, donec muri abſoluti eſſent, anno imperij Xerxis x x v i i i, & menſe ix. Cúmque vrbem infrequenter habitari videret, perſuaſit ſacerdotibus & Leuitis, vt agris relictis in eam ſe cõferrent. Obiit Neemias ſenex, vir bonus & iuſtus, ſuorũque popularium ſtudioſiſſimus.

*Artaxerxes, qui & Cyrus, v rex Perſarum. Vaſtæ reginæ repudiũ.*

Xerxe quoque mortuo, filius eius Cyrus, quẽ & Artaxerxẽ vocant, regno potitus, tertio imperij ſui anno, duces & ſatrapas prouinciarũ ſuarũ per multos dies magnificis conuiuiis excepit. Regina quoque Vaſta matronis epulum præbuit: quam forma præſtantem omnibus, rex conuiuis ſuis oſtentare cupiens, ad conuiuium accerſi iubet. Illa recuſante, & nuncios complures infecta redimittente: iratus, vxoris contumaciam cum ſeptem Perſarum ſenatoribus cõmunicat. hi eius eiiciendę autores ſunt. Eiectæ verò deſiderium iniquo animo ferenti, ſuadent amici, vt formoſas virgines colligat, earũque pręſtantiſſimam vxorem ducat. Paret cõſilio rex: multíſq; virginib. collectis, Babylone puella, Iudæa genere, inuenta eſt, ex tribu Beniamitica, ambobus orba parentibus, quæ à patruo Mardochæo principe Iudæorum educabatur, Eſthera nomine. Eã rex, lepôre eius captus, vxorem ducit, & diademate ornat. Patruus item eius Mardochæus Babylone Suſa cõmigrauit, vt regiam frequẽtaret, & de nepte ſua percõtaretur. Neq; enim illa vnde nata eſſet, indicarat: neque ipſe, aliquam cum illa neceſſitudinem ſibi intercedere oſtendebat.

*Perſica lex de rege non accedendo.*

Tulerat autem rex legem, ne quis ad ſe in ſolio ſedentem accederet inuocatus: qui ſecus feciſſet, ſtatim ab apparitoribus ſecuri feriretur, niſi ipſe virgam quam manu teneret, illi porrexiſſet: eam enim qui attigerat, indemnis erat.

*Mardochæus inſidias eunuchorũ Artaxerxi detegit.*

Cum autem duo eunuchi regi inſidias ſtruerent, Bargabazus Iudæus, ſeruus alterius eunuchi, iis animaduerſis rem ad Mardochæum defert. ille per Eſtheram ad regem: qui eunuchis in crucem actis, Mardochæum in commẽtarios inſcribi, & in regia manere iubet.

*Aman ob Mardochæũ Iudæis infeſtus, internecionem molitur.*

Amanem porrò amicum ſummũ regis, omnes adorabant: quod cum Mardochæum propter legem Iudaicã prætermittere cognouiſſet, indignatus ei dixit, ſe à Perſis ingenuis adorari: cur ille, qui ſeruus eſſet, idem non faceret? totáque gente apud regem accuſata, petiit, vt ea funditùs extirparetur, ita vt nullæ reliquiæ ſupereſſent. Ne verò tributis rex fraudaretur, ipſe quadraginta argenti millia ſe daturum eſt pollicitus. Rex Amani & pecuniam & homines condonat, vt eos ſuo arbitratu tractet. Is igitur ſtatim edictum nomine regis in omnes prouincias mittit, his verbis:

*Amanis edictum.*

Eos qui ab altero patre meo Amane indicantur, omnes cum vxoribus & liberis interfici volo, ídque fieri x i i i i die menſis xii, hoc anno. His literis in vrbes & prouincias perlatis, internecio Iudæis parabatur. Idem Suſis etiam agitabatur.

*Mardochæus per Eſtherã exitiũ à ſua gente depellit.*

Mardochæus autem, cum quid actum eſſet cognouiſſet, ſaccum indutus, & puluere oppleto capite, clamitans, gentem immeritã deleri, ante regiam aſtabat. Neque enim eo habitu ingredi decere arbitrabatur. Quod cum ad reginam Eſtheram perlatum eſſet, miſſo eunucho cauſam luctus ex eo quærit. Ille quid accidiſſet, eunucho narrat, petit vt illa apud regem pro populo intercedat. Cui Eſthera viciſſim nunciat, vereri ſe, ſi inuocata ad regem acceſſerit, ne occidatur. Reſpõdet Mardochæus, non illi priuatam, ſed gentis publicam ſalutem eſſe ſpectandam. Id niſi fecerit, populum vtique diuinitùs iri conſeruatum, ipſam verò cum paterna domo interituram. Proinde regina eum Suſa ire, & Iudæis Suſiis tridui ieiunium pro ſeſe indicere iubet. Paret Mardochæus: ipſa proſtrata humi, veſte lugubri induta, per tres dies cibo non guſtato, Deum orat.

*Eſtheræ aditus ad regẽ, & conuiuia.*

Iis elapſis, ornatu regio culta, cum duab. ancillis, quarũ alteri leuiter innitebatur, altera promiſſam veſtem & humi



humi fuſam ſummis digitis alleuabat, regẽ adit, perculſa metu. cúmque in conſpectũ eius in regio throno ſedentis, ac toruum tuentis veniſſet, exanimata metu, in ancillam lateri adhærentem procumbit. Rex autem, diuina prouidentia ſic euentum moderante, ſolio exilit, mulieri metuens: eámque vlnis exceptam complectens, & bono eſſe animo iubens, reficit, porrecta virga aurea, ſceptróq; in manus ei tradito. Illa reſumpta fiducia, petit, vt cum Amane ad ſe comeſſatũ veniat. Annuit rex: cúmque veniſſet, iubet eam dicere quid velit? nam nihil non impetraturam. Illa ſe poſtridie dicturam ait, ſi denuò cum Amane ad conuiuium veniret. Rege aſſenſo, Aman lætitia exultãs egreditur: viſóque in aula Mardochæo, indignatur, ſe ab eo non adorari. Domi vxori ſuæ & amicis refert, quantus à regina etiam ſibi ſit honos habitus, quámque grauiter Mardochæi conſpectum in aula ferat.

*Aman crucem Mardochæo parat.*

Cúmque ab vxore eſſet monitus, vt lignum L cubitorum excidendum curaret, & manè à rege peteret, vt Mardochæum in crucem agere liceret: approbato conſilio, ſeruos lignum parare iubet, ídque in aula erigere ad Mardochæi ſupplicium. Eo parato, Deus noctu regi ſomnum adimit. qui cum vigilaret, priuatarum rerum commentarios ſcribam afferre & recitare iubet: in quibus cum lectum eſſet, Mardochæum detuliſſe eunuchos inſidiatores regis, & ſcriba ſtatim ad aliud caput properaret: rex eum inhibuit, percontans, an ſcriptum eſſet præmium, quo donatus eſſet? illo negante, quota hora noctis eſſet rogat: cum audiſſet diluculum eſſe, quemcunque amicorum ante regiam inuenirent, intrò vocari iubet. Inuentus autem eſt Aman, qui aderat, vt Mardochæum poſceret. Ei accerſito rex: Conſule mihi, inquit, quo honore ſit afficiendus quidam mihi dilectus? Ille ratus, quam ſententiam dixiſſet, eam in ſuam rem dicturum, qui regi charior eſſet cæteris: Eum, inquit, ſi illuſtrem reddere volueris, facito vt equo vehatur, pari tecum veſte indutus, & aureo torque ornatus, & aliquis ex neceſſariis amicis tuis antecedens, per totam vrbem proclamet: Tali honore affici eum, quem rex honore afficiat. Cõſilio delectatus rex: Quære, inquit, Mardochæum Iudæum, datóque equo & veſte, & torque, illum antecede & proclama: tu enim amicus es meus maximè neceſſarius.

Hæc autem illi à me tribuentur, ob cõſeruatam vitam meam. His Aman auditis, perturbatus, & animo æſtuens, tamen egreditur, equum adducit, & purpurã atque torquẽ. cúmque Mardochæum ante regiã inueniſſet ſacco indutum,

*Aman contra voluntatem ſuam Mardochæũ ſummis ornat honoribus.*

purpuram induere iubet. At ille: Peſſime, inquit, mortalium, itáne noſtris malis inſultas? ſed cum intellexiſſet, ea ſibi tribui munera à rege, cuius vitam, indicatis eunuchorum inſidiis, conſeruaſſet: purpuram induit, collo torquem accõmodat, & equo conſcenſo paſſim vrbem circuit, præcedente Amane, & proclamante: Sic honorare regẽ eum quem diligat. Ita Mardochæus vrbẽ circunuectus, ad regẽ redit. Amanus verò domũ regreſſus, caſum illum plorãs vxori exponit. Interea veniunt eunuchi ab Eſthera, qui Amanem properè ad cœnam ire iubent. Quorum vnus cruce in eius ædibus viſa, cum è famulo diciſſet, eam ab Amane ad Mardochęi ſuppliciũ, quem à rege poſtulaturus eſſet, paratã eſſe: tum quidem abit. Conuiuio verò propè finito, rex dicere iubet Reginam quid velit? At illa gentis ſuæ interitum deplorat, ſéque vnà cum illa exitio deſtinatam eſſe refert, eáque Amanem petiiſſe. Ob quæ rex perturbatus, è conuiuio ſe proripit: Aman Eſtherã orat, cúmque in lectum prolapſus eſſet, reginæ ſupplicãs: rex ingreſſus, Peſſime, inquit, etiam vim vxori meæ inferre paras? Mox eunuchus quoque adeſt, & de cruce refert, quã in Amanis ædibus Mardochæo paratam viderat.

*Aman in crucẽ Mardochæo paratam agitur.*

Rex verò Amanem è veſtigiò de ea ſuſpendi iubet. itáque ille periit, & opes eius reginæ donat. cognitáque cognatione Mardochæi & Eſtheræ, eũ annulum quem prius Aman habuerat, ei dat. Eidem & regina facultates Amanis largitur, & regem orat, vt Hebræorũ gentẽ periculo liberet. Tum ille ſuo nomine eã ſcribere permiſit, quicquid velit.

*Eſtheræ literæ pro incolumitate Iudæorum.*

Literæ porrò hæc continebant: Amanem vt improbum & ingratum accuſabãt, quod inſontis populi exitiũ poſtulaſſet. Mardochæum ſeruatorẽ nominabãt. Iudęos celebrabant, vt qui optima reipub. forma vterentur, & Deum colerent. neque ſupplicio tantũ ab Amane pręparato eos liberabant, ſed & honore afficiebant, & ſuis legibus pacatè viuere ſinebant: data poteſtate, vt x i i i die menſis xii, qui eſt Adar, vlciſcerentur eos à quib. lęſi eſſent. mãdabántque prouinciarũ ſatrapis, vt eis adiumento eſſent, ad vlciſcendos inimicos. Cæterùm Suſiani Iudæi, Mardochæi euentu cognito, felicitatẽ eã publicam eſſe iudicarunt, & x i i i die menſis Adar, qui à Macedonib. Dyſtrus dicitur, circiter D. ex inimicis occiderunt: qui verò in aliis vrbibus & prouinciis degebant, L x x v milia ſuſtulerunt. Iidem Suſiani etiam poſtridie c c c iuſſu Eſtheræ interfecerũt, x Amanis liberis in cruces actis: ea quoque re à rege conceſſa coniugi. x i i i i verò diẽ tota gens feſtũ eſſe iuſſit: atq; ab eo tẽpore ambos hos dies feſtos ducunt, & præſidiarios appellant. Mardochæus autem magnus euaſit, & regis in adminiſtrãdo imperio ſocius.

*Ioannæ pontificis fratricidium.*

Cum verò ſacerdotiũ ad Ioannam Iodais filiũ rediiſſet: fratri eius Ieſu, amico Bagoæ ducis copiarum Artaxerxis id promiſſum fuerat. Qua re Ioannas irritatus, fratrẽ in tẽplo ſuſtulit. Bagoas igitur ſtatim adeſt, ac tẽplũ ingreſſus: Si ij qui cædem in templo cõmiſerunt, inquit, templum ingrediuntur, & ego ingrediar, qui ſum illis purior. & Iudæos per annos v i i vexauit.

*Ioad.*

*Manaſſes, Sanabaletes Satrapa, tẽplum in Garixino mõte extruit.*

Ioanne defuncto Ioad filius in pontificatu ſuccedit. Is fratrem habuit Manaſſem, cui Sanabaletes Darij poſtremi Perſarum regis ſatrapes, filiã Nicaſam in matrimoniũ dederat. Sed cum Hieroſolymitani proceres tumultuarẽtur, quòd pontificis frater peregrinã vxorẽ haberet, eamq; vel repudiare, vel ſacrario abſtinere iuberẽt: Manaſſes ſocero negocium expoſuit. Cui ille pollicetur, ſe ei & ſacerdotium conſeruaturum, atque etiam pontificem, & ducem eorũ locorũ quibus ipſe imperaret, creaturum, ſi filiam ſuã retineret: & in Garizino, Samaritanorum montium altiſſimo, de ſententia Darij regis Perſarum, templum Hieroſolymitano illuſtrius eſſe cõditurum. His pollicitationib. Manaſſes adductus, apud Sanabaletem manſit: ad eúmque ſe multi etiã alij ſacerdotes

cerdotes Iſraelitici, talibus implicati coniugiis, contulerunt. Ac Sanabaletes quidē in eo erat, vt à Dario tēpli in Garizino condendi facultatem impetraret, Sed rege ad Iſſum ab Alexādro profligato, deſperatis illius rebus, Sanabaletes cum octo millibus, quibus præerat, ad Alexandrum profectus, ſeipſum & prouincias ei tradit. A quo receptus, iam audacter cauſam generi & templi Garizinij proponit. Voti-compos factus, omníque ſtudio ſtructura abſoluta, generum pontificem conſtituit. Sed quia in Alexandri mentionem incidimus, non alienum fuerit, huius etiam res geſtas, mores & natales perſtringere breuiter: eóque facto, ad inſtitutæ hiſtoriæ ſeriem redire: vel ea de cauſa, quòd Hieroſolyma adiit, & ab eo aliquid admiratione dignum & pontifici & populo accidit, atque ipſe diuinam quandam viſionē expoſuit, vt Ioſephus refert, quæ in progreſſu eius hiſtoriæ referētur.

*Alexander Macedo.*

Hic Philippi regis Macedonū filius fuit, natus ex Olympiade. Cæterùm fabulantur eum Hammone ſatū eſſe, qui ſpecie draconis Olympiadem fuerit amplexus. Hammonem autem Iouem appellant. Sed hoc fabuloſum eſt.

*Somnia Olympiadis, & Philippi.*

illud autem fertur, matrem eius ante eam noctē qua cum Philippo concubuerit, ſomnio putaſſe, fulmē in vterum ſuum illapſum eſſe, atque inde magnam extitiſſe flammam: quę cum paſſim vagaretur, euaneſceret. Poſt nuptias, putabat Philippus ſe imprimere ſigillum vtero vxoris, leonis imagine. Id ſomnium coniectoribus aliis aliter interpretatibus, Ariſtander reginam ferre vterum reſpondit. neque enim obſignari ſolere inania. Puerum verò qui ex eo conceptu expectaretur, fore animoſum, & leonino ingenio.

*Dies natalis & Magorum prædictio.*

Natus eſt eo die, quo Epheſiæ Dianæ tēplum conflagrauit, & Magi quidā illic circumcurſantes, exclamarunt, magnum Aſiæ malū & calamitatē eo die natā eſſe.

*Habitus corporis.*

Fuit colore ita candido, vt is circa faciem & pectus maximè purpuraſceret. Suauis itē è corpore & ore eius fragrabat odor: cuius vtiq; cauſa fuit calor & ardor corporis, quo humores, vnde putere corpora queant conſumebātur.

*Indoles.*

Animi grauitatem puer etiānum præ ſe tulit. Nam cum celeritate pedum valeret, rogatus, An Olympiæ in ſtadio decurſurus eſſet? reſpondit, ſe facturum, ſi reges concertatores haberet. Cum vel vrbs inſignis capta, vel illuſtris victoria parta à Philippo nūciabatur, quaſi ægrè ferens, ad æquales dicebat: Pater nullius egregiæ rei vobiſcum gerendæ occaſionem mihi relicturus eſt.

*Bucephalas equus.*

Bucephala equo ad Philippum allato, qui tredecim talentis ęſtimabatur, nec ſeſſorem tum admittebat, nec vocem ferebat, cum Philippo oſtenderetur, ob eámque rem inutilis putaretur: Qualem, inquit, Alexander, equum ob tractandi imperitiam reiiciunt! Quod dictum pater reprehendens: Tu verò, inquit, eum tractare poteris? Tum ille: Rectius vtique quouis alio. permiſſúq; patris, prehenſis habenis, eum ad ſolē conuertit; quòd fortaſſis animaduerterat, eum vmbræ ante oculos agitatione perturbari. cúmque eum paululum demulſiſſet manu, inſiliit atque inſedit: & parumper cohortatus, ad curſum dimiſit. Quod qui videbant, ſoliciti erant. Vt autem alacer & lætus reuertebatur, Philippi comites exclamabant. ipſe vero rex præ lætitia lachrymabundus, puerum deoſculatus: Quærito, inquit, fili regnū tibi par. Nam te Macedonia non capiet.

*Alexandri eruditio.*

Ingenio fuit ad imperata contumaci, ſed rationibus & ſuaſionibus tractabili. Magiſtro vſus eſt Ariſtotele: nec doctrinam de moribus duntaxat, gerendáque Republica percepit, ſed & arcanarū rerū ſcientiam: quæ quòd paucis communicaretur, Epoptica & Acroamatica dicebatur quarum vocum altera inſpiciendi, altera auſcultādi notionē habet. ac circumfertur eius epiſtolium ad Ariſtotelem, in hanc ſententiam: Non rectè feciſti, Acroamaticis diſputationibus editis. nam qua re aliis præcellemus, ſi ea doctina qua eruditi ſumus, communis erit omnibus? At ille reſpondit, Et editas eſſe, & non editas. quibus verbis obſcuritatem illarum rerum, & intelligendi difficultatem ſignificabat. Medicinæ non ſcientiam duntaxat, ſed ipſam etiam actionem tractauit. Annos natus XVI, cum generoſi & fortis animi iam ſpecimina ederet, ſuprà modum à patre amabatur. cum quo tamen ei non optimè conuenit, ob amores illius ætati indecoros, & matris zelotypiam & aſperitatem.

*Regni principia.*

Philippo à Pauſania interfecto, in regno ſucceſſit, annos XX natus: & quāuis res imperij vndique turbatæ eſſent, eas tamen audacia & conſilii grauitate celeriter compoſuit: Thebis captis & euerſis, captiuíſque venditis, & pace cum Athenienſibus facta. In Thebarum excidio Thrax quidam dux illuſtrem matronam Timocleam vi conſtuprauit: ac deinde, vbi pecunia eius eſſet, percontatus eſt.

*Timocleæ facinus.*

quem illa ſolum ad puteum quendam deduxit, in eóque ſe ornamēta ſua pulcherrima abſcondiſſe dixit: cúmque dux ad orificiū putei ſeſe inclinaſſet, mulier eum impulit, ac deiectū ſaxis iniectis interfecit. Eam Alexander vinctam ad ſe perductā interrogauit, Quæ eſſet? Reſpondit illa intrepidè, ſe Theagenis eſſe ſororem, qui dux contra Philippum electus, pro defenſione libertatis Græcorum occubuerit. Eius igitur indolem, & animi magnitudinem admiratus, liberam cum liberis ſuis dimiſit.

*Alexandri congreſſus cum Diogene.*

Cum ad Diogenē Sinopenſem, qui Corinthi degebat, veniſſet, eúmq; dicta ſalute rogaſſet, Num qua re egeret? reſpondit ille, ſibi opus eſſe calore ſolis: vtq; inde diſcederet, petiit. Alexādro digreſſo, comites eius Diogenem deridebant. quibus ille, ſublimem viri animum admiratus, dixit: Se, niſi Alexander eſſet, Diogenem eſſe velle.

*Aſiatica expeditio.*

Cum Aſiaticā expeditionem moliretur, nauem nō conſcendit prius, quàm amicorum aliis agros, aliis pagos, aliis reditus aliquos donaſſet. A Perdicca rogatus, quid ſibiipſi reſeruaret? Spem, inquit.

*Granici trāſitus.*

Cum Helleſpontum traieciſſet, ſatrapæ Darij circa tranſitum Granici cum magis copiis occurrerunt. Militibus autem profunditatem & impetum fluminis, atque etiam hoſtium aggreſſionem reformidantibus, ipſe cum XIII equitū turmis flumen eſt ingreſſus, eadémque opera & ipſum & hoſtes & ripas altiores ac præruptas eſt periclitatus, vt furioſe magis quàm prudenter tranſiſſe putaretur. Flumine ad hunc modum ſuperato, tumultuariam pugnam committere eſt coactus: & multis contra ſe ruentibus (erat enim ex armis notus) Iaculis non eſt vulneratus: ſed quidam eius galeæ tantum ictum gladio intulit, vt capillos etiam perſtringeret. Dum pugna ita committeretur, Macedonicæ copiæ Granicum tranſierunt, quarum vim Darij milites non ferentes, fugæ ſe mādarunt. Eius prælij ſucceſſus Alexandro magnæ felicitatis fuit occaſio. Nam & Sardeis in deditionem accepit, & reliqua ſe cum eo coniunxerunt. Inde ad oram maritimam conuerſus, Pamphiliam, Ciliciam & Phœniciam occupauit, Piſidiámque & Phrygiam. Deinde Paphlagones & Cappadoces ſubegit. Darius autem Suſis profectus eſt cum DC millibus, tum exercitus magnitudine elatus, tùm eo fretus, quòd Alexandrum ob longiorem in Cilicia moram timere arbitrabatur.

*Alexandri morbus in Cilicia. Philippus Arcanan medicus.*

Id verò ob morbum fiebat: cuius curatione à cæteris omnibus medicis deſperata, ſolus Philippus Acarnā ei medicinam adhibere auſus eſt: cum quidem Parmenio ſcripſiſſet, illum à Dario corruptum eſſe ingentibus muneribus & pollicitationibus, ſi eum ſuſtuliſſet. Ea epiſtola Alexander lecta, aſſeruatáque, ac re nemini communicata, calicem medicamēti à Philippo oblatum accepit alacer: illi verò epiſtolam dedit. Sic alter bibit, alter legit, vterque alterum intuens: Alexander vultu iucundo & hilari, Philippus ſolicito & perturbato. Cum autē Darius contra Alexandrum feſtinaret, ne, vt dicebat, hoſtes aufugerent. Amyntas Macedo tranſfuga bono animo eum eſſe iuſſit. neque enim fugiturum Alexandrum, ſed ſtatim contra ipſum iturum eſſe.

*Iſsica victoria.*

Cōmiſſo autem in Iſſo Ciliciæ prælio, magnum quidem & ipſius loci anguſtiæ momentum Alexandro ad victoriam attulerunt, ſed ipſius dexteritas & ſolertia longè maius. Tunc inter principes pugnans, enſe femur eſt vulneratus. Victoriam illuſtrem adeptus, Dario fuga elapſo, curru & arcu eius eſt potitus: caſtra à Macedonibus direpta ſunt, ac Darij tentorium cum miniſteriis, opibus, omníque apparatu Alexādro exemptum.

*Clementia in captiuas reginas.*

Deinde cum ei nunciaretur, Darij matrem, vxorem, & duas filias captiuas duci, Darium pro mortuo deplorantes, quòd eius currum & arcum captum vidiſſent: commotus eo nuncio propter fortunæ incōſtantiā, quendā ad mulieres mittit, qui eis indicet, Darium viuere, neq; eis quicq̄ moleſtiæ illatum iri. Neque enim ſe Dariū hoſtē iudicare, ſed cum eo de imperio certare. neq; de miniſteriis quæ habebāt quicquā eis detraxit, neque in conſpectū earum venit, neque paſſus eſt vt ab vllo quicquā indignū vel ſuſtinerēt, vel expectarent. Poſt Iſſicam victoriā, etiam Damaſci eſt potitus, vbi Perſæ & ipſe Darius pecunias & maximam impedimentorum partem reliquerant.

*Tyri obſidio*

Poſt hæc Cyprus & Phœnicia, excepta Tyro, ſunt ei traditæ. Tyrus obſidione capta eſt. quam dum oppugnaret, duo ſomnia vidit. altero putabat ſe ab Hercule de mœnibus vocari, porrigente dexteram. alterum ei ſatyrum oſtendebat, ſecum colludētem, qui iamiam comprehendendus, effugeret, ac ſerò tandem in manus ſuas veniret. Id cōiectores interpretati ſunt, ſignificare Tyri poſſeſſionē. nam ſatyrus, ſi vocabulum diuidas, notat, Tua Tyrus. Deinde cum Gazam vrbem Syriæ magnam oppugnaret, ſaxo humerum ictus eſt, vrbem verò cæpit. Ægypto in poteſtatem ſuam redacta, vrbem in ea Græcā de ſuo nomine cōdere voluit, & locum quendam ad ſtructuram deſignauit.

*Alexādriæ ædificatio.*

Dormienti autē viſus eſt aſtare vir canus & venerabilis, qui Homerus eſſet, & hos verſus recitaret:

*Inſula fluctiuago quatitur circumflua Ponto:*
*Ægyptum iacet ante, Pharon, quam nomine dicunt.*

Statim igitur exiliit, Pharúmque profectus, & loci oportunitate captus, illic vrbem extruxit, aggeribus inſula in continentem redacta. ac naturali loci commoditate delectatus, dixiſſe fertur: Homerum cùm cætera magnum, tum verò egregium architectum fuiſſe.

*Ammonis templum.*

Ad Ammonis templum per loca ſicca & arenoſa proficiſcens, comitem indiuiduam felicitatem ibi quoque reperit, itineris illius difficultates ſubleuantem. Nam pluuiæ delatæ ſitis periculum diſpulerunt, aerémque temperarunt, humefacta arena, & ex humore denſata. Cum autem confuſis itineris notis, aberraſſent duces, corui ſuperuolantes viam eis monſtrarunt: iidémque eos qui tardius inceſſerant, exercitum non conſecuti, noctu crocitando reuocarunt. Sic difficultate itineris ſuperata, ad Ammonis templum progreſſus eſt:

*Prophetæ barbariſmus.*

vbi cum eum propheta græcè filium appellare vellet, in fine verbi lapſus eſt, & vnius literæ errore Alexandrum filium Iouis appellaſſe viſus. Vnde à nonnullis diuina eius origo credita. qua apud barbaros ita gloriabatur, vt & Olympias diceret: Non deſinet me Alexander apud Iunonem calumniari? apud Græcos verò ea oratione abſtinuit. Aliquando ſagitta ictus, manante ſanguine dixit: Sanguis hic quidem eſt, non ichor.

*Qualis de ſuperis ſolet emanare beatis.*

*Darii conditiones repudiatæ. παιδίον. παιδίος.*

Cum Darius ei X millia talentûm pro redemptione ſuorum chariſſimorum obtuliſſet, & omni prouincia extra Euphratem ei cederet, affinitatē filia deſponſa cum eo iuncturus: Parmenion dixit, Si Alexander eſſem, acciperem iſta: Et ego, inquit, profectò ſi Parmenio eſſem. Darióque reſcripſit, ſi ad ſe veniret, eum nullum humanitatis officium deſideraturum. Regina ex partu mortua, quidam ex eunuchis elapſus, eius obitum Dario nunciauit: quo audito lamētatus eſt, quòd non tantū captiua fuiſſet, ſed & regia ſepultura caruiſſet. Ibi eunuchus: Bono, inquit, animo eſto Domine. Neque enim viuens domina mea & mater tua liberíq; vllum malum ſunt perpeſſæ, neq; illa mortua honeſta ſepultura caruit, ſed hoſtiū quoq; lachrymis eſt ornata. Ex iis verbis Darius ſuſpicionibus ſiniſtris obortis: eunuchum ſeductū iureiurando adegit, vt ſibi diceret, an Alexander vxoris amore captus fuiſſet? Nam alioqui cur, inquit, & ab hoſte & ab adoleſcente honorata eſt? Sed eunuchus ſermone interrupto: Domine, bona verba, inquit, neque tu vel vxorē probro affeceris, vel Alexandrū accuſaris, qui modeſtiam ſuā Perſicis mulieribus magis declarauit, quàm Perſis fortitudinē. cuius continentiā cæteraſque virtutes dum prædicaret, orationem ſuam iureiurando confirmauit. Darius igitur optauit, vt aut Alexandro gratiam referre poſſet pro beneficiis in ſuos chariſſimos collatis, aut vt ne alius quàm ille in Cyri ſolio ſederet.

*Darius denuò profligatur.*

Alexander autē prouinciis intra Euphratē iā potitus, contra Dariū ibat, decies centena hominū millia ſecū trahentē. Vt in conſpectū venerāt exercitus, & noctu barbarorū pyræ planiciē interiectā colluſtrabant, & è

caſtris eorum magnus tumultus reſonabat: Parmenio & quidam ex amicis multitudine perterriti, Alexandro ſuadent, vt noctu hoſtes inuadat. neque enim poſſe iuſta acie cum tanto exercitu decertari. Is verò, ſe furari velle victoriam negauit. Poſtridie pugna cõmiſſa, vt quidã aiunt, Arbelis, vt alij, Gauſamelis, barbari terga dederunt, eóſque victores perſecuti ſunt. Alexander autẽ cum Darium eminus in ſublimi curru plurimis equitibus ſplendidè armatis circundatum vidiſſet, fugientes eò compulit, quibus eos etiam qui loca ſua non deſeruerant, perturbauit, multóſque diſſipauit. Multis autẽ in conſpectu Darij cæſis, cum is præ cadaueribus currum agere non poſſet: eo relicto, & equa conſcenſa, fugæ ſe mãdat. in qua captus etiam fuiſſet, niſi Parmenio Alexandrum accerſiſſet, vt ſuo cornu laboranti ſub ueniret. Hac illuſtri parta victoria, Perſarum regno euerſo, Alexander Aſiæ rex declaratus, omni Babylonia potitus eſt. Suſis captis, XL milia talentûm ſignatæ pecuniæ, & alias infinitas opes maximi precij in regia inuenit.* Perſia quoque ſubacta, tandem quantum Suſis inuenit: aliaſque præterea diuitias exportatas eſſe memorant, decies mille iugis mulorum, & quinquies mille camelis. Regiæ incenſæ ſtatim eum pœnituit, atque ignẽ extingui iuſſit. Porrò cum natura magnificus eſſet, auctis fortunis, etiã eius aucta eſt liberalitas. Suos delicatè viuere videns, leniter caſtigauit: ſéque mirari dixit, eos ex comparatione ſuæ & Perſicæ vitæ non didiciſſe, deliciis nihil eſſe ſeruilius, labore nihil regalius. Ipſe quidem, de expeditionum & venationum laboribus nihil remiſit: amici verò, qui propter diuitias genio indulgere cupiebãt, eum ſequi coacti, maledictis nõ abſtinebãt. quę ille principiò æquo ferebat animo, regiũ eſſe dicẽs, malè audire cũ benefaceret: ſed tandẽ frequentib. calũniis exaſperatus, ſæuus & inexorabilis extitit erga maledicos. Prius autẽ cũ pro tribunali capitales cauſas cognoſceret, alteri auri manũ admouere ſolebat, vt eam reo intactã cõſeruaret, & accuſationis expertẽ. Cum Dariũ per dies cõplures tribus millibus aſſumptis perſequeretur, plerique & itinerũ difficultatibus & aquæ inopia defatigati ſunt. cũ ei Macedones quidã occurrerũt, aquã in vtribus ferẽtes: impletãque galeã obtulerunt ex ſiti malè affecto. Qua accepta, cum ſe à comitib. aſpici videret, nõ bibit, ſed iis qui dederãt illa reddita dixit: Si ego ſolus bibero, hi deficient animis. Hoſtes iam aſſecutus, caſtris præterritis, ad Darium capiendum properauit. Is verò in curru iacebat moribundus, & cõfectus vulnerib. cúmque petita aqua bibiſſet, ad Polyſtratũ dixit, qui eã dederat: Hoc extremũ eſt calamitatũ mearũ omniũ, ꝙ tibi de me bene merito gratiã referre nõ poſſum. Sed & Alexãder tibi gratiã referet, & Alexãdro Dii immortales, pro clemẽtia, qua erga matrẽ vxorémque & liberos meos vſus eſt. His dictis expirauit. cui Alexander morienti aſtãs ſua chlamyde cadauer tectũ, & regaliter ornatũ, ad matrem eius miſit. Beſſum verò à quo occiſus fuerat, duabus arboribus vi inflexis alligari iuſſit, quib. laxatis, cũ vtraque vehemẽti impetu ad ſuã naturã rediret, homo diſcerptus eſt. Cum in Hyrcaniã abiret, & barbari quidã circa pelagus Hyrcanũ quod & Caſpiũ dicitur, equũ eius Bucephalam rapuiſſent, ægrè tulit: eiſque per nuncios cõminatus eſt, ni equũ redderẽt, ſe omnes occiſurũ. At illi & equũ reddiderũt, & ſemetipſos ei dediderũt. Inde in Parthicã eſt profectus, vbi primũ barbaricã veſtẽ induit, Medica minus ſuperbam, Perſica inſolentiorẽ, quod ſpectaculum arrogãs viſum eſt Macedonibus. E captiuis tricies mille pueros delectos, & Græcis literis erudiri, & ritu Macedonũ armari iuſſit. Roxanæ formoſæ mulieris amoribus eatenus indulſit, vt eam legitimo ſibi matrimonio iungeret. Ex amicis Hephæſtionẽ, qui veſtitum eius laudabat, ſimilémque veſtẽ & ipſe induerat, Alexãdri amantẽ: Craterũ verò, qui à patriis inſtitutis nõ recedebat, regis amantẽ appellabat. illóque apud barbaros vtebatur, per Craterum Macedonib. & Græcis reſpondebat. Philotã Parmenionis filiũ, rerum geſtarum gloriã ſibi & patri vendicantẽ, & Alexandrũ adoleſcentẽ appellantẽ, deprehenſis etiam inſidiis, ſuſtulit. Patrem quoque eius Parmenionem in Media occidendũ curauit. Et amicũ Clitũ, cum in conuiuio poemata in duces quoſdam recẽs victos à barbaris facta canerentur, eáque Alexãder libenter audiret, præ inſolentia & ebrietate refragantem & indignantem & gloriantẽ, maledictáque ingerentem, primùm malo petiit. Sed cum ne ſic quidem impudentiæ & audaciæ ſuæ modũ ille ſtatuens, Euripidis iambum, *Heu quàm peruerſa conſuetudo Græciæ eſt?* & qui ſequuntur, recenſeret: bile efferueſcente haſta traiectum interfecit. iráque mox ſopita, eius facinoris pœnitens, ſibi ipſi manus attuliſſet, niſi à ſatellitibus cohibitus fuiſſet. In thalamum illatus, eam noctem & ſecutam in lachrymis egit, iacuítque deſperabundus & tacitus, tantum grauiſſimè ſuſpirans. Neque vllius amici orationẽ admittebat, donec Ariſtander augur eum viſionis de Clito oblatæ, & de ominibus quibuſdam admonuit, quibus fatalem illius caſum fuiſſe arguebat. Tum demum enim minuere luctum cœpit. Impreſſionem in Indiã facturus, cum apparatos currus videret, primùm ſuis, deinde amicorum iniecto igne, poſtremò etiam Macedonum, comburi iuſſit. Id factum paucis moleſtum fuit. Reliqui verò, cum clamore, & quaſi afflatu quodam numinis concitati eſſent, profeſſionẽ aggreſſi, Alexandrum alacritatis ad capeſſendam militiam impleuerunt. Cum verò iam & formidabilis eſſet, ac delinquentibus inexorabilis, in multa pericula in præliis incidit, & inſignia vulnera accepit. Maxima tamen exercitui pernicies è penuria commeatus, & aeris intemperie prouenit. Sed ipſe ea erat audicia, vt nihil viris fortibus obſiſtere poſſe, nihil ignauis tutum eſſe arbitraretur. Petram quandam præruptam cum iunioribus Macedonum aggreſſus, quendam inter eos nomine Alexandrum cohortatus: At te, inquit, vel propter nomen, ſtrenuum eſſe decet. Macedonibus profundum quendam fluuium tranſire dubitantibus: Cur, inquit, ego omnium mortalium ignauiſſimus natare non didici? Cum legati vrbiũ quas obſidebat, ad eũ veniſſent, eorúmque natu maximus Acuphis rogaret, quibus rationibus eius amicitiam ſibi conciliarent? Alexander reſpondit, Si te principem crearint, & mihi viros præſtantiſſimos centum miſerint.

*Perſicæ prædæ magnitudo.* — ** Perſepoli.* — *Alexandri liberalitas, frugalitas, moderatio & iracundia.* — *Darij perſecutio, & interitus.* — *Beſſi ſupplicium.* — *Hyrcania Parthica.* — *Barbarica veſtis.* — *XXX milia delectorum captiuorum.* — *Hephæſtion Craterus.* — *Philote, Parmenionis & Cliti cædes.* — *Alexandri expeditio Indica.* — *Alexandri audacia.* — *Acuphis cũ Alexãdro colloquium.*



miſerint. Ad hæc ridens Acuphis: Atqui, inquit, rex melius imperabo, ſi tibi nõ optimos, ſed peſſimos miſero. Taxiles, qui Indiæ parti omnis generis fructuum feraci ac beatæ, quæque Ægypto nihil cederet, imperabat, vir ſapiẽs, miſſis legatis Alexandro ſalutato: Quid, inquit, bello nobis opus eſt, ſi huc veniſti, vt nobis neque aquã, neque victum neceſſarium eriperes? cæteris autem rebus ſi plus poſſum, paratus ſum ad benefaciendum. Si minus, non recuſo pro acceptis beneficiis habere gratiam. His Alexander delectatus: Ego, inquit, certabo tecum beneficiis, & ne tua benignitate vincar elaborabo. acceptíſq; multis muneribus, pluribus datis, denique mille talenta ei donauit. Pace cum vrbe quadam Indica facta, milites qui præſidij cauſa conducti fuerant è bellicoſiſſimis Indis, ex ea diſcedentes, vniuerſos occidit: quod bellicis eius operibus ignominiæ veluti maculam quãdam impreſſit. Deinde cum Poro, & ipſo Indiæ rege, pugnauit, qui ſtaturæ erat quatuor cubitorum & ſpithamæ. Quem cum victum captúmque rogaſſet, quomodo tractandus eſſet? Regaliter, inquit. Percontante Alexandro: Nunquid aliud vellet? reſpondit, In regali tractatione ineſſe omnia. Eum igitur dimiſſum, ſatrapem appellauit non earum duntaxat prouinciarum quibus prius imperarat, ſed & aliarum multarum. In ea pugna Bulcephalas etiam vulneratus, paulo pòſt, iam admodum ſenex, obiit. cuius obitum Alexander non ſecus doluit, ac ſi amicum amiſiſſet. Cum Macedones pugna cum Poro commiſſa fatigati, Alexandro Gangem etiam, cuius latitudo verſus occaſum ſtadiorum LXII, profunditas C orgyarum erat, vi tranſituro, non parẽrent: animo æger, in tabernaculo deſidens, non prodiit in publicum: perinde eſſe iudicans, ſi Gangem non tranſiſſet, ac ſi victum ſe confiteretur. Sed amicis obteſtantibus & militibus cum ploratu ſupplicantibus, tandem ceſſit, exercitúque reducto, multa nauigia & rates fabricauit, quibus flumina traiiceret, exterius quoque mare inſpecturus, & præternauigando vrbes ſubegit. Cum autem ad Mallos perueniſſet, Indorum pugnaciſſimos, parum ab interitu abfuit. Nam cum primus per ſcalas murum conſcẽdiſſet: iiſque comminutis, ab hoſtibus peteretur, impetu in medios hoſtes deſiliit, & caſu rectus ſtetit. ac Barbari primùm diſperſi ſunt: ſed eum ſolum eſſe cum duobus duntaxat armigeris conſpicati, ad defenſionem conuerſi, cominus eum feriebant. Quidam verò longius abſiſtens, ſagittã ex arcu emiſſam in oſſibus circa mammam defixit: quæ plaga ſic eum perculit, vt cederet atque inclinaretur, is verò qui eum iecerat, ſtricto gladio accurreret. Sed Peuceſtes & Lemnæus regem defendentes, ambo ſunt vulnerati, alter etiam mortuus. Alexander autem, propugnante adhuc Peuceſte, barbarum à quo vulneratus erat, occidit: multíſq; vulneribus acceptis, cum in collo etiam tragula ictus eſſet, ad murum inclinatus, barbaros intuetur. Interim à Macedonibus conglobatis raptus, ſenſúque deſtitutus exportatur. Cum autem acies ſagittæ oſſi inhæreret, in extrahendo telo acerrimis doloribus affectus, in animi deliquia incidit, vt de vita eius actum putaretur. Tamen periculo euitato, cum longiore tempore curaretur, Macedonibus eius videndi deſiderio tumultuantibus, in medium proceſſit. Confirmata valetudine vlterius pergendo, multas priuincias & vrbes ſubegit. Cum quoſdam Gymnoſophiſtas cæpiſſet, eiſque multas difficiles quæſtiones propoſuiſſet, muneribus datis homines dimiſit. Taxiles verò vni inter illos celebri Calano perſuaſit, vt Alexãdrum conueniret. Is corium aridum proiecit, & eius extrema per vices calcauit: quod dum fieret, aliæ partes attollebãtur. Cum autem mediũ calcaſſet ac cõpreſſiſſet, totũ coriũ quietum manſit, & immobile. Quo exẽplo monebat Alexandrũ, ne in regni extremitatib. ſe cõtineret, ſed Media occuparet, vt & circumiacẽtia loca in officio cõtinerentur. Septem menſib. per flumina in mare deuectus, fertur nauib. Oceanũ ingreſſus: indéque reuerſus, nauib. dextrã Indicæ regionis oram legere iuſſis, ipſe pedeſtri itinere proficiſcens, in extremã inopiã incidiſſe: tãtámque multitudinẽ amiſiſſe, vt nõ quarta exercitus pars, ob morbos, malũ victum, æſtũ & famen, ex India reuerteretur. Inobem enim prouinciam pertrãſibat, quæ paucas oues habebat, marinis piſcibus ali ſolitas, inſuaui & fœtenti carne. Cæterùm ea diebus LX ſuperata, cum Gedroſiã copioſam regionem attigiſſet, & exercitum & ſemetipſum comeſſationib. refecit. Deinde ad mare deſcendit, & improbos prętores mulctauit. Nã ſuperior expeditio, & Mallium vulnus, & multitudinis interitus, efficiebant, vt Alexander ſuperſtes eſſe non crederetur. Vnde prætoribus & ſatrapis inſolentioribus factis, & iniuſtis, populi vectigales ad defectionem ſpectauerunt. Cum ex ſatrapis quidam Abulitus nullum commeatum paraſſet, ſed ter mille talẽta attuliſſet, ea equis proponi iuſſit. qui cum non ederent: Quæ, inquit, nobis eſt iſtorũ vtilitas? In Perſiam profectus, cum Cyri ſepulchrum effoſſum vidiſſet, effoſſorem, quamuis nõ obſcurum hominem Pellæum, occidit. Erant autem hæc inſcripta ſepulchro Cyri: O homo quiſquis es, & vndecunque venis (nam te venturũ eſſe ſcio) Ego Cyrus ſum, qui Perſis imperium peperi. Ne igitur exiguã hanc terram mihi inuideas, quæ meum corpus contegit. Quæ lecta Alexandrum mouerunt, rerum humanarum inconſtantiam reputantem. Darij filia Statira vxore ducta, nuptias celebrans, ſingulis conuiuis, qui nouies mille fuerũt, phialã auream donauit. & cùm cæteris in rebus ſplendidè ſe geſſit, tum æs alienum pro debitoribus diſſoluit, cuius ſumma circiter X mille talentûm fuit. Tum Antigenes quidam ex ducibus, creditore ſubornato, & ob æris alieni ſimulationẽm accepta pecunia: á rege per iracundiam & ducatu priuatus eſt, & aula exactus. Qui cũ ex mœſtitia ſibi manus illaturus eſſe putaretur, id veritus Alexander, ira poſita, pecuniã ei reliquit. Cũ autẽ pueri tricies mille, quos doceri iuſſerat, in viros fortes & decoros & in exercitationib. non ſiniſtros euaſiſſent: iis vt Alexander delectabatur, ita Macedones mordebantur. Cúmq; infirmos & mutilatos ad mare mitteret: contumeliã & inſectationem id factum interpretabãtur: petebãntque vt ſe omnes dimitteret, nouis iſtis ſaltatorib. contentus. Ob id iratus Alexander, Perſis cuſtodias mandauit: ſed Macedo-

*Taxiles Alexandro ſe dedit.* — *Alexandri inhoneſtum facinus.* — *Porus ab Alexandro victus.* — *Bucephalæ obitus.* — *Gangem trãſire Macedones recuſant* — *Alexandri periculum apud Mallos.* — *Gymnoſophiſtæ.* — *Alexandri clades.* — *Cyri ſepulchri inſcriptio.* — *Alexandri cum Statira nuptiæ.* — *Antigenis auaricia.* — *Macedonũ miſſio.*

nibus culpã deprecantibus in gratiã receptis, inutiles magnificè donatos dimiſit, atque Antipatro ſcripſit, vt eis in certaminib. & theatris principem locũ, & coronas geſtãdi poteſtatẽ daret. Vt

*Hephæſtionis funus.*

Ecbãtana venerat, Hephæſtiõ febricitare cœpit, auctóque intemperãtia morbo deceſſit. Eum caſum Alexãder, non vt ratio poſtulat, tulit: ſed medicum in crucẽ egit, equos & mulos tonderi iuſſit, & pinnacula dempſit ciuitatibus, & muſicam atque tibias lõgo tempore in caſtris inhibuit. Babylonem proficiſcenti Nearchus occurrit, nauigiis è magno mari in Euphratẽ reuectus: qui nũciabat, ſe cõgreſſum eſſe cum Chaldæis, qui alexandro vitandã eſſe Babylonem cenſerent. Verùm ille neglecta ea admonitione, pergebat. Cũ

*Prodigia Alexandri interitum denunciantia.*

autẽ mœnibus propinquaſſet, corui inter ſe dimicãtes, coram eo conciderunt. Nunciatũ ei porrò eſt, Apollodorũ prætorẽ Babylonis, pro eo rem diuinam feciſſe. Quod cum Pythagoras aruſpex, qui id ſacrũ fecerat, nõ negaret, & de modo ſacrificij rogatus, iecur ſine capite fuiſſe dixiſſet: Papæ, inquit, vt graue iſtud prodigiũ eſt! aruſpicẽq; indemnẽ dimiſit. Inter alia prodigia etiam illud fuit: Cum veſtes depoſuiſſet vt vngeretur, & pila luderet: adoleſcentes, colluſores eius, & ipſi veſtes exuturi, vident quendam in regio ſolio tacitè ſedentem, regia veſte indutum, & diademate ornatum. Qui cum rogaretur quis eſſet? diu nulla voce edita, vix tandem reſpondit: ſe Dionyſium vocari, genere Meſſenium, & captiuum adductum eſſe propter obiecta crimina. Sed Serapidem ſibi vincula ſoluiſſe, & huc perductum iuſſiſſe, veſte & diademate ſumptis, tacitè ſedere. Eo homine Alexander de vatum conſilio è medio ſublato, æger animo, ſolicitus & perturbatus, nihil non in omen vertebat. Lotus ad Mediam comeſſatum abiit, ibíque nocte in poculis acta, poſtridie febricitare cœpit. cúmque vehementer

*Diſſenſiones de obitu Alexandri.*

ſitiret, hauſto vino phreneticus deceſſit. Quidam igitur hoc modo eum obiiſſe tradunt. Alij narrant, cum dies plures febricitaſſet, lauiſſe, itáque aucto morbo mutum iacuiſſe. Macedones verò, tanquam eo mortuo perturbatos, vociferatos eſſe contra duces, donec apertis foribus Alexandrum in lecto iacentem viderint: qui tum demum deceſſerit. Quidã autores ſunt, pòſt rumorẽ extitiſſe de veneno, quod ſuaſu & ingenio Ariſtotelis pararit Antipater. Aquam autem eſſe gelidam & glacialem è petra Nonacrina, tenuis roris inſtar exudantem, quam vngula aſini excipiant. Neque enim vllo alio vaſe contineri, quin frigiditate & acrimonia eius rumpatur. Sed plerique hoc vt commenticium refellunt: indicio eſſe, quòd cadauer eius, cum dies complures in locis calidis neglectum iaceret, ducibus inter ſeſe rixãtibus, nullam veneni notam habuerit: ſed

*Alexander diuinitatem mentiri conatus.*

purum manſerit, quaſi recens eſſet. Fertur, cum inſtare ſibi necẽ animaduerteret, voluiſſe clàm ſe in Euphratẽ demergere, vt è conſpectu ſublatus opinionem afferret hominibus, ſe, vt diis genitus eſſet, ita ad deos rediiſſe. ſed cum Roxane conſilio eius cognito obſtitiſſet, cum gemitu dixiſſe: Inuides mihi mulier diuinitatis gloriam, &

*Alexandri ingreſſus in vrbem Hieroſolymorũ.*

immortalitatis. Sic Alexander ad tantũ fortunæ faſtigium euectus, deceſſit. Qui dum Tyrum obſidebat, per literas à Pontifice Iudæorum petiit, auxilia ſibi mitti, & forum præberi exercitui, ſibíque ea dari, quæ penſitare Dario ſoliti eſſent. Cum autem Pontifex ſe iureiurãdo obſtrictum eſſe Dario, ne arma contra illum ferret, dixiſſet, ídque viuente illo violaturum negaſſet: Alexander iratus, ſe bello petiturum Hieroſolyma comminatur: captáque Tyro, contra vrbem proficiſcitur. At pontifex Ioadus ob regis iram anxius, Deum orat, ne populũ deſtituat. quem Deus in ſomnis bono animo eſſe iubet: ac portis apertis & vrbe exornata ipſum cum ſacerdotibus ſolito habitu, populum candidis veſtibus regi obuiam prodire. Facit ille, vt iuſſus erat. Alexandro iam appropinquante, cum ſacerdotibus & vrbana multitudine in locũ quendã prodit, vnde & vrbs & templum conſpiciebatur. Militibus autem opinantibus regem iuſſurũ vrbem diripi, & Pontificem occidi: Alexander cum ſacerdotes & populum, vt antè dictum eſt, ornatos vidiſſet, ac Pontificem hyacinthina & inaurata ſtola indutum, cidari capiti impoſita, & auream in eo laminam, cui Dei nomen inſcriptum erat: ſolus acceſſit, atque adorauit, pontificémque ſalutauit. Eo facto cum cæteri omnes obſtupuiſſent, Parmenio etiam rogare auſus eſt, cur Iudæorum pontificem adoraſſet? Cui reſpondit, ſe non illum, ſed Deũ, cuius ille ſacerdotio ornatus eſſet, adoraſſe. Nam hunc, inquit, in ſomnis vidi, dum adhuc parum à Macedonia receſſiſſem, in hoc habitu. Is me de Aſia ſubigenda cogitantem, hortabatur, ne cũctarer: & promittebat, ſeipſum fore ducem exercitus, & regnum Perſarũ mihi traditurum. Cum autem neminem adhuc, præter iſtum modò, tali habitu viderim: tum viſionis nocturnæ ſum recordatus, tum Deo autore bello moto me Darium ſuperaturũ confido, & regno Perſarum potiturum. His dictis, & dextera ſacerdoti porrecta, vrbẽ eſt ingreſſus. cúmque in templũ aſcendiſſet, Deo victimas ex præſcripto pontificis immolauit: ac Danielis libro viſo, quo ſcriptum eſt, regnũ Perſicum à Græco euertendum eſſe, lætatus: omnibus Iudæorum poſtulatis annuit. Quo Samaritani viſo, & ipſi prope Hieroſolyma Alexandro occurrerunt, ſplendidè ornati, petentes vt ſuum quoque templum præſentia ſua ornare vellet. Id ſe in reditu facturũ promiſit Alexander.

*Samaritanorum preces repudiatæ ab Alexãdro.*

Cum autem rogarent, vt eadem ſibi quæ Iudæis tribuiſſet, concederet: qui eſſent, rogauit. Illis reſpondentibus, ſe Hebræos eſſe, cæterùm Sicimitas Sidonios appellari: denuò rogauit, an Iudæi eſſent? negantibus illis, dixit, ſe quæ illi peterent, Iudæis conceſſiſſe. Templũ porrò Gariziniũ, refugium erat eorum qui patrias leges violarant. Nam ſi quis immundis cibis vſus eſſet, aut alioqui à more maiorum receſſiſſet, ad Sicimitas ſe recipiebat. Pontifice Ioado mortuo, Onias filius eius pontificatum

*Onias pontifex.*

iniit. Poſt Alexandri porrò obitum, eius imperium in partes quatuor eſt diſtractũ: ac Aſia potitus Antigonus, reliquis partibus ij quorum ſuprà facta eſt mentio. Qui cum inter ſeſe diſſiderent, & bella continua exiſtebant, & vrbes vexabantur.

*Ptolemæus Lagus Hieroſolyma occupat.*

*Samaritanorum & Hieroſolymitanorum de tẽplis contentio.*

Ptolemæus autem Lagus, qui & Seruator vocabatur, longè aliter quàm pro cognomento ſuo tractauit Syriã, & Hieroſolyma dolo occupauit. Nam vrbem, per ſpeciem ſacrificandi



ſabbato ingreſſus, ſine labore domuit: Iudæis voluntatem eius ignorantibus, & propter ſabbathum non reſiſtentibus. Gente autem ad hunc modum ſubacta, acerbiſſimè imperauit, & multos captiuos in Ægyptum abduxit. Inter Samaritanos porrò & Hieroſolymitanos contentiones fuere, cũ vtrique ſui templi ſanctitatẽ celebrarẽt, in eóque victimas immolari oportere dicerent.

*Ptolemæus Philadelphus bibliothecam inſtruens, Hebræorum ſcripturas in linguam Græcam transferẽdas curat.*

Ptolemæo, quadrageſimo Ægyptiaci regni anno defuncto, filius Philadelphus ſucceſſit. Qui operam dedit, vt ſcripturæ Hebraicæ in linguam Græcam transferrentur: & Hieroſolymitas qui in Ægypto ſeruiebant, liberauit. Nam cum in libris conquirendis multum ſtudij poneret: Demetrium Phalereum Bibliothecæ præpoſuit.

*Demetrius Phalereus.*

Qui aliquando à rege interrogatus, quot librorum millia comparaſſet? circiter c c reſpondit eſſe iam collecta. Eſſe autem apud Hebræos etiam libros de illorum legibus & inſtitutis non contemnendos, eós quoque comparandos eſſe. Rege eam rem per literas petituro, Ariſtæus regis amicus:

*Ariſtæus.*

Cum, inquit, Iudęorum leges non modò tranſcribere, ſed etiam interpretari ſtatuerimus: quo pacto id conſequemur, cũ multi Iudæi in regno tuo ſeruiant? Eos igitur libertate donatos Rex dimittito; vt gentem alacriorem reddas ad ſcripturas & tranſcribendas, & interpretandas. Hoc conſilium ſecutus rex, omnes Iudæos in Ægypto ſeruientes miſſos fieri iubet, ſingulos à dominis ſuis drachmis centenis vicenis mercatus. Manumiſſorum multitudo ſupra centena milia numerata eſt. Precium redemptionis eorum talenta c c c c & l x cõfecit. Ptolemæus igitur ad Eleazarum pontificẽ ſcribit (nam Oniæ defuncto filius Simon, cognomento Iuſtus, ſucceſſerat. Eo mortuo, infante filio Onia relicto, Simonis frater Eleazarus ſacerdotium obtinebat) eíque & ſeruientium Iudæorum manumiſſionem, & ſuam erga populum voluntatem ſignificat: petítque & ipſas leges ſibi mitti, & viros ſenos è qualibet tribu, tum patriæ tum Græcæ linguæ peritiſſimos, à quibus ſcripta illorum in linguam Græcam conuerterentur. Miſit & in templum donaria talentorum argenti c, phialas aureas x x, argẽteas x x x, crateras v, & menſam auream.

*l x x i i Bibliorum interpretes.*

Eleazarus autem literis & donariis Ptolemæi acceptis, è qualibet tribu viros ſenos delectos, ablegauit, legem ſecum portantes. Qui cum Alexandriam perueniſſent, & legem regi aureis literis in membranis deſcriptam, vnà cum miſſis à Pontifice muneribus, attuliſſent: Rex magnopere lætatus, viros humaniter exceptos, ſuæ menſæ adhibuit, & terna eis talenta diſtribuit, diuerſoriis amœniſſimis aſſignatis. Deinde à Demetrio in vnam tranquillam domum omnes ſunt deducti, hortante, vt operi inſtarent. Hi pro virili accuratóque ſtudio conuerſionem abſoluunt. Qua intra dies l x x i i perfecta, exſcripta & recitata, rex & voluntati ſuæ ſatis eſſe factum eſt gauiſus, & legiſlatoris ingenium & ſapientiam ſupra modum eſt admiratus.

*Cur Moſaica inſtituta ignota Græcis.*

Sed illud ei ſcrupulũ iniiciebat, quòd nemo vel hiſtoricorum vel ſapiẽtum eius meminiſſet. Cui Demetrius dixit, neminem fuiſſe auſum legum illarum deſcriptionem ſuſcipere, eo quòd diuinæ ſint, & nonnullos temerarij conatus pœnas dediſſe diuinitùs irrogatas. Nam Theopompum eas deſcripturum, errore mentis vltra dies triginta fuiſſe affectum: cuius amentiæ cauſa cognita, per interualla morbi placaſſe Deum: ac ſomnio monitum, illius mali cauſam eſſe curioſam rerum diuinarum tractationem, & profanis hominibus eas inuulgandi ſtudium, omiſſo eo opere, ad ſanam mentẽ reuerſum eſſe,

*Theopõpus.*

Theodocten quoque poetam Tragicũ in fabula quadam ſacrarũ literarum mentionem facturũ, ex oculorum dolore cæcatũ: cauſaque cognita, exorato Deo, viſum recepiſſe.

*Theodectes.*

Rex libros acceptos, adorauit: & viros munificentiſſimè donatos, donariis tẽplo, & pulcherrimis muneribus pontifici miſſis, Hieroſolyma remiſit. Ac Hebraicas ſcripturas hoc modo fuiſſe cõuerſas, Ioſephus tradit.

*Diſſentio de l x x i i ratione conuerſionis.*

Alij verò autores ſunt, interpretes nõ vno in loco cõgregatos cõuerſioni vacaſſe, ſed binos fuiſſe diſtributos, & in peculiaribus conclauibus ſuo munere functos, finitáq; interpretatione cõueniſſe: & ſingulorum ſcripturã collatione facta, cum cæteris, neque ſentẽtiis neque verbis diſcrepantẽ, per omnia cõſenſiſſe. Ac interpretationis ratio ſiue hæc, ſiue illa fuit.

*Iudæi nunc Antiochis, nunc Ptolemæis parẽt.*

Iudæi autẽ Antiocho Magno Aſiæ imperante, & cum Eupatore Ptolemæo, & eius filio Ptolemæo Epiphane bellum gerente, grauiter ſunt afflicti, ſéque cum Antiocho victore coniunxerunt. Sed cum Ptolemæus Epiphanes poſt patris obitũ, ingẽtibus copiis in Cœleſyriam miſſis, multas vrbes ſubegiſſet, bello vrgẽte partes illius ſecuti, ad Antiochũ rurſus victorem vltrò tranſierunt, eíque amicitia inita, in vrbem recepto adiumẽto fuerũt ad Ptolemæi preſidium in arce obſidendũ. Deinde pace & affinitate Antiochus cum Ptolemæo iuncta, filiam ei Cleopatram deſpondet, doti data Cœleſyria, Phœnicia, Iudæa & Samaria. Hæc Onia põtifice acciderunt.

*Ioſephus Ptolomæo placato vectigalia Syriæ redimit.*

nam Eleazaro defuncto ſucceſſit patruus Manaſſes: poſt quẽ pontificatus in Oniam eſt collatus, Simonis Iuſti filium. Simon porrò Eleazari frater fuit, vt eſt expoſitum. Is igitur Onias ex auaritia & ingenij imbecillitate non dato tributo annuo, quem eius deceſſores regibus pendere ſoliti fuerant, Ptolemæi contra ſe iracundiam concitauit, vt miſſo quodam minitaretur, ſe & populum & vrbem malè tractaturum. Cæterùm cum põtifex præ amore pecuniæ nihil iis minis moueretur, & Ioſepho fratris ſui Tobiæ filio petenti conceſſiſſet, vt ad Ptolemæum iret: ille regis legatum hoſpitio magnificè exceptum, & muneribus precioſis donatum præmiſit, ſe conſecuturum pollicitus. Qui ad Ptolemæum reuerſus, quæ facta ſint cõmemorat, Ioſephi bonitatem exponit: eúmque, multis eius laudibus apud regem & reginam commemoratis legatum affore dicit. Deinde cum Ioſephus paratis rebus ſuis Alexandriam veniſſet, ac Ptolemæum Memphi eſſe audiuiſſet: obuiam illi proficiſcitur, vnà cum vxore in curru ſedenti, eo quoque præſente quem hoſpitio acceperat, & regi dicente, eum adoleſcentem eſſe, cuius bonitatem & liberalitatem commendaſſet. Ptolemæus igitur prior Ioſephum allocutus, currum conſcendere iubet, & de pontifice queritur. Ioſephus verò ætatem excuſans, petit vt ei rex veniam det. Nam ſenes & pueros eadem

eſſe ſententia:ſe verò adoleſcentes, quicquid deberetur, perſoluturos. Hinc magis etiã aucta eſt regis erga illum beneuolentia. Rege Alexandriã reuerſo, proceres Syriæ (venerant enim ad redimenda vectigalia, quæ potentibus ciuibus rex quotannis vendere ſolebat) cõſpicati Ioſephum illi aſſidere, indignati ſunt: cúmque octies mille circiter talentis vectigalia Cœleſyriæ, Phœnicię, Iudææ, & Samariæ licerentur: Ioſephus duplum obtulit. Non abnuente rege, ſed an ſpõſores haberet, rogante: reſpondit, ſe eos prędes daturum, quibus fidem non abrogaturus eſſet. Pergente interrogare, quinam ij eſſent? Te, inquit, rex, vxorémque tuã ſponſores do. ac Ptolemæus cum riſu exactionem veſtigalium illi promittit. Acceptis igitur militum circiter duobus millibus, in Syriam contendens, cum Aſcalonem veniſſet, ac à ciuibus non modò nihil impetraret, ſed contumeliis etiam afficeretur: primoribus comprehenſis & occiſis, eorúmque opibus publicatis, regi ad duo milia talentorum mittit. qui actis collaudatis, ei quicquid velit facere permittit. Ea re Syri territi, Ioſepho alacriter ſuſcepto, tributa pependerunt. Vnde magno lucro facto, magnis muneribus Ptolemęo, Cleopatrę, & aulicis eorum omnibus miſſis, ea felicitate

*Ioſepho poſterior vxor quomodo nupſerit.*

per annos duos & viginti eſt vſus. Cum autem duas vxores duxiſſet, è priore ſeptem liberos, ex altera fratris ſui filia vnam duntaxat prolem ſuſcepit, quam hac ratione duxit. Cum ſaltatriculam quandam deperiret, atque animi ægritudinem fratri aperuiſſet: ille ſe amoris miniſtrum fore pollicitus, noctu filiam ſuam ad eum deduxit.

*Hyrcani præcox ingenium.*

*Agricultura*

Quo ſæpius facto, atque amore aucto, arcanóque cognito, fratris filiam matrimonio ſibi iunxit, ex eáque filiũ Hyrcanũ ſuſcepit. Qui annos tredecim natus, & prudentiam & acrimoniã ſuam demonſtrauit. Nam miſſus à patre cum c c c boum iugis ad prædium quoddam biduũ diſſitum itinere excolendum, iugorum loris non acceptis: cum bubulci hortarentur, vt ea per nuncium à patre peteret, eorum conſilio acquieuit, ſed x boum iugis immolatis, carnes inter operarios diſtribuit, & tergoribus conciſis boues alligauit. atque ita opere confecto domũ rediit. At pater eam calliditatem admiratus, illum præ cæteris filiis, ægrè id ferentibus, & amauit & magnifecit. Nato autem filio Ptolemæo, principes prouinciarum illi parentium Alexandriam ibant ad natalicium feſtum celebrandum. Ioſephus autem ob ætatem tardus, aliquem ex filiis eò ire iubebat. Cæteris autem recuſantibus, Hyrcanus ſe iturum recipit, ac patri autor eſt, ne munera illò mittat, ſed Alexandrino procuratori ſcribat, vt aurum ſibi det, quo munere cõparet. Ille collaudato filij conſilio procuratori ſcribit, qui non minus tribus millibus. talẽtum adminiſtrabat, vt det filio quantũ ei opus ſit. Neq; verò putabat vltra x talenta petiturũ ad munera regi offerenda. Illo acceptis literis Alexandriam eunte, reliqui Ioſephi liberi paternis amicis ſcribunt, vt Hyrcanum per inſidias è medio tollãt. Sed puer reddita procuratori epiſtola, quot talentis opus eſſet, rogatus, cum mille petiiſſet, ac x tantum accepiſſet, iratus hominẽ in vincula coniicit. Ptolemęus verò miſit ad eum, ſéque mirari dixit, cur in conſpectum ſuum non veniſſet, ac paternum procuratorem vinxiſſet? Illo reſpondente, ſe venire noluiſſe, donec munera paraſſet, ac ſeruum ob contumaciam mulctaſſe: riſit rex, pueri magnanimitatẽ admiratus. Enimverò procurator, cum intelligeret opem ſibi ferri à nemine, datis mille talentis, vinculis liberatur.

*Munera Ptolemæo oblata.*

Hyrcanus autem c pueros robuſtiſſimos & literarum gnaros talento ſingulos emit, & totidem virgines tantidem. Aliis igitur dena talenta regi offerentibus, iis verò qui munificentiores eſſe ſtudebant, vicena non ſupergreſſis: Hyrcanus pueros & virgines regi & Cleopatræ obtulit, quorum quilibet ſingula talenta afferrent. Regis porrò amicis & miniſtris, multorum talentûm munera dedit. Ptolemæus autem puerum admiratus, hortatus eſt, vt peteret quæ vellet. is verò non aliud petiit, niſi vt patri & fratribus de ſe ſcriberet. Id fecit Ptolemæus, eúmque regaliter donatum ablegauit. Fratres verò cognito honorifico eius reditu, obuiam egreſſi ſunt, eius perimendi cauſa, ne patre quidem refragato ex iracundia ob inſumptã pecuniam.

*Fratrũ cum Hyrcano dimicatio. Hircani exiliũ & interitus.*

Fratribus eum adortis, cùm ex eorum ſatellitibus multi, tum ipſorum duo ceciderunt. Quamobrem territus, & vltra Iordanem profectus, bellum Arabibus intulit: & ſumptuoſo caſtello extructo, partes illas per ſeptem annos tenuit, quandiu Magni Antiochi filius Seleucus Syriæ potitus eſt. Cui cum frater Antiochus Epiphanes ſucceſſiſſet: præ metu illius, necem ſibi conſciuit, cuius pecuniam Antiochus accepit. Ptolemæo quoque Epiphane Ægypti rege mortuo, duobus paruulis filiolis relictis, quorum alter Philometor, alter Phyſcon vocabatur:

*Philometor. Phyſcon.*

Antiochus ætate puerorum contempta, Ægyptum bello petit, ab eáque repulſus eſt, Romanis edicentibus, vt illa prouincia abſtineret. Inde rediens, Hieroſolyma contendit, vrbéq; citra dimicationem potitur, apertis portis per ipſius ſtudioſos receptus.

*Antiochus Epiphanes Hieroſolymis graſſatur.*

Nam poſt obitum Oniæ pontificis, Anthiochus dignitatem illã in Ieſum fratrem illius cõtulerat: eíque iratus, fratri eius minori tradiderat, nominæ Oniæ. Nam cum Simon tres filios ſuſcepiſſet, ſacerdotium ad eos omnes peruenit: ac Ieſus ſe Iaſonẽ nominauit, Onias Menelaũ. ortóque diſſidio inter hos, populi quoque ſeceſſione facta, plures à Iaſone ſteterũt, cæteri à Menelao, cui & Tobiæ liberi opẽ tulerunt. Sed cum à maiori parte opprimerẽtur, ad Antiochum ſe contulerunt. & patriis inſtitutis deſertis, Græcorum mores ſunt amplexi: aſcitóque præputio, pudendorũ circunciſionẽ velare ſtuduerunt. Ab horum igitur factione portis apertis, vrbe potitus Antiochus Epiphanes, multis occiſis, magna pecunia rapta, Antiochiam rediit. Biennio pòſt denuò Hieroſolyma aſcendit, & vrbe dolo occupata, ne iis quidem pepercit, à quibus receptus fuerat: ſed & templo ſpoliato, & abſconditis theſauris ablatis, & legitimis ſacrificiis interdictis, & vrbe direpta, & populo partim cæſo, partim capto, & pulcherrima vrbis parte incenſa, & porcis in templo immolatis: tandem mœnia quoque diruit. extructáque arce inferioris vrbis, & Macedonico præſidio impoſito, populum coegit ſuos deos colere, & circumciſione puerorum abſtinere: relictis ibi qui ad



quia ad iſta facienda ciues vi compellerẽt. Quo tempore Eleazarus ſacerdos, eiúſque diſcipuli Maccabæi, cum matre ſua pro diuinarum legum obſeruantia certamina obierunt. Ac ij qui vim ſuſtinere nõ poterãt, imperata faciebãt: qui verò generoſis præditi animis, iniquis edictis aduerſabãtur, acerbis cruciatibus interibant, aut ſemineces in cruces agebantur. Eorum verò vxores, pueris quos circuncidiſſent, de collis earum ſuſpenſis, tyrannici ſatellites laqueo præfocabant.

*Samaritanorũ defectio.*

Quòd ſicubi librum Hebraicæ ſcripturæ inueniſſent, eum abolẽbant, poſſeſſore miſerabiliter interfecto. Itaq; Samaritani nõ iam ſe Iudęorum cognatos profiteri, ſed Sidonios ſeſe nominare, & Gariziniam ædem Græcanici Iouis appellare. Cæterùm erat tum ſacerdos nomine Matathias, filius Ioãnis, Symonis nepos, Aſamonęi pronepos, quinque filiorum pater, Ioãnis cognomento Gaddis, Symonis Tathis, Iudæ Maccabæi, Eleazari Auræ, Ionathæ Apphi. Cum autẽ regij ſatellites in eorum vicum veniſſent, & Matathiam primum, vt aliorũ principem, ritu græco rem diuinam facere iuſſiſſent:

*Matathias & Maccabæi tyrannidi Antiochi ſe opponunt.*

ipſe cum filiis renuit, & alio qui ſacrificarat, & duce Appelle tyrannici edicti miniſtro per indignationem interfectis, aráque euerſa in ſolitudinem contendit. Quorum æmulatione alij quoq; multi incitati, cũ vxorib. & liberis eòdem profugientes, in ſpelũcis vitam egerunt. Verùm Antiochi duces cõtractis copiis eos in ſabbatho aggreſſi, multos in ſpelũcis, non repugnãtes ob feſti ociũ, cõbuſſerunt. Qui cladi ſuperfuerant, ad Matathiam confugerunt.

*Iudæis ſalus eſt ſabbatho antiquior.*

Is eos hortatus, vt in ſabbathis etiã pugnarẽt, ne ab hoſtib. occaſionem feſti captantib. impunè cæderẽtur, collectis viribus, & aras euertit, & nefariis ſacris pollutos occidit, & pueros circũcidi iuſſit. Ita imperio per vnũ annum geſto, filios ad concordiã & ſui æmulationẽ cohortatus, vt, ſi opus eſſet, pro lege nec mortẽ oppetere dubitarent, ex morbo deceſſit.

*Iudas Macabæus duces Antiochi profligat.*

Cuius filius Iudas, qui & Maccabæus, rerũ adminiſtratione ſuſcepta, fratrũ & aliorum ope hoſtib. Iudæa expulſis, populares à quibus leges violatæ erãt, ſuppliciis affecit, & Appollonium Samariæ prætorem cum maxima exercitus parte cecîdit. Quo Ciliciæ prætor cognito, eum aggreſſus eſt: ſed profligatus, in fuga cum multis ſuorum cecidit. Quamobrem iratus Antiochus, Lyſiæ ſuarum rerum curatori iuſſit, vt Iudæam ſubigat, Hieroſolyma euertat, & gentem ſub corona vendat. Is cum tres duces cum ingentibus copiis miſiſſet: Iudas hoſtium multitudine conſpecta, ſuos milites fiduciam in Deo collocare iuſſit. & veſperi cœnatus, crebris pyris in caſtris accenſis, nocturnóq; itinere facto, circa diluculũ hoſtes adortus, in pugna & fuga vltra tria millia interfecit. A cæde hoſtium reuerſus, caſtra diripuit: & opima præda magníſque opibus partis, lætus domũ ſe recepit. Sequenti anno Lyſias pluribus copiis accitis, in Iudæam impreſſionem fecit, quorum præcurſoribus à Iuda ſuperatis, reliquum exercitũ Antiochiam reduxit, vt cum maiori numero Iudæam repeteret.

*Iudas Rempublicã Iudaicam conſtituit.*

Iudas autẽ ad repurgandum templum Hieroſolyma profectus, cum id deſertum & alicubi crematũ reperiſſet, fleuit, eóq; repurgato, vaſa noua aurea intulit, candelabra, menſam, aram: & nouum ſacrarium ex lapidib. ferro non excíſis extruxit, ſuffiit, holocauſta obtulit, panes in menſa appoſuit. Hæc eodẽ die facta ſunt, quo templũ pollutũ fuerat, & cultus profanatus, triennio elapſo, ſecundum Danielis oraculũ, annis antè c c c c & v i i i editũ.

*Feſtum Luminum.*

Ab eo tẽpore feſtum agũt Iudæi inſtauratæ religionis, quod Lumina vocant. Præterea vrbem mœnibus circundedit, & præſidio muniit. Iam quia finitimę gentes ex inuidia multos Iudæos per inſidias cædebãt: eas Iudas bellis vlciſcebatur ac reprimebat. Cæterùm Antiochus cum audiuiſſet vrbem in Perſia eſſe Elymaidem opib. abundantem, & fanum in ea Dianę precioſis donariis refertũ: contra eam proficiſcitur.

*Elymais vrbs Perſica.*

ſed à ciuibus in aciẽ egreſſis ab obſidione repulſus, fuga ſe Babylonem recepit, plurimis militib. amiſſis. Eam cladem dolenti, vt ſui duces etiã à Iudæis victi eſſent, nunciatur.

*Antiochi Epiphanis interitus.*

Vnde mœrore aucto in morbum incidit, ex quo cum ſibi moriẽdum eſſe videret, ſuis miniſtris conuocatis, id ſibi accidere dixit ob gentem Iudaicã infeſtatam, & templũ ſpoliatũ. His dictis expirauit, regni curatore relicto Philippo quodã ex amicis, cui annulũ & diadema, filio ſuo Antiocho apportanda, dedit. De cuius obitu Lyſias certior redditus, filium eius regẽ declarauit. Eupatoris nomine indito.

*Antiochus Euperator Hieroſolymis potitur.*

Cæterùm Macedonib. qui Hieroſolymis in præſidio relicti erant, Iudæos qui in templũ ſacrificandi ergò aſcendebant, infeſtantibus: Iudas tollẽdi præſidij cupidus, caſtellum fortiter oppugnabat. Eo puer Antiochus nunciato iratus, ingentes copias contra Iudæam & Hieroſolyma ducit: cui Iudas obuiam profectus, ex propugnatoribus ad d c occidit.

*Eleazarus Aura ab elephantò opprimitur.*

Eleazaras verò cognomento Aura, Iudæ frater in altiſſimũ elephantũ, regis thoracib. armatum, ratus ei regẽ inſidere, magno impetu inuectus belluæ ventrem ſubiit, cuius interfectæ ruina oppreſſus, & ipſe interiit. Iudas autẽ virib. hoſtium viſis, Hieroſolyma rediit, ad tollerandã obſidionẽ ſe paraturus. Antiocho igitur vrbẽ oppugnãte, ex defenſorib. hoſtẽ ſtrenuè propulſantib. ob cõmeatus inopiã multi diffugiebant. Sed cũ Lyſias dux & Antiochus intellexiſſent, Philippum, quẽ moriẽs Antiochus regni curatorem reliquerat, imperiũ ſibi vendicare: iis conditionibus cum obſeſſis pepigerunt, vt eis patriis legib. vti liceret.

*Menelai & Philippi cædes.*

Antiochus verò in vrbem receptus, cũ templũ munitiſſimũ eſſe vidiſſet, ſpreto iureiurãdo, euerſo muro, abductóq; Onia põtifice, qui & Menelaꝰ dicebatur, quòd patri ſuo cogẽdi Iudęos ad patria inſtituta violãda autor fuiſſet multíſq; malis cauſam prębuiſſet, diſceſſit, eũq; Berrœã miſſum deniq; ſuſtulit, hominẽ impiũ cũ annos x ſacerdotio functus eſſet.

*Alcimus.*

Põtificẽ verò deſignauit Alcimũ, qui & Ioachimꝰ dicebatur. Philippũ quoq; ſuperatũ & captũ occidit.

*Onias templũ in Ægypto extruit.*

Cæterùm Onias Simonis Iuſti filius põtificis quẽ pater moriẽs, vt dictũ eſt, puerũ reliquerat, cũ Antiochus põtificatũ Alcimo à familia põtificia alieno dediſſet, in Ægyptũ cõfugit, atq; à Ptolemęo honorificè ſuſceptꝰ, loco in Heliopolitana regione capto, templũ inſtar Hieroſolymitani cõdidit.

*Demetrius Seleuci filius Antiocho & Lyſia cæſis Iudæos infeſtat.*

Demetrius porrò Seleuci filius, cũ Roma in Syriæ Tripolim profugiſſet, Antiocho & Lyſia cõprehenſis, vtrumq; occidit, ſecundo anno regni An-

tiochi. Apud hunc Demetrium Alcimus pontifex, & Iudæorum exules ac improbiſſimi quique Iudam Machabæum & totam gentem de interfectis regis amicis accuſarunt. Qua criminatione irritatus, Bachidem intimum amicũ cum maximis copiis miſit, mandauítq; vt Iudam & ſuos occideret. Is in Iudæam profectus, Iudam & fratres eius ad pacem prouocauit. Sed illis fidem ei non habentib: quidam plebei homines iureiurãdo accepto, ad illum transfugerunt. qui ſpreta religione, LX eorum interfectis, cæteros à transfugio deterruit: & iis qui regionem incolebant. Alcimo pontifici parêre iuſſis, Antiochiam rediit. Alcimus verò ſingulos blandè alloquendo, & omnib. ſibi conciliandis, celeriter magnum exercitum exulum maiori ex parte & impiorũ hominum contraxit, quib. ad Iudæ ſtudioſos trucidandos vtebatur. Quod exemplũ cũ Iudas in aduerſam factionem retorqueret, Alcimus Demetrium perpulit, vt Nicanorẽ cũ ingentib. copiis contra Iudã mitteret, mãdarétq; ne genti parceret. Is in Iudæã profectus, Iudam per ſpeciẽ pacificationis dolo capere inſtituit: à quo fide data acceptáque, cũ copiis in vrbẽ receptus, inter ſalutandũ & colloquendũ ſignũ dat ſuis, vt virũ cõprehẽdãt. At ille inſidiis animaduerſis, ad Iudęos proſiliens, effugit. Nicanor igitur eo conatu fruſtratus, iam aperto Marte rem gerens, ſuperior factus, Iuda in arcem Hieroſolymitanam compulſo, minatur populo, ni illum dedant, ſe templum euerſurum. Iudas verò ſuos M viros ad rem fortiter gerendam cohortatus, impetum in hoſtes facit, multos cædit, ac inter alios ipſum quoque Nicanorẽ, reliqui in fuga omnes cadunt. Sic Iudæis aliquãtiſper à bellis quies parta eſt. Pontifice Alcimo ſiue Ioachimo ex plaga diuinitùs immiſſa poſt quartũ ſacerdotij annũ mortuo, populus Iudæ pontificatũ decreuit. Qui Iudas cum audiſſet, magnã eſſe Romanorũ potentiã, eóſq; ſubegiſſe Galatas, Hiſpanos, Carthaginẽſes, Libyã, totã Græciã, & Perſeũ, Philippũ atq; Antiochũ reges: legatos ſocietatis petẽdæ cauſa miſit, rogauitq; vt Demetrio ſcriberẽt, ne Iudæis bellũ inferret. Ac Romani quidẽ & amicitiã & ſocietatẽ Iudæis promiſerunt. Demetrius autẽ morte Nicanoris, & internecione exercitus cognita, denuò Bachidẽ miſit. qui cum ad Iudam properaret, in quodã vico cũ ſuis mille viris caſtrametatũ: ij metu copiarũ illius, Iudæ recedendi & ſalutis quærendæ autores fuerunt. Ipſe verò dixit: Abſit vt ſol videat me tergum dare hoſtibus. & quamuis multi è ſuis profugiſſent, tamen diu æquo Marte cũ hoſte certauit: & circa ſolis occaſum, cum audaciſſimis impetu in cornu dextrum facto, in quo Bachides curabat, phalãgem diſiectam in fugam compulit. Qui autem in ſiniſtro cornu erant, Iudam circumuenerũt: qui dum pugnam cum ſuis ciet, multis cæſis, tandem & ipſe cadit. poſt ducis interitum milites quoque fugerunt. Obiit tertio pontificatus præclarè geſti anno, cum quidem ſe virum fortem pręſtitiſſet, pro libertate patriæ quiduis & facere & perpeti paratus. Poſt illius interitum, Iudæis impiis & patriarum legum violatoribus Bachides prouincię adminiſtrationem mandauit: qui populares ſuos variis modis afflixere, & Iudæ amicos comprehenſos ad Bachidem adduxerunt, quos ille prius excruciatos necauit. Sed cum reliquię amicorum Iudæ, fratri eius Ionathæ perſuaſiſſent, vt Iudæorum dux eſſe vellet: Bachides inſidias eis tẽdit, & cum ſociis in deſertum profugũ, perſequi maturauit. Ionathas verò fratrẽ Ioannem, ad Nabathæos Arabes amicos, vt impedimẽta illorum fidei crederet, miſit. quem vnà cũ comitib. Amaræi liberi in itinere ſarcinis direptis, per inſidias occiderũt. Bachides verò cum Ionatham ſabbatho quæreret, ratus propter feſtum non pugnaturum, deceptus eſt. Nã cum ſalutem ciuiũm agi diceret, acie inſtructa, multis occiſis, ſtricto enſe impetũ in Bachidem fecit. Sed cum aberraſſet, cum ſuis ſociis in amnem deſiluit, eúmque tranauit. Bachides in caſtellum Hieroſolymitanũ reuerſus, principum Iudæorum filios obſides ſumptos in arce concluſit. Ionathas porrò cædẽ fratris Ioannis vlturus, cũ Amaræi filij nuptias celebrantes, ſponſum & ſpõſam cũ ſumptuoſo comitatu ex vrbe in vrbem ducerent: inſidiis in mõte quodam collocatis. omnes interficit, & ea quæ ferebant diripit. Degebat autem cum fratre in fluminis paludibus. Bachides autem relicto in Iudæa præſidio, ad Demetrium eſt reuerſus. Ab eo tempore populo ad biennium quiete conceſſa, Ionathas & ſui metus expertes in Iudæa verſati ſunt. Qua dè cauſa Iudæi deſertores regi Demetrio ſignificant, ſi quis contra Ionatham mittatur, hominem ſine labore comprehenſum iri. Bachides igitur in Iudæã miſſus, cum omni adhibito ſtudio eã capere nõ poſſet: L ſelectos ex iis qui rẽ falſò ad regẽ detuliſſent, occidit. Ionathas verò cũ Simone & ſociis in turrib. quas in deſerto ſtruxerat, ſe tenebat. Quas dum Bachides oppugnat, fratre Simone in caſtello relicto, clàm egreditur: & multis ex agro conductis, noctu in hoſtes impetũ facit, ac multos ipſe, multos Simon cædit, clàm & ipſe caſtello egreſſus, obſidionalib. machinis incenſis. Ea clade Bachidẽ mœſtũ recedendi cauſam honeſtam quærere cũ intellexiſſet Ionathas, per legatos illius amicitiã petit. Quam cum Bachides ea conditione accepiſſet, vt captiuis vtrinque redditis, iureiurãdo affirmarẽt, neutrũ alteri deinceps arma illaturũ: digreſſus, non amplius Iudæos inuaſit. Ionathas verò populariũ remp. ſecurus adminiſtrauit, ac ſupplicium de impiis ſumpſit. Cæterùm Alexander Antiochi Epiphanis filius, Ptolemaide per proditionem occupata, Demetrium perturbauit, vt copias contraheret, & Ionathæ amicitiam ſocietatémq; expeteret, poteſtate data exercitus conſcribendi, & pueros obſides à Bachide in caſtello concluſos recipiendi. Ionathas igitur Hieroſolyma profectus, regis epiſtola populo & militib. præſidiariis audientib. recitata, pueros ex arce receptos, parentib. reſtituit, atque vrbẽ renouat, mœnia inſtaurat. Alexandro quoque ſocietatem eius expetente, & amicitiã ſuam cum põtificatu, munerib. miſſis, offerente: põtificia ſtola in feſto tabernaculorũ quarto poſt Iudæ fratris interitũ anno induta, milites & arma parat. Alexander verò Demetrio acie victo (nam is in paluſtrẽ locum cum equo illapſus, vnde emergere haud facilè poterat, ab hoſtib. circumuentus, & vulnerib. cõfectus, multis prius interfectis,

*Nicanor à Iuda cæditur.*

*Iudas creatus pontifex ſocietatem belli cũ Romanis coit.*

*Iudas à Bachide cæditur.*

*Iudæi deſertores pios exagitant.*

*Ionathas fratri ſuccedit.*

*Amaræi Ioannis cæſi dant pœnas.*

*Delatorum pœna.*

*Ionathæ pacificatio cũ Bachide, pontificatus, & amicitia regum.*

*Alexãder Antiochĩ filius Demetrio victo Syria potitur, & Cleopatram ducit.*



fectis, anno regni XI interiit) regno Syriæ potitus, Cleopatrã Ptolemæi Philometoris filiã ducit, Ionatha etiã ad nuptias inuitato. Qui cũ Ptolemaidẽ veniſſet, tam à Ptolomæo quã Alexãdro honorificè eſt exceptus. Demetrio porrò, defuncti Demetrij filio cum ingentib. copiis ex Creta in Ciliciam profecto: Alexander ſolicitus Antiochiã properat, ad loca illa in tuto collocanda, Syria Apollonio Dao mandata. Qui cum Ionatha expoſtulans, quòd ſolus regi non parêret, obiecta genti ignauia, ad pugnam eum prouocauit. Iis verbis commotus pontifex, prælium cum Apollonio cõmittit: & multis hoſtiũ cæſis, atq; vrbibus Syriæ captis, cum luculẽta præda victor Hieroſolyma reuertitur. Quo cognito Alexãder Ionathæ nunciari iubet, ſe gaudere clade Apollonij, qui cõtra ſuam ſententiã ei amico & ſocio arma intulerit. Sed Ptolemæus Philometor Alexandro claſſe & pedeſtrib. copiis opem ferens, Ptolemaide inſidiis generi, quas per Ammoniũ è ſuis amicis quendam ſtruxerat, penè interiſſet: quibus euitatis, dedi ſibi poſtulauit Ammonium, quod Alexãdro detrectante, eum inſidiarũ fuiſſe conſcium iudicans, & belli ſocietate abſtinuit, & affinitatẽ diremit, & filiam ab eo auulſam, & auxilia Demetrio per legatos pollicetur: quarum conditionũ vtrámq; illo alacriter amplexo, Antiochenis perſuadere conatus eſt, vt Demetrium reciperent. idq; ob Alexandri odium propter paternas iniurias & Ammoniũ, facilè impetratum. Illo igitur eiecto, atque in Ciliciam profecto: Antiocheni Ptolemæum regem declararunt: & bina diademata, vt & Ægypti & Syriæ regem, geſtare coegerunt. At ille vt homo prudens futura conſiderans, ne Romanorum odia, quorũ opes magnæ eſſent, ſuſciperet: Antiochenis perſuadet, vt Demetrium recipiant: & Alexandrũ Syriam cum ingenti exercitu inuadentem, & Antiochenũ agrum vrentem, Demetrio ſocio, cui iam filiam deſpõderat, prælio cõmiſſo profligat. Alexander itaque victus, in Arabiam confugit: Ptolemæus, equo elephanti barritu perterrito excuſſus, & ab hoſtibus circundatus, multa in capite vulnera accepit, & à ſatellitibus ægrè ereptus, quatuor dies ſenſu & ſermone deſtitutus iacuit. Quinto die nonnihil recreatus, & capite Alexandri accepto, ab Arabiæ dynaſta miſſo, interitu inimici delectatus, ipſe quoque paulo pòſt obiit. Demetrius Nicanor Aſia potitus, cum poſt Alexandrum annos quinque regnaſſet, milites Ptolemæi corrompere cœpit, & ſocietatis & affinitatis immemor: qui cum eluſa illius calliditate, Alexandriã redirent, elephantis ipſe potitus eſt. Ionatha verò arcẽ Hieroſolymitanam, in qua Macedonũ & Iudæorum deſertorum præſidium erat, oppugnãte: quidam noctu elapſi, Demetrio obſidionem nũciarunt. Is cum exercitu Ptolemaidem profectus, Ionatham per litteras ad ſe accerſit. Ille verò non omiſſa obſidione, ſacerdotibus & populi ſenioribus aſſumptis, allatáq; magna pecunia Demetrium placat: à quo & honos ei habitus eſt, & pontificia dignitas confirmata. Cum verò Demetrium rebus pacatis nullum bellum timentem, ob imminuta ſtipendia, militum odia ſuſcepiſſe, quidam ex Alexandri ducibus Triphon cognouiſſet, à Malcho Arabe Alexandri filium Antiochum, qui ibi educabatur, aufert, quòd ei paternum imperium ſe velle reſtituere diceret. Demetrius autẽ Ionathæ ſocietate multis pollicitationibus impetrata, ac tribus millibus militũ ab eo acceptis, Antiochenos, qui ob acceptas iniurias ſuccenſentes, ſeditionem mouerant, in fugam vertit, vrbẽ incendit, multos occidit: donec arma ponere, & ſe illius fidei permittere, ſunt coacti. Seditione hoc modo compreſſa, Iudæos donis affectos Hieroſolyma remiſit, Ionathæ gratias egit. Sed pòſt adeò promiſſis non ſtetit, vt & bellum ei minatus fuerit: idque re ipſa intuliſſet, niſi Tryphon ex Arabia in Syriam reuerſus, Antiochum tum adoleſcentulum diademate ornaſſet, ac Demetrio bellum intuliſſet, acceptis iis militibus, qui ob ſtipendiorum imminutionem illum reliquerant. Is Tryphon prælio victor, cum Antiochiam & elephantes cæpiſſet, Demetrius in Ciliciam abit. Ionathas verò ab Antiocho puero ad belli ſocietatem accerſitus, ei ſe & ſocium & amicum fore, & Demetrio bellum illaturum pollicetur. & rem ſtatim aggreſſus, effecit, vt multæ vrbes Syriacæ à Demetrio ad illum deficerent. Deinde Simone fratre in Iudæa relicto, contra Demetrij duces eſt profectus. Simon quoque Beſura Iudæi oppidum, in quo Demetrij præſidium erat, in eas anguſtias obſidione compulit, vt fide accepta milites diſcederent, & ſuum illi præſidium impoſuit. Ionathas verò Demetrij ducibus profligatis, & ad duo millia hoſtium cæſis, Hieroſolyma reuerſus, legatos Romam miſit ad priſtinam amicitiam renouandam. Qui prioribus decretis à ſenatu confirmatis, in reditu Spartam venerunt (nam id quoque mandarat Ionathas) & à Spartanis amanter excepti ſunt, Iudæis amicitia & ſocietate promiſſa. Demetrij duces acceptam cladem reſarcire cupientes: maiores copias contra Ionatham eduxerunt: qui cum repentè eis occurriſſet, non auſi aperto Marte cum eo congredi, noctu fugerunt. quos cum fuga cognita interdiu perſequens non adeptus eſſet, ex Arabia Nabathæorum magna præda & multis captiuis abductis recedit: ac populo conuocato ſuadet, vt vrbis mœnia renouent, & ruinas murorum templi reſtituant. Eo conſilio omnibus probato, ipſe ei operi intentus, Simonem fratrem ablegat, vt regionem in tuto collocet. Demetrius in Meſopotamiam profectus, vt Babylonem & ſuperiores ſatrapias acciperet, ab incolis Græcis & Macedonibus deditionem, & operam ad debellandum Arſacem Parthorum regem pollicentibus, ſuſceptus: prælio cum Parthis commiſſo, omnibus copiis amiſſis, ipſe capitur. Eo Demetrij caſu cognito, Tryphon cupiditate regni occupandi, vitæ Antiochi inſidiatur. Sed quia Ionathæ amicitiam cum rege formidabat, eo prius per dolum capto, tum demum inuadere Antiochum in animo habebat. Itaque Scytopolim abit, vbi Ionatham cum quadraginta bellicoſorum millibus obuiã egreſſum fraude circumuenit, muneribus & honoribus conciliatum, vt omni ſuſpicione adempta, incautum opprimeret. Suadet igitur, vt exercitũ miſſum faciat. Nam ſe paulo pòſt cum ipſo Ptolemaidem

*Ionathas Apollonium profligat.*

*Ptolemæi & Alexandri diſsidium atque interitus.*

*Demetrius Nicanor Aſiæ rex.*

*Demetrius Antiochenam ſeditionẽ Ionathæ ope ſedat.*

*Ionathas ſe cũ Tryphone & Antiocho contra Demetrium coniungit.*

*Ionathæ Romanum & Spartanum fœdus.*

*Demetrius à Parthis capitur.*

*Tryphon Ionatham per inſidias occidit.*

lemaidem iturum, ad vrbem & omnia circumiacentia caſtella accipienda. Ionathas nihil mali ſuſpicatus, exercitum dimittit: ac mille duntaxat viris retentis, Ptolemaide concluſus, capitur, comites eius occiduntur. Quæ Hieroſolymis nunciata, populo terrorem incuſſerunt, ob gentes finitimas, Ionatha capto, contra Iudæos tumultuantes.

*Simon Ionathæ fratris ſucceſſor, feliciter imperat.*

Sed Simon oratione habita, populum confirmat: ab eóque dux electus, militiæ idoneis conuocatis, mœnibus vrbis, & omnibus quæ ad ſecuritatem pertinerent, curatis: Tryphoni Ionathã captiuum in Iudæam adducenti, cum exercitu occurrit. eíque, centum argenti talenta, & duos Ionathæ filios obſides poſtulanti, ſi fratrem ſolui vellet: & ſi hominis improbitatem intelligebat, tamen, ne ſibi fratris ſalus neglecta crimini daretur, & pecuniam & pueros miſit. Quibus Tryphon acceptis, pactis non ſtetit: ſed cum exercitu Hieroſolyma contendit, ſubſequente Simone, & ex auderſo caſtra locante. Verùm copia niuis impeditus, in Syriam conuerſo itinere, Ionatham interfecit. Fratre poſt tertium annum pontificatus mortuo, Simon populi ſuffragiis pontifex declaratus, Macedonibus tributa penſitare deſtitit. Ac Iudaica gens ſub eius principatu per quàm fortunata fuit, & finitimis populis dominata, multas vrbes euertit, ne hoſtium receptacula eſſent: montem altiſſimum, in quo arx ædificata fuerat, continenti triennij labore in planiciem redegit, vt templum emineret.

*Antiochus Deus à Tryphone cæditur.*

Tryphon autem Antiochum cognomento Deum, cuius tutor erat, quarto regni anno interfecit, & eum eſſe mortuum vulgabat: & militibus pecuniam pollicebatur, ſi ſe regem creaſſent. qui ſpe magni lucri impulſi, voluntati eius ſatisfecerunt.

*Antiochus Demetrij frater Cleopatra ducta, Tryphonem occidit.*

Sed Tryphon voti compos factus, ſimulatione detecta, militum animos à ſe alienauit, vt eo deſerto ad Cleopatram, Demetrij vxorem Seleuciæ incluſam irent. Quæ Antiochum oberrantem, qui ſeruator vocabatur, Demetrij fratrem, atque ob Tryphonem paſſim excluſum, ſpe nuptiarum & regni ad ſe accerſiuit: verita, ne Seleuciani vrbem Tryphoni traderent. Qui cum Seleuciam veniſſet, contra Tryphonem proficiſcitur: eúmque victum, & Syria ſuperiore eiectum, in caſtello quodam quo confugerat, obſidet, Simone pontifice ad amicitiam ſuam inuitato. quam ille amplexus, cibaria militibus ſuppeditat. Sed Tryphon, cum inde Apameam profugiſſet, vrbe expugnata, captus occiditur, cum triennium regnaſſet.

*Simon Cendebæo ſuperato inſidiis Ptolemæi occiditur.*

Antiochus verò meritorum Simonis oblitus, Cendebæum ad vaſtandam Iudæam, & Simonem comprehendendum mittit: quo Simon deuicto, reliquum ætatis pacatè exegit, cũ Iudææ annos VIII præfuiſſet. Periit autem inſidiis Ptolemæj generi ſui, vxore & duobus filiis in vincula coniectis.

*Hyrcanus Antiocho Pio vrbem dedit.*

Nam tertius Ioannes, qui etiam Hyrcanus vocabatur, effugerat: & ob paterna beneficia ab Hieroſolymitis receptus eſt, Ptolemæo non admiſſo. Is paterno ſacerdotio potitus, Ptolemæo bellum intulit, in caſtello Dagone agenti: ac vt obſidione præualebat, ſic miſericordia matris & fratrum vincebatur. quos Ptolomæus in murum productos, in conſpectu illius cruciabat: quamuis matre obteſtante, ne ſua cauſa ſegnius ageret. Dum obſidio ita trahitur, ſeptimus annus inſtat, quo Iudæis ocium agere ſolitum eſt. eáque de cauſa bello intermiſſo, Ptolemæus occiſa matre & fratribus Hyrcani, ad Zenonem Cotylam Philadelphiæ tyrannum confugit. Antiochus verò Simoni ob acceptam cladem iratus, Iudæam inuaſit: & agros populatus, Hyrcanum obſidet, ex turribus altiſſimis, quas ad Septentrionem excitarat, impetum in mœnia faciens. Sed nihil proficiebat, tum ob defenſorum fortitudinem, tum ob murorum firmitatem, aquárúmque copiam ex imbre modò collectam. Cæterùm Hyrcanus veritus, ne commeatu deficeretur, bellicoſis duntaxat retentis, reliquam multitudinem vrbe expulit: qui cum ab Antiocho abire non ſinerentur, extra mœnia moriebantur. Quos, ij qui intus erant, miſerati, in vrbem receperunt. Sed cum feſtum tabernaculorum inſtaret, Hyrcanus ab Antiocho ſeptem dierum inducias, ad feſtum celebrandum, petiit: quas ille non modò conceſſit, ſed & victimas ſumptuoſas cum donariis miſit, ob eam pietatem Pii cognomentum adeptus. Quæ eadem Hyrcano cauſa fuit, vt per legatos ab illo peteret, vt patriam ſuis ciuibus Rempublicam reſtitueret.

*Antiochi Pij interitus.*

Cui reſpondit Antiochus, ſi arma traderent, & de ciuitatibus extra Iudæam ſitis tributa penderent, & præſidium acciperent, ſed & bello abſtinere, & poſtulatis eorum annuere velle. Iudæi verò cætera amplexi, præſidium repudiarunt: ac pro eo dederunt obſides, argentíque talenta quingenta. Hac ratione mitigato Antiocho, ſolutáque obſidione, Hyrcanus è monumento Dauidis tria millia talentûm deprompſit: initáque cum Antiocho amicitia, eum in vrbem recepit, & contra Parthos ducentem comitatus eſt. vbi cum Arſace congreſſus Antiochus, cum maiore parte exercitus & ipſe periit. Ei in regno Syryæ Demetrius frater, ſub expeditionem Antiochi ſolutus ab Arſace, ſucceſſit.

*Hyrcanus Syriæ & Idumææ vrbes ſubigit, Samariam delet.*

Cæterum poſt Antiochi interitum, Hyrcanus multas Syriacas vrbes Idumææ multas cœpit: & ſubactis Idumæis, ea conditione in patria verſari conceſſit, ſi circunciderentur, & moribus Iudaicis vterentur. Qui amore natalis ſoli, & circumciſionem, & reliqua tolerarunt.

*Demetrij & Antiochi Zebinæ interitus.*

Cum autem Demetrius bellum inferre Hyrcano ſtatuiſſet, ea re impeditus eſt, quòd Syri & milites, eius improbitatem deteſtati, per caduceatores à Ptolemæo Phyſcone petierant, vt ſibi ex Seleuci familia daret aliquem, qui regnum ſuſciperet. Is Alexandrum Zebinam miſit, à quo Demetrius victus, Ptolemaidem ſe recepit: ſed ab vxore Cleopatra excluſus, Tyrum confugit, vbi captus & excruciatus periit. Alexander autem regno potitus amicitiam cum Hyrcano pepigit: ſed ab Antiocho Grypo Demetrij filio regnum ſibi vendicante victus, in pugna occubuit.

*Antiochus Grypus, & Cyzicenus.*

Is Antiochus ſuſcepto Syriæ regno, cum fratre Antiocho cognomento Cyziceno, quòd Cyzici educatus eſſet, per multos annos bellum geſſit. Erat autẽ is Antiochi à Parthis interfecti, Demetrij fratris, filius vterinus Antiochi Grypi frater. Nam Cleopatra duobus fratrib. nupta fuit. primùm Demetrio, deinde Antiocho, vt antè ſcripſimus. Ac è Demetrio Antiochum Grypum: ex



pum: ex Antiocho ſeruatore, Demetrij fratre, Cyzecinum Antiochũ ſuſcepit. Qui dum inter ſeſe digladiantur, Hyrcanus quiete fruens, vtroque contempto, defecit: neque quicquam amplius eis pependit: ac Iudææ fructibus per ocium perceptis, infinitam pecuniam coegit. Cum autem Samariam per filios ſuos Ariſtobulum & Antigonum obſideret, Samaritani vrgente fame, Antiochi Cyziceni opem implorarunt, qui cum Ariſtobulo congreſſus vincitur. Deinde redintegratis copiis Hyrcani agros vaſtat, vt ea ratione obſidionem ſoluere cogeretur. Sed dum multis ſuorum amiſſis Tripolim recedit, Hyrcanus Samariam captam penitus delet.

*Vox ex adyto Hyrcano victoriam nunciat.*

Fertur autem, eo die quo duo eius filij cum Antiocho pugnarunt, dum ſolus vt pontifex in ſacrario ſuffiret, audiſſe vocem, quæ diceret, Antiochum modò à ſuis filiis eſſe victum: idque egreſſus nunciaſſe populo. nec deceptus eſt. Sed dum proſperis fortunæ flatibus vtitur, inuidiam Iudæorum effugere non potuit,

*Phariſæi.*

Phariſæis maximè inuiſus, qui ſunt ex tribus Iudæorum ſectis, & cum fatum affirment, tamen quædam in noſtra eſſe poteſtate, ac fortuitò euenire, nec omnia fieri neceſſariò ſtatuunt.

*Eſſeni.*

Eſſeni contrà fatum rerum omnium dominum conſtituunt, & hominibus omnia fato contingere cenſent.

*Sadducæi.*

Sadducæi fato repudiato, noſtræ voluntati aſcribunt omnia, & cauſas bonorum à nobis pendere, & nos temeritate noſtra vltrò amplecti deteriora exiſtimant.

*Phariſæorũ odium in Hyrcanum & eius obitus.*

Phariſæi porrò, quorum magna erat apud populum autoritas, cum pridem amici eſſent Hyrcano, quippe quem diſcipulum habuerant: pòſt neſcio qua de cauſa orta ſimultate, ab iis auulſus, in Sadduceorum ſententiam conceſſit, ac ritus ab illis traditos abolere inſtituit. Nam Sadducæi ea pro legibus habenda affirmabant, quæ inſcripta relata eſſent. Quæ verò quaſi per manus traderentur, ea non obſeruanda eſſe. Et hac de cauſa Phariſæis inuiſus fuit: qui annis vno & triginta feliciter exactis obiit, filiis quinque ſuperſtitibus. Dicitur etiam prophetiæ dono fuiſſe præditus, ac prædixiſſe, duos ſuos filios natu maximos imperium amiſſuros eſſe.

*Ariſtobulus regiis inſignib. ſumptis, matrem & fratres malè tractat.*

Hyrcano defuncto, principatum ſuſcepit Ariſtobulus: quem cum in regnum commutare ei placuiſſet, diadema ſumpſit, CCCCLXXXI annis pòſt quàm populus Babylone Hieroſolyma redierat. ac cæteros fratres & matrem de principatu contendentem, in vincula coniecit. Antigonum autem ætate ſibi proximum dilexit, pari honore dignatus. Tandem matrem fame necauit.

*Antigoni interitus.*

adiecit & Antigoni cædem, calumniis impulſus. Nam cum is, ægrotante Ariſtobulo, victor ab expeditione reuerſus, tabernaculorum feſto magnificè ornatus cum ſuis ſatellitibus in templum aſcendiſſet: id factum calumniatores ita interpretabantur, eum ad feſtum non more plebeio veniſſe, ſed regio ſplendore vſum eſſe: & quia cum tanta militum manu aſcenderit, conſilia contra regem agitare. Ariſtobulus, qui & ſuæ ſecuritati, & fratris rationibus conſultum vellet, ſatellitibus ſuis, in quodam obſcuro ſubterraneo loco conſtitutis, mandat, vt fratri inermi parcant, armatum occidant. Mittit & ad Antigonum, eúmque inermem venire iubet. Sed eius vxor, & qui cum ea cõtra Antigonum conſpirant: nuncio perſuaſerunt vt diceret, fratrem, quòd audierit eum noua arma paraſſe, petere, vt armatus ſe ſpectandum ipſi præbeat. At ille nihil mali ſuſpicans, panopliam indutus abit: & cum ad ſtratonis turrim veniſſet, vbi obſcurus ille locus erat, à ſatellitibus occiditur.

*Iudas Eſſæus vates.*

Iudas verò quidam Eſſæus, multa verè prædicere ſolitus, cum Antigonum templum præterire tum videret, exclamauit, mortem ſibi ipſi imprecatus: quòd ille viueret, quem eo die in Stratonis turri moriturum falſo dixiſſet: quæ cum ſexcentis ſtadiis abeſſet. non poſſe Antigonum, die iam inclinante, illuc peruenire. Quę dum Iudas diceret, nunciatur Antigonus in illo ſpecu, qui & ipſe, quemadmodum maritima Cæſarea, Stratonis turris vocabatur, interfectus.

*Ariſtobuli interitus.*

Eo ad hunc modum ſublato, vindicta ſtatim fraternæ cædis pœnas exegit ab Ariſtobulo. Nam cum ex inteſtinis corruptis ſanguinem reieciſſet, eum miniſter efferens, in eo loco vbi Antigonus cæſus erat, cruore adhuc conſperſo, lapſus effudit, vt cum illo miſceretur. Quo Ariſtobulus ex eorum qui id viderant, clamore cognito, lachrymans, præter alia illud quoque effatus, impia ſua facta vtique Deum latêre non potuiſſe. moritur, cum vnum regnaſſet annum.

*Ianeas Alexander Ariſtobuli ſucceſſor, Iudæos malè tractat.*

Salome autem, quæ & Alexandra vocabatur, fratres mariti vinculis ſoluit: & Ianneam, qui & Alexander, gratiorem & moderatiorem cæteris, regem conſtituit. qui regno ſuſcepto, alterum ex fratribus rebus nouis ſtudentem occidit: alterum, quieti ingenij hominem, honorauit. Bellis contra quoſdam geſtis, aliàs victor, aliàs victus: tandem ob motam ſeditionem, contra populares quoque arma cæpit. Nam cum in feſto immolaturus aram conſcendiſſet, populus eum thyrſis cedrorũ petiit (moris enim erat, vt in feſto tabernaculorum thyrſos palmarum & cedrorum in manibus geſtarent) & conuiciis inceſſit. quibus commotus, circiter VI millia occidit. Deinde prælio victus ab Arabibus, Hieroſolyma refugit. Ad eam cladem acceſſit populi ſeditio, cum quo per annos VI dimicando, per ſtipendiarios Cilices & Piſidas, nõ pauciores L millibus occidit. qua de cauſa hominum in eum odia augebantur adeò, vt cum interrogaret, quid ſibi agendum eſſet ad abolendas inimicitias? multitudo reſponderet, Ei moriendum eſſe. Poſt hæc Iudæi plurimi, ſuſcepto cum Alexãdro bello, perierunt.

*Alexandri in primarios viros crudelitas, pacificatio, victoria.*

& cum vrbem quandam expugnaſſet, in quam potentiſſimi confugerant, eos Hieroſolyma perduxit: & eminus conuiuium cum mulieribus celebrans, per ſummam crudelitatem DCCC in cruces ſublatis, liberos vxoréſque eorum in conſpectu illorũ adhuc viuentium mactat. Hoc immani facinore id conſecutus eſt, vt aduerſariorum ad VIII millia exulatum irent, & ipſe deinceps ocio frueretur:

*Antiochus Dioniſius Aretas.*

donec Antiochus cognomẽto Dionyſius expeditione contra Iudæos ſuſcepta & graui prælio cõmiſſo, dũ laboranti cornu ſubuenit, victor cadit: quo mortuo, in fugã verſus exercitus eius, fame periit. Poſt Antiochũ Aretas Cœleſyriæ rex, Alexãdro acie victo, per cõditiones recedit. Poſt hæc Alexãder multis vrbib. Idumæorũ Cilicum,

Phœnicum

Phœnicũ & Syrorũ triennio expugnatis, Hieroſolyma reuerſus, à Iudæis ob res bene geſtas alacriter eſt ſuſceptus. Deinde morbo ex ebrietate contracto, & trib. annis cũ febri quartana conflictatus, expeditionib. non abſtinuit. Quem cum regina iam deploratum videns, ſuam & liberorũ ſortem miſeraretur: eam ille monuit, vt mortem ſuam ad milites celaret, vt caſtellum, quod obſidebat, expugnarent. Deinde victrix Hieroſolyma regreſſa, poteſtatis aliquid Phariſæis imperti-retur, qui ei populi ſtudia reconciliare poſſent, ob quos ipſe cõtumelioſè tractatos gentis odia incurriſſet. Tu igitur, inquit, accerſitis eorũ principib. permittito, vt de meo cadauere, qui multis illos iniuriis onerarim, ſuo arbitratu ſtatuant, téque nihil prę̃ter eorũ voluntatẽ acturam pollicetor. Quæ ſi dixeris: & ego honorificè ſepeliar, & tu ſecura imperabis. Vbi hæc vxorẽ monuiſſet, decedit, anno regni XXVII ætatis XLIX. Alexandra verò de mariti cõſilio omnia executa, tũ Phariſæorũ beneuolentiã ſibi adiunxit, tũ regnũ cõſtabiliuit, tũ mariti funus lucul ẽtius quã pro regũ ſuperiorũ cõſuetudine effecit. Iam cũ Alexãder duos filios reliquiſſet, Hyrcanũ & Ariſtobulũ: quorũ ille tardo erat ingenio, & ad res gerẽdas inepto, hic animo excitato & alacri: mater Hyrcano, quẽ ob ſocordiã põtificẽ deſignarat, & Phariſæis, quib. ſummã rerũ mãdarat, populũ parêre iubet. Ita cũ regni nomẽ penes ipſam, autoritas penes Phariſæos eſſet: regio pacata fuit, niſi quòd Phariſæi reginam turbabant, & irritabant, vt eos occideret, qui Alexandro autores fuiſſent DCCC illos perimendi. ac initio vno occiſo, pòſt alios atque alios trucidabãt: donec viri potentes cum Ariſtobulo, cui illa non placebant, regiã ingreſſi, multis verbis factis, & occiſis deploratis, eos qui ibi erant, ad miſericordiam periclitantium, & ad lachrymas commouerunt. Ariſtobulus etiam cum matre propterea expoſtulauit. ea verò quod faceret non habebat. Sub id tempus nunciatur, Tigranem cum ingenti exercitu impreſſionem feciſſe in Syriam, & in Iudæam venturũ. Ea fama & populus & regina territi, multa munera magni precij per legatos ad eum Ptolemaidem obſidentẽ mittunt. Quibus ille acceptis, eos bonis animis eſſe iuſſit. Sed modò vaſtata Ptolemaide, de Acelai in Armeniã impreſſione certior factus, domũ ſe ad ſua tuenda recipit. Cum autẽ regina grauiter ægrotaret, Ariſtobulus clàm egreſſus, caſtella adiit, quibus paterni amici præerant, ſola vxore eius rei cõſcia, & ab iis ſuſceptus eſt. cuius fuga & caſtellorũ omniũ occupatione mater cognita, non ipſa tantum, ſed populus etiam admodum perturbati, vxorem eius & liberos in caſtellũ quod ſupra templũ eſt, tranſtulerunt. Hyrcanus verò & Iudæorum ſeniores, vbi didicerunt Ariſtobulum diebus XV, caſtellis XXII potitum eſſe, ac magnam pecuniam & exercitum coegiſſe: reginam orarunt, vt exponeret quid de illo ſtatuendum eſſet. Ea verò ſe res non amplius curare, vt quæ iamiam moritura eſſet, dixit. & ipſis permiſit vt ea agerent, quæ ex republica eſſe iudicarent, nec multò pòſt extincta eſt anno regni IX, ætatis LII & LXX. Matre defuncta, Ariſtobulus ſtatim Hyrcano fratri, militibus illius multis ad ipſum deficientibus, bellum infert, qui cum arcem, in qua dudum Ariſtobuli vxor & liberi concluſi fuerant, confugiſſet: fratres colloquio habito, inimicitias ea conditione ponunt, vt Ariſtobulus regnum teneat, Hyrcanus in ocio degat. His pactis iureiurando ſancitis, Ariſtobulus in regiam ſe confert, in Ariſtobuli ę̃des Hyrcanus. Cętèrùm Idumæus quidam Antipater, Hyrcani amicus, homo factioſus, ſtrenuus, & pecuniis abundans, clam cum Iudæorum procerib. colloquendo, & Ariſtobulum quaſi vitæ fratris inſidiantem calumniando, autor eſt Hyrcano, ad Arabiæ regem Aretam confugiendi. Itaque Hyrcanus Antipatrum illò mittit, vt fidem ab eo accipiat, ſe non deditum iri hoſtibus, ſi ad illum ſe recepe-rit. Ea impetrata reuerſus Antipater, Hyrcanum noctu ſecum Petram perducit: regem orat Hyrcanus, vt in Iudæam reductum, in regnum reſtituat. Quod ſi fiat, pollicetur ſe ei & prouinciam & XII vrbes redditurum, quas pater ſuus Alexander Arabib. ademerit. Aretas igitur expeditione ſuſcepta, Ariſtobulum acie victum, multis ad Hyrcanum deficientibus, Hieroſolyma compellit: impetúque facto, in templo obſidet, etiam plebe Hyrcani partes ſecuta: ſolis ſacerdotibus Ariſtobulum defendentibus. Cum autem Iudæi Oniam, virum iuſtum, & Deo charum, quia aliquando in æſtu & ſiccitate imbrẽ à Deo precib. impetrarat, rogarẽt, vt Ariſtobulum cum ſua factione deuoueret: non paruit. ſed cum cogeretur, "O Deus rex vniuerſi, inquit, quia & ij qui mihi aſtant, tui ſunt, & ſacerdotes qui obſidentur, iidem tui: oro, vt neq; his contra illos, neque illis cõtra hos opẽ feras. Hac precatione peracta, ſtatim virũ lapidib. obruerunt. neque verò multo pòſt nũmẽ eius impietatis pœnas exegit, violẽto turbine frugibus regionis vaſtatis. Scaurus porrò à Põpeio in Armenia bellũ cum Tigrane gerẽte, in Syriã miſſus, legatos ab Ariſtobulo & Hyrcano accepit, vtroq; auxilia poſtulãte, & Ariſtobulo ſe cõiunxit, CCCC talẽtis acceptis: iuſſóq; Areta diſcedere, alioqui à Romanis hoſtẽ iudicatum iri, obſidionem diſcuſſit. Ea ſoluta, Ariſtobulus moto contra Aretam & Hyrcanum bello vtrũnque vincit. Nõ multò pòſt Pompeio Damaſcum profecto, cùm multis aliis ex locis, tum ex Iudæa legati venerunt, Ariſtobuli munus vitem auream D talentûm ferentes: quam ſe Ioſephus Romæ vidiſſe aſſerit, in Capitolio dedicatam. Legatis denuò venientibus, Antipatro pro Hyrcano, Nicodemo pro Ariſtobulo: Pompeius ipſos inter quos controuerſia ſit, adeſſe iubet. Cum autem Iudæi, eorúmque duces Damaſcum veniſſent, alij regnum detrectabant. patriũ enim eſſe, vt pontificib. pareant: illos verò, quãuis ſacerdotalis ſint generis, ſacerdotium regno commutaſſe. Hyrcanus verò fratrem accuſabat, quòd principatu ob ætatis prærogatiuam ſibi attributo, ab illo ſpoliatus eſſet, multis etiam aliis criminib. in illum congeſtis: Antipatri opera amplius mille probatiſſimorum Iudæorum ſuffragantibus. Ariſtobulus contra Hyrcanum ob ignauiam ingenij, quæ contemptum ei facilè pareret, Imperiũ amiſiſſe, quod ſibi neceſſariò vendicandum fuerit, ne ab aliis occuparetur: neq; ſe aliũ quàm quo pater vſus eſſet, titulum vſurpare.

*Alexandri prudens con ſilium regni firmandi, & obitus.*

*Hyrcanus. Ariſtobulus.*

*Tigranes.*

*Acelaus.*

*Ariſtobulus regnum occupat.*

*Antipatri Idumæi fraus de Ariſtobulus & Hyrcanus ad bellum impelluntur.*

*Aretas Arabs Hyrcanum adiuuat.*

*Onias ob pacis ſtudium lapidatur.*

*Scaurus Pompeij legatus, Ariſtobulo fert opem.*

*Pompeius controuerſiæ Hyrcani & Ariſtobuli diſceptator.*



lum vſurpare. Pompeius vim quidem feciſſe Ariſtobulum decernit: ſed tum clementer eos allocutus, interim quieſcere iubet, donec ipſe in Iudæam veniret: tum enim ſe ordinaturũ eſſe omnia. Sed cum Ariſtobulus eo non expectato, in Iudæam receſſiſſet, & Alexandrium caſtellũ occuparet: Pompeius iratus bello ſuſcepto, eum ad ſe venire iuſſit. Ille hortãtibus amicis ne Romanis aduerſaretur, deſcẽdit: cauſáq; dicta, eò vnde venerat, rediit. ac Pompeio iubente vt munitiones traderet, & caſtellorũ præſidibus ſua manu ſcriberet (alioqui enim iis cedere nõ licebat) paret ille quidem, ſed indignabundus Hyeroſolyma profectus, ad bellum ſe parat. Pompeio contra illum ducenti, Mithridati cædes à filio Pharnace patrata nunciatur: & ad Hierichunta progreſſo, vbi opobalſamum naſcitur, vnguentorũ præſtantiſſimum, quod fruticibus acuto lapide inciſis, inſtar ſucci exudat: Ariſtobulus occurit, ſupplicans, vt bellum omittat: ſe pecuniam ei daturum, & Hieroſolymis recepturũ eſſe pollicẽs, quiduis agẽdi poteſtate permiſſa. Ille data venia, Gabiniũ ad pecuniam & vrbem accipiendã mittit. quo, Ariſtobuli militibus pacta perfici prohibentibus, re infecta reuerſo: ipſe Pompeius Ariſtobulo in vincula coniecto, ad ciuitatem venit non conſentientem, aliis Pompeium recepturis. Ariſtobuli verò factione contrarium cenſente, qui templo occupato, ad tolerandam obſidionem ſe parabant. Vrbe autem & regia à cæteris Pompeio traditis, & caſtris in ipſa vrbe poſitis, ac templo tertio menſe expugnato: milites eos qui intus erant, trucidabant, nihilo ſecius ſacris operantes, & victimas immolantes: ac cædibus referta erãt omnia, Iudæis partim à Romanis, partim à ſeſe intereuntibus, vel gladio vel præcipitatione. Pompeius verò cum quibuſdam ex ſuis adytum templi ingreſſus eſt, eáque vidit quæ non niſi pontificibus videre fas eſt: neque tamen, qua erat pietate, quicquam vel ex donariis, vel ex pecuniis attigit. Poſtridie populũ hortatus, vt templum repurgarent, & ritè immolarent, Hyrcano põtificatum reſtituit: bellíque autoribus ſecuri percuſſis, & tributo Hieroſolymis impoſito, Romam rediẽs Ariſtobulum vinctum cum duabus filiabus, totidémque filiis ſecum abduxit. Quorum natu maior Alexander arrepta fuga, pòſt Iudæam incurſauit, neque ei reſiſtere Hyrcanus potuit. Gabinius autem cum in Syriã veniſſet, M. Antonium cum exercitu contra Alexandrum mittit, qui prælio commiſſo hoſtium ad tria millia cecîdit, non paucioribus captis. Alexander autem in caſtello Alexandrio obſeſſus, veniam à Gabinio per legatos impetrat, munitionibus quas tenebat traditis, Hyrcanúſque pontifex ab eodem Gabinio Hieroſolyma reducitur. Ariſtobulus verò cum Roma in Iudæam profugiſſet, ac Alexandrium modò euerſum inſtaurare conaretur: Gabinius copias miſit, quę id prohiberent, aut ipſum etiam comprehenderẽt. Sed cum multi Iudæi maiori ex parte inermes ad Ariſtobulum cõfluerent, cæteris dimiſſis, ſolos armatos qui ad VIII millia fuere, retinuit: ij à Romanis prælio victi, partim cædũtur, partim diſſipãtur. Ariſtobulus verò cum mille viris Machæruntem ſe contulit. ac biduo pòſt ſauciatus & captus, vnà cum Antigono filio fugæ ſocio ad Gabinium perducitur. & denuò Romam miſſus, in vinculis tenetur, regno & pontificatu triennium functus. Gabinius verò in Ægyptum profectus, atque inde reuerſus, reperit Alexandrum cum magno exercitu Iudæam obeuntem, & obuios quoſque Romanos trucidantem: Cum eo igitur triginta Iudæorum millia ducente, iuxta montem Itabyrium congreſſus, circiter decem millia occidit. & Hieroſolymitanis rebus ex Antipatri ſententia conſtitutis, & aliis magni imperatoris operibus editis, prouincia Craſſo tradita, Romam diſceſſit. Craſſus autem Iudæã ingreſſus, templi Hieroſolymitani pecuniam, quæ bis mille talenta erant, abſtulit, atque omnem templi ornatũ ſpoliauit, qui ad talẽta auri octies mille æſtimabatur. Rapuit & trabẽ ex auri CCC minis fabrefactam. Mina porrò Iudaica libras binas & ſemiſſem pendit. His acceptis, contra Parthos profectus, cum exercitu interiit. Vnde Caſſius fuga elapſus, in Iudæam aſcendit. Apud quẽ, vt & apud Idumæos, multum potuit Antipater: ibíq; vxore Arabica ducta, nomine Cypro, quatuor ſuſcepit filios, Phaſaelum, Herodem, Ioſephum, Pheroram, & filiam Salomen. Aliquanto pòſt C. Iulius Cæſar, poſt Pompeij & maximæ partis ſenatus fugam, Ariſtobulum vinculis ſolutum cũ exercitu in Syriam mittit: qui antequàm eò veniſſet, à Pompeianis veneno ſublatus eſt. Alexander eius filius, iuſſu Pompeij à Scipione ſecuri percuſſus. Poſt Pompeij interitum Antipater Cæſari in Ægypto gerenti bellum, ſtrenuã operam totius belli tempore nauauit, vbi etiam vulnus accepit: & cum Antigonus quoque Ariſtobuli filius ad Cæſarem veniſſet, petens vt ſui miſereretur principatu deiecti, & patris ſui memoriam ob illum interfecti renouaret: Antipater, qui tum ibi aderat, ſua defenſione id effecit, vt Cæſar Hyrcano, qui cauſa meliore niti videretur, ſacerdotium confirmaret, & ipſe Iudææ procurator conſtitueretur. Itaque Cæſare Romam abeunte, ſuſcepta rerum Iudææ cura, quia Hyrcanum tardum & ſocordem eſſe cernebat: Phaſaelum filium natu maximum Hieroſolymorum & finitimarum ciuitatũ prætorem deſignat: Herodem, illi ætate proximum, admodum adoleſcentem, Galilææ præficit. Qui cũ generoſo eſſet animo, magiſtratu in virtutis materiam conuerſo, Ezechiam latronum ducem cum magno globo Syriam finitimam prædantem, comprehenſum, eiúſque ſociorum plurimos occidit. Vnde Syris charus, etiam in S. Cæſaris, qui cognatus Magni Cæſaris Syriæ præturam gerebat, notitiam peruenit. Eſt & Phaſaelus fratrem æmulatus. Quæ res effecerũt, vt Antipater & à gente Iudaica regio honore coleretur, & vnà cum filiis procerũ inuidiam ſuſciperet, metuentium Herodem, quẽ violentum, audacem, atque imperij cupidum cernerent. Itaque Antipatrum apud Hyrcanum accuſant, & hominem contra illum & filios eius concitant. Neque enim curatores eſſe regiarum functionum, ſed dominos. Nam ab Herode Ezechiam cum multis occiſum eſſe: cũ legibus cautum ſit, ne quis, quamuis improbus, ſine concilij ſententia condemnetur. Hyrcanus cùm his verbis, tum matrum interfectorum querelis illum

*Pompeius Hieroſolymis captis, Ariſtobulũ Romam duxit.*

*Alexãder Ariſtobuli filius Iudæã infeſtat. Marcus Antonius.*

*Ariſtobulus Romam reducitur.*

*Gabinius rebus bene geſtis Romam redit.*

*M. Craſſus templo ſpoliato à Parthis occiditur.*

*Antipatri vxor & liberi.*

*Ariſtobuli & Alexãdri interit⁹.*

*Antipater Iudææ procurator.*

*Phaſaelus.*

*Herodes.*

*Herodes armatus cauſam eludit.*

ad ſupplicium flagitantium, ira commotus, Herodem ad cauſam dicēdam accerſit. Is verò cum iuſta cohorte venit, ne nudus & incuſtoditus in ius iret:& ſic prætoriũ ingreſſus, ita omnes terruit, vt nemine accuſare auſo, omnes ambigerēt quid agendum eſſet. Vnus tamen nomine Sameas, vir iuſtus, & leonina præditus fiducia, dixit:Equidem, viri, non memini quenquam in ius vocatũ ſic aſtitiſſe:nec vos, opinor. Omnes enim rei, habitum metuentium præ ſe ferre ſolent. At Herodes ob cædes perpetratas in iudicium vocatus, armatos ſecum adduxit, qui nos, ſi ex lege damnatus fuerit, occidant. Ego tamen non illũ reprehenderim, ſed vos, qui tantam ei licentiam dederitis. Scitote igitur, iuſtum eſſe Deũ: & quē vos nunc in Hyrcani gratiam abſoluetis, ei & vos & ipſum Hyrcanum olim pœnas daturos. Hāc orationem ipſo euentu eſſe comprobatam, in progreſſu hiſtoriæ apparebit. Hyrcanus verò iudicio in alium diem reiecto, Herodem monuit vt vrbe excederet:quo abeunte, concilium indignabatur. Sed Herodes, redempta à Sexto Syriæ pratura, nō multo pòſt cum exercitu venit:Hyrcano iratus, quòd omnino in ius vocatus eſſet: Hieroſolyma oppugnaturus, ni pater & frater eius impetum repreſſiſſent. Hoc Iudææ ſtatu Syria turbata eſt tali de cauſa. Baſſus Cæcilius, Pōpeianæ factionis, Sexto Cæſare per inſidias occiſo, rerum potiebatur, quem cum Iulij Cæſaris duces perſequerentur, Antipater Cæſariani beneficij memor, opem eis per filios tulit. Dum autem eo bello tempus teritur, Marcus ad Sexti præturam ſuſcipiendam Roma venit, vbi Cæſar interea per Brutum & Caſſium occiditur. ob cuius necem bello exorto, & proceribus ad colligendos exercitus aliis aliò diſperſis, Caſſius in Syriam venit ad arma & milites comparandos: maxima tributa, & è ſola Iudæa D C C talenta poſtulans, quorum exactionem Antipater vtrique filio ſeorſim mandauit. Ac Herodes cum prior, quantum iuſſus fuerat, Caſſio obtuliſſet, in amicitiam eius eſt receptus. Malichus verò à Caſſio fuiſſet occiſus, niſi Hyrcanus eius iram, interceſſore Antipatro, c talentis placaſſet. Verùm Caſſio iam ex Iudæa digreſſo, Malichus Antipatro inſidias ſtruit, quòd eo ſublato Hyrcani principatus in tuto collocandus eſſet. Quod cum Antipatrum haud latêret, quamuis ille eiuraret facinus, ſe contra illum muniebat. Marcus etiā Syrię prætor parum abfuit quin Malichum tolleret:ni is quoque ſalutem eius, precibus Antipatri condonaſſet. Caſſius porrò & Marc⁹ exercituũ quos coegerant cura Herodi mandata, promiſerunt, ſe cōfecto bello, quod tum aduerſus Antonium & adoleſcētem Cæſarem parabatur, eum Iudææ regem creaturos. Eodem tēpore Malichus corrupto Hyrcani (apud quem vterque epulabatur) pincerna, Antipatrum veneno ſuſtulit: ſed cum filij eius inſidias cognouiſſent, inficiatus eſt facinus. Cum autem Herodes necem patris ſtatim vlciſſi vellet, Phaſaelus dolo Malichum circumuenire potius duxit, ne inteſtini belli cauſā præberent. Se igitur inficiationi Malichi fidem habere ſimulant. Herodem verò ad feſtum cũ exercitu venientem, Hyrcanus Malichi impulſu, vrbis ingreſſu prohibuit, per eam cauſam, ne turba

*Sameæ diuinatio de Herodis crudelitate.*

*Sexti & Iulij Cæſaris cædes.*

*M. Brutus & Caſsius in Syria ab Herode iuuantur.*

*Malichus Antipatrũ veneno tollit*

peregrina populo puritatem ſeruanti permiſceretur. At ille ſpretis illius verbis, noctu vrbē ingreditur. & Malichus ſimulationem adhuc vrget, Antipatrum deplorando, & vt amicum inclamando:ſed clàm cuſtodia corpus munit. Laodicæa porrò capta à Caſſio, vterque ad eum proficiſcitur. ac Herodes id operam dabat, vt Malichus ibi pœnas lueret. Ille verò id agi ſuſpicatus, filium qui Tyri obſes erat, ſuffurari, ac in Iudæā proficiſci & regnũ occupare cogitabat. Sed Herodes Malichi conſilio ſagaci coniectura indagato, nuncio clàm Tyrum miſſo, tribunis militum perſuadet, vt ad illum egrediantur, eúmque occidant. Nam à Caſſio iam præſcriptum habebant, vt Herodi ad res iuſtas adiumento eſſent. Ita Malicho ab eis prope vrbem confoſſo, Hyrcanus præ metu obmutuit. Deinde cum ſibi reddito, id Caſſij iuſſu factum eſſe reſponderetur: probauit cædem, illum improbum fuiſſe hominem, & patriæ inſidiatorem teſtatus. Caſſio ex Syria aduerſus Antonium profecto, Herodes variis in locis rem bene geſſit, & Antigonum Ariſtobuli filium fines Iudææ iam ingreſſum, prælio victor, finibus regionis expulit. Vnde Hieroſolyma veniens, & à populo & ab Hyrcano coronatur. cuius ex filia neptem, Alexandri Ariſtobuli filij natam, vxorem ducit: cum prius etiam Doridem popularem ſuam vxorem haberet, è qua filium natu maximum Antipatrum ſuſceperat. Antonius & Cæſar Bruto & Caſſio ad Philippos victis, alter in Galliam abit, Antonius in Aſiam:qui cum Bithyniam attigiſſet, vndique legationes ad eũ venerunt. Aderant & Iudæi, Phaſaelum & Herodem accuſaturi. Herodem verò ſui defendendi cauſa eò profectum, & munera offerentem, Antonius honorificè excepit, ne dicendi quidem poteſtate data accuſatoribus. Inde Epheſum progreſſo Antonio, Hyrcanus auream coronam miſit, petens, vt Iudæos, quos Caſſius contra belli morem cæpiſſet, liberaret, & agros ab eodem ademptos reſtitueret. Cuius poſtulatis, quòd ea æqua iudicaret, Antonius ſatisfieri iuſſit. Deinde in Syriam profectum, & Clopatrę amore captũ, Iudæorum c viri potentiſſimi conueniunt, Herodē & Phaſaelum accuſantes, Hyrcano etiam præſente. qui rogante Antonio, vtri populo rectius præeſſent:reſpondit, Phaſaelum & Herodem, vt cuius ſocer eſſet. Proinde Antonius, ob paternum hoſpitium eis amicus, vtrunque tetrarcham appellauit, Iudææ adminiſtratione illis mandata. ac x ex accuſatoribus in vincula coniectos occidiſſet, niſi fratres pro eis deprecati eſſent. Rurſus mille viri circa Tyrum Antonio occurrerũt. Is verò muneribus iam antè cōciliatus, eius loci præfecto mandauit, vt Iudæos tanquam nouis rebus ſtudentes ſupplicio afficeret. Herodes verò eos monuit, vt abire maturarent, ne graue malum experirentur: qui cum non auſcultaſſent, Romani impetu in eos facto quoſdam occiderunt, multos vulnerarunt, maxima verò pars euitato periculo quieuit. Populo autem contra Herodem vociferante, irritatus Antonius, vinctos interfecit. Enimuerò Antigonus Pacoro Parthorum regi mille talenta & D mulieres pollicitus, ſi principatum Hyrcano ademptum ſibi daret, & Herodem cum ſuis tolleret:

*Malichi cædes.*

*Herodes Antigono profligato Hyrcani neptem ducit.*

*Antonius Herodis accuſatoribus non præbet audientiam.*

*Antigonus à Pacoro Parthorũ rege Hieroſolyma reducitur.*



leret:à Parthis in Iudæā reductus eſt, quos * certamen inientes Herodes ſæpius vicit. Sed rex Parthorum cum paucis equitibus vrbem ingreſſus, per ſpeciem componendæ ſeditionis, re vera vt Antigono opem ferret: Phaſaelo hoſpiti ſuo perſuadet, vt ad Barzapharmanem legatus eat. Hyrcanus, Phaſaelus & legati eunt, duce eos comitante, ſed Herode nō probante. Ac principiò à Barzapharmane ſincerè accepti, pòſt inſidiis appetiti ſunt, Phaſaelo ſuſpectos habente Barbaros, cùm ſe noctu clàm cuſtodiri animaduerterent, atque etiam indicatum eſſet, fuiſſe comprehendendos, niſi id Barbari diſtuliſſent, donec Herodes à Parthis qui Hieroſolymis eſſent, caperetur, ne cognito ipſorum ſtatu elaberetur. Ac Phaſaelo quidam ſuaſerunt, vt ſtatim aufugeret: Ophellius etiam, quòd mare in propinquo eſſet, naues ad fugam pollicebatur. Sed cum is Hyrcanum deſerere nollet, ambo cōprehenſi vinciuntur. Quo Herodes cognito, militibus ſuis, matre, ſorore, deſponſa ſibi Hyrcani filia, eiúſque matre noctu aſſumptis, cum omni comitatu verſus Idumeam abit, deceptis hoſtibus. Cum autem vehiculo in itinere euerſo, mater eius de vita periclitaretur: parum abfuit quin ſibi ipſi manus afferret. Qua recreata, & vt tempus ferebat, curata, ad Maſadam caſtellum ſtrenuè pergit:interim etiam & Parthis perſequentibus, & Iudæis inſidiantibus ſuperatis. Iam quia tanta multitudo eum comitabatur, quàm Maſada caſtellum, quò properabat, omnem capere non poſſet: maiori parte dato viatico dimiſſa, cum expeditis & maximè neceſſariis caſtellum ingreditur, ibíque mulieribus & miniſtris cum ſufficiēti commeatu relictis, ipſe ad Arabiæ Petram cōtendit. Manè Parthi cùm aliis Hieroſolymitarum ædibus, tum ipſa regia direptis, ſola Hyrcani pecunia quæ ad L X X X talenta erat, intacta, agros quoque vaſtarunt. Antigonus autem hoc modo in Iudæam reductus, Hyrcanum & Phaſaelum captiuos accipit: & quia timebat ne populus regnum Hyrcano reſtitueret, aures ei præcidit, cũ lex ſacrorum antiſtites integros eſſe iubeat. Phaſaelus autem cum intellexiſſet ſe iugulatum iri, quia manus in vinculis erant, capite ſaxo illiſo necem ſibi cōſciuit, prærepta hoſti occidendi voluptate. Sed cum paulo antè quàm expiraret, Herodem fratrem è manibus hoſtium euaſiſſe audiuiſſet, hilariter eſt mortuus, vltore & vindice relicto. Herodes autem ad Malchum Arabiæ regem properabat, ſuo beneficio deuinctum, vt ab eo pecuniam ad redimendum fratrem acciperet, quem mortuum eſſe adhuc ignorabat. Sed cum Malchus ei denunciaſſet, ne veniret, ſibi enim interdictum eſſe à Parthis, ne illum reciperet: reſpondit, ſe non adeſſe vt ei moleſtiam pareret, ſed vt de rebus maximè neceſſariis colloqueretur. His dictis, in Ægyptum abiit. atque in eo itinere, quomodo cum fratre actum eſſet, cognouit. Cum autem Malchus mutata ſententia miſiſſet, qui Herodem iter conuertere iuberent: ille iam longiſſimè abierat, & ex Ægypto Romā profectus, ſuos & Phaſaeli caſus Antonio exponit, & vt Antigonus à Parthis in regnum collocatus ſit pecuniarum & mulierum pactione, cæteráque quæ ipſe tum feciſſet, tum perpeſſus eſſet. Motus eſt ob eam fortunæ commutationem Herodis miſericordia Antonius. Cæſar quoque tum ob alia, tum in Antonij gratiam caſum Herodis perquàm dolenter ferentis, alacrior factus ad ſuffragandum. Igitur Herode in ſenatum adducto, paterna beneficia, & ipſius erga Romanos beneuolentiam commemorant. Antigonũ verò vt hoſtem accuſant, cum ob alia, tum quòd deſpectis Romanis regnum à Parthis accepiſſet: Antonio illud etiam adiiciente, è republica eſſe, ob Parthicum bellum, Herodem rerum potiri. Hac ſententia ab omnibus approbata, regnũ Herodi decernitur: Antigono interea Maſadā* continenter obſidente. ac obſeſſos aqua iam defecerat. & Ioſephus Herodis frater cum c c ad Arabes aufugere decreuerat, ſed nocturna pluuia cōſilium id diſcuſſit. Ventidius porrò prætor à Romanis miſſus ad Parthos Syria pellendos, in Iudæam abiit, per ſpeciem obſeſſis auxiliandi, reuera vt ab Antigono pecuniam caperet. ac voti compos factus, receſſit, Silone cum parte copiarum relicto, ne largitio deprehenderetur. Herodes verò ex Italia Ptolemaidem tranſuectus, collecto exercitu contra Antigonum ducēs, obiter Ioppe capta, ne qua hoſtibus munitio relinqueretur, Maſadan ad ſuos tutādos properabat. iiſq; receptis, adiunctis etiam Silonis cohortibus, extra Hieroſolyma caſtra metatur. Iis autem qui in vrbe erant, ex propugnaculis hoſtes arcentibus, etiam Silo quoſdam è ſuis ſubornauit, vt ob cōmeatus penuriam cōtra Herodem vociferarentur. caſtraq; mouit tanquam receſſurus. Id eò faciebat, quòd Antigonũ ob largitionem reuerebatur. Herodes verò ab illo petiit, vt maneret:& cōmeatus copiam attulit, ne qua Siloni cauſa diſceſſus relinqueretur. Cum exercitui abũdè proſpectum eſſet, matre cæteríſq; neceſſariis Samariæ collocatis, Galilęam omnem ſibi adiungit:iis exceptis qui ſpeluncas incolunt, vndique acutis & præruptis petris obſeptas. Tandem iis quoq; licet difficulter potitus, rebus ibi ordinatis, Samariam rediit, vt acie cũ Antigono decerneret. Interea Pacoro in prælio cæſo, Partíſque à Romanis profligatis: Ventidius Herodi Machæram cũ legionib⁹ auxilio mittit. apud quas Herodes fratre Ioſepho relicto, mandat, ne martis aleā experiatur, néve cum machæra cōtendat:ipſe ad Antonium abit. Samoſata vrbem ad Euphratem ſitam oppugnantem, Cui cum appropinquaſſet, Antonius exercitum ei obuiam mittit, præſentémque amplexus, Soſſium ei oppitulatum ire iubet. Ioſephus verò frater Herodis dum Hierichuntem properat, ab Antigoni militibus in anguſtiis exceptus, fortiter pugnans occũbit, omni amiſſo exercitu:cuius caput amputatum Antigonus fratri illius quinquaginta talentis vendidit. Galilæi quoque per defectionem Herodianos in lacu demerſerunt, multaq; in Iudæa nouata ſunt. Quibus rebus vnà cum cæde fratris in Daphne Antiochiæ nunciatis, Herodes properè in Galilæam profectus, hoſtibus profligatis, & in caſtellum quoddam cōpulſis, Hierichuntem contendit ad necem fratris vlciſcendam. Antigonus verò Pappo duce cum copiis ad Samariam miſſo, opinionem hoſtibus eam afferre voluit, quaſi in opum affluētia bellum gereret. Sed Herodes il-

*Hyrcani mutilatio.*

*Phaſaeli interitus.*

*Herodes à Romanis Iudææ rex appellatus, Antigonum obſidet.*

*Ventidius. Silo.*

*Ioſephi cædes.*

*Galilæorum defectio.*

*Pappi cædes*

los acie victos in vicum perſecutus, omnes occidit quos adipiſci potuit: cúmque ædes armatis complerentur, & multi in ſuperiora confugerẽt, tectis ædium deſtructis. lapidibus milites qui infrà erant obruit. Ea re hoſtium animos ita fregit, vt ſtatim cum exercitu Hieroſolyma intrare potuerit, niſi tempeſtate magna impeditus eſſet. Et quia iam ſerum erat, in domuncula quadam lauit, vno tantum puero miniſtrante: in cuius interiorem partem, aliquot ex hoſtibus armati ſe abdiderant. Dum igitur rex lauat, vnus ſtricto gladio progreditur, deinde alter, pòſt alius, eodem modo armati: neq; tamen quenquam percuſſerunt, vt in metu ſalutem quæſiuiſſe contenti. Huiuſmodi periculo euitato, poſtridie Pappi iam interfecti caput amputatum, Pheroræ fratri pro Ioſephi capite miſit Pappi manibus interfecti.

*Herodes Hieroſolymis potitus, regnum ſtabilit.*

Tempeſtate ſedata, caſtris proximè Hieroſolyma collocatis, & cura parandæ obſidionis certis hominibus mandata: Samariam abit, vt cum Alexandri filia ſponſa ſua concumberet. Nuptiis abſolutis, & ipſe & Soſſius cum exercitu ad Hieroſolymorum mœnia profecti, aggeribus excitatis, adductíſque machinis muro deiecto, iis qui intus erant ex deſperatione magis quàm conſilio reſiſtentibus: primùm viginti lecti milites, deinde Soſſij centuriones mœnia cõſcendere. Ac prior murus diebus quadraginta, poſterior quindecim eſt expugnatus. Capto etiam exteriore templo, & vrbe inferiore, in templum interius & ſuperiorem vrbem confugerunt. Iis quoque expugnatis, cædibus referta fuerunt omnia. Antigonus verò neque præſentis neque priſtinæ fortunæ memor, turri relicta, Soſſio ſupplex accidit. quem ille, tantæ mutationis nihil miſertus; cum plauſu manuum, Antigonum appellat, & vinctum in cuſtodiam tradit.

*Antigonus impulſu Herodis ab Antonio occiditur.*

Herodes ſocios ad templum & ſacrarij adytum ſpectandum properantes, partim rogando, partim minitando, partim armis ſuſtinuit, & direptionem vrbis prohibuit, ſe de ſuo ſtipendia ſoluturum omnibus pollicitus. Reliquiis vrbis ita cõſeruatis, promiſſa præſtitit, ipſum Soſſium plus quàm regia liberalitate proſecutus: qui cum Hieroſolymis recedens, Antigonum ad Antonium in vinculis duceret. veritus Herodes, ne ille Romam perductus apud patres conſcriptos pro ſua defenſione afferret, ſe regibus eſſe oriũdum, Herodem verò hominem priuatum, ac vt ipſe in Romanos deliquerit, regnum tamen ad ſuos filios pertinere: magna pecunia data ab Antonio impetrat, vt Antigonũ occidat. Eo ſublato, principatus Aſamonæorum familię ademptus, quem per annos c & x x tenuerat, ad Herodem tranſiit, Antipatri filium, ex genere priuato & plebeia domo orti. Sic Herodes totius Iudææ imperio potitus, ſui ſtudioſos fouit, aduerſarios ſupppliciis affecit.

*Pollio. Sameas.*

Pollioni Phariſæo & Sameæ illius diſcipulo honorem in primis habuit: qui cum vrbs obſideretur, deditionis faciendæ autores fuerant. Samæas porrò, vt ſuprà narratũ eſt, Hyrcano & iudicibus prædixerat, Herodem conſeruatum, ipſos omnes vlturum eſſe. Occidit autem ex Antigoni factione circiter x l principes, bonis etiam ereptis, nec malorum vllus finis fuit.

*Hyrcanus relicta Babylone, temerè ſe fidei Herodis committit.*

Enimuerò Phraates Parthorum rex Hyrcanum captiuum benignè habuit, & vinculis ſolutũ Babylone degere permiſit, vbi à gente Iudaica & pontificio & regio honore colebatur. Sed cum Herodem regnum ſuſcepiſſe audiuiſſet, diſcedere ſtatuit: illũ cùm ob affinitatem, tum quòd cædis reum periculo exemiſſet, ſui rationem habiturum eſſe ratus. Quod etſi Babylonij Iudæi diſſuadebant, tum quòd à ſe pro rege & pontifice coleretur, tum quòd Hieroſolyma reuerſus, ob mutilatum ab Antigono corpus ſacerdotio fungi non poſſet: tamen ſuum deſiderium, & Herodis preces, illorum monitis prætulit. nam Herodes etiam à Phraate per legatos miſſis munerib. petierat, ne obſtaret, quo minus viro de ſe bene merito gratiam referret. Neq; verò Hyrcani cõmodum ſpectabat: ſed quia regnum alienum tenebat, mutationes haud ab re veritus, id dabat operam, vt aut Hyrcanum è medio tolleret, aut in ſua poteſtate haberet. Reditu à Parthis impetrato, Hyrcanus perquàm honorificè ab Herode habebatur, cũ & pater appellaretur, & prior accumberet in conuiuiis, & omni genere calliditatis deciperetur, ne inſidias parari ſibi animaduerteret.

*Ariſtobulus Anaele moto, pontifex deſignatur.*

Herodes porrò aliquem ex illuſtriorib. põtificem deſignare veritus, Anaeli cuidam obſcuro ſacerdoti, quem Babylone accerſierat, põtificatum tradit. Alexandra verò ſocrus Herodis, filium ſuum Ariſtobulum, puerum formoſiſſimũ, Alexandro Ariſtobulo filio natum, præteritũ eſſe ægrè ferens, à Cleopatra petit, vt filio pontificatum impetret ab Antonio: quibus precibus ſegnius ab illo acceptis, Dellius in Iudæam profectus, Ariſtobuli & Mariammæ coniugis Herodis formam admiratus, Alexandræ perſuadet, vt amborum liberorum imagines Antonio mittat: quibus ille conſpectis, nihil non conceſſurus eſſet. Antonius imaginibus acceptis, puellam Herodi nuptam accerſere verecũdatus, etiam Cleopatræ criminationes declinãs, ad Herodem ſcribit, vt ſibi puerũ mittat, cum hac appendice, Niſi graue ipſi videretur. Herodes verò minimè è re ſua eſſe ratus, ſi Ariſtobulus adoleſcens formoſiſſimus & nobiliſſimus ad Antonium Romanorum potentiſſimum, qui facilè amoribus irretiretur, & ad voluptates propenſus eſſet, mitteretur: reſcripſit, ſi adoleſcens Iudæa exceſſiſſet, omnia tumultu fore plena. itaq; ſe Antonio excuſauit: & amicis conuocatis, Alexandram incuſauit, tanquam regnum ſibi fraude eripere conãtem. Se tamen propterea non iniuſtum fore dixit, ſed iam adoleſcenti pontificatum daturum: qui cum pridem planè puer eſſet, propterea ſe alium pontificem interea deſignaſſe. Quæ cum dixiſſet, Alexãdra & lætitia & metu affecta eſt. lætitia, ob filij honorem: timore, ob Herodis ſuſpicionem. ſéque cum lachrymis excuſauit, ſe pontificatum quidem appetiuiſſe, regnum autem nõ affectaſſe: ac iam honorem filio tributũ amplecti, & morigeram in omnibus ei ſe futuram pollicita eſt. Sic inter ſe colluti, diſceſſerũt, quaſi omnis ſuſpicio ſublata eſſet ſcilicet. Pontificatu puero Ariſtobulo tradito, Herodes res domeſticas conſtituendi cupidus, Alexandram, quam ſuſpectam habebat, in regia degere iuſſit, neq; ſuapte autoritate quicquam agere.

*Alexãdra fuga deprehenditur.*

Quæ cum accuratè à quibuſdam obſeruaretur, exaſperata, & quiduis potius



potius tolerãdum rata, quàm vitam ſeruilem & ſolicitam, Cleopatræ opem implorat, ſtatu rerũ ſuarum expoſito. Quæ cum eam cum filio ad ſe confugere iuſſiſſet: duabus ciſtis quaſi ad efferẽdum funus præparatis, in eas ſe & filium includere ſtatuit, quas ſeruis rei conſciis mandauit, vt noctu ad mare deferrent, vbi paratam nauim habebant, qua in Ægyptum nauigarent. Id conſiliũ Herodes è quodam ſeruorum illius cognitũ, eò vſque progredi paſſus eſt, donec in ipſa fuga deprehenderentur, ac delictum id non tam humanitate, quàm Cleopatræ metu adductus, illis condonauit.

*Ariſtobulus pontifex per inſidias ſuffocatur.*

Sed cum omnino in animo haberet è medio tollere adoleſcentem, accidit vt is annum ætatis x v i i agens, in feſto tabernaculorũ pontificia ſtola ornatus, aram ad immolandas victimas cõſcenderet, ac populus impetu quodam ad eius beneuolentiam ferretur, tum ob formam & corporis magnitudinem, tum ob familiæ dignitatẽ, ac ſimul & gauderet & mœreret, & fauſtis acclamationibus preces miſceret. Iis rebus commotus Herodes, magis etiam id conſilium vrſit, quod contra illũ cœperat. feſtóque peracto, poſt cõuiuium ei ſe iucundum præbuit, iuueniliter ac feſtiuè colluſit, ac in piſcina vnà cum eo natauit. Verùm Herodis amici, arcani conſcij, quaſi per iocum, Ariſtobulũ premere & mergere nõ prius deſtiterunt, quàm ſuffocaſſent. Eo nondũ annos nato x v i i i ſic enecato, caſum illũ quiſq; nõ ſecus ac ſuam calamitatem ferebat. Alexandræ verò dolor, cauſa præſertim interitus cognita, magis etiam augebatur. patientérque illa præ metu reliquorum malorum patiebatur, & quanquam Herodes ad eam ſuſpicionem amouendam nihil non faceret, flendo, lugendo, & funus magnificè efferendo: Alexandra tamen nulla rerum earum mitigata, Cleopatræ ſcribit, vt Herodis inſidiis ſuus filius interiiſſet, à qua incitatus Antonius ad mortem pueri vlciſcendam, ad cauſam dicẽdam Laodiceam vocat Herodem.

*Ioſephi futilitas cauſa odij inter Herodem et Mariãmen.*

Ille & crimen & Cleopatræ inimicitias, cum abiret, veritus, Ioſephum patruum ſuum rerũ adminiſtrationi præficit: clámque mãdat, ſi quid ſibi ab Antonio accidiſſet, vt Mariammẽ ſtatim tolleret, ne ſe mortuo alteri ob formæ elegantiã nuberet. Ioſephus poſt Herodis diſceſſum rebus gerendis intentus, crebrò cũ Alexandra & Mariamme congreſſus, vt rex erga hanc affectus ſit commemorat. Illis verò ea verba per diſſimulationem eludentibus, ſibi nõ temperauit quo minus arcanum mandatum effutiret. Ea oratio maiorem deſperationẽ mulieribus attulit. Sparſo autem rumore ab Herodis inimicis, eum ab Antonio occiſum eſſe: literæ ab ipſo afferuntur, quibus exponebat, quàm honorificè ab illo tractaretur, vt pro tribunali illi aſſideret, vt eius conuiuiis intereſſet: eáque ſibi tribuerentur, quamuis Cleopatra grauiter criminante. Iis literis falſum rumorem aboleuit. Cum autem rex Herodes Antonium in Parthos proficiſcentem proſecutus, in Iudæam rediiſſet, ſtatim Salome ſoror, & mater eius, Alexandram & Mariammem accuſarunt. Salome etiam verba interiecit, maritum ſuum Ioſephum, regiorũ negociorũ procuratorem, cum Mariamme rem habere. Hæc dicebat ex inueterato odio, propter obiectam ſibi à Mariamme ignobilitatem. Herodes verò ſtatim perturbatus, ex æmulatione Mariamme ſeorſim percõtatur. Illa crimen eierante, remiſſa iracundia victus amore, ſuum erga illam affectum teſtatur. Illa verò reſpondet, mãdatum illud non eſſe amantis, quo ſi quid ipſi accidiſſet ab Antonio grauius, ſe quoque interfici iuſſiſſet. Id dictum Herodem ita perculit, vt exclamaret, ex eo conſtare de Ioſephi erga illam amore. Neq; enim arcanum fuiſſe proditurum, niſi magnus eos affectus copulaſſet. Ac ſtatim vxorem occidiſſet, niſi amore illius ſubactus fuiſſet. Ioſephum certè quidem nec in conſpectum ſuum admiſſum, interfici iuſſit: Alexandram, vt malorum omniũ autorem, in vincula coniectam aſſeruauit. Antonius porrò amore, ac potius veneficiis Cleopatrę corruptus, cupiditatibus illius ſeruiebat. Ea fratrem, ad quem regnum pertinebat, veneno ſuſtulerat: ſororẽ Arſinoem per Antonium occiderat: Antonium ipſum cogere nitebatur, vt ſibi Iudæam & Arabiam attribueret. Qui vt & manifeſtam iniuriã velaret, & mulieris amoribus, ac potius pręſtigiis indulgeret: ablatis ab vtraq; prouincia partibus, inſatiabilem illius cupiditatem mitigauit. Antonio in Armeniã ducente exercitum, Cleopatra in reditu cum Herode in Iudæam venit, familiaritate intantũ aucta, vt eum etiã ad cubile inuitarit, ſiue ex effrenata libidine, ſiue ex illius amore: ſiue quod probabilius eſt, vt principium inſidiarum ex illo cõgreſſu cõtra hominẽ captaret.

*Herodes Cleopatram muneribus placat.*

Sed Herodes verbis illius eluſis, muneribus placatam in Ægyptũ deduxit.

*Terræmotus in Iudæa.*

Septimo Herodis anno Iudęa tanto terræmotu eſt cõcuſſa, quanto nunquam aliàs: nec iumenta duntaxat multa perierunt, ſed & hominum ad x x x millia ruinis ædificiorum ſunt oppreſſa.

*Herodis Arabica victoria.*

Herodes verò redemptis vectigalibus earum prouinciarũ, quæ in Arabia & Iudæa Cleopatræ attributæ erant, cum Arabs in pendendis tributis parum æquum ſe præberet: bellũ ei Antonij permiſſu inferre conſtituit. ac multis præliis factis, tandem victor gente ſupplice in clientelam accepta, domum reuertitur, ob rem fortiter geſtam nomine magno parto, & plenus animorum. Sed Antonio recens ad Actium à Cæſare ſuperato, res eius turbatę ſunt, ac potius planè deploratæ. Neque enim ſperari poterat, eum in tanta Antonij amicitia, nullam à Cæſare cladem accepturum. Cùm autem iam antè in animo habuiſſet, Hyrcanum è medio tollere: tum magis etiã id conſilium probabat, ne vir ſupereſſet regno ſe dignior, ídq; tali caſu eſt confirmatũ.

*Hyrcani cædes.*

Nã Alexandra, contentioſa muliercula, nõ prius vrgere patrem deſtitit, vt ad Malchum Arabũ principem confugeret, quàm principio refragantem denique impuliſſet, vt per literas ab illo ſe ſuſcipi peteret, iis Doſitheo amico vt perferret datis. Is verò cum epiſtolam Herodi tradidiſſet, iuſſus eſt ea ad Malchum perlata, reſpõſum illius afferre. Quo per Doſitheũ confecto, reſcripſit Arabs, ſe & Hyrcanum & omnes illius neceſſarios eſſe recepturũ. Ea epiſtola recepta, Herodes Hyrcanum accerſit, de fœdere cũ Malcho icto quærit: inficias euntem, literis in cõcilio prolatis, interficit. Sunt qui Herodem hoc contra Hyrcanum commentũ eſſe arbitrantur, vt hominem è medio tollere poſſet, argumẽto ex facilitate & ſim-

plicitate viri ſumpto:qui ne adoleſcens quidem, quicquam audax aut temerarium tentarit,ne dũ tunc L X X X I ætatis annum agens. Herodes verò ad Cæſarem feſtinans, matrem, ſororem, & omnes liberos Maſadis collocauit:Mariammem vxorem cum eius matre Alexãdra, Alexandrium duxit,cuſtodibus per ſpeciem honoris adhibitis, Ioſepho quæſtore, & Ituræo Soemo fidiſſimis ſuis,cum hoc mãdato, ſi quid de ſe aduerſi audiuiſſent,vt ambabus interfectis,regnum ſuis filiis & fratri Pheroræ conſeruarent. Deinde ad Cæſarem,Rhodum profectus,ſolo diademate poſito, aliis in rebus nihilo ſe humilius geſſit:ac in colloquio cum Cæſare magnitudinẽ animi præ ſe tulit,non ad preces cõuerſus, & ratione actorum ſuorũ citra ſubmiſſionem reddita.Qua Cæſar non mediocriter ei conciliatus, & diadema reſtituit,& honorẽ habuit.Sic regno præter opinionem ſuam firmato,Cæſarem cum amicis munificẽtiſſimè donatum, in Ægyptum proſecutus eſt.Inde in Iudæam maiore cum honore & fiducia regreſſus,domum ſuam turbatam reperit.Nã Alexandra & Mariamme,ratæ, id quod res erat, ſe in Alexandrio tanquam in cuſtodia concluſas eſſe, vt nec in ſemetipſas poteſtatem haberent: grauiter id tulerunt.ac cuſtodibus, Soemo præſertim,tum verbis, tum muneribus cõcitatis,hominem paulatim,eò vſque impulerũt,donec regis mandata eloqueretur.Quibus auditis cõmotæ ſunt,Mariamme potiſſimum.Cui cum Herodes primæ, vt vxori par eſt, ſtatum ſuum nunciaſſet, & præ cæteris ſalutem dixiſſet:illa ad ſalutationes ingemuit, ad felicitatis commemorationem mœrorem præ ſe tulit, vt percelleretur rex,& angeretur inexpectato ſui odio,& ad eam inſolentiam vindicandam ſæpius cõcitaretur:ſed amoris vehementia impetum illius retardauit. Ad ſummam,veritus eſt,ne dum per imprudentiã adamatã mulctaret, in ſeipſum grauius amiſſa illa animaduerteret. Sed quoniam à matre & ſorore calumniis ad zelotypiam & odium extimulabatur: indies peius erga eam eſt affectus,illa ſuum animum nõ diſſimulante,ipſo amorem ira commutante.Quod ſi ad Cæſarem victorem in Ægyptum non feſtinaſſet, Antonio & Cleopatrę iam mortuis,ſtatim fortaſſe facinus perpetratum eſſet.Nunc rebus domeſticis relictis,maxima à Cæſare in Ægypto eſt conſecutus, maiorique cum ſplendore reuerſus. Mariamme verò, quam ardentiſſimè amabat,aliàs caſta erat,& fida illi:ſed amore ſubacto interdum cõtumelioſe inſultabat, & matri ac ſorori eius ignobilitatem per deriſum obiiciebat.Odium porrò hac occaſione erupit. Rex meridiano tempore thalamũ ingreſſus, vt quieſceret,Mariammem vocauit:ea verò illi maledixit,ob fratrem & auum ſuum interfectos.Quod illo grauiter ferẽte,Salome opportuno tempore arrepto,pincernam,quem antè corruperat vt Mariammem accuſaret,impulit vt tum regem conueniret,& ea quæ ab ipſa edoctus eſſet,proferret.Ille verò ſibi munera ab illa oblata eſſe aſſerebat, vt philtrum ei propinaret. id verò eſſe venenum quoddam, cuius ipſe vires ignoraret. His rex auditis, iracundia maiore inflammatus, de pincerna vxoris, quem ei fidiſſimum eſſe ſciebat, quæſtiones habuit. Is cum de

*Herodi regnum à Cæſare Auguſto confirmatur.*

*Mariamme ob ſuperbiã ſuam, & ſocrus ac gloſſis calũnias, ab Herode occiditur.*

iis ob quæ torquebatur,neque ſciret neque diceret quicquam odiũ mulieris è Soemi verbis ortũ ducere aſſerebat. Nõdum eam orationem finierat,cum Herodes magna voce exclamauit, Soemum mandata ſua non fuiſſe pro nihilo habiturum,niſi aliquid rei cũ muliere habuiſſet, eúmq; ſtatim interfici iuſſit: vxorem verò intimis ſuis cõuocatis,de poculis amatoriis & veneficiis iratus accuſauit.Quam ij qui aderãt, vt rex affectus eſſet cernentes,capitis condemnarunt. Dum ad necem abducitur,Alexandra mater eius iam ſuæ quoque vitæ timẽs,& ignorationem criminum, quæ Mariammæ obiecta eſſent,præ ſe ferẽs,exiliit,filiámque malam & ingratam erga maritum appellauit. Illa verò neque perturbata ea re, neque vllum effata verbum,vultu intrepido,& forti animo ad mortem iuit,generoſam indolem in extremis etiam præ ſe ferens. Cum Mariamme interitu à Salome maturato, ita periiſſet, Herodes amore illius magis exarſit,ſępe nomine eam inclamauit,indecorè lamentatus, & vſqueadeò affectu illo victus,vt per miniſtros Mariammem vocari iuberet.Denique in deſerta egreſſus,ibíq; mœrori indulgens: in grauem morbum incidit, qui erat inflammatio & putrefactio ceruicis, & mentis alienatio.Alexandra verò Hieroſolymis degens,cum regem iis malis conflictari audiuiſſet,duo ſuburbana caſtella occupare conata,iuſſu eius ſtatim occiditur: qui cum mortis periculum ægrè euitaſſet,ſæuum ſe præbuit, & implacabilem,ad vindictam & cædes propenſus, non vulgi dũtaxat, ſed intimorum etiam amicorum. Patria quoq; inſtituta violauit,& peregrinis moribus veterem ſtatum corrupit.Quibus rebus populo turbato & concitato,ciues decem coniurati,ſicas ſub veſtibus geſtantes,theatrum ex compoſito ingreſſi ſunt,vel ipſum Herodem, vel ſatellitum eius multos interfecturi. Cæterùm deprehenſi,nec inficiati conſilium ſuum, ſed & ſicis prolatis, omni ſupplicij genere tolerato perierunt.Delatorem verò quidam paulo pòſt mẽbratim diſcerptum canibus obiecerunt.Eos Herodes compertos cum omni familia vltus eſt,indignatione populi haud quicquam imminuta. oppreſſerunt autem mala grauiſſima Iudæam, fames, & morbus ex cibis ob penuriam inſolitis,& peſtilẽtia denique.Herodes qui opem ferre tali tempore cuperet,cum pecunia deſtitueretur, quam per oſtentationem in vrbibus inſtaurandis inſumpſerat, nec finitimæ regiones frumentum haberent, eadem inopia conflictantes: tamen vt pro virili opem ferret,ex ornatu regio percuſſis nummis, in Ægypto annonam mercatus eſt.qua allata, iis qui ipſi cibos ſibi conficere poterant, frumentum largitus eſt: qui verò vel ob ſenectam, vel ex alia imbecillitate id non poterant,eorum rationem habuit, piſtoribus conductis,qui cibos eis paratos offerrent. Hæc animos eorum qui prius illi ſuccenſebant,non modò mitigarũt,ſed ad beneuolentiam quoque traduxerunt. Regno ſuo afflicto ſic refocillato, finitimorum non minus laborantium calamitatem ex æquo ſubleuauit, extra regnum decies mille,in ipſo regno octogies mille coros dimenſus.Cõtinet autem corus,autore Ioſepho,x medimnos Atticos.Ea liberalitas,támque opportuna ben

*Alexãdra filiæ morituræ inſultans, paulo pòſt et ipſa occiditur.*

*Cõiuratio x virorum contra Herodẽ, ob ſæuitiam.*

*Herodes liberalitate in penuria annonæ populos ſibi recõciliat.*



na beneficentia,& Iudæos ex inimicis amicos ei reddidit, & apud exteros gloriam conciliauit. Adornauit ſibi quoque nuptias,amoris impulſu. Nam Simon quidam Hieroſolymitanus ſacerdos filiam habuit formoſiſſimam, cuius lepôre captus, quia pater ob humilitatem tantæ affinitati minimè par erat, pontificatum Ieſu Fabetis filio, à quo tum gerebatur, ademptum, in illum contulit, & filiam eius duxit. Cum autem ei domi omnia ex ſententia ſuccederent, etiam foris ſe muniit,tum vrbes comiter tractãdo,tum Dynaſtas officiis adiungendo, vt res eius vndique incrementa caperent. Verùm ambitione illa, & Cæſaris ac potentiſſimorum Romanorum cultu atque obſeruãtia fiebat, vt receptos mores & patria inſtituta violaret, vrbibus condendis, & templis ædificandis,non quidem in Iudęa,ſed in exteris prouinciis. Iudæis quoque ſe excuſabat, facere illa nõ ſuapte ſponte, ſed ex mandatis,& in gratiam & honorem Cæſaris & Romanorũ. Nam & ſtatuas collocabat, & exculpta inſignia, & vrbes condebat,& portus amplos ac tutos, & regias ſumptuoſas,& ædes ſplendidas.His rebus occupatus, filios Alexandrum & Ariſtobulum Romam ad ſalutandum Cæſarem miſit.Quibus Cæſar humaniter ſuſceptis, Herodi poteſtatem dedit,cui vellet ex filiis relinquẽdi regni:& alias ei ditiones adiecit, & in Syriæ procuratores retulit.quibus mandauit,vt omnia illo conſentiente agerent. Tantam felicitatem adeptus, fratri Pheroræ tetrarchiam à Cæſare petiit,& ſubditis trientem tributorum remiſit: ſiue vt, quod ipſe dicebat,populus ex annonę caritate recrearetur, ſiue,quemadmodum aliis videbatur, vt odium à ſe amoueret.Iudæi enim patriorum rituum mutationem iniquis ferebant animis. quamobrem libertatem eis adimebat, ſubinde laboribus imperandis,& conciliis prohibendis,deambulationibus etiam & diuerſoriis obſeruandis,& iis qui deprehenſi eſſent, grauiſſimè puniendis. Erant enim tam in vrbe, quàm in itineribus qui congreſſus hominum obſeruarent. Quidam etiã autores ſunt,eum ipſum priuati habitu ſe interdum noctu turbis immiſcuiſſe,quid de imperio ſentirent,animos eorum periclitantem.Contumaces omnibus modis vlciſcebatur. à plebe poſtulabat,vt ſacramento fidem ſibi firmaret. ac plebecula poſtulatis eius annuebat,refragantes autem quauis ratione tollebat. Petiit à Pollione Phariſæo quoque,& Samea,eorúmque diſcipulis pleriſque,vt iurarent.Sed hi neque iurarunt, neque puniti ſunt,ob regis erga Pollionem reuerentiã. Sunt & Eſſeni ea neceſſitate liberati,gens Pytagorici inſtituti in victu æmulatrix, quos ob Manaimum illius ſectæ hominem, cùm cætera bonum, tum futurorum præſcium, honorabat.Is Herodem adhuc puerum ſcholam frequentantem,regem Iudæorum ſalutauit. qui cum ſe priuatæ conditionis eſſe diceret,Manaimus leniter arridens,eúmque ſenſim percutiens:Atqui & regnabis,inquit,& imperium feliciſſimè geres. horum igitur verberum meorum memento. Eris autem optimus,ſi iuſtitiæ & pietati erga Deum, & erga populum clementiæ ſtudueris. Enimuero ſcio te talem non fore. Herodes regno potitus,Manaimum accerſitũ de imperij diuturnitate percontatus,tacente illo,dixit:An annis x, an x x, an x x x regnaturus eſſet? atque illo terminum non adiiciente: vel his contentus, Manaimo porrecta dextera dimiſſo, propter illum Eſſenos omnes honorauit. Anno autem regni x v i i i,conſilium templi mutandi, ídque altiùs & magnificentiùs extruendi cæpit. Populo autem ab illo conatu abhorrente, ſe non priùs id diruturum eſſe dixit,quàm omnia ad opus neceſſaria præparaſſet. Quæ cum in promptu eſſent omnia, veteribus fundamẽtis ſublatis, nouíſque iactis,templum inchoauit longitudine c cubitorum, altitudine c x x. Structuræ adhibuit ſaxa candida & robuſta, ſingula circiter x x v cubitos longa,alta v i i i,lata x i i.Ad ſeptentrionale latus arx angularis, firma & munitiſſima inædificata erat,quam reges,iidémque pontifices ex Aſamonæorum familia ſtructam,Barin vocarãt, vt pontificia ſtola in ea reponeretur. Eam igitur Barin Herodes inſtauratam,& pro templi defenſione munitiorem redditam,in Antonij memoriam Antoniam vocauit.Ipſum porrò templum, & quæ in circuitu eius ſunt omnia, v i i i annis ſunt abſoluta. Traditum autem eſt,eo tempore quo ipſum templum ſtrueretur(id quod vno anno & menſibus ſex perfectum eſt) interdiu non pluiſſe, ſed imbres noctu eſſe factos, ne opera impedirẽtur.Deinde Herodes ad facinora comprimenda legem tulit, vt fures peregrè venderentur: quæ res & facinoroſis grauis, & legibus euertendis erat.Nam exteris ſeruire, eorúmque ritu neceſſario viuere, quod ad illos quidem attinebat, religionis erat abrogatio. Lex enim fures, ni quadruplum ſoluere poſſent, vendi iubebat.ſed popularibus ne & religione exciderent, & per omnem ætatem ſeruirent, ſed poſt ſexennium manumitterentur.Hoc in parte erat criminationum & odij popularis aduerſus Herodem. Qui ſub id tẽpus in Italiã profectus,vt cum Cæſare colloqueretur,& filios Romæ degentes viſeret:benignè à Cæſare ſuſceptus, filios vt abſolutè iam in diſciplinis inſtitutos, domũ reduxit. Qui in patriam reuerſi, cùm animorum magnitudine,tum formæ elegãtia vulgò conſpicui,Salomę regis ſorori,& iis qui matrem eorũ calumniis ſuſtulerant, inuiſi fuerunt. Itaq; iam contra ipſos etiam arma eadem expediuerũt,quibus genitricem eorum cõfecerant:rumore ſparſo,adoleſcentes abhorrere à patris cõſuetudine,ob matris necem, & ita patre ad odium filiorũ pro virili inſtigato.Is verò eos & dilexit,& honoris participes aliquandiu fecit, & adultis vxores dedit, Ariſtobulo Salomæ filiam Bernicem: Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram, Alexandrõ. Quibus rebus Salomes inimicitiæ contra adoleſcẽtes magis alebantur,omnes eos ſibi adiungentis, qui cædis Mariammes adiutores fuerant:adoleſcentibus etiam cauſas nonnullas ſuppeditantibus, dum tam ex recordatione matris, quàm ex imperij cupiditate maledictis & ipſam & Pheroram inſectantur:quibus illorum maleuolentia augebatur, & ſubdolæ calumniæ,cauſa ab ipſis ſuppeditata, contra eos adornabantur. Nam cum nefaria Salome & matri & ipſis cõuiciaretur,vt eos ad reſpondendum irritaret:illi & interitũ matris, & ſuas fortunas miſerabãtur,qui

*Herodis ſecũdæ nuptiæ, & proſperi ſucceſſus.*

*Herodes tyrannica diligentia.*

*Manaimus Eſſenus vates.*

*Herodes tẽplum Hieroſolymitanum ædificat.*

*Baris.*

*Antonia.*

*Herodis lex de furibus.*

*Salome & Pheroras Ariſtobulo & Alexãdro inſidias ſtruunt.*

parricidarum illius conſuetudine vti cogerentur. Hæc abſente rege acta: reuerſo Pheroras & Salome, ſtatim ea verba inſuſurrant, ſe in magno verſari periculo, adoleſcentib. ſe necem matris vlturos, apertè minitantibus. Herodes his per alios quoque nunciatis turbatus, alium filium Antipatrum, in priuata vita ſuſceptũ, ad coercẽdos adoleſcentes ſibi conciliare ſtatuit, eíque honorẽ habuit, vt Mariammæ filiorum audaciam reprimeret, cũ intelligerent, non ſibi ſolis, neque neceſſariò regni ſucceſſionem deberi. Itaq; Antipatrũ, tãquam ſpectatorẽ certaminis ad dimicandũ paratũ, introduxit. Qui, vt homo callidus, data occaſione, vnũ ſibi negotiũ eſſe ratus eſt patri adhærere, eúmq; per calũnias à fratribus alienare: quibus calumniis illi anſa dabant, ſui contemptũ deplorando, & matrẽ inuocando, & patrẽ apertè iniuſtũ vocitando. Ea verba cum additamẽto renuncians Antipater, patris erga illos ſimultatem malitioſè augebat: ab eóque vt Mariãmæ filios premeret, ampliorib9 honoribus auctus, denique matre ipſius etiam introducta, cũ multis muneribus Romã mittitur, Cæſaríque cõmendatur, vt iam penes illum eſſe omnia, adoleſcentes verò ſpe imperij planè deiecti viderẽtur. Cæterùm veritus, ne ſe abſente pater Mariammæ filiis æquior fieret: nec in itinere ſubinde ad eum ſcribere deſtitit, & eius inimicitias cõtra fratres exacuere: donec perpulit, vt ipſe Romã nauigaret, filios apud Cæſarem accuſatũ. Quos cum ſecum adduxiſſet, de eorum deplorata indole querebatur, qui patrem exoſi, eiúſque perimẽdi auidi, regnum affectarent. Adoleſcentes verò patre quoque adhuc dicente flebãt: & tandem ſuſpirabant, veriti, ne ſilentium ſuum confeſſio criminis & conſcientiæ argumentũ haberetur. Vt autem & Cæſaris beneuolentiã, & aliorum lachrymas & commiſerationem omniũ animaduerterunt: Alexander oratione ad patrem inſtituta, crimina diluere exorſus, cũ probabiliter diſſeruiſſet: Cæſar, qui antè quoque illorum criminationibus non crediſiſſet, magis in ea ſententia cõfirmatus, Herodem continenter intuetur: quem cum & ipſum ſubtriſtem cerneret, ac ſpectatoribus æſtuantibus, adoleſcentibus ait: Etſi ſeſe criminis omnino expertes eſſe putarent, tamen idipſum eos delinquere, quod patrem non ita colerent, ne quis de ipſis rumor ſpargi poſſet. Herodem autẽ hortatus eſt, vt omni ſuſpicione abiecta, filiis reconciliaretur. Nam talia cõtra liberos credere, iniquum eſſe. Dum hæc monet, innuit adoleſcentibus, vt coram patre procumbãt. Quod cũ alacriter facturi eſſent, pater prior eos lachrymantes ſalutauit, & vtrumque amplexus eſt. Ac tum gratiis actis Cæſari, vnà diſceſſerunt, Antipatro etiam comitante, qui ſe illorũ recõciliatione gaudere ſimulabat. Poſtridie Cæſar Herodi liberum fecit, quem vellet è filiis ſucceſſorẽ deſignare, aut regnũ inter eos diuidere, ſed poſt obitũ demum. Nam dum viueret, eum & regnũ & imperium in filios tenere iuſſit. In reditu Archelaus Alexandri ſocer ei circa Ciliciam occurrit, filiorum reconciliationem gratulans. Inde in Iudæam reuerſus indicto concilio, vt in itinere ſecum eſſet actum, expoſuit, orationémque filiorum admonitione concluſit. quibus cum denunciaſſet, ſe regnũ delinquere primùm Antipatro, deinde Mariammæ quoque filiis, concilium dimiſit.

*Antipater ab Herode fratribus opponitur.*

*Herodes à Cæſare filiis recõciliatur.*

Fuit Herodes erga alios liberaliſſimus & beneficẽtiſſimus, ſubditis verò grauis & iniquiſſimus, cognatorum & amicorum punitor inexorabilis. In cauſa fuit gloriæ imperiíq; cupiditas. Nam glorię gratia ſi vel poſteritatis memoriam, vel in præſentia nominis celebritatem conſecuturus eſſet, nullis parcebat impenſis: quas cum multas requireret, grauibus exactionibus ſubditos cum ſæuitia onerabat. Imperij porrò cupiditas in cauſa erat, vt ſi quàm contra aliquem ſuſpicionem regni affectari aut ſtudij nouarum rerũ cõcepiſſet, eum pro hoſte vlciſceretur. Itaque cũ ſolus honorari vellet, cognatos & amicos inclementer ſuppliciis afficiebat. Eius auaritię ex profuſionibus ortæ illud argumẽtum eſt, quòd cum audiſſet Hyrcanum deceſſorẽ ſuum, aperto Dauidis monumento tria millia talentûm argenti abſtuliſſe: noctu fidiſſimis amicorum adhibitis, ne res efferretur, idem monumentum aperit, ingreditur: ac argentum quidem, vt Hyrcanus, non reperit, ſed multũ aurei ornatus: quo omni ſublato, ad cellas interiores, quibus Dauidis & Salomonis regum cadauera condita erant, properat. Quò dum penetrare contendit, duo eius ſatellites perierunt, flamma, vt fertur, erumpente: ipſe perterritus diſceſſit, atque ob id facinus, res eius domeſticæ laborare videbantur. Nam quæ in regia gerebãtur, belli ciuilis faciem præ ſe ferebãt. Antipater enim homo callidus exercitũ inſtruebat cõtra fratres: quos cum per alios criminaretur, ipſe aliquãdo defendebat, vt per beneuolentiæ ſpeciem amota inſidiarum ſuſpicione patrẽ falleret, & ſolus ſalutẽ eius curare videretur. Ac in eo patri erant omnia: Mariammę verò filij indies magis exaſperabãtur, ignominiam, vt generoſis erant animis, non ferentes, cum repulſi ac quaſi in ordinem coacti eſſent. Eò incitabantur ab vxoribus etiam. Nam Alexãdri coniunx Glaphyra, Salomen oderat, ob eius in maritum ſuũ maleuolentiam: & ob filiã illius Ariſtobuli vxorem, quam ſuperbè tractabat, & ſibi dignitate æquatam eſſe indignabatur. Pheroras quoq; frater in regis ſuſpicionem & odium venit, hoc modo: Cum ei regis filia deſponſa eſſet, mulierẽ ancillam inſano amore deperibat, neglectáque cõiuge, ſeruæ amplexibus indulgebat. Id Herodes ægrè ferens, puellam Phaſaeli filio iungit. ſed aliquanto pòſt, tum de priore delicto expoſtulat, tum vt alterã filiã ducat poſtulat, ancillæ amorẽ iam deferbuiſſe ratus. Ille ancilla & puero ex ea nato dimiſſis, ſe regis filiam ad diem trigeſimum ducturum pollicetur. Quo tẽpore elapſo, tantus eius amoris ardor erga ancillã fuit, vt pactis conuentis neglectis, in adamatæ mulierculæ ſtupris volutaretur. Id Herodis furorem accendi: ac ſubinde noui aliquid exortum eſt, quod eum quietũ eſſe non pateretur, Ad hæc Salomæ filiis Mariãmes infeſta, filiæ quoque ſuæ Ariſtobulo nuptæ ſuaſit, ne marito bene cuperet: ſed ſi quid arcani loqueretur, id ſibi renunciaret. Ea verò dicebat, adoleſcentes meminiſſe matris, patrẽ odiſſe: minitari, ſe regno potitos, Herodis liberos ex aliis mulieribus natos, paganos ſcribas effecturos: ipſas mulieres ita incluſuros, vt ne ſolem quidem intuerentur.

*Elogia Herodis.*

*Dauidis monumentũ ſpoliatum.*

*Herodis familia ciuili bello ſimilis.*

*Glaphyra.*

*Pheroras.*

*Salome.*



Quæ cum rex ex improbiſſimæ Salomæ indicio cognoſceret, dolenter ferebat, ac corrigere conabatur, auditáque filiorũ defenſione mitigabatur. Sed Pheroras denuò res turbauit. Dixit enim Alexandro, ſe ex Salome audiuiſſe, Herodem Glaphyræ amore captum eſſe. Qua oratione turbatus Alexander, ac zelotypiæ dolorem non ferens, quod ex illo audierat, patri indicauit. Herodes verò magno dolore affectus, & ementitæ calumniæ impatiẽs, ac turbatus, accerſito Pherora: Peſſime, inquit, iſtis contra nos dictis vtrum te verba infigere animo filij, an dextram eius armare gladio cenſes? Pheroras reſpõdit, commentum id Salomes eſſe: cui quamuis neganti, & capillũ vellicanti, & pectus plangenti, ob inſitam morum improbitatem, fides nõ habebatur. Tandem rex & fratrem & ſororem ablegat, filio ob continentiam & relatos ad ſe ſermones collaudato. Cæterùm aliud quiddam accidit, quo tumultus in ædibus regiis eſt renouatus. Habebat Herodes eunuchos ob formæ elegantiam charos, quorum vni pincernæ, alteri dapiferi munus aſſignarat, terti9 ipſi à ſomnis erat. Ii ab Alexandro pecunia corrupti eſſe dicebantur, & quæſtionibus adhibiti, rem ſecũ habuiſſe adoleſcentem confeſſi ſunt, ſed de patre nullius conſilij ſe conſcios eſſe Alexandro affirmarunt. Verùm tortoribus flagra intendentibus, adiecerunt, intercedere Alexãdro inimicitias & odium cum patre, ſéque ab eo monitos, vt Herode ob ſenectutem deſtituto, ſibi auſcultarent, ad quem regnum vel inuito patre venturum eſſet, tum ob genus, tum propter ducum & amicorum erga ſe beneuolentiã. His auditis Herodes in metu fuit, omnes ſuſpectos atq; inuiſos habuit, multis amicorum aditu regiæ interdixit: quarũ rerum omnium cauſa erat Antipater. Primùm igitur quos Alexãdro fidos eſſe putabat, quæſtionibus adhibitos examinabat, nunquid ei facinoris alicuius, quo ipſe peteretur, conſcij eſſent? Illi verò cum quod dicerent, non haberent, cruciatibus immoriebantur. Quidam tamen tormentorum dolore victus, dixit, Alexandrum, cum ob proceritatem corporis, ſagittãdi peritiam, cæteráſq; dotes laudaretur, dixiſſe: Si quid ſibi præclari vel à natura tributum, vel ſtudio comparatum eſſet, id ſibi calamitati eſſe, quòd pater ſuis bonis doleret. Adiecit, eum cum Ariſtobulo conſilia agitaſſe, de patre in venatione occidendo, & vendicandi regni cauſa Romam confugiendo. Sunt & literæ Alexandri inuentæ, quibus ad fratrem ſcribebat, patrem iniquè facere, qui Antipatrũ ipſis anteferret. Ob hæc Alexandrum in vincula coniecit: ſed euidentius argumentum quæſiuit, ne filium temerè vinxiſſe videretur. ac multos inſignes viros in quæſtionibus occidit, nihil tale elocutos, quale expectabat. Sed quidam adoleſcens fidiculis cõtentis, dixit, Alexandrũ ab amicis Romanis petiiſſe, vt à Cæſare vocaretur, ad iudicium faciendum de Mithridate Parthorum rege, qui cũ patre amicitiam contra Romanos iniiſſet: eundem habere venenum Aſcalone præparatũ. Hæc temeritatem Herodis conſolata ſunt. Ac venenũ ſtatim quæſitum eſt, ſed non inuentum. Alexander autem malorũ magnitudine exacerbatus, vt inimicos vlciſceretur, & vnà ſecum in exitiũ traheret: ad patrem ſcripſit, nihil opus eſſe quæſtionibus. Nam ſi inſidias cogitaſſe: earúmq; ſocios eſſe Pheroram, & intimos eius amicos. Salomen verò etiam noctu cubiculum ingreſſam, ſecũ inuito rem habuiſſe. enimuerò omnes in eo cõſentire, vt ipſo è medio ſublato, perpetuo exitij metu liberentur.

*Pheroras & Salomæ regia pelluntur.*

*Eunuchorũ de Alexandro iudiciũ.*

*Alexãder in vincula coniicitur.*

Cęterùm Archelaus Cappadocum rex iis cognitis, de filia & genero ſolicitus, Hieroſolyma venit, artificioſe moleſtias ſedare conatus. Nam adoleſcentem accuſabat, & Herodẽ æquum vocabat, ſéque dirempturum eſſe coniugium profitebatur. Illo ea dicente, Herodes ſęuitia remiſſa, in mœrorem & lachrymas erupit: eúmq; rogauit, ne matrimonium dirimeret, ſed omiſſa iracundia, delictis adoleſcẽtis veniam daret. Archelaus, cũ Herodem iam mitigatũ videret, culpam in alios transferebat, Pheroram præſertim. Cui roganti vt pro ſe apud Herodem intercederet, ſuaſit, vt ipſe fratrem conueniret ac oraret, & culpam omnem agnoſceret. Sic enim iracundiæ rigorem facilius mitigaturum, ſéque illi affore eſt pollicitus. Paret Pheroras. per Archelaum Herodi reconciliatur, etiam Alexãdro crimine liberato. Verùm longo tempore pòſt liberi & res domeſticæ Herodis longè peius habuerũt. nã Eurycles Lacedæmonius, homo apud ſuos nõ obſcurus, ſed peſſimi animi, Herodi muneribus oblatis, & pluribus acceptis, in regis intimam amicitiam eſt receptus. Diuerſabatur autem apud Antipatrum. ſed & Alexãdri ædes frequentabat, ſe Archelao quoque notum eſſe aſſerens, eáque de cauſa Glaphyram colere ſimulabat. Huic in familiaritatem recepto, Alexander ſuas tragœdias & matris interitum referebat, ac non ferenda eſſe illa dicebat. Quæ cum dolenter effaretur, Eurycles omnia narrabat Antipatro: ab eóque muneribus acceptis, vt eadem patri referret, ſic regem commouit, vt odio implacabili arderet. Hac ratione partis opibus diſceſſit. Herodes verò tanta iracundia cõtra filios efferbuit, vt calumniatoribus iam nihil eſſet opus, ſed ipſe dicta factáque eorũ omnia curioſe indagaret, atque obſeruaret. Cum autem duo ex regis ſatellitibus per iracundiam expulſi, cũ Alexandri miniſtris equitarent, ab eóque munera accepiſſent: Herodes ſtatim ſiniſtri aliquid ſuſpicatus, quæſtiones de iis habuit. Ij verò principiò cruciatus tolerantes, deinde narrarũt, Alexandrum à ſe petiiſſe, vt Herodẽ in venatu occiderent. Sunt & de Alexandrij caſtelli profecto quęſtiones habitæ, quaſi promiſiſſet, ſe adoleſcentes caſtello recepturum. illo autẽ nihil cõfitente, filius eius ita factum eſſe affirmauit, & literas ea de re obtulit, quæ Alexandri manu ſcriptæ viderentur. Tũ verò Herodes nõ iam dubitabat de filiorũ inſidiis, licet Alexandro Antipatri dolo id ſcriptum eſſe concinnatũ affirmante. Adoleſcentes igitur tum obſeruabantur, atq; in ignominia & metu damnatorũ erant. Ariſtobulus autẽ ſocrum Salomen vicem ſuã dolere, & eũ odiſſe qui talia crederet, putãs: Hæc, inquit, tibi quoq; periculum denunciant, cui ſpes nuptiarum Sylæi crimini datur. Ea verba mulier ſtatim ad fratrẽ defert. Qui vtrũq; filiũ vinctũ ſeorſim cuſtodiri, ac ſingulatim ſcribere iubet, quæ cõtra patrem meditatus eſſet. Illi ſcribũt ſe inſidias cõtra patrẽ neq; animis agitaſſe, neq

*Archelaus Herodẽ placat.*

*Eurycles Lacedæmonius nouas tragœdias Herodi ciet.*

*Alexander & Ariſtobulus vincti.*

ſe,neque comparaſſe:ſed fugam ſpectaſſe neceſſariò, quòd vitã ſolicitam & ſuſpectam degerẽt. Tum igitur Alexandrum vinctum eduxit, præſente & audiẽte Archelai legato,& de fuga percontatus eſt, quò & quomodo diſcedere voluerint?Ille verò,ad Archelaum,reſpondit, qui pollicitus eſſet, ſe eum inde Romam miſſurum, nihil autem aliud grauius in patrem cogitaſſe. His dictis,rex duos è ſuis Romam ad Cæſarem cum literis miſit, ac iuſſit naui ad Ciliciam apulſa cũ Archelao expoſtulare,quòd inſidiarum filiis ſuis adiutor fuiſſet. Archelaus verò reſpondit,ſe promiſiſſe adoleſcenteſ ſuſcepturũ,propter & ipſorum & patris vtilitatem, ſed ad Cæſarem miſſurum fuiſſe negauit. Illi Romam profecti Cæſari literas reddiderunt: qui reſcripſit,ſe dolere propter eius filios, ſed omnem ipſi autoritatem dare:qui ſi facinus impium in ſe admiſerint,puniẽdos pro parricidis:ſin fugam dũtaxat cogitarint, in eos verbis caſtigatos nihil grauius conſulendum. Conſultum autem videri ſibi,vt conuocato Beryti concilio,& ducibus atque Cappadocũ rege Archelao, & aliis viris dignitate illuſtribus adhibitis,quid ſtatuendum eſſe videatur, deliberet.

*Cæſaris ad Herodem literæ.*

Herodes hac epiſtola accepta,ad conciliũ vocauit quos voluit:Archelao,ſiue quòd eum oderat,ſiue quòd voluntati ſuæ refragaturum putabat,præterito. Ducibus & cæteris iam congregatis,rex filios accuſat, recitatis ipſorũ ſcriptis quæ nihil aliud continebant, præter fugæ conſilium, & conuicia quædam patri maleuolentiam exprobrantia. Poſtremò dixit, & à natura & à Cæſare poteſtatem ſibi datam eſſe:legémque patriã adiecit,quæ iuberet, ſi quem parentes, manibus illius capiti impoſitis accuſarẽt: eos qui circumſtarent, neceſſariò lapidibus reũ occidere. Quòd cum ipſe domi in patria facere potuiſſet, illorũ tamen ſuffragia expectaſſe. Hæc Herode locuto, qui in concilio aderant, adoleſcentibus nec in medium productis,autoritatem ei confirmarũt: ac nonnulli ſane adoleſcentes cõdemnarunt,nõ tamen capitis: pleriq; capitis etiã eos cõdemnarunt. Cõcilio ſic dimiſſo, Herodes adductis filiis Tyrum venit,inde Cæſareã,vbi omnes expectatione ſuſpenſi fuere, quo tandem res illorũ euaſuræ eſſent, quamuis autem ea grauiter ferrent, non tutum tamen erat,vel quicquam de illis loqui,vel aliis dicentibus audire. Itaque caſum illum mœſto ſilentio diſſimulabant.

*Berytiũ concilium filios Herodis capitis cõdemnat.*

Verùm miles quidam nomine Teron, qui filium Alexandro æqualem atque amicum habebat: multa in populi frequentia locutus, etiam à rege petere auſus eſt, cum eo ſolo colloquendi facultatem. qua impetrata: Quo tandem, inquit, excellens iſta prudentia abiit? Quæ eſt iſta ab amicis & cognatis ſolitudo? Non aliquando conſiderabis, quò res euaſura ſit, ſi duobus adoleſcentibus ex matre regina ſuſceptis, omni virtutum genere præſtantibus, interfectis, tua ſenectus vni filio innitetur, & cognatis, quos ipſe toties capitis condemnaſti? Non cogitabis ſilentij populi cauſam eſſe doloris magnitudinem,totúmque exercitum in calamitoſos miſericordiam, in calamitatis autores odium gerere? Rex illa principiò non iracundè audiebat. Sed Teronis immoderata & militari libertate & militum indignatione cõmotus, Teronem in vinculis aſſeruari iuſſit.

*Teron miles pro filiis apud Herodẽ intercedit.*

*Alexãdri, Ariſtobuli,*

Qua occaſione arrepta, Tryphon regis tonſor dixit,ſe à Terone ſæpius ſolicitatum, vt regis gulam nouacula abſcinderet: quo facto principem locum apud Alexandrum habiturus eſſet. His dictis & ipſe comprehenditur: quæſtiones de Terone,eius filio,& tonſore habẽtur. Quam neceſſitatem patre fortiter tolerante, filius, qui quàm is miſerè affectus eſſet, cerneret, dixit, ſe regi veritatem indicaturum, ſi patrem & ſe illis cruciatibus liberare vellet. Fide accepta, conueniſſe, ait, vt Teron ſuis manibus regem occidat. His dictis,patrem erumna liberat. Herodes verò omni dubitatione paterni animi repudiata, decretum ſuum exequi ſtatuit. Itaque Alexander & Ariſtobulus Sebaſten perducti, illius iuſſu laqueo præfocantur. Sunt & CCC duces rei, & Teron cum filio & tonſore producti atque accuſati,quos populus telis obiter arreptis interfecit.

*Teronis filij, & Tryphonis, & CCC ducũ interitus.*

Antipatro, cum fratres ſuſtuliſſet, difficilior facta eſt regni adeptio, ſuſceptis popularium odiis,ac militum in primis:ſed regni fuit interea cum patre particeps, qui ei fidem habebat. Alexandri vxorem ad patrem remiſit Herodes, interfectorum liberos magno ſtudio aluit. Suſceperat enim Alexander ex Glaphyra duos mares: Ariſtobulus è Berenice tres filios, & duas filiolas. Natus eſt & regi è pontificis filia Herodes. Habuit enim LX mulieres in matrimonio:ídque more gentis,apud quam receptum erat, eodem tempore plures vxores alere, inter quas fuere Antipatri mater & filia pontificis: è qua, vt dictum eſt, filium ſibi cognominem procreauit. Fuit ei & fratris filia nupta, & conſobrina cum ea,præterea Samaritana quædam,cuius filij fuere Antipas & Archelaus & Olympias filia. Inter eius vxores etiam Cleopatra Hieroſolymitana numerabatur, cuius filij fuerunt Herodes & Philippus. Præterea Pallas, è qua Phaſaelum ſuſcepit: ac Phædra & Elpis, quæ ei Roxanen & Salomen filias pepererunt. Suſceperat & è Mariamme duas filiolas. Atque hæc familia Herodiſ fuit:ſed ſumma rerum ad ſolum Antipatrum ſpectabat,omnibus formidabilem,non tam poteſtate, quàm morum improbitate: quem Pheroras maximè colebat, & ab eo viciſſim colebatur.

*Herodis coniugia & familia.*

Salome verò eis aduerſabatur, quæ rebus ſuo nomini contrariis (id enim pacem ſignificat) ſemper ſtudebat, non pacifica, ſed pugnax admodum,& alios ad ſeditiones, ad pugnas, ad iura cognationis & neceſſitudinis dirimenda incitare ſolita. Ea explorata Antipatri & Pheroræ coniunctione, Herodi ait, eorum beneuolentiam in ipſius fraudem tendere. Cuius illi calumnia intellecta, quamuis clàm concordiam colerent, publicè autem mutuis odiis & conuiciis certarent: Salomen tamen non fefellerunt, indagantem omnia, & regi nunciantem, occulta conciliabula, compotationes & concilia arcana: quæ ipſe etiam pleraque intelligebat.

*Salome Antipatro & Pheroræ inſidiatur.*

Phariſæi verò gynæ conitide ſibi conciliata, homines accurata patriæ legis obſeruatione tumidi, regi aduerſabantur. Nam cum cæteri omnes in fidem Cæſaris & regis Herodis iuraſſent: illi ſoli refragati ſunt, ſex millium numero. & quia Pheroræ coniugi bene cupiebant,

prædix

*Phariſæorũ aſſentatio occaſionem præbet Pheroræ ablegandi.*



prædixerunt, regnum Herodi diuinitùs abrogatum, Pheroræ eiúſque poſteris attributum eſſe. Ne hæc quidem Salomes improbitatem latuerunt, quin ſtatim regi renunciarentur. Phariſæi autẽ orationis illius conuicti, eunuchus Bagoas, Carus quidam excellenti forma Herodis amaſius,atque alij regij, tanquam arcanorum cõſcij, interfecti ſunt. Deinde rex indicto cõcilio Pheroræ coniugem, multis criminibus in medium adductis,accuſauit, ac denique oratione ad Pheroram conuerſa:His de cauſis,inquit,muliercula pridẽ vltrò tibi repudianda fuit. At nunc ſaltem, ſi te fratrem meum perhiberi cupis, illius conſuetudinem vitato. Ille verò ſe mortem præoptare potius reſpondit, quàm vt viuens vxorem deſerat. Ex eo Herodes Antipatro & matri eius, Pheroræ conſuetudinem,& mulieribus,ne inter ſe conuenirent,interdixit. Qui etſi id pollicerentur,tamen per tempus commeſſatum conueniebant. Antipater verò patris iram metuens, ab amicis petit,vt Herodi ſcribãt,vt ſe Romam mittat. Ita pater eum cum muneribus Romam mittit,teſtamentum ferentem,quo ei regnum legabatur. Sin ipſi aliquid accidiſſet, Herodi ex filia pontificis genito, Pheroram, cum vxorem non repudiaret,diſcedere iuſſit. Is verò cum in tetrarchiam ſuam abiret, iurauit ſe ante auditum fratris obitum reuerti nolle. Vnde factum, vt nec rege ægrotante accerſitus venerit, ne iuſiurandum violaret. Herodes verò pòſt,Pherorã ægrotantem vltrò inuiſit, & mortuo honorẽ habuit.

Cæterùm Pheroræ exitium Antipatro malorum fuit initium, numine fratricidium eius vlciſcente. Nam duo honorati Pheroræ liberti rogarunt Herodem,ne fratris necem veneno ſublati inultam eſſe pateretur. Quod cum probabile videretur, regem ad rem certius indagandam permouit: habitæ ſunt quæſtiones de mulieribus ingenuis, & ancillis. Cæteris cum ſilentio cruciatus tolerantibus, vna quædam nihil aliud dixit, niſi quòd Deum precata eſt,vt Antipatri mater,malorum autor,tali neceſſitate vrgeretur. Ea oratio regem ad diligentiorem inquiſitionem perpulit: ac mulieres cruciatibus auctis,arcana omnia detexerunt,comeſſationes,occultos cõgreſſus, ſermones Antipatri cum Pheroræ mulieribus habitos,odium patris,lamẽtationes apud matrem, quòd pater diutiſſimè viueret, itaque ſe ſuauitatis imperij ſenſu cariturum, ſi quando id adipiſceretur,ob vrgentem iam ſenectutem. Hęc atq; alia plura,quę patrem quoq; tangerent,mulieres referebant. Ob quæ rex Antipatro iam apud animum ſuum cõdemnato, matrem eius Doridem repudiat, & omnem ei mundum eripit, præcij multorum talentûm. In primis tamen Herodem contra filium inflammauit Antipater procurator illius:cùm alia in quæſtionibus cõfeſſus,tum illud,eum Pheroræ venenum dediſſe, ac mãdaſſe vt id patri per abſentiam ſuam,quo minus ſuſpectus eſſet,offerret. Pheroram autem id vxori aſſeruandum dediſſe. Mulier id fatebatur, atque ad venenum afferendum egreſſa,detecto ſe præcipitem dedit, nec tamen illo caſu mortua eſt. Recreata igitur,& denuo à rege interrogata,iurauit,ſe rem omnem,vt geſta eſſet,expoſituram. Dixit autem,ſe venenum à marito accepiſſe, ab Antipatro cõtra ipſum patrem præparatum:ſed cum ægrotante Pherora,ipſe rex fratrem coram coluiſſet, Pheroram eius beneuolentia perſpecta,ſibi dixiſſe,vt venenum afferret,atque in cõſpectu ſuo cremaret. ſe ſtatim dicto audientem, maxima parte in ignem coniecta,parum ſibi reſeruaſſe,quo vteretur,ſi poſt mariti obitum à rege male tractaretur. Ipſam quoq; pyxidem cum veneno in medium protulit. Accuſata eſt & regis vxor,pontificis filia,quam ſtatim eiecit,eiúſque filium ex teſtamẽto deleuit:in quo vt regis, eius mentio fiebat. & ſocero Simoni Boethi filio,pontificatu abrogato, Matthiam Theophili filium ſucceſſorem dedit.

*Antipater poſt Pheroræ obitum, deprehenſis inſidiis à patre occiditur.*

Interea Bathylus Antipatri libertus Roma adeſt,patroni matri & Pheroræ venenum ferens:qui in tormentis dixit, id miſſum eſſe,vt ſi prius patrem non attigiſſet,vel hoc eum conficeret. Afferebat etiam literas Roma ab amicis Herodis,quibus Archelaus & Philippus Romæ ſtudiorum gratia degentes, accuſabãtur,quaſi patrem fraternarum cædium reum agerent, ac ſibi ipſis timerent. Eæ literæ magnis lagitionibus Antipatro conſtiterunt. Herodes verò ira occultata,eum maturare iuſſit,& de matre eius quædam conqueſtus, eum ſe arbitrum ſumpturum dixit,vbi rediſſet. Eás literas in Cilicia accepit: ſed Pheroræ obitum Tarẽti cognitũ ægerrimè tulit,nõ ex beneuolentia, ſed quòd ille Herodem nõ vt receperat, ante ſuum obitum ſuſtuliſſet. Cum in portu Auguſto, cui id nomen à Cæſare eſt inditum,appuliſſet, mala ſua in cõſpectu habuit,nemine obuiam eunte,nemine alloquente.

*Bathylus Antipatri libertus.*

Venit autem Hieroſolyma, Varo, Syriæ prætore, in concilio aſſidente,quem Herodes accerſierat, vt de rebus præſentibus cum eo conſultaret. Regiam ingreditur purpuratus adhuc:à ianitoribus admittitur, amicis eius excluſis.& quò redactus eſſet,cogitans,turbatur:præſertim cum à patre, ad quem ſalutandum accedebat,repelleretur, & fratricida atque inſidiator vocaretur. quarum rerum auditorem & iudicem poſtridie Varũ fore. Cum in tantis malis abiret, occurrunt ei mater & vxor, filia Antigoni, eius qui ante Herodẽ regnauit: è quibus toto negotio cognito, ſe ad iudiciũ parabat. Poſtridie Herodes & Varus conſederunt, cõuenerunt vtriuſque amici, & cognati Herodis, & conſiliorum Antipatri indices,& materni ſerui Antipatri,epiſtolam mulieris ferentes, qua filium monebat, ne rediret,patrem enim reſciſſe omnia,& vnum ei confugium ſupereſſe Cæſarem:caueret,ne in patris manus incideret.

*Quintilius Varus Syriæ prætor.*

Cum autem Antipater ſupplex ante patrem procubuiſſet, obteſtans, vt ſe audito demum ſententiam ferret:Herodes eũ in medium produci iubet,ipſe filiorum in ſe ſcelus & ſenectutem ſuam deplorat, quæ in Antipatrum impegiſſet. ac ſe mirari dixit, quo conſilio talia facinora ſuſcepiſſet Antipater, qui & ſucceſſor in teſtamento ſcriptus eſſet,& ſe viuente poſſet omnia: ac tãta beneficia ſic remuneraretur, vt cognatos ad cædem ſuam inſtigaret. Hæc dicenti lachrymæ eruperunt. Nicolaus verò Damaſcenus iuſſu regis Antipatrum accuſauit cunctis ordine cõmemoratis: ſed & alij multi vltrò in illũ orationes habuerunt. Varus,poſtquã Nicolaus perorauerat,Antipatrum ſe defen-

*Accuſatio Antipatri.*

dere

dere iuſſit. Ille verò pronus humi iacens, Deum inuocabat, vt ſuam innocētiam teſtaretur. Cum autem nihil præter Dei obteſtationem afferret, venenum in medium afferri, & cuidam capitis condemnato dari iuſſit: qui eo epoto, ſtatim exanimis concidit. quo facto, Varus ſurrexit, & è concilio abiit. Herodes verò ſtatim vinxit Antipatrum, & Romam ad Cæſarem de eo ſcripſit. Interceptum eſt eodem tempore epiſtolium, ab Antiphilo ad Antipatrum miſſum, in hanc ſententiam: Miſi tibi Acmes epiſtolam, vitæ meæ nulla ratione habita. Noſti enim, mihi, ſi deprehenſus fuero, à duabus familiis imminere periculum. Tibi, quod agis, velim bene vertat. Rege alteram Antiphili epiſtolam requirente, ſeruus illius negabat ſe alteram accepiſſe. Sed quidam conſpicatus ſerui tunicam ſubſutam, illic latere epiſtolium rectè coniectauit, quod ita habebat. Acme Antipatro Scripſi patri tuo literas quales voluiſti: & exemplum literarū, quas Salome ad dominam meam ſcripſerit, miſi: qua lecta, ſcio ei Salomen pœnas daturam. Epiſtola verò ad Herodem huiuſmodi fuit. Cum in eo elaborem, ne quid earum rerum quæ contra te parantur, ignores: Salomes epiſtolæ ad dominam meam cōtra te ſcriptæ exemplum tibi miſi, cū periculo meo, fructúque tuo. Erat autem Acme Iudæa genere, ſed Liuiæ Cæſaris vxori ſeruiebat: & illa agebat, magna pecunia ab Antipatro conducta. Herodes etſi cōcitatus erat ad Antipatrum ſtatim tollendum, vt magnarum rerum turbatorem, & à Salome irritabatur, quæ pectus plangeret, ſéque occidi iuberet, ſi quod argumētum fide dignum contra ſe deprehenderetur: tamen ſe repreſſit, & filium accerſitum, nihil metuentem reſpondere iuſſit. Qui cum omnem culpam in Antiphilum cōferret, ab Herode denuò per literas apud Cæſarem accuſatur, etiā Acmes fraudibus detectis, & exemplis literarum illius adiectis. Interea rex morbo oppreſſus, teſtamentum ſcribit, in quo filio natu minimo regnum reliquit, Archelao & Philippo ex Antipatri calumniis infenſus: & longiore vita deſperata, cum annum ſeptuageſimū ageret, ſéque contemni, ac ſuis infortuniis lætari omnes putaret, efferatus eſt huiuſmodi occaſione. Herodes cum multa contra legem feciſſet, inter alia in magno templi veſtibulo aureā aquilam dedicarat, lege imagines hominum aut animantium dedicari vetante. Eam aquilam Iudas & Matthias Iudæorum doctiſſimi, & plebi ob adoleſcentum inſtitutionem chariſſimi, reuelli iuſſerunt. Nam etſi periculum ex eo alicui crearetur, tamen beatum eſſe, qui pro defenſione legum interiret. Cum huiuſmodi ſermones adoleſcentum auribus inſuſurrarent, rumor oritur de regis obitu: aquila ſub meridiem reuellitur, ſecuribus conciditur. Comprehenduntur multi adoleſcentes, & Iudas ac Matthias facinoris autores, & quaſi laniſtæ. ac ad Herodem perducti rogantur, An auſi fuerint ſuum donarium reuellere? Illi reſpondent, Factum eſſe. neque verò mirandum, ſi Moſis leges diuinitùs edocti, ipſius decretis anteferrent. Eos igitur vinctos Hierichuntem miſit: & primoribus Iudæorum accerſitis, in lectulo recubans, ſuorum beneficiorum & templi ædificati memoriam refricuit, exclamans, ſibi adhuc viuenti contumeliam fieri, detractis ſuis donariis: ac populum, dum ſibi inſultare ſtudeat, ſacrilegio ſe obſtringere. At illi crudelitatem eius veriti, eos qui id auſi eſſent, ſupplicium eſſe meritos dixerunt. Rex cæteris clementius tractatis, pontificatum Matthiæ ademptum Iozaro ſuæ coniugis fratri dedit, Matthiam ſeditionis autorem, & quoſdam ex ſeditioſis viuentes cremauit. Enimuerò morbus exaſperabatur, vt pœnas ſcelerum daret. Ignis enim lentus eius viſcera torrebat, inteſtina exulcerata erāt, in primis coli doloribus cruciabatur, & pituita mollis ac pellucida pedes vexabat. accedebat imi ventris dolor, & pudendorum putredo vermibus ſcatens: necnon ortophnœa, & fœtor teter, & crebrum anhelitum conuulſiones omnium mēbrorum comitabantur. Etſi autem in tantis malis verſabatur, tamen vitæ ſpem alebat, nec ab vllo medicamēti genere abhorrebat. Itaque Iordane traiecto, calidis aquis Callirrhoes vſus eſt, quæ præter cæteras virtutes etiam potui ſunt. Ibi à medicis in alueum oleo plenum iniectus, animam agere viſus eſt. Sed recepto ſpiritu Hierichuntem perlatum, ad cætera mala atra bilis acceſſit. Moriturus nefarium conſilium capit. Nam cum totius gentis primores edicto conuocaſſet, omnes in Hippodromo concluit: & ſorori Salomæ, ac eius marito Alexæ mandauit, vbi animam exhalarit, vt eos omnes tollerent, ne, inquit, populi meā mortem ſibi gratulentur, néue applaudant: ſed ſingulis ſuos deplorantibus, ipſe quoq; deplorari videar, & obitus meus multis lachrymis honoretur. Quæ cum flens, & Deū obteſtans diceret, illi ſe mandatum non neglecturos pollicentur. Interea literæ Roma afferūtur, quibus certior reddebatur, Acmen eſſe interfectam, & negociū Antipatri patris arbitrio permitti. Quibus Herodes lætatus eſt, & nonnihil recreatus. Sed doloribus in immenſum auctis, cibo abſtinuit: ac cultello petito, in animo habuit ſemetipſum occidere. ac feciſſet, niſi quidam animaduerſo conſilio, dexteram eius inhibuiſſet: qui cum exclamaſſet, gemitus & tumultus magnus fuit, quaſi rege mortuo. eáque ſpe Antipater animis receptis, à carceris cuſtode magnis muneribus promiſſis, petiit ſe dimitti. Quo indicato, rex exclamauit, ac ſtatim ſpiculatoribus miſſis qui illum interficerent, teſtamentum denuò mutauit, Antipæ tetrarchia Galilææ & Perææ legata, Archelao regno aſſignato: Philippo filio Archelai fratri tetrarchia Gaulanitidis, Trachonitidis, Batanææ, & Paneadis conceſſa: Iamniam verò, Azotum & Phaſaelidem Salomæ ſorori donauit. His actis, ac Cæſari & vxori eius Liuiæ muneribus multorum talentûm relictis, quinto poſt occiſum Antipatrum die obiit. Regnauit poſt ſublatum Antigonum annos IIII & XXX, poſtquam à Romanis rex appellatus fuerat XXXVII. Salome verò & Alexas, priuſquam eius mors vulgò innoteſceret, eos qui in Hippodromo concluſi erant, emittunt, dicentes: regem iubere, vt in agros egreſſi, rebus ſuis fruantur, ídque ſummum eorum in gentem beneficium extitit. Deinde regis obitu publicato, lectum eſt teſtamētum, quod Archelao regnum aſſignabat. Ptolomæus verò, cui ſigillum regis erat

*Antiphili & Acme literæ.*

*Herodis aſperitas ob aureā aquilā reuulſam à templi ianua.*

*Herodis morbi.*

*Antipatri cædes.*

*Herodis teſtamentū & obitus.*

*Antipas. Archelaus. Philippus. Salome.*



erat creditum, negauit id, niſi Cęſaris authoritate ratū foret. Tum ſtatim ſublato clamore Archelaus rex eſt ſalutatus: pòſt, regi funus magnificè factum. Qui cum naturæ debitum ita exoluiſſet, Archelaus cum lætis acclamationibus in templū aſcendit, & in ſolio aureo conſidens, populo humaniter gratias egit. ſed coronā regiā à militib. accipere recuſauit, ni Cæſar prius teſtamentum patris cōfirmaſſet: factáque re diuina, conuiuium celebrauit. Cæterùm Iudæi quidā cōgreſſi, Matthiam & cæteros ob reuulſam auream aliquam ab Herode ſuppliciis affectos lamētati ſunt, cum magno eiulatu. & conciliabulo indicto, ab Archelao poſtularūt, vt punitis iis qui apud Herodē autoritate valuiſſent, necē illorū vlciſceretur, ac in primis pontifici ſacerdotium abrogaret, & aliū ſecūdum leges crearet, eo honore digniorē. Annuit Archelaus, ad impetum eorum reprimendum: quanquam moleſtè ferens. ac per præfectū militum populo dici iuſſit, ea nunc intempeſtiua eſſe, ac tum rectius actū iri, cum ſibi regnum Cęſaris autoritate confirmatum eſſet. Sed illi vociferantes & tumultuantes, neque ducem, neque alium quenquā dicere quicquam paſſi ſunt, quod ad caſtigationē & ſeditionis repreſſionem pertineret. atque in feſto Azymorū magna multitudo in templum cōfluxit, ſeditionis amplificandæ ſtudioſa. Qua territus Archelaus, tribunum cum cohorte miſit, ad populi motum ſedandum. Verùm ſeditioſi impetu in milites facto, pleroſque lapidibus obruerunt, pauci admodum & tribunus vulnerati effugerūt. Cum igitur perſpiceret, niſi populus concitatus reprimeretur, magnum è ſeditione malum oriturū: miſit omnem exercitum. à quo tribus circiter millibus cæſis, cæteri diſſipati in montes confugerunt, & ex regis edicto feſtiuitate omiſſa, ad ſua quique redierūt: Archelaus verò cum matre & Herodis ſorore Salome Romam abiit, ſumma rerū interea Philippi fratris fidei commiſſa. Alia ex parte Antipas Herodis filius eódem contendebat, regnum & ipſe vendicaturus, vt quod ſibi ex priore teſtamento deberetur: eam ſpem eius Salome incitante. Cum in vrbem veniſſent, aliis Archelao, aliis Antipæ patrocinantibus: Cæſar ſuffragium pro Archelao tulit. Dum hæc geruntur, Iudæorum ſeditio nunciatur. Nam in feſto Pentecoſtes multis millibus vndique congregatis: Romani cum prætore Sabino ſunt obſeſſi: & acri pugna commiſſa vicerunt. Iudæi verò porticibus, quæ extra templum ſunt, occupatis, & inde telis ex ſuperiore loco coniectis, multum Romanis nocuerunt. At illi ignem porticibus iniecerunt, eúmque materia aluerunt, quæ flammam excitare poſſet. Ea celeriter in altum elata, alij vnà cum tectis corruerunt, alios hoſtes circunfuſi iaculis confecerunt, alij ſe in ignem coniecerunt, alij in ſuos enſes incubuerunt: nemo denique ex iis qui in porticus conſcenderāt, euaſit. Romani autē ſacro theſauro ſunt potiti. & quanquam magna pecunia direpta à militibus, Sabinus tamen CCCC talenta cōſeruata in apertum protulit. Sed qui ex pugnantibus ſuperfuere, regiā circundederunt, eam ſe crematuros eſſe minati, atque omnes occiſuros: ſin abirēt, impunitatē Romanis & Sabino pollicebātur. ac multi regij ſatellites ad illos defecerunt. Rufus autē & Gratus, qui tria millia ex Herodis exercitu virorum robuſtorum habebant, ad Romanos ſe contulere: nec tamen obſidionē Iudęi ſoluerūt. quā Sabinus fortiter tolerauit. Pręter hęc alij quoq; tumultus in iudæa orti ſunt. Nam Iudas Ezechiæ latronū ducis filius, quē Herodes ęgrè cœperat, in Galilæę regiam iuxta Sephorim facto impetu, armis quæ ibi erāt ſuos inſtruxit, & omnibus fuit formidabilis. Sed & Simon Herodis regis ſeruus, cæterùm vir pulcher, & magnitudine & robore corporis præcellens, rerum turbis impulſus, diadema ſumere auſus, multitudinis concurſu & ipſe rex appellatus, Hierichūtiam & alias multas domos regias incendit atq; diripuit. Verùm Gratus prælio cōmiſſo, pleroſq; cecidit, ipſiuſq; Simonis caput amputauit. Atque alij quoque illo tempore ſeditionib. motis, & regios & Romanos infeſtarunt, Varus autē cum in Syria audiuiſſet, quo loco res Sabini eſſent, opem obſeſsis in Iudæa ferre maturabat, & omnibus legionib. ſuis Ptolemaide coactis: filium cum patre ad bellū in Galilæa gerendū ablegauit. eóque victoriā adepto, cum reliquo exercitu Hieroſolyma profectus, Iudæis terrorem incuſsit, vt omiſſa obſidione abirent. Hieroſolymitani verò à Varo ob bellum factū accuſati, reſponderunt, populi conuentū ob feſtiuitatē eſſe factum, bellum verò ab aduenis eſſe excitatū. Itaque Varus militibus in agros miſsis, autores ſeditionis inquiſiuit: & nōnullis repertis. ad II millia in cruces egit. Sed & alij circiter decies mille Varo cōtra eos ducenti ſe dediderūt, quorum principibus Romā miſsis, ij dūtaxat à Cęſare ſupplicijs affecti ſunt, qui à cognatis Herodis cum ſeditioſis militarāt. Poſt hæc Iudæorum legati Romam profecti ſunt, qui indicto à Cæſare cōcilio, Iudęorū circiter VIII milibus qui Romę degebant, ſuffragantib. libertatē poſtularūt: & ad iniquitatis Herodianæ accuſationē cōuerſi, eū nō regem, ſed tyrannū vocabāt. Nam cum Iudaica gens ſæpè grauiter afflicta eſſet, nullas tamen ærūnas cū iis eſſe cōferendas, quas ſub illo toleraſſent. Cū autē Archelaū, quē rerū potitū Herode moderatiorē fore putaſſent, cupidè regē appellaſſent: eū veritum, ne non germanus Herodis filius haberetur, ſi mitiorem Iudæis ſe præberet, trium millium virorum cædem in templo edidiſſe, idque regno à Cæſare nondū cōfirmato. His dictis petierunt, vt regno & id genus imperijs liberati, & Syriæ attributi, Romanorum prætoribus eò mitti ſolitis, parêre iuberentur. Quæ cum Iudæi poſtularent, Archelai patroni, vtriuſque regis, tam patris quàm filij, defenſione ſuſcepta, & obiectis criminibus refutatis, Iudæis ſeditiones, nouarūq; rerum ſtudium obiecerunt. Cæſar autem Archelaum non declarauit regem: ſed paterni principatus ſemiſſe conceſſo, pollicitus eſt, ſi bene imperaret, ſe eum etiam regem appellaturum eſſe. Fuit autem prouentus ditionis illi attributæ DC talentum: alterum ſemiſſem, in duas partes diuiſum, Antipæ & Philippo, alij Herodis liberis, diſtribuit, vnde hic C, ille CC talentûm reditus percipiebat. Salomę legata Herodis reliquit, & Aſcalonē regiā attribuit, ex quib. omnibus. LX talenta

*Iudæorum ſeditio ob Matthiā interfectum.*

*Archelao regnū à Cæſare confirmatur.*

*Sabinus prætor à Iudæis obſidetur.*

*Iudas latronum princeps.*

*Q. Varus Iudæorum ſeditionē cōpeſcit.*

*Iudæorum legatio ad Cæſarē, libertatis petendæ ergò.*

*Cæſaris ſententia de Iudææ adminiſtratione.*

*Alexander ficticius ad remos condemnatur.*

ad eã redibant. His ita ordinatis, Iudæus quidam adoleſcens, quia Alexandro Herodis interfecto filio facie ſimilis erat, aſcito quodam populari ſuo, viro improbo & turbulento, Alexandrum Herodis filium ſe profeſſus eſt. Nam cum quidam ad vtrunque fratrem tollẽdum miſſi eſſent: alios eſſe interfectos, ipſos verò conſeruatos, & clàm ſubductos aſſerebat. Qua oratione imponebat hominibus, & maxima pecunia ſic coacta, Romã properauit. Cæſar verò, qui non temerè deceptum eſſe Herodem crederet: Alexandro ficticio in conſpectum adducto, non deceptus eſt. nam facie quidem ſimilis erat Herodis Alexandro: ſed opere manuum factus aſperior, & corpore regidiore, non, vt ille, delicato & molli. Cęſaræ verò quærente, vbi Ariſtobulus eſſet, reſpondit, in Cypro eſſe relictum, vt ſi quid ſibi accidiſſet, Mariammæ genus non penitus interiret. Cęſar verò hominem ſeductum, hortatus eſt, vt veritatem ſibi diceret, impunitate promiſſa. Qui cum impoſturã expoſuiſſet, Cæſarque illum tolerando labori aptum videret, in remiges retulit: eius verò ſocium occidit. Archelaus Ethnarchia ſuſcepta, ſacerdotium Ioazaro Boethi filio ereptum, in fratrem eius Eleazarum transfert. Et Glaphyram matrimonio ſibi iungit, Archelai F. Alexandri fratris, è quo illa ſuſceperat liberos, viduam. Eſt autem lege interdictum, ne mortuorum fratrum vxores, è quibus illi ſuſceperint liberos, fratribus nubant. Sed & Eleazaro paulo pòſt eiecto, Ieſum Seis filium in eius locum ſubſtituit. Decimo imperij anno accuſatus eſt à ſubditis apud Cæſarem, quòd crudelem ac planè tyrannum ſe præberet. ab eóque celeriter accerſitus, cauſa dicta, opibus ademptis in exilium miſſus eſt: cum quidem ex ſomnio eum euentum antè cognouiſſet. viſus erat ſibi decem ſpicas robuſtas, & frumento plenas videre, quæ à bobus comederentur. Id ſomnium aliis aliter interpretantibus, Simon profeſſione Eſſæus viſione illa mutationem ei portendi, eámque non felicẽ, dixit. Boues enim ærumnarum eſſe ſymbolum, animal quod laboribus vrgeatur: & rerũ viciſſitudinẽ deſignare, propterea quòd terra ab iis arando inuertatur. Decem verò ſpicas totidem annos ſignificare, quibus tanto ſpacio completis meſſis abſoluatur, ac tum principatus Archelai finem fore. Atque etiam Glaphyræ coniugi eius, viſum quoddam in ſomnis eſt oblatum: quę, vt anteà dictum eſt, maritum habuit Alexandrũ, Archelai fratrem. Eo mortuo, Iubæ Libyæ regi, qui vxorem Mariammen repudiarat, nupſit: idque, cum liberos ex Alexandro ſuſcepiſſet. Viſus igitur eſt Alexander aſtare mulieri, & cum ea expoſtulare his verbis: Vtique verum illud verbum, eſſe demonſtraſti Glaphyra, vxores infidas eſſe maritis. Nam tu cum mihi virgo nupta fueris, & liberos pepereris, ſecundas nuptias experta es: nec ea noſtri contumelia contenta, cum tertio ſponſo concubuiſti, eóque fratre meo. Sed ego te rurſus mihi vendicatam, iſto dedecore liberabo. Hæc vbi mulieribus familiaribus expoſuit, paulo pòſt deceſſit. Regio verò quæ Archelao paruerat, Syriæ eſt attributa: ac Cyrenius miſſus, qui Syriam, ipſámque Iudæam, Syriæ additamentum, deſcriberet. ac Iudæi qui pridem ne nomen quidem deſcriptionis audire voluerant, ſuaſu Ioazari pontificis refragari deſtiterunt. Verùm quidam Gaulanites, Sadoco phariſæo aſcito, bellis & latrociniis Iudæã impleuit. Dicebant enim, facultatum æſtimationem nihil eſſe aliud niſi manifeſtam ſeruitutem. ac prætendebant illi quidem Reipublicę curam, ſed reuera priuatorum emolumẽtorum occaſiones captabant: vnde ſeditiones & multorum cædes, principum etiam virorum, extiterũt, partim ex inteſtinis bellis, partim ab hoſtibus. acceſſit fames, vrbium expugnationes, excidia, & templi conflagratio. Nam cum antiquitus (vt ſupra dictum eſt) tria eſſent apud Iudæos philoſophiæ genera, Eſſenorum, Phariſæorum, & Sadducæorum: quartum hoc & nouum à Iuda & Sadoco introductum eſt. Nam Phariſæi, villi victu vtentes, ad mollitiem ſe non deflectunt, obſeruatores legum & rituum accurati: ſenibus honorem præbent, neque confidenter illorum autoritati aduerſantur: fatum eſſe docent, hoc tamen hominibus tribuẽtes, vt illius impulſus vincere poſſint, ſi ſeriò renitantur. Animos immortales, & ſub terra vitæ actæ rationes reddendas eſſe cenſent. Qua de cauſa & apud populum plus autorite valent, & ad vota, ad ſacra peragenda tanquam interpretes adhibẽtur. Sadducæi mortales eſſe animos arbitrãtur, atque vnà cum corporib. interire, neque quicquam niſi leges obſeruant: ſenioribus ac magiſtris refragari, in parte virtutis ponunt. Si qui verò illorum ad magiſtratus adhibẽtur, vel inuiti aſſentiuntur Phariſæis, alioqui enim à populo non tolerarentur. Eſſeni Deo aſſcribunt omnia: animorum immortalitatem credunt: iuſticiam colunt. Donaria in templum mittunt, ſed in eo non immolant, de expiationibus à cæteris diſſentientes. Vnde cum à communi ſacrario arceantur, priuatim ſacrificant: labores agriculturæ capeſſunt: res cõmunes habent. Quare diues omnium pauperrimo nihilo viuit lautius: neque vxores ducunt, neque ſeruos emunt: hoc iniquum eſſe rati, illud diſcordiæ incitamentum. ſed vitam agentes ſolitariã, alij aliis miniſtrant. Quæſtores & terræ frugum, & eorum quæ aliunde afferuntur, deſignant. Quarta ſecta cum Phariſæis cætera cõſentit, ſed libertatis altè infixum amorem gerit: cuius alumni, ſolum principem & Dominum Deum appellant, ea nomina tribuere homini dedignantes: imò nec mortes nec ſupplicia varia & atrocia recuſantes, ne ab inſtituto ſuo recedant. Hinc populus Iudaicus ex amentiæ morbo in deſperationẽ eſt delapſus, Geſij Flori cõtumeliis irritatus. Nam Cyrenius deſcriptione ac cenſu peracto, vigeſimoſeptimo anno poſt Cæſaris Actiacam Antonij victoriam: Ioazaro pontifici, factione populi oppreſſo, ademptam dignitatem in Annam Sethei filium contulit. Cyrenio Romam reuerſo, Coponius Iudæam adminiſtrauit. Ei ſucceſſit Marcus Ambibuchus: Marco Rufus Annius: ſub quo Romanorum Imperator Cæſar obiit, regni anno quinquageſimoſeptimo, menſe VI, diebus II. Collegam Antonium habuit annis quatuordecim. ſolus imperauit annos XLIII aut XLIIII, vt quidam tradunt. Vixit annos ſeptuagintaſeptem. Monarchia verò tranſlata eſt

*Archelaus decimo regni anno in exiliũ mittitur.*

*Archelai ſomnium.*

*Boues.*

*Spica.*

*Glaphyra ſomnium & obitus.*

*Cyrenius Syriæ præſes.*

*Iudas Gaulanites, & Sadocus phariſæus, Iudæos ad ſeditionem impellunt.*

*Phariſæi.*

*Sadducæi.*

*Eſſeni.*

*Galilæi libertatis vindices.*

*Octauio Auguſto Cæſari Nero ſuccedit.*



*Pontificum ſucceſſiones.*

*Tiberiadis ædificatio.*

*Pontius Pilatus Iudæorum pertinacia victus, vexilla Hieroſolymis aufert.*

*Iudæi flagellis cæſi.*

*De Ieſu Chriſto Ioſephi verba.*

in Tiberium, Cæſaris ex Liuia priuignum, à quo Valerius Gratus dux in Iudæam miſſus eſt: qui pontificatu Annæ abrogato, Iſmaelem Fabij filium ſummum ſacerdotem deſignauit. & hoc etiam non multo pòſt in ordinem coacto, Eleazaro Annæ filio ſacerdotij honorẽ largitus eſt: annóque elapſo, Simonem Camithi filium illi ſubſtituit. Huic pari tempore ſacris operato, Ioſephus Caiaphas ſucceſſor fuit. Grato, cum Iudææ per annos vndecim præfuiſſet, his actis Romam reuerſo, Pontius Pilatus ſucceſſit. Herodes tetrarchia Tiberij priuati adhuc vſus amicitia, eo rerum potito, vrbem de illius nomine Tiberiadem ad Geneſarethæ lacum condidit. Pilatus exercitum Cæſarea, vt Hieroſolymis hybernaret, traducturus, noctu vexilla cum Cæſaris imaginibus in vrbem intulit, quibus lege Iudæis interdictum eſt. Quo cognito, multitudo properè Cæſaream accurrit, petens, vt illa transferrentur, ſupplicatione per dies quinque continuata. Cui cum Pilatus refragaretur, ea enim re lædi maieſtatem Cæſaris, nec populus orare deſiſteret: die ſexto militibus armatis circumpoſitis, mortem eis comminatus eſt, niſi tumultuandi finem facerent. At illi proni proſtrati, ſe mortem cum voluptate oppetituros dixerunt. Pilatus igitur fortitudinẽ eorum & alacritatem obſeruandæ legis admiratus, eueſtigiò Cæſaream imagines retulit. Ad aquæductum verò Hieroſolymis ſtruendum ſacram pecuniam inſumpſit. Ob eam rem multi conuenere, cum clamoribus atque etiam per conuicia poſtulantes, vt deſineret. At ille cohortes militum ſub ſtolis Iudaicis flagella gerẽtes circumire tumultuãtes, atque ita Iudæos abire iuſſit. vt verò maledicere cæperunt, ſigno militib. dato, verberib. eos caſtigare inſtituit. Illi verò quamuis inermes cęderentur, de pertinacia nihil remittebant, ſed multi cadebant, multi vulneribus affecti recedebant. Hoc tempore Dominus quoque noſter & Deus Ieſus Chriſtus in Iudæa viſus eſt, de quo hæc Ioſephi verba in XVIII lib. Antiquitatum extant. Naſcitur hoc tempore Ieſus, vir ſapiẽs, ſi modò vir dicendus eſt. Fuit enim mirabiliũ operũ effector, & magiſter hominum qui veritatẽ amplectũtur, ac multos Iudeos, multos ex gentibus ſibi cõciliauit. Chriſtus ille fuit. quẽ cum à principib. apud nos viris delatum cruci Pilatus afflixiſſet, eum ij qui principiò adamarant, colere nõ deſtiterunt. Nam triduo pòſt eis viuens iterum apparuit: id quod, aliáque infinita & admiranda vates diuini de eo predixerũt. Ac natio Chriſtianorũ, nomine ex illo accepto, vel hodie nõ defecit. Hæc in Antiquitatibus Ioſephus de Chriſto ſcripſit. In oratione verò ſua ad Græcos, quæ & contra Platonem inſcribitur, de cauſa vniuerſitatis, cuius etiam D. Ioãnes Damaſcenus in Parallelis ſuis meminit, hæc dicit: Omnes iuſti & iniuſti ad Dei verbum adducentur. Huic enim pater præturam dedit, atque ipſe patris voluntatẽ exequens, iudex aduentat, quem Chriſtum appellamus. Neque enim Minos aut Rhadamanthus, ô Græci, quemadmodum veſtra fert opinio, ſententiã ferent: ſed is: quem Deus & pater gloria ornauit. De quo alibi ſubtilius diſſeruimus ad eos qui veritatem inquirunt. Is de * patris ſententia iuſtum de vnoquoque iudiciũ faciens, ius vnicuique pro factis ſuis reddet. Cuius iudicio omnes homines, angeli & dæmones aſtantes, vna voce clamabũt: Iuſtũ tuum eſt iudicium. poſt quam vocem, ita vt æquum eſt, remunerabitur vtroſque: eos qui virtutem ritè coluerũt, æterna beatitate: improbitatis amatores, æterno ſupplicio. & hos ignis æternus atque infinitus manet, & vermis quidam ignitus immortalis & corpus non perimens, cum perpetuo cruciatu è corpore erũpens, infeſtabit. His alia quoque ſubiungit. Ac de Chriſto ad hunc modũ Ioſephus ſcripſit. Romæ autẽ Paulina quædam, & generis ſplendore, & morũ integritate præſtans, & opibus abundans, & vultu venuſto, & ætate integra, & modeſtia ornata, nupta erat Saturnino, viro nullo bonorũ genere ipſa inferiori. Huius amore captus Decius Mundus, inter equites dignitate præſtans, mulieris pudicitiã munerib. ſolicitabat, CC millia drachmarum Atticarũ pro vno cõcubitu pollicens. eáque recuſante, amore magis inflãmabatur, adeò vt abſtinẽtia ciborum necem ſibi cõſciſcere inſtitueret. Habebat autem paternam libertam nomine Iden, omnis generis malorũ peritã. Ea adoleſcentẽ ſic affectũ verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac ſibi duntaxat quinquagies mille drachmis opus eſſe dicit ad rem conficiendã: quib. acceptis, cũ illam pecunia non expugnari poſſe cerneret, ſed cultui Iſidis (ea tum à Rom. pro diua colebatur) eſſe deditiſſimã: quoſdã falſæ illius deæ ſacerdotes conuenit, pecuniã offert, vt Paulinam quibus poſſint dolis circumuentã, Mundo ſui copiã facere cogant. Illi pecunia deliniti, facinus aggrediuntur. eorũ natu maximus Paulinam ſeorſim cõuenit, ſe ab Anubide, ipſius amore capto, miſſum eſſe profitetur, vt eam accerſeret. Mulieri ea verba optatiſſima acciderunt, ſi à Deo amaretur: & nũcium illum cum marito communicat, qui gnarus modeſtiæ coniugis, eam abire ſinit. Cum in lucum veniſſet ſub ſomni tempus, mulieri in ipſa æde lectus paratur, lucernæ extinguntur. Mundus iam antea ibi abditus, per totam noctem ſub Anubidis nomine libidine ſua expleta, diſcedit. Illa reuerſa, Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congreſſu Dei gloriatur. Sed tertio poſt id facinus die, Mundus ei obuiam factus: Paulina, inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis geſſiſti morẽ. Tua verò erga Mundum iniuria me non attigit, qui Anubidis nomen ipſe mihi fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, veſtibus laceratis marito inſidias indicat. Is apud Tiberiũ conqueritur. Imperator facinore comperto, ſacerdotes & Iden in cruces tollit, ædem diruit, Iſidis ſimulacrum in Tiberim demergit, Mundum in exilium agit, pœnam grauiorem ob amoris vim clementia moderatus. Hæc Romæ acta ſunt. Samariæ verò tumultus hac de cauſa extitit. Quidam Samaritanos Garizinium montem ſanctitatis opinione celeberrimum ſecum conſcendere iuſſit. nam ibi ſe eis ſacra vaſa à Moſe defoſſa, oſtenſurum eſſe. Qui cum armati conueniſſent, Pilatus exercitu miſſo, alios occidit, alios in fugam vertit, & captiuorum præcipuos interfecit. Samaritani verò Vitellium Syriæ Prætorem conueniunt, Pilatum ob po-

*Paulina Romana, fraude ſacerdotum Iſidis ſtuprata.*

*Ide.*

*Samaritana ſeditio.*

*Pilatus Romam mittitur.*

palatium ſuorum cædem accuſantes, Is Marcello Iudæis præpoſito, Romam ire Pilatum iubet, ad cauſam apud Cæſarem dicendam. Abit ille, cum decẽnium Iudæis præfuiſſet. Sed antequam Romæ appropinquaret, Tiberius iam obierat.

*Vitellii liberalitas erga Iudæos.*

Vitellius verò in feſto Paſchatis Hieroſolymis magnificè exceptus, vectigalia frugum Hieroſolymitanis remiſit, & ſtolam pontificis in templo reponi, ac penes ſacerdotes eſſe, vt olim, paſſus eſt, cum ea tempeſtate in Antonia ſeruaretur. Nam primus Hyrcanus pontifex proxime templum ædificauit turrim, in qua vitam egit, ſtolamque Pontificiã, vt quæ ad ſe ex officio pertineret, aſſeruauit. Idem etiam eius ſucceſſores imitati ſunt. Sed Herodes turrim illam magnificentius adornatam, de Antonij amici nomine appellauit: & ſtolam ibi repertam, in ea detinuit. Idem Archelaus fecit. Idem Romani illum ſecuti, de ſtolo ſtatuerunt, quæ illic ſub ſigillis ſacerdotum & gazæ cuſtodum reponebatur. Eam igitur, cum in feſtiuitatibus pontifici reſtitueretur, & poſt vnum feſti diem ibidem reponeretur, Vitellius populo conceſſit. Ioſepho verò, qui & Caiaphas, pontificatum ademptum Ionathæ, dedit pontificis Annæ filio. Idem iuſſu Tiberij cum Artabano Parthorũ rege pacem fecit,

*Artabanus Parthorum rex filium Darium Tiberio dat obſidem.*

qui Darium filium cum multis muneribus obſidem miſerat. Ei pacificationi Herodes quoque tetrarcha interfuit, ac ad Cæſarem quæ acta eſſent ſcripſit. Quæ cum pòſt Vitellius quoque per literas expoſuiſſet, Cæſar ei reſcripſit, ſe ex Herode cognouiſſe omnia. Ea re Vitellius contra Herodem irritatus, clàm iram aluit, eúmque Caio demum imperante vltus eſt.

*Philippi Tetrarchæ obitus.*

Tunc Philippus quoque, huius Herodis frater, diem ſuum obiit, vigeſimo imperij Tiberij anno, cum annis XXXVII rerum potitus eſſet: vir quieti ingenij, moderatus erga ſubditos, cum paucis delectis in publicum prodire ſolitus. Quòd ſi quis intereundum opem eius imploraſſet, ſtatim eo ipſo in loco ſella poſita (nam qui eam ferrent, ſequebantur) audiebat, iniurios pœnis afficiebat, iniquis criminibus circumuẽtos abſoluebat. Ditionem eius, quia liberis orbus deceſſerat, Tiberius prouinciæ Syriæ adiecit. Herodes verò tetrarcha Romam proficiſcens, apud Herodem fratrem, ex Simonis pontificis filia Herodi regi natum, diuertit: ac amore captus eſt Herodiadis, quam frater in matrimonio habebat, Ariſtobulo fratre ipſorum natam, magni Agrippæ ſororem, ac de coniugio mulierem appellauit.

*Herodias Herodi nubit.*

Illa verò ſe ad illum tranſituram pollicita eſt, ſi Aretæ filiam repudiaſſet.

*Aretas Herodis exercitum cædit.*

Ea pactione inita, Romam ille proficiſcitur: vnde cum rediiſſet, vxor eius Aretæ filia, re illa comperta, ſe Machæruntem (id caſtellum fuit in confinio ditionis Herodis & Aretæ) mitti petiit. Annuit Herodes, ignarus quid conſilij mulier cæpiſſet. Illa verò inde in Arabiam ad patrem properauit, eíque quid Herodes de ſe animo agitaret, expoſuit. Vnde Aretas inimicitiarum occaſionem arripuit. pugna per vtriuſque duces commiſſa, Herodiani victi ſunt, & omnis eius exercitus cæſus. Quæ cum Herodes Tiberio per literas ſignificaſſet, ille Vitellio ſcribit, vt Aretæ bellum inferat, & aut viuentem in vinculis, aut interfecti caput Romam mittat. Quidam credidere, Herodis exercitum ira numinis interiiſſe, ob cædem prophetæ & baptiſtæ Ioannis.

*Ioannes Baptiſta.*

de quo Ioſephus his verbis ſcribit: Hunc Herodes interfecit, virum bonum, qui Iudæos virtutem colere, atque inter ſeſe iuſtitiæ & religioni erga Deum dare operam iuſſit, ac ſic ad baptiſmum accedere, tum demum futurũ acceptum. Herodes autem veritus, ne tanta eius in vulgus autoritas ad ſeditionem ſpectaret, quòd nihil nõ eo mandante facturum videretur: conſultius eſſe duxit, eum antequàm res nouas moliretur, è medio tollere, ne ſeſe mutatione facta negociis & moleſtiis cõflictantem tarditatis ſuæ pœniteret. Sic ex Herodis ſuſpicione Machæruntem miſſus Ioannes, occiditur. Iudęi verò credidere, in vltionem necis eius, exercitum periiſſe, Deo in Herodem animaduertente. Cęterùm Vitellius bellum Aretæ illaturus, cum Iudæam pertranſire vellet: à Iudæorum proceribus, ne per eam iret, quòd in vexillis multas haberet imagines, quas per ſuam regionem ferri patria lege nefas eſſet, exoratus, copias per magnam planiciẽ traduxit. ipſe cum Herode Hieroſolyma aſcendit, vt ſacrificaret Deo. ibíque triduo exacto, Ionatham pontificatu mouet, & fratrem eius Theophilum in eo collocat. Quarto verò die literis de obitu Tiberij acceptis, populo iureiurando adacto vt Caio faueret, exercitum reuocauit.

*Aretæ augurium.*

Ferũt Aretam quoq; conſultis auguriis dixiſſe, non poſſe exercitum illum bellum gerere. Breui enim è ducibus moriturum eſſe, vel qui iuſſiſſet, vel qui iuſſus eſſet, vel eum contra quem iuſſa eſſet expeditio. Ac Vitellius Antiochiã receſſit.

*Agrippæ nepotis Herodis hiſtoria.*

Agrippa verò Ariſtobuli filius, moriente Tiberio, Romæ erat. Vbi cum paulo ante obitum magni Herodis aui ſui educaretur, in familiaritatẽ Druſi, Tiberij filij, atq; Antoniæ Druſi maioris vxoris noticiã peruenerat, ob honorem matris ſuæ Bernices. Et quia magnificus atque munificentiſſimus erat, defuncta matre, pecunia partim in ſemetipſum (nam ſumptuoſè viuebat) partim in donationes, maiori tamẽ ex parte in Cæſaris libertos inſumpta, celeriter ad egeſtatẽ eſt redactus. Tiberius verò, Tiberio filio mortuo, edixit, ne pueri familiares in cõſpectum ſuum venirent, ne per illos renouata defuncti memoria, luctus ſuus redintegraretur. Agrippa igitur cùm ea de cauſa, tum ob pecuniæ inopiam afflictus, in Iudæam rediit. & cum à multis creditoribus æs alienum repetentibus, nummis omnino deſtitutus vrgeretur: de manibus ſibiipſi afferendis cogitauit. Id eius conſiliũ vxor Cyprus animaduertit, quæ Phaſaeli nepoti ex fratre, Herodis regis filia erat nota ei ex Salãpſione Herodis filia, quam ex Mariamme ab ipſo, vt expoſitum eſt, occiſa ſuſceperat.

*Cyprus Agrippæ vxor.*

Hæc igitur Cyprus conſilio cognito, & ſua pręſentia mariti conatu inhibito, Herodiadi Herodi tetrarchæ nuptæ, Agrippæ ſorori, fratris inſtitutum nunciat, petens vt adiuuet, maritúmque ad opem ferendam exhortetur. Illi verò ei Tiberiadem habitandam tradiderunt, aſſignata etiam pecunia vnde viueret. Aliquanto pòſt Agrippa cõtrouerſia inter ipſum & Herodem orta, ad Flaccum Syriæ prætorem migrat, à quo ob familiaritatẽ Romæ contractam amicè eſt ſuſceptus. Sed per fratris Ariſtobuli, à quo diſſidebat,



bat, calumnias Flacci inimicitiis ſuſceptis, inde eiectus, ad extremam inopiam redactus, in Italiã nauigare ſtatuit, ac Marſyam libertum alicunde mutuam ſumere pecuniam iuſſit.

*Protus vocatur apud Ioſep. ant. l. 18 c. 8.*

Is *Petrum Berenices Agrippæ matris libertum adit, à quo Agrippa ſyngrapha data de XX millibus Atticarum drachmarum, bis mille & D minus acceptis, nauigaturus, ab Herennio Capitone Iamneæ procuratore manere iubetur, dum CCC millia argenti, quæ Cæſari deberet, ſolueret. Ille ſe obtemperaturum ſimulans, noctu ſoluit: & Alexandriam profectus, ab Alexandro Alabarcho CC millia mutuò petit. Qui illo repudiato, eam pecuniã Cypro eius vxori cùm propter coniugalẽ amorem, tum ob cæteras eius virtutes dedit. Qua accepta, Agrippa in Italiã profectus, Cypro cum ſuis liberis in Iudæã reuerſa, à Cęſare humaniter excipitur. ſed Capitonis Herennij literis allatis vt fugam cæpiſſet, cum CCC milia æris alieni ab eo poſcerentur: Cæſar iratus, nõ prius ei aditum ad ſe permitti iuſſit, quàm eam pecuniã numeraſſet. Qua mutuò ſumpta & diſſoluta, turſus Tiberij aulam frequentauit. ſed à Cæſare ſe ad ſuũ nepotẽ conferre, eúmque colere iuſſus, magis erga Caium propenſus fuit, Antoniæ nepotem, Germanici & Claudij, qui poſt Caiũ imperauit, matris: & obſeruantia ſua Caij erga ſe amorem emeruit.

*Agrippa ab Eutycho liberto delatus in cuſtodiam datur.*

Cum autem aliquando inter prodeundum Tiberij mentio incidiſſet, atque Agrippa Deo inuocato optaſſet, vt Tiberius Caio quàm primum imperio cederet: Eutychus libertus, iis Agrippæ verbis auditis, Cæſarem adiit, vt nunciaturus aliquid quod ad ſalutem eius pertineret. Ille verò vt lentus erat in rebus omnibus, eos etiam deſpiciebat, qui aliquid quod ipſius intereſſet, nunciabant.

*Tiberij tarditas.*

Neque etiam legatis celeriter reſpondebat, ne eis citò digreſſis, alij ſibi negocium faceſſerẽt. Neque ducibus & procuratoribus à ſe miſſis ſucceſſores dabat, niſi illi deceſſiſſent. ídque ſe propter ſubditorum commodum facere dicebat, vt diuturnitate temporis expleta auaricia, ad iniurias tardiores eſſent. Ac vulnerati exẽplo vtebatur, qui, cum quidam miſericordia motus, ei muſcas, ictus circumſidentes, abigere vellet, id prohibuerit: cauſamque rogatus dixerit, eas ſanguine plenas, non adeò ſibi moleſtas eſſe: quæ ſi abigantur, venturas recentes & famelicas, grauius afflicturas. Ac tarditatis eius in hoc genere illud argumentum eſt, quòd annos XXII rerum potitus, in Iudæam duos duntaxat præſides miſit, Gratum & Pilatum. Talem igitur in rebus omnibus ſe præbens, nec Eutychum audire voluit.

*Antoniæ elogium.*

Agrippa verò Antoniam orauit, vt efficeret, vt Eutychus à Cæſare audiretur. Tiberius enim eam cùm vt Druſi fratris coniugem, tum ob pudicitiam multò magis honorabat. Nam cum maritum adoleſcentula amiſiſſet, vidua manſit, repudiatis ſecundis nuptiis, quanquam ad eas hortante Cæſare: itáque vitam exegit, vt fama de ea mẽtiri vereretur. Erat igitur in honore apud Tiberium tum ob hæc, tum ob beneficium indicatæ multorum potentum conſpirationis. Hac rogante vt Eutychum examinaret: Teſtor Deos, inquit Tiberius, Antonia, ea quæ fient, non ex animi mei ſententia futura eſſe, ſed propter preces tuas. ac Eutychum adduci iubet. Is dixit: Agrippa, ô domine, in colloquio cum Caio dixit, Vtinam tandem veniat dies, qua ſenex iſte decedens, te principem orbis terrarum deſignet. Nam Tiberius, eius nepos, impedimento nobis haud fuerit, ſi à te tollatur. Tum & orbis terrarum floreret, atque ego in primis. Ea verba Tiberio vera eſſe viſa: ſimul etiam Agrippæ ſuccenſebat, quòd nepotem ipſius colere noluiſſet, & totus ſe ad Caiũ contuliſſet: eúmque à quodam aſtante vinciri iuſſit. Sic ille, purpuratus adhuc, vinctus abducitur.

*Bubo Agrippæ & regni & obitus auguriũ.*

& dum ante regiam aſtat, ad arborem, vbi etiam alij vincti erant, præ animi ægritudine inclinatus: bubo in eam deuolat. quo captiuorũ quidam conſpecto, militẽ Agrippæ cuſtodẽ, rogat, quis ille purpuratus eſſet? eóque cognito, cũ à cõcaptiuo milite vt ſecũ propius ad illum accederet impetraſſet: Adoleſcens, inquit, nuntio tibi celerem vinculorum liberationẽ, & maximæ dignitatis & potentiæ adeptionem. Felicem ij te prædicabunt, qui nũc miſerantur: in proſperitate obibis, & opes tuis liberis relinques. Sed cum iſtã volucrẽ denuò videris, te ſcito quinque diebus pòſt eſſe moriturum. Cum autem, vt nos tibi prædicimus, fortunatus fueris: noſtri quoq; rationem habeto, vt calamitatem cum qua nunc cõflictamur, effugiamus. Qui hæc dixerat, tum deriſus fuit: pòſt admiratione dignus eſt habitus. Agrippa verò in vinculis fuit ad menſes VI.

*Tiberius moriens, præterito nepote Tiberio, Caium imperii ſucceſſorem deſignat.*

Tiberius inualeſcente morbo debilitatus, Euodum libertum, quem maximi faciebat, liberos ad ſe adducere iuſſit, vt eos ante obitum alloqueretur. Neque verò habebat liberos. nam filius eius Druſus obierat: ſed nepotem ex eo habebat Tiberiũ Gemellũ, & nepotem ex fratre Caium Germanici filium, illius patruelẽ. qui iam adoleſcens & diſciplinis eruditus, à populo & amabatur & colebatur, ob patris virtutem. Cum autẽ Tiberius pueros poſtridie mane ad ſe adduci iuſſiſſet, atque in animo haberet, imperiũ nepoti relinquere: id augurium ſibi finxit, Deos imperiũ ei tradituros, qùi ad ſe prior acceſſiſſet. ac pædagogo nepotis mãdauit, vt puerum maturius ad ſe adduceret. Cũ autẽ iam diluxiſſet, Euodũ mittit, vt puerum qui adſit intrò vocet. Is Caium ante conclaue inuẽtum, ad Tiberium adducit: qui diuina potentia conſiderata, nepotem pro perdito deplorat, & quanquam ea re turbatus, tamẽ Caio ait: Fili, etſi mihi Tiberius genere propior eſt, ego tamen & meopte iudicio & Deorum ſuffragio Romanum imperium tibi trado: petóque, ne eius neceſſitudinis, qua Tiberio cõiunctus es, obliuiſcaris, ſed eius vt cognati, rationem habeas. Nam diuina prouidentia non inulta ea "
eſſe patitur, quæ præter ius & æquũ fiunt. "
Tiberius Caio principatus ſucceſſore declarato, paucis pòſt diebus obiit. Regnauit annos II & XX, menſes VII, & dies totidẽ. Caio imperatore deſignato, Romani præ cupiditate, Tiberij obitum credere nõ potuerunt, qui patricios Romanos plurimis cladibus affecerat, homo iracundus, & leuiſſima quæque delicta capitalibus ſuppliciis vindicare ſolitus. Marſyas verò Agrippæ libertus, audita Tiberij morte, ad patronum accurrit, & Hebraico ſermone Leonẽ eſſe mortuum dixit. Ille verò, cum gratiam ei ſe habere diceret, ſi

vera nunciaret: centurio qui Agrippam lætum videret, ſuſpicatus aliquid accidiſſe noui, rogat quid nunciatum ſit? Is iam viro familiaris factus, arcanū detegit. Ille verò voluptate cum eo cōmuni fruens, cœnam ei apponit. Dum conuiuantur, adeſt qui dicat, Tiberium ſuperſtitē eſſe. Itaque centurio territus, quòd captiui Imperatorij conſuetudine vſus eſſet, hominem de integro vinciri iubet. poſtridie rumor de Tiberij obitu latius manauit, & epiſtolæ à Caio miſſæ ſunt: ad ſenatum vna, Tiberij mortem, & ſuam Imperij ſucceſſionem nuncians: altera ad Piſonem vrbis præfectum, qua iubebat Agrippam è caſtris in eas ædes transferri, in quibus fuiſſet antequam vinciretur. Caius verò Tiberij cadauere Romam perducto, & ſumptuoſè ſepulto, Agrippam ſtatim ſoluere voluit: ſed Antònia prohibuit, non odio ſoluendi, ſed cura ſoluturi, ne is Imperatoris deceſſu lætari videretur, vincto illius celerrimè ſoluto.

*Agrippa rex à Caio appellatur.*

Sed triduo elapſo Agrippam accerſit, promiſſiorem capillum tondet, alias veſtes induit: deinde impoſito diademate, Philippi tetrarchiæ regem conſtituit, additamenti vice Lyſaniæ quoque tetrarchia adiecta: & ære in aurum commutato, tanti ponderis aureum torquem ei dedit, quanti ferrea cathena fuerat, quā vinctus geſtarat. Anno autē monarchiæ Caij ſecūdo petiit Agrippa facultatem ad ſua abeundi, ſéque redituram promiſit, regno ſuo ritè conſtituto.

*Herodis & Herodiadis exilium.*

Ea impetrata, ſoluit. Herodias verò ſoror eam felicitatem fratri inuidebat, præſertim quando eum regiis inſignibus ornatum cum populo agère vidit: ac maritum extimulauit, vt Romā profectus parem honorem ambiret. Qui cum quietus eſſe mallet, mulier vehementius inſtat, regni cauſa nihil non facere iubens: neque deſtitit prius, quàm Herodem, etiam inuitū, in ſuam ſententiā pertraxiſſet. Romā igitur cū vxore pergit. ſed & Agrippa ad idem iter ſe parans, vnum ex libertis præmiſit, Imperatori munera & literas contra Herodem afferentem. Caius vero tum Baiis in Campaniæ oppidulo degens, eodē tempore & Herodi in conſpectū prodiit, & Agrippæ literas legit, quibus ille accuſabatur, quòd cum Seiano contra Tiberij imperium conſpiraſſet, ac cum Artabano Parthorum rege contra ipſum Caiū: argumento eſſe arma in armamentariis ab Herode repoſita, quibus LXX virorum millia armari poſſint. Caius eo ſcripto motus, Herodē rogat, an vera eſſent quæ de armis dicerentur? illo affirmante, credito defectionis crimine, tetrarchiam & pecuniā eius Agrippæ donat, ipſum perpetuo exilio mulctat. Herodiadi verò pecuniam quæ ad ipſam pertineret, conceſſit, neque exilij mariti participem eſſe voluit, ob fratrem Agrippam. Illa verò Caio gratiis actis, non æquum eſſe dixit, maritum in rebus aduerſis deſerere, cui rerum ſecundarum ſocia & particeps fuiſſet.

*Caius Iudæis infeſtus*

Cæterùm Caius, anno primo & ſecundo moderatius ſe geſſit, ſed temporis progreſſu ſe ipſum pro Deo & haberi & coli voluit. Orta porrò inter Alexādrinos Iudæos & Græcos ſeditione, terni ab vtraque factione legati ad Caium iuerunt.

*Appionis legatio.*

Appio verò Alexandrinorum legatorū vnus, cùm alia Iudæis obiecit, tū illud, cū omnes Romanæ prouinciæ Caio templa & aras ædificent, diuinóſque honores decernāt: eos ſolos ignominioſum ducere, eum ſtatuis honorare, ac per eius nomen iurare. Philonem verò Iudaicæ legationis principem, virum illuſtrem, & philoſophiæ non expertem, populares ſuos defendere paratum, Caius verba facere non paſſus, è medio excedere iuſſit: ac ſatis præ ſe tulit, ſe cladem Iudæis illaturū. At Philo contumelioſè habitus, Iudæos qui foris aſtabāt, bonis animis eſſe iuſſit. Caium enim non ipſis, ſed ipſi Deo inſultaſſe. Verùm Imperator non ferendum ratus, ſi à Iudæis pro Deo non coleretur:

*Petronius à Caio in Iudæam mittitur, ad ſtatuā eius in templo Hieroſolymitano collocandam.*

Petronium Vitellio ſucceſſorem mittit, & cum magna manu in Iudæam profectum, ſuam imaginem in templo Dei collocare iubet. Quod ſi volentes concedere nolint, vt per vim & armis id faciat. Petronius Syriæ prætura ſuſcepta, Imperatoris exequi iuſſa properabat. Sed cum Ptolemaidem veniſſet, Iudæorum multa millia eū adierunt, orātium ne ad patria inſtituta violanda cogerentur. Sin nullis precibus moueretur, vt ſe prius interfectis, ita demū ſtatuā collocaret. Petronius reſpondit: Si ſuapte autoritate illa ageret, iure ſecū agi poſſe. ſed quia Cæſar iuſſiſſet, decretis illius neceſſariò acquieſcēdum eſſe. His dictis Tiberiadem venit, Iudæorum animos exploraturus. Sed ibi quoque multa Iudæorum millia ei occurrerunt, itidem òrantiū, ne ſibi vim afferret, néve vrbē ſimulacro pollueret. qui à Petronio rogati, nū bellū geſturi eſſent? ſe bellū geſturos eſſe negarunt, ſed ſtatim mortē oppetituros potius, quàm commiſſuros vt patria inſtituta violarent, ac iugulos porrexerunt. His per dies XL actis, Ariſtobulus Agrippæ frater, & alij delecti, Petronium precati ſunt, ne rebus nouandis populum ad deſperationem impelleret, ſed ad Caium ſcriberet, quemadmodum Iudæi nullis rationibus ad ſtatuam recipiendā adduci poſſent. Fortaſſis enim eum mitigatum iri, & ſententiam mutaturum eſſe. Sin in propoſito perſeueraret, tum & ipſe rē aggrederetur. His Petronius obſecutus, ad Caium ea de re ſcripſit.

*Agrippæ apud Caium grati.*

Regis verò Agrippæ Romæ degentis cum Caio familiaritas magis ac magis augebatur: qui conuiuio ab eo exceptus, & cœnæ ſumptus ac magnificentiam admiratus, eū petere iuſſit quicquid vellet. Ibi Agrippa: Nihil, inquit, petā, quo opes meæ augeantur: ſed id, quod & tibi pietatis opinionē, & mihi gloriam parabit. Oro igitur, vt ſtatuæ dedicationem in templo Iudaico Petronio mandatā, mea cauſa omittas. Id Caius, coram tam multis mentiri veritus, conceſſit, ac ad Petronium ſcripſit: Si ſtatuā iam erexiſſet, ne tolleret: ſin nondum collocaſſet, vt eo conatu abſtineret. Neque enim ſe amplius eam erecturum, propter Agrippam, virum quem magnifaceret. Hæc ad Petronium ſcripſit, literis illius nondum lectis, quæ ſignificabant, Iudæos ob ſtatuā illā ad ſeditionem concitatos eſſe. Quibus irritatus, Petronio reſcripſit: Quoniam Iudæorū munera meis mādatis prætuliſti; tu quid tibi agendū ſit, videto. Exemplum enim in te edā, quo & præſentes & poſteri moneātur, edicta Imperatoris nō eſſe negligenda.

*Claudius Caij ſucceſſor, Agrippam & Herodē ornat.*

Has literas viuente Caio Petronius non accepit: ſed tū demū, cum illius obitum ex aliis literis cognouiſſet. Caio viro peſſimo per inſidias interfecto, quarum modum & authorem opere de Imperatoribus



ratoribus exponemus: Claudius præ metu occultatus, à militibus è latebris extractus eſt, & Imperator ſalutatus. quam ad rem Agrippa quoque non paruo adiumēto fuit. Is recens firmato imperio, etiam Aggrippæ regnum confirmauit, eíque collaudato omnē eam ditionem, quā rex Herodes auus eius tenuerat, adiecit: eiuſdémque rogatu, fratri Herodi Chalcidis regnum conceſſit. Hoc tempore orta eſt inter Alexandrinos & Iudæos, ibi degētes, ſeditio. Nam cum Caius, ita vt dictum eſt, erga eos affectus eſſet, illo imperante à Græcis vexabātur. Eo verò defuncto, cum receptis animis arma ſumpſiſſent, Claudius magiſtro equitum Ægyptio ſcripſit, vt ſeditionem comprimeret, edictúmque rogatu Agrippæ & Herodis regum, in Syriam Alexandriam, & alias orbis partes quæ Romanis parent, miſit, in hanc ſententiam:

*Claudij edictū pro Iudæis.*

Cum olim Iudæi eodem iure, quo Alexandrini, & aliarum vrbiū ciues, fruerentur, Caius per ſummam temeritatem, quòd Iudaica gens eū pro Deo colere detrectaſſet, eos depreſſit. Ego verò, ne ea ob illius væcordiā veteribus iuribus ſpolietur: ſed priſtina eis priuilegia, Iudæorum ritus obſeruantibus, conſeruentur: conſtituo, regum Agrippæ & Herodis amiciſſimórum meorum rogatu.

*Agrippa rex Iudææ.*

Aggrippam quoque in regnum ſuum ſplēdidius factum dimiſit. Qui Hieroſolyma profectus, victimas pro gratiarū actione immolauit: & auream cathenam à Caio ſibi datā, ſupra gazophilacium ſuſpendit, diuinæ potentiæ ſpecimen, & viciſſitudinis rerū magna labefactantis, & humilia erigentis. Sacrificio magnificè peracto, Theophilo Annæ ſacerdotium abrogauit, & Boethi filio Simoni cognomento Cantheræ honorē illū tribuit. Is Simō duos fratres habuit, & patrem Boethum: cuius filia Herodi regi, vt ſupra dictum eſt, nupta fuit. Hieroſolymitanorū erga ſe beneuolētiam remuneratus eſt cōdonatione tributi, quod pro ſingulis ædibus pendebatur. Toti exercitui præfecit Silam, qui multarū ærumnarū ei particeps fuerat.

*Doritana ſeditio.*

Cum autē Doritani adoleſcētes audaces & temerarij, Cæſaris ſtatuā in Iudæorū ſynagoga collocaſſent: Agrippa turbatus, ſtatim Syriæ prætorē. P. Petroniū cōuenit, & Doritanos accuſat. Is miſſo centurione, eos qui id facinus auſi eſſent, ad ſe adduci iuſſit: & Doritanis magiſtratib. mādauit, vt centurioni ſontes demonſtrarēt, niſi in eodē crimine eſſe vellent.

*Simonis pontificis modeſtia.*

Agrippa verò ſacerdotiū Simoni Cantheræ ademptū, rurſus in Ionatham Ananiæ filiū contulit. quo ille recuſato, ſatis ſibi eſſe dixit, quòd ſemel pontificatu functus fuerit: fratrémq; Matthiā ad eū honorē, quo dignus eſſet, promoueri petiit, ídque impetrauit à Rege.

*Silæ præfecti militum importuna libertas.*

Sila verò præfectus regis Agrippæ, fretus meritis ſuis, importunæ dicendi libertati ſtuduit, ac moleſtus fuit moleſtæ fortunæ memoria renouāda, ſuóq; illorum temporum ſtudio & fide iactandis. Eam effrenem licentiam cum Agrippa ægrè ferret, neq; Sila quicquam de ea remitteret: rex ira cōmotus, cum non modò præfectura priuauit, ſed etiam vinxit. Verùm ira tempore mitigata, & conſideratis eius ſua cauſa exhauſtis laboribus, cum natalem ſuum celebraret, hominem ad epulas inuitauit. Ille verò detrectauit. Nam ad quem, inquit, me honorem Agrippa vocat, eueſtigio periturū? Nū libertatē meā deſiiſſe cenſet? Ego verò nūc magis clamabo, è quib. eū periculis eripuerim: quos labores, quæ diſcrimina pro ei⁹ dignitate & ſalute adierim. Pro quib. officiis, me vinculis & obſcuro carcere remuneratur, quorū nunquā obliuiſcar. Quibus rex cognitis, inſanabili ingenio hominē in cuſtodia reliquit. Beneficus fuit hic rex non minus auo Herode, qui quidē in exteros liberalitatem exercuit, non etiā in Iudæos: hic promiſcuè de omnibus benemereri ſtuduit, omnib. ſe clementē præbuit. Itaq; libenter Hieroſolymis perpetuò vixit, & patrias leges inuiolatas obſeruauit.

*Simonis legulei calumnia.*

Extitit tamē Simon quidam legis peritia celebris, qui cœtu coacto, regem Cæſaream profectum deferre non dubitauit. Quo cognito Agrippa illum accerſitum rogat, in quo leges à ſe violatæ eſſent? quod ille cū dicere non haberet, veniam rogauit: eáque præter expectationē impetrata, donatus abiit. Pontificatum Matthiæ ademptum, Elionæo Citheri filio contulit.

*Agrippæ ſuperbia diuinitùs vindicata.*

Cum autem triennium toti Iudææ dominatus eſſet, in vrbe Cæſarea, quæ prius Stratonis turris appellata fuit ſpectacula edidit: quorum die ſecundo veſte argentea indutus, ſub auroram theatrum ingreditur, atque argētum primo ſolarium radiorum ortu illuſtratum, mirabiliter reſplenduit, cum horrore quodam intuentium. Statim igitur adulatores alius aliunde exclamarunt, eúmque Deum appellarunt, vtque propitius eſſet, petiuerunt. Nam vt hactenus eū vt hominem timuiſſent, at in poſterum ſe confeſſuros eum natura mortali præſtantiorem eſſe. Ea verba rex non caſtigauit, neque impiam adulationē reiecit: ac pauló pòſt cū ſe erexiſſet, bubonem ſupra caput ſuū vidit: eúmq; malorum eſſe nuncium intellexit, qui aliquando bonorū ſignificator extitiſſet. Igitur cordis cruciatibus affectus, & vētriculi doloribus ſubitò oppreſſus, amicis ait: En ego Deus veſter iam vitā relinquo: & quem vos immortalem vocaſtis, ad mortem rapior. Dū hæc diceret, doloribus fatigatus, feſtinanter in regiam eſt reportatus: ortóque rumore, eum animā agere, populus lachrymis oppletus, ſtatim cū vxoribus & liberis patrio ritu ſaccis inſidēs, Deo pro rege ſupplicauit: quæ Agryppa in alto cōclaui decūbens nec ipſe ſiccis oculis ſpectauit, ac diebus V cruciatu ventris ſubactus, mortē cū vita cōmutauit.

*Silæ cædes.*

Vixit annos LIIII. regnauit VII. ſub Caio IIII. ſub Claudio III. Obitu eius vulgò adhuc incognito, Herodes frater eius Chalcidis princeps, & Helcias equitū magiſter, Silā, cui inimici erāt, quaſi rex id iuſſiſſet, occidendū curauerūt.

*Agrippæ liberi.*

Agrippa hoc modo vita finita, filium Agrippā reliquit, annos natū XVII, & tres filias, quarū vna cui nomē Bernices erat, Herodi eius patruo nupta fuit: duæ virgines fuerunt. Mariāme & Druſilla.

*Cæſarienſiū & Sebaſtenorum petulantia.*

Cæterū regis obitu cognito, Cæſarienſes & Sebaſteni beneficiorū obliti, eū maledictis inſectati ſunt, & filiarum eius ſtatuas in lupanaria abreptas ludibrio habuerunt: publicáque conuiuia coronati, & vnguentis delibuti celebrantes, Charonti libauerunt. Cùm autem Agrippæ defuncti filium Romæ apud ſe degentem, Claudius Cæſar ſtatim ad regni ſucceſſionem ablegare in animo haberet: propter familiarium ſermones, periculoſè tantum

regnum,admodum adoleſcenti cõmitti aſſerentium,conſilio mutato , Cuſpium Fadum Iudææ totiúſque regni procuratorem miſit, cum mandato, vt Cæſarienſes & Sebaſtenos ob cõtumeliam defuncto factam obiurgaret . Fadus in Iudæam profectus, ſeditioné tum ortam cõpreſſit, latrociniis prouinciam repurgauit , & pontificis ſtolam in Antonia caſtello,vt olim,reponi iuſſit. Sacerdotes verò & proceres Hieroſolymitani refragari non auſi , rogarunt,vt ſibi liceret eam rem à Cæſare petere.quo conceſſo,legati Romã profecti interceſſione iunioris Agrippæ , quod volucre,à Claudio datis ad Fadum literis, impetrarunt.Herodes quoque Agrippæ frater, Chalcidis princeps , à Cæſare templi poteſtatem , ſacræque pecuniæ,& creandi pontificis authoritatem obtinuit: atque ab illo omnibus eius poſteris ea poteſtas vſque ad vrbis excidium manſit. Igitur loco moto Canthera, Ioſepho Cami filio pontificatum tribuit . Hoc tempore Adiabenorum regina Helena,& filius eius Izates, rçligionem Iudaicam ſunt amplexi . Monabazus enim Adiabenorum rex;cognomento Bazæus , Helenam ſororem amore captus vxorem ducit:ac aliquando cum ea prægnante cubans, manum eius ventri impoſuit , ac ſopitus audire vocem viſus eſt, quæ manum à ventre tollere iuberet , ne infantem qui eo geſtaretur,læderet,Dei prouidentia & regnaturum , & felicem finem conſecuturum.Ea voce turbatus,vxori quid audiſſet , narrat:& natum filium Izaten vocat,quem præ aliis omnibus tum ex Helena,tũ ex aliis mulieribus ante eum ſuſceptis liberis , tanquam vnicum dilexit.ac fratrum eius inuidiã veritus , adoleſcentem ad Abennerigum Spaſini valli regem miſit: à quo amanter ſuſceptus,& gener aſcitus eſt, aſſignata ditione . Monabazus autem cum ſenuiſſet , Izatem ante obitũ ſuum videre deſiderauit: eíque ditionem attribuit , in qua is vſque ad patris obitum vitam egit . Quo defuncto,Helena regina magnatib.& ſatrapis accerſitis: Non vos latet,inquit, maritum meum , Izaten regni ſucceſſorem deſignaſſe . Sed cum eum beatum eſſe ſciam, non qui ab vno,ſed qui à pluribus , iíſque volentibus regnum acceperit:negotium hoc veſtro quoq; iudicio permitto. Illi ſtatim regis iudicium amplectendum eſſe,ſéque vltrò Izati rectè & votis omnium fratrib.prælato,parêre velle,& fratres ac cognatos eius, vt ſecurè imperaret,in primis occidendos eſſe, dixerunt. Helena verò ſententiam de cæde cognatorum differendam eſſe cenſuit, donec ille veniſſet,ac eandem cõprobaſſet . Proceres verò illos interea in vinculis habendos eſſe monuerunt , donec ille veniſſet.Sed regina filium natu maximum ſummę rerũ prçfecit,paterni ſigilli annulo dato,qui Izati reuerſo,regno ceſſit. Sed Iudæus quidã nomine Ananias,Izati peregrè agẽti familiaris factus, doctrinam de Deo & Iudæorũ legibus tradidit. Accidit porrò, vt & Helena ab alio Iudæo inſtituta,Iudaicas cerimonias amplecteretur . Izates cũ veniſſet , ac cognatos in vinculis reperiſſet,id ægrè tulit : ac ſolutos , ne ſuſpecti eſſent,partim obſides Romã miſit, partim ad Parthos.& quia matrẽ Iudaiſmo ſtudere videbat, ipſe quoq; eoſdẽ ritus ſuſcipere properabat, etiã circũcidi paratus.Sed mater id prohibuit: ſubditorum enim odium ſuſcepturum,neque laturos illos imperiũ regis Iudaizantis. Cúmque eam orationem cum Anania qui tum aderat,cõmunicaſſet , íſque idẽ ſuaderet,tum quidem paruit . Pòſt cum alius ex Galilæa Iudæus veniſſet Eleazarus,eúmque legẽ Moſaicam legentem deprehendiſſet:Non verba tantum rex,inquit,legenda tibi ſunt,ſed mandata etiam,quæ illis continentur,exequenda.Quãdiu tandem incircumciſus manebis ? Rex igitur nulla interpoſita mora circumciſus eſt. quod cũ matri & Ananiæ ſignificaſſet , veriti ſunt , ne ex ea re & ſibi & regi pericula crearentur: ſed eum metum Deus auertit.Helena porro viſendi Hieroſolyma & ſancti Dei templi adorandi cupida, permiſſu filij cum maxima pecunia in vrbẽ proficiſcitur.Vbi cum multos fame pereuntes inueniſſet,frumentum Alexandria aduectum,& ſarcinas ficuum in Cypro emptas,inter egentes diſtribuit.Filius quoque eius,principibus Hieroſolymitanis multum pecuniæ miſit , quo pauperes iuuarentur.Atque hæc ita geſta ſunt . Artabanus autem Parthorum rex cognitis inſidiis,quas ſibi pararent ſatrapæ,ad Izaten venit, cum cognatis & famulis circiter mille . atque in itinere illum adeptus : Ne me,inquit,rex mutata fortuna depreſſum , & è regio faſtigio ad priuatam conditionem redactum neglexeris,ſed opẽ ferto.Quç illo cum lachrymis dicente , Izates eius nomine audito,equo deſiluit:ac,Bono,inquit,animo eſto rex. Aut enim in Parthorum regnũ te reducam, aut meo tibi cedam . His dictis illum in equum ſuſtulit,ipſe pedes ſecutus eſt.Artabanus verò iurauit , niſi & ille equum conſcendiſſet , atque anteiret,ſe quoque deſcenſurum.Izates igitur ei obſecutus,in equum inſiluit , & Partho in regiã perducto omnẽ honorẽ habuit . Scripſit etiã ad Parthos, vt Artabanũ recipiant. Qui cũ ſe illum quidẽ recepturos , ſed in regnum reſtituere non poſſe,iã alteri creditũ,reſponderẽt: Cinamomus (id enim ei nomen erat, qui regnum ſuſceperat) vir bonus,Artabanũ à quo educatus fuerat , per literas hortatur , vt ſua fide veniat, atq; imperiũ recipiat . Artabano redeunti obuiam progreditur , eum adorat , regem appellat : diadema ſuo capiti demptum, illius imponit . Sic ab Izate ſex annis in regnum reſtitutus Artabanus , meritorum eius non fuit immemor , ſed ea remuneratus eſt . Verùm aliquanto pòſt eo mortuo, Bardanes eius filius regno potitus , ad Izatem venit,ab eóque petiit,vt ſecum belli ſocietatẽ contra Romanos coiret.Qui cũ refragaretur,eúmq; hortaretur vt illam expeditionem omitteret, neque res aggrederetur quæ fieri non poſſent: Bardanes bellum Izati indicit . ſed Parthi eius conſilio intellecto , eum occidunt , & regnum fratri eius Icotardæ deferunt:cui per inſidias cæſo , Vologeſes frater ſuccedit. At Izatis frater Monobazus , & cognati,Iudaiſmi amore capti, cum deſiderium ſuum expleuiſſent : ſubditi re animaduerſa, Abiæ Arabum regi per literas magnam pecuniam promiſerunt, ſi regi bellum inferret : eum ſe quoque in primo congreſſu relicturos polliciti . Paret Arabs , & cum magnis copiis Izaten adoritur , qui in primo congreſſu à ſuis ex compoſito deſertus, tergis obuerſis fugientibus:

*Cuſpius Fadus Iudææ procurator.*

*Claudius Iudæorum & Herodis poſtulatis annuit.*

*Adiabenorum regina Helena, & Izates, Iudaiſmum amplectuntur. Monobazi ſomnium.*

*Izates Adiabenorum rex creatur.*

*Artabanus ab Izate in regnum Parthorum reducitur.*

*Cinamomi gratitudo erga Artabanum.*

*Izates ob Iudaiſmum à ſuis proditus, Arabes vincit.*



gientibus:magnatum proditione cognita,in caſtra recedit. & autoribus ſceleris ſupplicio affectis,poſtridie Arabes vincit,fugátque: & regem eorum in caſtellum quoddam compellit. qui ne in hoſtium manus veniret , ipſe ſibi necem conſciuit.quo caſtello capto atque direpto,Izates ad ſua rediit. Cæterùm cum Adiabenorum ſatrapæ à Vologeſe Parthorũ rege per literas petiiſſent, vt Izate interfecto , dynaſten Parthicũ ſibi præficeret. Se enim odiſſe regem ſuum peregrinam ſuperſtitionem amplexum : Parthus ſtatim cum maximis copiis irruit , Izates ex aduerſo caſtra locat.ei quidam à Partho miſſus narrat , quantæ ſint Parthorum vires:& vt Vologeſes minitetur, ſe pœnas ab eo exacturum ingrati animi erga dominos:ac ne Deum quidem quem colat , eum è manibus Vologeſis eripere poſſe.Ad hæc Izates, ſe Parthorum noſſe vires , reſpondet:ſed Deum hominibus potentiorem eſſe , ſcire . His dictis, ſupplicauit Deo. Vologeſes autem ea nocte per literas edoctus,hoſtes Parthiã vaſtare , ſtatim re infecta diſceſſit.Sic Izates prouidentia Dei,Parthi minis euitatis, aliquanto pòſt moritur,anno ætatis L V,regni X X I I I I,relictis X X I I I I filiis, & totidẽ filiab.Fado Iudæã procurãte,quidã impoſtor Theudas maximæ turbæ perſuaſit,vt poſſeſſionib. ſecum acceptis , ſe,qui vates ſit,& ſuo iuſſu fluuium ſcindere poſſit,ad Iordanẽ ſequantur:ac plurimos ſeduxit.Fadus verò , turmis equitum in eos immiſſis,multos occidit , plures cæpit:ipſúmq; Theudã, cuius caput amputatum & Hieroſolyma perlatũ eſt.Fado Tiberius Alexander ſucceſſit , Alexandri Alabarchi Alexandrini filius.Iacobus quoq; & Simon,Iudę Galilæi filij, à quo populus ad defectionem impulſus fuerat; Cyrenio cẽſore interfecti ſunt , quos Alexander in cruces ſuſtulit . Herodes Chalcidis rex Ioſepho Cemedi filio pontificatũ ademptũ Ananiæ Nedebæi filio tribuit. Tiberio Alexãdro Cumanus ſucceſſor datꝰ eſt.Octauo monarchiæ Claudij anno,Herodes maioris Agrippæ frater obit, tribus filiis relictis:ſed eius principatũ Claudius iuniori Agrippæ dedit . Cumanus Iudææ procurator,multitudine Paſchatis in feſto Hieroſolymis cõgregata,ad res nouas cauẽdas, tumultũq; ſedãdũ, milites armatos in tẽpli porticib.diſpoſuit,id quod & deceſſores eius fecerant. Quarto autẽ feſti die, eorũ militũ quidã pudenda palàm oſtẽdit . Eam ob rem populi ira,quaſi in Deum miles impius extitiſſet, atque audaciorũ cõuiciis Cumanus irritatus,omnẽ exercitũ in Antoniam caſtellũ,tẽplo imminẽs,cõuocauit. Quibus conſpectis , populus in fugã ſe dedit: in qua propter exitus anguſtias ad X X millia oppreſſa & cõculcata ſunt,feſtiuitate in lamentationem cõuerſa. Qua nondũ finita,malũ aliud acceſſit.Nam cum quidã nouis rebus gaudentes,Stephano Cæſaris ſeruo in itinere inſidiis excepto,omnia bona eripuiſſent:Cumanus milites è viciniis agris prędas agere,& clariſſimos quoſq; in vinculis ad ſe adducere iubet.Quod cũ fieret,miles quidã,adoleſcens audax & temerarius , leges Moſis in pago quodam venerabiliter repoſitas , in conſpectu multorum cum conuiciis & ludibriis diſcerpſit. Quamobrẽ Iudæi Cumanum adiere,ſupplicantes,vt contumeliam nõ ſibi,ſed Deo factam vindicaret.Is veritus ne populus denuò cõcitaretur, milite illo ſecuri percuſſo,motum illũ cõpreſſit. Sed & Samaritani cum Iudæis inimicitias exercuerunt,tali de cauſa.Cum Galilęi Hieroſolyma iter habentes,per quendam Samaritanorum pagum tranſirent , eorũ cõplures quidã ex inſidiis adorti occiderũt.Principes verò Galilæorũ à Cumano petierũt,vt necẽ illorũ vlciſceretur . quod illo muneribus corrupto negligente, indignati, ſumptis armis aliquot Samaritanorũ pagos diripuerunt,atque incenderunt. Eos Cumanus cum exercitu adortus , multos occidit , plures cæpit. Hieroſolymitani verò principes ſaccos induti, & capitib.cinere conſperſis,precibus à ſeditioſis impetrarunt,vt mutatis cõciliis , abiectíſque armis quieſcerent. quibus diſperſis , regio latrociniis infeſtata eſt. Samaritani porrò Iudæos apud Quadratũ Siriæ prætorẽ de incenſis pagis accuſarunt: quos Iudæi contrà , vt ſeditionis autores criminati ſunt,ac Cumanũ in primis , qui largitionib.delinitus , necẽ interfectorũ nõ vindicaſſet.Quadratus iudicio dilato, ſe in Iudæã venturũ , & cognita veritate pronunciaturũ eſſe dixit. Samariã profectus,rebus inquiſitis,Samaritanos turbarum autores eſſe cõperit:Iudæos,quos Cumanus in vinculis tenebat vt nouas res molitos, in cruces egit:Ananiam pontificem & Ananum ducem exercitus,victos Romam miſit , ad actorum ſuorum rationem Claudio reddendam.Samaritanorum quoque & Iudæorum principes, Cumanum præſidem & Celerem tribunum ad Imperatorem ire iuſſit, vt ibi controuerſias ſuas diſceptarent . Claudius cum pro tribunali ſedẽs, Samaritanos malorum extitiſſe autores cognouiſſet:eos qui venerant,occidi: Cumanũ exulare: Celerẽ tribunũ Hieroſolyma reduci, & in cõſpectu omnium per vrbem tractum ita demũ occidi iuſſit: & Felici procurationem Iudææ mandauit. Agrippæ,Chalcide quam annos I I I I tenuerat, erepta , Philippi tetrarchiam, Batanæam & Trachonitidẽ cũ Abella, quæ Lyſaniæ tetrarchia fuerat,donauit . Agrippa verò Druſillam ſororẽ Azizo Emeſarum regi circumciſionem non recuſanti,in matrimoniũ collocat,nuptiis eius ab Antiocho Epiphane ritus Iudaici odio repudiatis.Mariammen Archelao Helciæ filio deſpondit , à patre Agrippa olim promiſſam. Felix Iudææ procurator Druſillæ excellenti pulchritudine captus, mulieri perſuadet,vt marito relicto ſibi nubat : quæ filium ex eo ſuſceptum Agrippam nominauit.Fertur autem, Titi temporibus eam cum filio adhuc adoleſcente in Veſuuio monte ignifero,ac tum magis inflammato , periiſſe.Berenice altera Agrippæ ſoror Herode patruo & marito defuncto , Polemoni , cum circumciſus eſſet , nupſit , ad abolendam inceſtus cum fratre calumniam . ſed diuturnum coniugium non fuit , Polemone à Berenice deſerto. Claudius Cæſar mortuus eſt anno imperij decimo tertio,menſe octauo,die X X.veneno , vt ferebatur , ab vxore Agrippina ſublatus , quæ patrem habuit Germanicum, Cęſaris fratrem:maritum Domitium Aenobarbum , virum Romæ illuſtrem:quo defuncto, eam viduam Claudius duxit, cum filium haberet Domitium patri cognominem . Nam Meſſalinam vxorem ex zelotypia

*Vologeſes Izati nihil incõmodat.*

*Theudæ ſeditio à Fado vindicata.*

*Regnũ Herodis Agrippæ iuniori tributum.*

*Iudæorum X X milia oppreſſa.*

*Miles ob diſcerptam legem Moſaicam,ſecuri percuſſus.*

*Samaritanorum & Iudæorum inimicitiæ.*

*Quadratus Syriæ prætor.*

*Claudij ſententia,de Iudaicis controuerſiis.*

*Agrippæ regnum & affinitates.*

*Nero Claudio ſuccedit.*

*Agrippina.*

*Domitius.*

*Meſſalina.*

*Britannicus. Octauius. Octauia.*

ex zelotypia ſuſtulerat, è qua liberos habebat Britannicum & Octauiũ: & filiam Octauiã natu maximã, ante hos ex alia coniuge ſuſceptam, quam Neroni (id enim nomen Agrippinæ filio Domitio Cæſar pater adoptiuus fecit) deſpõdit. Cui vt mater imperium acquireret, Claudiũ veneno ſuſtulit. Sed hęc ſuo loco & tẽpore referentur. Nũc inſtitutam hiſtoriæ ſeriẽ proſequamur.

*Iudæa latronibus & impoſtoribus referta.*

Poſt Claudij interitũ, Nerone imperiũ adepto, res Iudaicæ continenter in deterius ſunt prolapſæ, prouincia latrociniis & impoſtoribus populum ſeducentibus repleta: quorum multos Felix ſuſtulit. qui Ionathæ põtifici ob crebras eius, vt Iudæã melius gubernaret, admonitiones infenſus, occaſionem tam moleſti interpellatoris tollendi quæritans, curat vt latrones per ſpeciem adorandi, turbæ hominũ in templo immiſti, ſicas ſub veſtibus geſtantes, Ionatham occidant. Quo facinore nõ vindicato, ſicarij citra metum vrbẽ ingreſſi, tum ſuos tum aliorum inimicos mercede peremerunt. Ad hæc præſtigiatores & impoſtores turbæ perſuaſerunt, vt ſe in loca deſerta ſequerentur, euidẽtia ſigna & miracula diuinitùs edita oſtẽſuros: quorum multos Felix ſuppliciis affecit. Latrones verò plebem ad bellum Romanis, quibus parêre detrectabant, inferendũ concitabant: eorúmque pagos, qui parêre nollẽt, incendebãt.

*Cæſarienſis ſeditio.*

Cæſareæ verò, quã Iudę & Syri incolebant, principatum Iudæi hac ratione ſibi vendicabant, quòd eam vrbem Herodes rex ſuus inſtauraſſet. Quod & ſi confitebantur Syri, tamen prius quoque vrbem fuiſſe Stratonis turrem aſſerebant, nemine tum ibi Iudęo degente. Hac de cauſa Cæſarienſib. tumultuantibus, prouinciæ præſides ſontibus flagris cæſis, tumultum nonnihil repreſſerunt. Cæterùm Iudæi opibus ſuperiores, Syros contemnebant, & cõuiciis inceſſebant. Illi verò vt minus pecunioſi, ita eo freti, quòd plurimi Cæſarienſes ſub Romanis ſtipendia mererent, aliquandiu verborum cõtumelias in Iudæos reieſſerunt. Inde ad lapides ventum, donec vtrinq; multi vulnerati ſunt, multi occubuerũt, victoria tamẽ penes Iudæos fuit. quos cũ Felix fruſtrà monuiſſet vt deſinerent: militib. immiſſis multos occidit, plures viros cõprehendit, eorúmq; domos diripi iuſſit. Sed qui moderatiores inter Iudæos erant, ab illo precibus impetrarunt, vt reuocatis militibus populo parceret, delictorum venia cõceſſa.

*Pontificum & ſacerdotum inimicitiæ.*

Agrippa rex pontificatũ Iſmaeli Fabij filio dedit. Cũ autẽ inter pontifices & ſacerdotes atque primos ciuitatis Hieroſolymitanæ inimicitiæ intercederent: & conuiciis & lapidibus eſt certatũ, neq; qui eos caſtigaret, aut ſeditionem premeret, quiſquam fuit. Ac pontifices eò impudentiæ ſunt progreſſi, vt miniſtris ſuis in areas miſſis decimas ſacerdotibus debitas raperent. Vnde ſacerdotes tenuiores ad egeſtatem redacti, fame perierunt.

*Porcius Feſtus Iudææ præſes.*

Porcio Feſto à Nerone Felici ſucceſſore dato: Iudæi Cæſarienſes Felicem apud Neronem accuſarunt, ac dediſſet ille fortè pœnas iniuriarum, niſi frater eius Pallas, qui gratia multum valebat, Neronis iram mitigaſſet. Sed & Ceſarienſes Syri Beryllo Neronis pædagogo pecunia conciliato, literas impetrarunt, quibus Iudæis ęquale ius Cæſarienſis ciuitatis adimebatur. Vnde mala quæ gentem pòſt oppreſſerunt, ortum habuere. Ob eas enim literas Iudæi ſeditionem contra Syros magis vrſerunt, donec bellum exarſit.

*Sicariorum graſſationes.*

Feſtus autem Iudęam latrociniis afflictã reperit. Nam Sicarij (qui & latrones erãt) aucti tunc numero, enſiculos curuos geſtantes, ſimiles iis quos Romani ſicos appellabant, vnde & ſicarij dicti ſunt, in feſtiuitatibus populo immiſti, facilè quos libitũ erat perimebant, pagóſq; & diripiebant & incendebãt. Porrò cum præſtigiator quidam ſalutem iis polliceretur, qui ſe vſq; ad deſertum comitari vellent: Feſtus & ipſum, & eos quos ſeduxerat, copiis immiſſis interfecit.

*Murus regiæ luminibus obſtruẽs.*

Agrippã verò regem ex magno domicilio quod in regia ędificarat, quicquid in templo ageretur ſpectare, ciues ægrè ferentes: murum ſtruxerunt, quo non tantum regiæ conſpectus, ſed & occidentalis porticus, vbi Romani propter templum in feſtiuitatibus cuſtodias habebant, intercipiebantur. Id ægrè Agrippa, Feſtus ægrius tulit, ac murum diruere voluit. Sed rogatu ciuium permiſit, vt x principes viros vnà cum Iſmaele pontifice & Helcia theſauri cuſtode ad Neronem de ea re ablegarent: qui in gratiam Poppeæ vxoris pro Iudæis intercedentis, ædificium id manere iuſſit. Poppea porrò cæteris dimiſſis, Iſmaelem & Helciam obſides retinuit. Quo Agrippa rex audito, Ioſepho Decabizo Simonis viri pontificij filio: deinde eodem eiecto, Anano Anani filio pontificatum confert. Is iunior Ananus pontificatu ſuſcepto, homo confidens & temerarius, Feſto mortuo, eiúſque ſucceſſore Albino nũdum in Iudæam profecto,

*Iacobi Apoſtoli cædes.*

indicto concilio, vt Ioſephi verbis vtar, Iacobum Ieſu, qui Chriſtus dicitur, fratrem, & alios quoſdam in medium productos, violatarum legum reos facit, & lapidandos curat. Id factum modeſtiſſimi quique, & legum obſeruantiſſimi ciues ægrè tulerũt, eúmque & apud Albinum, & apud Agrippam detulerunt. Quamobrem rex ei pontificatum, tres menſes eo functo, ereptum, Mnaſeæ filio Ieſu tradidit. Albinus verò cum Hieroſolyma veniſſet, operã dedit vt prouincia pacata eſſet, multis ſicariis interfectis. Agrippa Ieſu pontifici Mnaſeæ filio ſucceſſorem dat, Ieſum Gamalielis filium. Vnde inter põtifices, quorum vterque audaciſſimos ſibi homines aſciuit, orta ſeditio, à cõuiciis vſque lapidationem eſt progreſſa. Ab eo tempore Hieroſolymitana vrbs peſſimè habere, atque omnia in peius ruere cœperunt.

*Albinus.*

Albinus verò cum didiciſſet Geſſium Florum ſibi ſucceſſorem datum, productis vinctis, eos qui manifeſtè necem meruerant, occidi iuſſit: qui verò ob parua crimina in carcerem compacti fuerant, eos accepta pecunia dimiſit. Ita carcer maleficis factus eſt vacuus, regio latronibus referta. Agrippa, Ieſu Gamalielis filio eiecto, põtificatũ Matthiæ Theophilo aſſignauit, ſub quo bellum Romanum cœpit. At pontificatus initia ſunt ab Aarone profecta, cui defuncto filij, eorúmque poſteri in eo honore ſucceſſerunt. Vnde receptum apud Iudæos fuit, ne cui vel regi pontificatus expetenti tribueretur, niſi iis qui eſſent ex ſanguine Aaronio: & ſi ea conſuetudo non perpetuò obſeruata eſt.

*Pontifices LXXXIII.*

Pontifices ab Aarone vſque ad Phineẽ, in bello à ſeditioſis declaratum, III & LXXX fuere.

*Geſius Florus.*

Geſius autem Flo-

rus Albini



rus Albini ſucceſſor, Iudæos plurimis oppreſſit malis. nam tantum improbitate excelluit, vt propter inſignem eius maleficentiam, Albini beneficentia celebretur. Nam hic quidem malitiam ſuam occultare ſtuduit, ac ſolicitè cauit, ne ſuæ iniuriæ deprehenderentur. Florus autem palàm atque impudenter iniquitatem in populum, & quaſi per oſtentationem exercuit. Sed quorſum attinet eius ſcelera ſingulatim recenſere, cum res paucis expediri queat: qui Iudæos bellũ Romanis inferre coëgerit, Florum fuiſſe? Id verò bellum cæpit ſecundo anno procurationis Flori, Monarchiæ Neronis duodecimo.

## COMPENDIVM HIEROSOlymæ expugnationis.

HINC igitur Iudęorum defectio palàm erupit, bellúmque cœpit: cuius ſingulos veluti actus referre, maioris operæ fuerit, quàm inſtituta breuitas patitur. Quare cæteris omiſſis, Hieroſolymorum duntaxat excidium compendio referre decreui.

*Veſpaſianus à Nerone contra Iudæos miſſus.*

Nam cognita Iudæorũ defectione, Veſpaſianus, cui Nero belli adminiſtrationẽ crediderat, non Hieroſolyma inuaſit primùm: ſed vrbibus metropoli ſubiectis prius expugnatis, tum demum ipſam quoq; domare inſtituit. Occupata igitur Ptolemaide, cum filio Tito, qui ab eo ex Achaia miſſus, vbi à Nerone belli dux deſignat⁹ fuerat, legionẽ decimamquintam Alexãdria adduxerat, ſe cõiunxit. Neroni enim in Achaia degenti, Iudæorum defectio nunciata fuit. ac Galilæam primum aggreſſus,

*Iotapata. Ioſephus.*

Iotapartis dieb. XL expugnatis, Ióſephũ Galilęæ ducẽ, eius vrbis defenſorem cæpit. Inde alia caſtella atq; oppidula, partim deditione, partim obſidione Romanis parêre coegit. Iis iã confectis, ad ipſam metropolim obſidendam ſe accingebat, ſeditionibus & factionibus adeò aflictã, vt ciuili bello & mutuis cædib. inter ſeſe graſſantes, homines bellicoſi interirẽt.

*Neronis interitus.*

Verùm id eius conſiliũ nuncius de Nerone, qui amiſſo imperio clàm Roma profugiſſet, atque ipſe ſibi manus attuliſſet, repreſſit.

*Galba.*

Deinde cum Galbam imperio potitum eſſe cognouiſſet: Titũ miſit ad eum ſalutãdum, & percontandum quid de Iudæa fieri vellet. Sed Titus in itinere Galbæ quoque cæde cognita, ad patrem eſt reuerſus: neque Hieroſolymorũ obſidionem tentarunt, ob incertum Romani imperij ſtatum, ſed Cæſareę quieuerunt.

*Otho.*

Galba ſublato, Otho factus Imperator, contra Vitellium, quem Germanicæ legiones Imperatorẽ ſalutarent, copias miſit: quib. ſuperatis, ſibi ipſi manus attulit.

*Vitellius.*

Vitellius adiunctis etiam Othoniis, Romã cũ legionibus abiit. Veſpaſianus verò, ſi qua Iudaica oppidula nondum expugnata ſupererãt, ea quoq; vaſtauit, vt ſola Hieroſolyma reſtarent: quæ quidem, vt diximus, peſſimè ſe habebãt. Foris enim Simon cũ ſua factione Iudæis formidabilior erat quàm Romani,

*Simonij Zelotæ.*

intus verò ij qui ſe Zelotas à ſtudio religionis iactabãt, eorúmq; dux Ioãnes, & Romanis & Simone grauiores erãt: atque vrbanos eò neceſſitatis adegere, vt populus Simonẽ cũ ſua turba in vrbem accerſeret. ſpe ille quidem reprimendæ Zelotarum tyrannidis: ſed non animaduertit, ſe grauiorem ſuis ceruicibus tyrannũ impoſuiſſe. Dum hæc Hieroſolymis gerũtur, Vitellius Romam profectus Imperator appellatur,

*Veſpaſianus à militibus Imperator ſalutatus, Romam contendit.*

quem cum Veſpaſianus, eo nũcio minimè delectatus, dominum habere recuſaret, à ſuis ducibus & militũ conſenſu Imperator ſalutatur. Soluturus, filio Tito Hieroſolymorũ obſidionem mandat: qui contractis in vnum copiis Hieroſolyma contendit, & XXX ab vrbe ſtadiis caſtrametatus, DC equitibus aſſumptis ad vrbem ſpeculandã & animos hoſtiũ periclitãdos abit. Statim verò infiniti ex vrbe procurrũt: ac plurimi ex Titi equitib⁹, furioſum Iudæorũ impetũ cernentes, ſubſtiterũt. Ipſe verò cũ paucis, auulſus à cæteris, vndiq; ab hoſtibus circũuentus, animaduerſo periculo conuertit equum, & ſuis ſequi iuſſis in Iudæos irruit: ac obuiis quibuſq; gladio propulſatis, ſaluus in caſtra reuertitur, duobus duntaxat comitum ſuorum cæſis.

*Titus Hieroſolyma obſidet.*

Poſtridie conſcenſo loco qui ſpeculator dicitur, VII ſtadiis ab vrbe diſtãs, vnde & vrbs & templum ſpectatur, caſtra muniri iubet. Vrbani verò ſubinde prius inter ſe dimicare ſoliti, ob ingẽtem externi belli procellã dirẽpta lite vrbe excurrũt, cũ iis qui vallũ muniunt dimicant: & dum hoſtes cladib. afficiunt, plurib. ipſi afficiuntur. Externo bello pauliſper quieſcente, ſeditio rurſus exoritur. & Ioannes cũ Zelotis templo multis cæſis per dolũ occupato, Simoni ſe opponere auſus eſt. Dum autem interuallũ, quod à Speculatore ad mœnia pertinet, Titi iuſſu exequatur,

*Inſidiæ Iudæorum.*

Iudæi Romanis inſidias ſtruũt. Nã audaciores è ſeditioſis, vrbem egreſſi, quaſi à pacis ſtudioſis eiecti eſſent ſcilicet, iuxta mœnia verſabantur: alii in mœnibus ſtãtes, quaſi ex plebe homines, pacem clamabant, & dexteram petebãt, Romanóſq; vocabant, quaſi portas aperturi eſſent. Ac milites quidem nihil ſuſpicati, opus aggrediebantur: Titus autem inexpectatam vocationem ſuſpectam habebat. Nam cum eos pridie per Ioſephum ad pactiones prouocaſſet, nihil moderati reſpõſi acceperat. Milites igitur ſuo loco manere iuſſit. Sed cum quidam ad portas iã procurriſſent, ij qui ſe eiectos eſſe fingebant refugiebant: vt verò intra vrbis turres illi peruenerant, excurrerunt, eóſque circumuenerunt. qui verò in mœnibus erant, tela & ſaxa contra eos iaculantes, occiderunt multos, plures conuulnerarunt. Quo ſucceſſu Iudęi exultabant, & ſcuta concutiebant: Titus verò & centuriones milites caſtigabant. Eo ſpacio quod ante mœnia eſt complanato, copiarum robur ad muros extendit: obſtructíſq; Iudæorum excurſionibus, caſtra ibi poſuit. Vrbis triplici muro circumdata fuit: vbi verò ſitu ipſo muniebatur, ſimplici duntaxat. quod cum ita eſſet oppugnatio difficillima Tito videbatur. Sed tamen viſum eſt, iuxta Ioannis pontificis monumentum eam adoriri. ídque legionibus indicari iubet, vt materiam ad excitandos aggeres comportarent. Quo facto, & aggeribus extructis, arietes expediri iuſſit. Qui cum mœnia trifariam percuſſiſſent, & inuſitatus fragor vrbem circumſonuiſſet: clamore ab obſeſſis ſublato, ſeditioſi territi, ſe hoſtes communi ope propulſaturos eſſe pepigerunt.

*Primi & ſecundi muri occupatio.*

Murus tamen ictibus arietum non ceſſit, angulo duntaxat turris vnius emoto, muro incolumi.

Iudæi verò

Iudæi verò cum Romanos in caſtris diſſipatos obſeruaſſent, excurrunt omnes, & ignem machinis iniiciunt. vbi atrox pugna exorta eſt, his eas incendere, illis incendium cohibere conãtibus. Sed Iudæi ex deſperatione ſuperiores fuerunt, & machinæ iã ardebãt: ac niſi Titus cum equitibus ſubſidio veniſſet, cõflagraſſet. Nunc verò propugnatoribus Iudæorum circiter x I I cæſis, reliqui in vrbẽ ſunt cõpulſi. & vnus Iudęus viuus captus, ante mœnia in crucẽ actus eſt, vt eo aſpectu perculſi cæteri ſe dederent. Sed cũ Titus ligneas turres ſingulas L cubitûm in aggeribus collocaſſet:

*Primus & ſecundus murus capitur.*

Iudæi arietũ impetũ nõ amplius prohibuerunt, cum ex illis ferirentur, ac malè tractarentur. Iam verò muro etiã à Nicone (ſic enim ipſi Iudęi Romanorũ maximã vocabant machinam) labefactato, plerique debilitatis animis receſſerũt: eodémque à Romanis occupato, in alterum murũ confugerunt. Muro primo x v diebus capto, ſecũdus etiã adducta machina oppugnari cœptus:

*Caſtoris impoſtura.*

ac turri quadã labefactata, alij fugerunt. Caſtor verò quidã, homo impoſtor, cum aliis x, ſuppliciter extentis manibus Titum vocat. cui ille fide adhibita, machinæ ictum inhibuit. Caſtor ſe deſcenſurũ profeſſus eſt, ad petendã dexteram. Illi verò x partim ſupplicẽ cum eo geſtũ ſimulabãt, partim ſe nunquam Romanis ſeruituros clamitabant. qua re dum tempus teritur, Caſtor Simonem monet, vt quid facto ſit opus deliberet, dum ipſe Romanorum impetum inhiberet atq; eluderet. Dolo tandem animaduerſo, Romani concitati, maioréque vi machinis impulſis etiam ſecundum murum, quinto poſt primum die cœperunt. Titus ingreſſus, vetuit, ne comprehenſi cæderentur, néve ædes incenderentur, neq; etiã magnam partem muri dirui voluit. Malebat enim vrbem ſibi, templum vrbi conſeruare. Seditioſi verò Romanos vrbem ingreſſos adorti, alij in angiportis, alij ex ædibus, alij ex mœnibus feriebant. itaque præſidiarij è turribus deſilientes, in caſtra reuertebantur. Iudæi verò cùm ex noticia angiportuũ multos vulneraſſent, & Romanos poſt ſecundum quoque murum captum fortiter repuliſſent, ſuſtulerunt animos: ac fame iã per vrbem ſerpente, multorum bonorum virorum ex annonæ penuria interitu ſeditioſi delectabantur, eos ſolos ſaluos eſſe cupientes, qui pacem auerſarentur, aliorúmque perniciem ſuam ſalutem interpretabantur. Romanis verò ſecundum murum denuò occupare ſtudentibus, triduum reſtiterunt: quarto die impetum eorum

*Tertij muri oppugnatio.*

non ferentes, in interiorẽ tranſierunt. Titus iterum potitus mœnibus, quantum ad ſeptemtrionem ſpectat diruit: reliquis partib. præſidio impoſito, ad tertiũ oppugnandũ ſe parauit. & legiones bifariam diſpertitus, aggeres excitare cœpit. Ex iis qui intus erant, ſeditioſi pertinaciter reſiſtebant: populus verò transfugium ſpectabat, ac multi ſanè clàm transfugiebant. Quod qui in animo habere videbantur, aut vmbrã tantũ ſuſpicionis præbebant, iugulabantur ſtatim, eorúmque bona diripiebantur. Locupletes verò, etiam falſo transfugij crimine cõficto, ſtatim cædebantur,

*Fames atrociſſima.*

vt res eorũ familiaris prædæ eſſet. Eã ſeditioſorũ crudelitatẽ fames augebat. Nã ob cibariorũ penuriã in ædes inſiliebãt, eáſque perueſtigabãt: quarũ habitatores ſe habere negãtes, ſi quid reperiebãt, excruciabant: ſi nihil, torquebant, quaſi accuratius occultaſſent. ac vtrũ miſeri alimoniã haberẽt, nécne, è corporib. eorũ coniecturã capiebãt. Nam quib. adhuc aliquid viriũ ſupererat, habere putabantur: quorũ verò corpora contabuerãt, præteribantur. Si cui verò triticũ aut hordeũ ſuppetebat, is eo clauſis ædibus veſcebatur. Aliqui etiã ob famis violẽtiã, rude triticũ comedebãt: cibóſq; ex ore infantiũ matres, liberi parentũ, vxores maritorũ rapiebãt. & cum ita ederent, tamen ſeditioſos latêre nõ poterãt. Sicubi enim clauſam domũ aut fumũ exilientem conſpexiſſent, id argumentum putabãt edẽtis familiæ: perfractíſq; forib. cibos ex ipſis faucib. extrahebãt, nulla vllius ætatis miſericordia affecti. Si qui verò cibum iã deglutierãt, eos acerbis diríſque ſuppliciis vt iniurios perſequebãtur, probis pudendorũ meatus obturantes, & ſedes virgis acutis perforantes. Eáque perferebat aliquis, quæ auditu quoq; horrẽda fuerint, vt ſe vel vnũ habere panẽ cõfiteretur, aut vnũ farinæ pugillũ prędonib. daret. Ac quę tũ facta ſunt, ſingulatim cõmemorari difficulter, ac potius nullo modo queãt: ſed illud cõpendio dici poteſt, neq; aliã vrbẽ talia perpeſſam eſſe, neq; gentẽ vllã ab omni æuo ſceleratiorẽ extitiſſe. Dum ita cũ Iudæis agitur, Titi aggeres promouebantur, quãuis milites de muris affligerẽtur. Qui verò ad conquirendũ cibũ egrediebantur, non plebei dũtaxat, ſed etiã ex bellicoſis aliquot, rapinis haud cõtẽti, inſidiis excepti à Romanis, poſt omnia cruciatuũ genera pro mœnib. in cruces tollebãtur. Ea calamitas & ſi Tito miſerãda videbatur, cum indies quingeni, aut plures etiam caperentur: tamen nec cuſtodiri eos, nec dimitti tutum putabat. ſimul etiam cæteros, iis conſpectis facilius deditionẽ facturos, opinabatur.

*Iudæi aggeres Romanorum incendunt.*

Verùm ſeditioſi transfugarum neceſſariis in muros pertractis, vt tractarentur ij qui ad Romanos confugerent, oſtendebant: tam de hoſtibus quàm de ſuis mentientes. Aggeribus abſolutis, machinæ producebantur. Iudæi verò eo ſpacio quod inter Antoniam & aggeres interiacet, ſuffoſo, & cauernis lignis ſuffultis: aggeres pẽſiles reddiderunt, qui foſſa materia impleta, & iniecto igne fulcris combuſtis, ſubitò cedente, corruerunt. Romani ea ſolertia obſtupefacti & conſternati, machinis alibi adductis muros labefactarunt. Sed quidã præcipiti audacia eas omnes cremarũt. Aggeribus collapſis, Romani triſtes fuerũt. Titus verò cũ ducibus deliberauit, quorũ alij aggeres alios excitandos, alij ſine his aſſidendũ, & Iudæorũ eruptiones & cõmeatus importationes obſeruandas cenſebãt. Ita enim vrbẽ fame expugnatum iri. Erãt etiam qui ſuaderent, vt omnibus cõpijs adductis, mœnia tentaret: Iudæos enim impetũ earum non laturos.

*Titus Hieroſolyma muris circundat.*

Titus verò, qui nihil horũ probaret, muro vrbem circũdare ſtatuit, vt obſeſſis omnem exitum obſtrueret: eúmque laborẽ inter milites diſtribuit. Qui contentione quadam, diuinóq; im- impetu cõcitati, celeriter opus obſoluerunt. Ita clauſa ciuitate primas noctis excubias Titus ipſe obibat, ac luſtrabat: reliquas aliis mandabat, militibus ſortitò dormientib. Iudæis verò exitu intercluſo, ſpes etiam ſalutis vnà eſt intercluſa, fame to-



famæ totas domos atque familias depaſcente. ac ædes quidem mulierum & puerorum viribus

*Multitudo eorum qui fame perierũt.*

defectorum, angiportus ſenibus mortuis referti erant. pueri & adoleſcentes tumefacti, ſimulacrorum inſtar in foris circuibant: & quo quenq; loco vires defecerãt, occumbebant. mortuos cognati ſepelire non poterant, & multi inter ſepeliendum emoriebantur. Seditioſi verò etiam famis cladibus ſæuiores, ſepulchra effodiebant, & ædes ſpoliabant. ac principiò ex ærario mortuos ſepeliri iubebãt, ob fœtorem intolerabilem: deinde in valles ex muris præcipitabãt. Quas cum circuiret Titus, & cadaueribus plenas, è quibus putreſcentibus copioſa manabat ſanies, videret, ingemuit: ſublatíſque manibus Deum teſtatus, id ſua voluntate non fieri, denuò aggeres inſtituit, etſi materia ægrè à x c ſtadiis comportabatur: multis interim è populo transfugientibus, qui partim de muris ſe deiiciebant, partim ſaxa veluti ad pugnam parati manibus geſtãtes Romanorum fidei ſe committebant, & tamen ſic etiam maiori ex parte interibant. nam famelici ciborum copiam inſatiabiliter ingerentes rumpebãtur. Accidit etiam aliud, quod exitium trãsfugis afferebat. Nam eorum quidam ad Roma-

*Tranſfugarũ reſecti ventres, ob aurũ deuoratum.*

nos confugituri, aurum quod habebant, deglutiebant, ne capti eo ſpoliarentur, ídque in caſtris cum excrementis eiectum colligebant. in quo vno deprehenſo, famáque in caſtris ſparſa, trãsfugas auro plenos venire: miſerorum vẽtres diſſecabantur. Qua de cauſa plurimi, vnáque nocte tria millia & amplius perierunt. Quod ne fieret, etſi Titus interdicebat: tamen eius minæ parum aut nihil miſeris commodarunt. & cum in paucis nummi reperirẽtur, cæteros prædæ ſpes perdebat. Ferũt autem pauperum, qui per portas ciuitatis elati & proiecti ſint, D C fuiſſe millia: aliorum numerum inexplicabilem, frumẽtíque medimnum talento væniſſe. Vrbe autem, vt ſuprà diximus, à Romanis muro circundata, cum non amplius herbas colligere liceret, animantiũ ſtercora vetera inquirentes comedebãt. Aggere iam

*Antoniæ expugnatio.*

à Romanis excitato, cum Antoniæ murus machinis feriretur ille quidẽ, ſed nullis ictibus euerteretur, milites aliquot clypeis in humeros reiectis, actáque teſtudine fundamẽtis ſuffoſſis, quatuor ſaxa vectibus amoliti ſunt. Nox prælium vtrinque diremit: eáque murus machinis quaſſatus ſubitò corruit. ſed alius murus poſt illum ædificatus, Romanorum lætitiam è proſtrato conceptam in mœrorem conuertit. Titus autem habita concione militum animos excitauit. & quidam

*Sabini fortitudo.*

ex Syria Sabinus, ſcuto in caput elato, dextráque ſtrictum enſem tenens, mœnibus ſucceſſit, cuius virtutem x I alij ſunt æmulati: propugnatores verò iaculis & telis, ſaxíſque prægrandibus ſubeuntes propulſantibus, aliquot ex x I deięcti ſunt. Sabinus verò nõ deſtitit pri9, quàm muro ſuperato fugaſſet hoſtes. Sed cũ ſaxo impegiſſet, & pronus in eo concidiſſet: Iudæi ad ſonitum armorum conuerſi, eum ſolum iacentem vndíque petiuerunt. Is verò in genu conſurrexit, ſéque defendit: donec dextera vulnerum multitudine laxata, telis eſt obrutus. E cæteris, tres qui iam ad ſummum euaſerãt, lapidibus occiſi: octo vulnerati, in caſtra ſunt relati. Biduo pòſt quidã tacitè per ruinas ad Antoniam progrediũtur: & cuſtodibus qui obdormierant cæſis, tuba cecinerunt. Cæteris autem defenſoribus fugientibus, Titus cum delecta manu, ſeqũentibus legionibus aſcẽdit. Iudæis ad templum confugientibus, Titi milites per foſſam quam hoſtes ſubter aggeres excauarant, irruunt: ibíque acris pugna ſtrictis gladiis committitur, cadunt vtrinque multi.

*Iuliani fortitudo.*

Sed Romana acie iam inclinata, Iulianus centurio, vir fortiſſimus, aſſilit, ac Iudæos victores ſolus in fugam vertit. quos dum fugiẽtes & palantes perſequitur: in ſolo conſtrato lapidibus (in calceis enim crebros clauos, vt & cęteri milites, infixos habebat) prolapſus, & à Iudæis circumuentus, vndique conuulneratur, ſed & iacens ſe defendit: donec confoſſus interiit, etiam hoſtibus admirabilis. Iudæi Romanos propulſatos in Antoniam concluſerunt.

*Templi oppugnatio.*

Titus verò ſeditioſos & per Ioſephum & per ſemetipſum cohortatus, vt nulla re molliri vidit: inuitus bellum repetiit. delectúque ex optimis habito, ſub noctis horam nonam cuſtodes aggredi iuſſit. Qui cum vigilarent, animaduerſa aggreſſione, clamoribus cæteros quoque aduocarunt. Ac prælium à nona hora noctis vſque ad quintam commiſſum anceps fuit, victoria in neutram partem inclinante: itaque tum diremptum eſt. Reliqua verò pars Romanorũ V I I diebus Antoniæ fundamentis euerſis, latam ad templum viam muniuit. Tum legiones muro primo appropinquantes, aggeres moliri cœperunt, qui magno cum labore erigebantur. Iudæi porticum quæ à ſeptentrione & occaſu Antoniæ coniungitur, incenſam ad cubitos x x interruperũt, ſuis manibus ſacra ædificia vrere aggreſſi. Romani quoque vicinam porticum incenderunt. flamma verò ad cubitos x v progreſſa, Iudæi tectum reſecuerunt. Seditioſi qui in templo erant, & apertè milites in aggere verſantes ſunt aggreſſi, & dolis eos propulſarunt. Sed fame infinita multitudo periit: ſuperſtites, eæ clades oppreſſerunt, quæ & dictu ſunt horrendæ, & auditu incredibiles. quarum vnam recenſebo.

*Mulier filiolum infantẽ deuorat.*

Mulier quædam trans Iordanem habitans, & genere & opibus haud obſcura, Hieroſolymis, quò confugerat obſidionem tolerabat. Ea ſibi cibos paratos ſæpe ab vrbanis latronibus eripi, iniquo animo ferens, iráque & fame percita, puerum lactantem mactatum atque aſſum, partim vorauit, partim in aliud tempus aſſeruauit. Seditioſi verò nidorem odorati, ſtatim adſunt: niſi det quod pararit, mortem minitantur. Illa pueri reliquias retegit. quibus latrones viſis, obſtupefacti exhorruerunt: ac trementes receſſerũt, vix eo cibo matri conceſſo. Aggeribus iam perfectis, adducuntur arietes: ſed ea erat muri firmitas, vt nihil inde læderetur. Alij fundamenta ſuffodiebant, ſed ne ſic quidem eſt deiectus. Cæteris igitur deſperatis, ſcalas porticibus admouerunt. Id Iudæi non anteuerterunt, ſed cum iis qui aſcenderant dimicarunt: neque parua cædes eſt edita. Titus, qui templi reuerentiam militibus eſſe noxæ cerneret, portas obſtrui iuſſit, & admoueri ignem: vnde argento liquefacto, quo deuinctæ erant, flamma ligna corripuit, atq; inde ad porticus euaſit. Iudæi circumcirca igne conſpecto, & animis & corporibus defecerunt. Ac illo die, ſecutáque no-

cte ignis graſſatus eſt, ſed in partibus nec enim omnes porticus ſimul incendere valuerunt. Poſtridie Titus parte copiarum reſtinguere incendium iuſſa, viãq; ad portas parare, vt legiones expeditius aſcenderẽt: VI præcipuis ducibus aduocatis, de templo deliberauit. Ibi alij cenſuerunt, belli iure vtendum, nec vlli rei parcendum. Alij monuerunt, ſi Iudæi eo cõſcenſo bellarent, comburendum eſſe: neque iam templum, ſed caſtellum habendum. Sin minus, conſeruandum eſſe. Titus verò, & ſi Iudæi eo occupato repugnarent, tamen ſe loco virorum res inanimatas vlturum eſſe negauit: aut tantum opus crematurum, cuius vaſtatio Romanis damno, cõſeruatio ornamento futura eſſet. Ac Titus in animo habuit, poſtridie cum omnibus copiis impreſſione facta templum occupare. ſed Deus iam olim eius excidium decreuerat.

*Titi deliberatio de templo.*

Nam cum Titus ex Antonia vidiſſet templi exterioris cuſtodes, multitudini & furori excurrentium Iudæorum ceſſiſe, cum delectis equibus opem illis tulit: cuius impetu Iudæi reformidato, ſe in templo interiori concluſerunt. Regreſſo Tito, ſeditioſi cum pauliſper quieuiſſent, denuò Romanos inuaſerunt: quibus Romani pulſis, vſque ad templũ penetrarunt. & miles quidam torre correpto, atque ab alio ſubleuatus, ignem per feneſtram auream iniicit. Excitata flamma Iudæi exclamantes, ad defenſionem concurrunt.

*Templi Hieroſolimitani conflagratio.*

Quo Titus cognito, ad templum ignis prohibendi cauſa & ipſe approperans, pugnantibus & voce & manu ſignificat, vt incendium reſtinguant. Sed illi nec vocem eius exaudiuerunt, nec manus ſignum obſeruarunt. Legiones quoque ingreſſæ, cum templo appropinquarẽt, Titi mandata ſe audire diſſimulabant. & eos, qui præcedebant hortabantur, vt ignem inijcerẽt. Itaq; ſeditioſi propulſando hoſte fatigati, conſilij inopes, paſſim fugiebant, & cędebantur. Titus verò cum impetum militũ furore quodam irruentiũ reprimere non poſſet, atq; incendium augeretur: cum ducibus Dei ſanctuariũ, & quicquid in eo fuit, ſpectauit. & quia flãma nondum introrſum penetraſſet, ſed ædes quæ in tẽpli circuitu ſunt, depaſcebat, opus illud adhuc conſeruari poſſe ratus, operã dedit, vt milites ad reſtinguendum incendium exhortaretur: & quendam fuſte contumaces cohercere iuſſit. At illi iracundia & odio Iudæorum victi, nec verecundia Titi, nec eius qui prohibebat metu deſiſtebant. Multos etiam rapinæ ſpes incitabat, interiora pecuniis referta eſſe exiſtimãtes. Ac iam quidam portæ cardinibus ignem iniecerat. vnde cum ſubitò flamma emicuiſſet, & duces & Titus ipſe receſſerunt: neque quoquam amplius eos qui ignem iniiciebant prohibente, flamma templum corripuit, ſiue nefariorũ ſacrorum luſtratio, ſiue ſacrificulorũ pœna. In quo illud mirari poſſis, quòd cõflagratio in eundem & menſem & diem incidit, quò prius templũ à Babyloniis exuſtum fuerat. A prima Salomonis ſubſtructione vſque ad vaſtationem, quæ ſecundo monarchiæ Veſpaſiani anno accidit, interceſſerunt anni MCXXX, menſes VII, dies XV. A poſteriore, quæ anno II Cyri cœpit, vſque ad extremum excidium, anni DCXXXIX, dies XLV. Templo ardente, obuia quæque rapta ſunt, & qui deprehendi potuerunt, occiſi, neque vſquam ſolum præ cadaueribus videri potuit: ſed milites per aceruos cæſorum, fugientes perſequebantur. Latronum verò multitudo perruptis Romanorum agminibus in vrbem euaſit, reliquiæ popularis turbæ in exteriorem porticum confugerunt. ex ſacerdotibus aliquot murum VIII cubitos latum conſcenderunt, duo inſignes in ignem inſilierunt, & vnà cum templo conflagrarunt. Tum Romani vicinis ædificiis fruſtra parci exiſtimãtes, ipſo templo ardente, omnibus ignem iniecerunt: qui etiam gazophylacia comprehendit, in quibus infinita pecuniæ multitudo repoſita fuit, infinitæ precioſæ veſtes, & alia ornamenta. Ibi enim omnis Iudæorum opulentia in vnum veluti cumulum congeſta erat, tanquam in tutum ærarium. Ibi etiam infinita multitudo plebis periit, pſeudoprophetæ ſeducta concionibus, qui prædicarat, iubere Deum eos in templum aſcendere, ſigna ſalutis accepturos.

*Portenta excidij Hieroſolimitani.*

Subornabantur autem multi tales à tyrannis, vt populus minus transfugeret: per quos deceptus, euidentibus portentis tanquam attonitus non mouebatur, quorum multa acciderunt. Nam ſupra vrbem aſtrũ ſtetit gladio ſimile: cometa per annum apparuit: & aliquando lux ante bellum noctu aram tam clara per dimidiam horam circumfulſit, vt dies eſſe videretur. Bos ad ſacrificium adducta, agnum peperit: Porta oriẽtalis ærea, itaque robuſta, vt à viris viginti vix clauderetur atque aperiretur, cum vectes & peſſulos profundiſſimos haberet, noctu vltrò patuit: quæ ſecuritatem tẽpli ſublatam eſſe declarabat, & facilem in id hoſtiũ ingreſſum. Alio tempore viſum eſt ante occaſum ſolis ſpectrum mirabile, currus in ſublimi omnem regionem peragrantes, & phalanges armatæ huc atque illuc in nubibus ſaltantes. In feſto Pentecoſtes ſacerdotes interius ingreſſi templum, motum & ſonitũ ſenſerũt. deinde vocem audierunt, dicentem: Migremus hinc. Quadriennio ante bellum in tabernaculorum feſto Ieſus quidam homo ruſticus, ad feſtiuitatẽ profectus, exclamauit: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox ſuper Hieroſolyma & templum, vox ſuper ſponſos & ſponſas, vox ſuper omnem populum. Hæc vociferãs, noctu atq; interdiu circuibat vrbẽ. & quanquam ob voces mali ominis verberaretur, tamen eandem perpetuò cantilenam canebat. Adductus ad Romanum prouinciæ præſidem, & flagris cæſus, neque ſupplicauit, neq; lachrymauit: ſed voce lugubriter inflexa, ad ſingulas plagas, Væ Væ Hieroſolymis clamauit: donec Albinus (is enim tum Iudææ procurator erat) hominem abſoluit, inſanire ratus. Ille verò ab eo tempore vſque ad bellum, Væ Væ Hieroſolymis, lamentabatur: ſed in feſtiuitatibus præcipuè triſte illud augurium proclamabat. ídque fecit annos ſeptem, & quinque menſes: donec in obſidione in mœnibus obambulans, rurſus Væ væ vrbi & templo & populo, contenta voce clamauit. & vt poſtremò adiecit, Væ etiam mihi, lapide ex baliſta excuſſo ictus occubuit. Romani cum ſeditioſis in vrbem compulſis, templum, & quę circum tẽplum ſunt, arderent omnia, ſignis in templum illatis, Titum cum fauſtiſſimis acclamationibus

*Titus imperator ſalutatur.*



tionibus imperator deſinarunt. Milites tantum ex rapinis pecuniæ coaceruarunt, vt in Syria* pondus auri dimidio minoris quàm olim venderetur. Sacerdotes, qui, vt dictum eſt, murum templi conſcenderant, cum quinque dies ibi exegiſſent, fame confecti deſcenderunt: vtque ſibi parceretur, ſupplicarunt. Quibus Titus reſpondit, Veñiæ tempore iam præterito, ſacerdotibus cum templo pereundum eſſe: & homines ſuppliciis affici iuſſit. Tyranni qui effugere non poterant, Titum ad colloquium euocãt. qui cum veñiſſet, eique deſperationem obieciſſet, vita ſe illos donaturum promiſit, ſi abiectis armis ſe dederent. Latrones verò ſe dextram ab eo accipere poſſe negarunt, iuraſſe enim ſe id nunquam facturos: ſed petiuerunt, vt cum vxoribus & liberis vrbe excedere liceret. Quamobrem Titus iratus, edixit, ne quis eorum amplius tranſfugeret, aut ſpem dextræ haberet, ſe enim parſurum eſſe nemini: pugnarent igitur, ac ſaluti ſuæ pro viribus conſulerent. Milites vrbem incendere ac diripere iuſſit: qui cum incendia vbique ſpargerent, latrones ad regiam decurrerunt, in quam ob loci munitionem multi ſuas opes contulerant: ac Romanis inde pulſis, & cœtu plebis ibi congregatæ ad VIII millia & CCCC, omni interfecto, pecuniam diripuerunt. Poſtridie Romani latronibus ex inferiore vrbe profligatis, vſque ad Siloam omnia incenderunt. Seditioſi cum ardere vrbem viderent, hilari vultu ſe alacres obituros dixerunt, cum ſe neque Romanis dedere vellent, neque repugnare poſſent: ſed ante vrbem diſperſi, quos trãsfugere volentes deprehendebant, iugulabant: neque vllus vrbis erat locus, qui non fame aut ſeditione peremptos haberet. Tyrãnos vna ſpes reliqua ſubterraneorum meatuum fouebat: quò ſi confugiſſent, ſe non indagatũ iri ſtulta opinione putabant, Nam cum Romani caſtra mouerent, progredi atque aufugere auſi, neque Deum neque Romanos latere poterant, & inter ſe de rapinis bellum gerebant. Cæſar verò cum vrbs ſuperior in præcipiti ſita loco, ſine aggeribus capi non poſſet, copiis opus diſtribuit. Iis diebus Idumæorum principes V legatis ad Titum miſſis, ſupplices pacem petierunt: qui etiam tyrannos, Idumæis auulſis, pertinaciam abiecturos ſperans, incolumitatem illis promiſit. At Simon eorum conſilio cognito, V legatos ſtatim occidit, duces in carcerem compingit, Idumæos obſeruari iubet, & mœnia præſidiis accuratioribus munit propter transfugas. Sed quamuis multi occiderentur, plures erant qui diffugerent, atque à Romanis ob cædium ſatietatem & lucri ſpem ſuſciperentur. Nam ſolis plebeiis retentis, cæteros cum vxoribus & liberis minimo vendebant, ob mancipiorum multitudinem, & emptorum paucitatem. Eorum qui venditi ſunt, multitudo infinita fuit, è plebeiis vltra XL millia ſunt conſeruati.

*Ornamenta ſacra tradita Romanis.*

Quidam ſacerdos nomine Ieſus, pacta incolumitate, duo candelabra tradidit, menſam, crateres & phialas, ex ſolido auro omnia, necnon aulæa, pontificias veſtes, & multa alia vaſa. Sacri theſauri cuſtos Phinees comprehenſus, tunicas & cingula pontificia, ac plures alias res precioſas demonſtrauit. Aggeribus iam confectis, Romani machinas ad muros adduxerunt. At ſeditioſi partim in arcem recedebant, partim in ſubterraneis meatibus ſe abdebant, multi propugnabant: ſed muri parte abrupta, etiam tyrannis metus inceſſit, vt fugæ conſilia agitarent.

*Seditioſi munitiones deſerunt.*

Cum enim eos quorum fideli opera pridem vſi fuerant, non haberent (nam diſperſi erant) & hoſtes in propinquo eſſe nunciarentur: in faciem prolapſi, væcordiam ſuam deplorarunt, atque vltrò è turribus deſcenderũt, è quibus vi nunquam, ſed ſola fame depelli potuiſſent: & in vallem Siloam confugerunt, deinde meatus ſubierunt. Romani mœnibus citra ſanguinem potiti, deprehenſos trucidabant, atque ædes incendebant: ſed ante veſperam deſierunt. Poſtridie Titus vrbem ingreſſus, & munitiones ac turres admiratus: Deo, inquit, iuuante bellum geſſimus: Deus fuit, qui Iudæos munitionibus iſtis expulerit.

*Titus Deo victoriam fert acceptã.*

Cum autem vrbem alibi deleret, & mœnia euerteret: eas turres fortunæ ſuæ monimentum reliquit, qua adiutrice iis potitus eſſet, quæ expugnari non poſſent. Totius belli tempore virorum capta ſunt ad nonaginta ſeptem millia, totius obſidionis tempore vndecies centena hominum millia perierunt: quorum maior pars eiuſdem gentis, ſed non eiuſdem nationis fuit.

*Numerus Iudæorum qui perierũt.*

Nam è tota prouincia ad feſtum Azymorum congreſſos, bellum ſubitò oppreſſerat, & viris plenam vrbem circumuallarat. Romani cum ex manifeſtis alios ſuſtuliſſent, alios cæpiſſent, in cauernis deliteſcentes indagabant, perruptóque ſolo obuios quoſque trucidarunt. ſed & ibi cadauerum vltra duo millia ſunt reperta: ac ſubeuntibus teter occurrit fœtor, vt multi recederent. ſed alij præ auaritia intrabant, mortuorum cumulos calcantes. Nam in iis cauernis multa ornamenta reperiebantur: multi etiam educebantur & dimittebantur, quos tyranni captiuos tenuerant. Ex iis patriæ peſtibus, Ioannes cum fratribus in cauernis eſuriens, pacem à Romanis ſupplex petiit. Simon poſtea comprehenſus eſt, Tito Cæſariæ Philippi degẽte. Nam cum Hieroſolyma obſiderentur, atque vrbem Romani intraſſent: in ſuperiore eius parte degens Simon, aſſumptis amicorum intimis, vnáque lapicidis & ferramentis idoneis, in quandam cauernam ſe demiſit, & vetere foſſa perambulata, terram excauauit, vt cuniculis longè promotis tuto loco emergerent. Sed paulum progreſſis metallicis, cõmeatu deſtitutus, candida indutus tunica, & chlamyde purpurea infibulatus, eo in loco è terra emerſit, vbi templum dudum fuerat. Quem qui viderunt, primùm ſtupore correpti ſunt, deinde propius acceſſerunt, interrogantes quis eſſet? Simon cum ducem vocari iuſſiſſet: Terentius Rufus (hunc enim Titus extercitui præfecerat) accerſitus, Simonem, audito eius nomine, in vincula coniectum, Titi iuſſu ad triumphum aſſeruauit: in quo, laqueo enectus eſt, per id forum tractus, vbi de maleficis ſupplicium ſumitur. Hic fuit exitus Simonis Gioræ. Ioannes verò, altera Iudæorum furia, ad perpetuum carcerem eſt damnatus.

*Simonis & Ioannis interitus.*

captiuorum multitudo partim ad Ægyptia metalla miſſa eſt, partim in ſpectaculis vrbium interfecta, ſeu cum feris, ſeu inter ſeſe dimicando. Simonis ex terra emerſio in

*Captiui Iudæi vt tractati ſint.*

cauſa fuit,vt cæterorum etiam ſeditioſorum magna turba in meatibus inueniretur. Vnde etiam tēpli fundamenta ſunt ſuffoſſa. Neque verò Hieroſolymitani duntaxat Iudæi diſcrimina ſubierunt,ſed aliarū quoque vrbium incolæ: quæ difficile fuerit recenſere omnia,vnum tamen exponendum eſt,quomodo cum Antiochenis Iudæis actum fuerit. Nam multum Iudaicæ gentis per totum orbem terrarum eſt diſperſum:ſæpè capta eſt,& vbique diſſipata,vt iam expoſuimus:maxima tamen pars Syriæ propter vicinitatem eſt immiſta: & Antiochia cùm ob vrbis amplitudinē, tum propter liberam ibi habitandi facultatem, ab Antiochi ſucceſſoribus impetratam, plures Iudæos inquilinos habuit, quàm aliæ ciuitates. Nam Antiochus Epiphanes Hieroſolyma vaſtauit,& templum ſpoliauit. Qui autem ſecuti ſunt reges, eis conceſſerunt, vt ex æquo cum Græcis participes vrbis eſſent. Itaque in magnam multitudinem excreuerunt, multis ſubinde Græcis ad ſuam religionem perductis.

*Antiochenorum Iudæorum ſtrages.*

Cæterùm quo tempore bellum Hieroſolymitanum erupit, & Veſpaſianus in Syria appulit, omnibus Iudæorū odio flagrātibus: tunc Iudæus quidam Antiochus, Iudæorum Antiochenorū principis filius, in cōcionem Antiochenorum progreſſus, & patrem & cæteros Iudæos accuſauit, eos de incendenda tota vrbe deliberaſſe:& peregrinos quoſdam Iudæos,vt eius conſilij cōſcios, tradidit. Plebs Antiochena traditos Iudæos ſtatim exuſſit,ad indigenas quoque Iudæos puniendos concitata. Sed Antiochus popularium ſuorum accuſator, ſe patriam religionem reliquiſſe profeſſus,more Gręco immolauit:& populum hortatus eſt,vt cæteros etiam idem facere cogeret. Nam ita inſidiatores deprehenſum iri,ſi religionem ſuam eierare nollent. Eius rei cum Antiocheni periculum feciſſent, pauci ceſſerunt:qui Græcum ritum repudiarunt,interfecti ſunt. Idem Antiochus militibus etiam à Romano præſide acceptis, ſæuum ſe popularibus ſuis præbuit, otium diei ſeptimi eos agere non paſſus:eoque neceſſitatis redegit, vt ſabbati ignauia non Antiochiæ duntaxat, ſed in aliis quoque vrbibus ad tempus abrogaretur. Neque verò hæc duntaxat Antiochenis Iudæis acciderunt, ſed & alia calamitas acceſſit. Accidit,vt quadratum vrbis forum,prætoria & tablina cremarentur:cuius incendij idem Antiochus Iudæos criminabatur: & Antiochenos iam antē malè ſuſpicantes,contra eos concitauit,vt furioſorum inſtar omnes contra accuſatos ruerent,& ægrè à quibuſdam reprimerentur, ſuadentibus, vt cauſam eam Tito diſceptandam reſeruarent. Interea quidam re diligenter inquiſita, gentem Iudaicam inſontem repererunt:& eius facinoris autores eſſe homines improbos ob æris alieni neceſſitatem, ratos ſi curias & publica tablina incendiſſent, fore neminem à quo appellaretur. Interea Titum Antiochiam proficiſcentem, populus Antiochenus obuiam egreſſus, lætis ominibus excipit,miſtis precibus de Iudæis vrbe pellendis. Is verò tum ea verba placidè diſſimulans præteribat. Deinde rurſus Antiochenis idem acriter flagitantibus:At,inquit,patria eorum,quò reuertendum illis eſſet,euerſa eſt,neque vllus locus eſt quò recipiatur. Hac poſtulatione fruſtrati, ad aliam conuertuntur, petentes vt æreæ tabulæ, quibus iura Iudaica inſcripta erant, tollerentur. Sed ne id quidem Titus conceſſit, Iudæos Antiochenos omnia quæ prius habuerant, tenere paſſus. Inde Alexandriam profecturus, cum Hieroſolyma præteriret, miſeratus eſt vrbis excidium & defectionis autores deteſtatus, vt excidij quoque vrbis antiquæ & felicis autores, in cuius ruinis etiam partes ingentis opulentiæ reperiebantur: Romanis multa effodientibus,captiuis plura demonſtrantibus, quæ poſſeſſores ob incertos belli caſus terræ mandarant. Titus ex Ægypto & Alexandria in Italiam nauigaturus, captiuorum duces Ioannem & Simonem, atque alios ſeptingentos viros proceritate & elegantia corporum præſtantes, ſtatim in Italiam duci iuſſit, ad explendam triumphi pompam.

*Antiochus Iudæus, Iudæorum hoſtis.*

*L. Baſſus Iudææ prætor.*

*Herodij caſtelli deditio.*

*Machæruntis expugnatio.*

Tito Romam reuerſo, Lucius Baſſus prætor in Iudæam miſſus, caſtello Herodio deditione capto, omnes eius prouinciæ copias contra Machæruntem caſtellum munitiſſimum parat. Eſt enim in petroſo tumulo ſitum, mœnibus obſeptum, itaque à natura paratum,vt nec acceſſus in id pateat,profundis vallibus tanquam foſſis cinctum. Neque verò munitione duntaxat, ſed & ob regiam, magnitudine & elegantia conclauium inſignem, admirandum fuit, & multas ciſternas idoneis locis ad pluuiam aquam excipiendam habuit.

*Ruta Machæruntia.*

In regia quoque ruta fuit miræ magnitudinis, nulla ficu vel altitudine vel craſſitudine inferior, quæ ab Herodis duraſſe temporibus ferabatur: & longiſſimo forſan tempore manſiſſet, niſi à Iudæis, qui locum illum occuparant, exciſa fuiſſet.

*Baar radix.*

In caſtelli valle ſeptentrionali Baar locus eſt, qui radicem gignit eiuſdem nominis, colore flammeo, veſperi iubar quoddam eiaculantem, ſed captu difficillimam. Refugit enim: neque prius conſiſtit, quàm vrinam mulieris, aut ſanguinem menſtruum effuderis. ac tum eam attingentibus indubia mors imminet, niſi quis eam radicem de manu ſuſpenſam abſtulerit. Capitur etiam alia ratione citra periculum. Nam vndiq; eam circumfodiunt, vt eius quàm minimum terra tegatur. Deinde canem ei alligant, qui cum dominum ſuum comitari cupit,illa facillimè euulſa, ſtatim moritur: accipientibus verò eam pòſt, nihil eſt periculi. Expetitur autem ob vnam virtutem. Nam quæ dæmonia vocantur, & quoſdam intrant,ſi modò ægrotantibus admoueatur, facilè expellit. Id caſtellum Baſſus ſubigere cupiens, vallem orientalem aggeſta terra explere inſtituit. Iudæi obſeſſi à peregrinis ſeparati, illos in vrbe inferiore manere coegerunt: ſuperius caſtellum ipſi tenuerunt,ac nihilo ſecius quotidianas eruptiones fecerunt,& cum obuiis congreſſi ſunt. nec ipſorum duntaxat multi perierunt, ſed & Romanos multos in aggeribus laborantes occiderunt. Caſu tamen quodam factum eſt, vt caſtellum ſine aggeribus dederetur.

*Eleazarus deditionis Machæruntis autor.*

Inter obſeſſos adoleſcens fuit Eleazarus, animo confidens, & manu ſtrenuus, qui populum ad eruptiones & aggerem prohibendum hortari ſolitus, in præliis illuſtriſſimus euaſerat, Romaniſque multas clades intulerat. Aliquando autem

cum



cum prælio dirempto extra portas cum iis qui in muro erant colloqueretur:

*Rufus Ægyptius.*

Rufus quidam Romanus miles, genere Ægyptius, ſubitò accurrit, & Eleazarum cum ipſis armis ſublatum celeriter in caſtra Romanorum transfert. Quem cum dux nudari, & in conſpectu ciuium flagris cædi iuſſiſſet, vniuerſa ciuitas ingemuit. Ea re Baſſus opportunè contra hoſtes vſus,crucem defigi iuſſit,quaſi Eleazarum ſtatim in eam vellet tollere. Quo conſpecto, ij qui in caſtello erant, magis doluerunt, maximis ſuſpiriis editis. Eleazarus quoque eos rogauit, ne ſe ita mori ſinerent, & ſuæ ipſorum ſalutis memores, Romanorum viribus & fortunæ cederent:illi & Eleazari verbis fracti,& multorum pro eo deprecantium precibus (erat enim ex magna & populoſa familia) adducti,ad commiſerationem deflexerunt: miſſiſque legatis caſtelli deditionem promiſerunt, ſi accepto Eleazaro ſaluis diſcedere liceret. Quā conditionem vbi dux acceperat, qui inferiorem vrbem tenebant, audita Iudæorum priuata pactione,fugam noctu capeſſere ſtatuerūt: & cum portas aperuiſſent, ab iis qui cum Baſſo pepigerant, proditi ſunt.ac fortiſſimi quique euaſerūt, intus verò deprehenſi ad mille D C C ſunt occiſi, mulieres & pueri ſub corona venierunt. Dediticiis verò Baſſus fidem ſeruauit,ipſis dimiſſis, & Eleazaro reddito.

*Iardij ſaltus expugnatio.*

His confectis, ad Iardium ſaltum properauit,quò multi ex prioribus obſidionibus elapſi ſe contulerant. Eum igitur locum equitibus vndiq; circundat, pedites arbores ſuccidere iubet. Iudæi verò qui illò confugerant,cōferti cum clamore in Romanos irruerunt:à quibus cum fortiter excepti eſſent, non parum temporis in pugna tractum eſt, ſed euentus eius aduerſis partibus non ex æquo reſpondit. Nam ex Romanis duodecim ceciderunt, pauci vulnerati ſunt,Iudæorum nullus euaſit: & cum non infra tria millia capta eſſent, omnes perierunt.

*Iudæa vendita.*

*Iudæorū tributum.*

Baſſus & Liberius Maximus procurator à Cæſare omnem Iudæorum terram vendere iuſſi ſunt:octingentis duntaxat emeritis Emmauntem caſtellum,triginta ſtadia Hieroſolymis diſſitum, incolendum tradidit. Et Iudæos vbicunque degētes, quotannis binas quemque drachmas in Capitolium inferre iuſſit, quemadmodum prius in templum Hieroſolymitanum conferre conſueuiſſent.

*Maſadæ caſtelli expugnatio.*

Baſſo defuncto, Flauius Sylua prouincia ſuſcepta,Maſadam caſtellum,ſolum adhuc ex iis quæ defecerant,reliquum,obſidere inſtituit. Tenebatur autem à ſicariis, quibus vir potens præerat Eleazarus, ex Iudæ poſteritate, qui ſub Cyrenio multis perſuaſerat, ne deſcriptionibus parêrent:ac regione ſtatim potitus, ipſum caſtellum muro circundedit, ad fugam intercludendam. Deinde ad oppugnationem conuerſus, & quà poterat aggere excitato (caſtellum enim in alto ſaxo erat extructum, vallibus infinitæ profunditatis coronatum) machinis adductis muri partem perfregit:ſed alium ſicarij intus extruxerant, qui ictibus arietum ceſſurus non eſſet. conſtabat enim ex lignis duplici ſerie inter ſe connexis, in quorum medium terram ingerebant. Quem cum machinarum ictus non modò non perrumperent,ſed ex concuſſione, illa deſidente materia, firmiorem redderent. Sylua milites hortatus eſt,vt crebras faces ardentes iacularentur. Tum murus ligneus igne concepto, magnam flammam edidit, quam Boreas ſpirans principiò ſupernè ad Romanos deuoluebat, adeò vt machinas propemodum incenderet. Deinde vehemens Auſter contrà exortus, eandem ad murum reiecit. Quo penitus conſumpto, cum Romani poſtridie hoſtes aggreſſuri eſſent, Eleazarus militibus ſuis perſuaſit, vt quiſque vxoribus & liberis ſuis interfectis, ipſi quoque ſibi manus afferret. Eo conſilio probato, ſimul vxores ſalutarunt, & liberos amplexi ſunt,oſculis eorum cum fletu inhærentes, ſimul chariſſimos ſuos ſuis manibus tanquam alieni peremerunt. Deinde opes vniuerſas congeſtas in ignem coniecerunt, & decem viris ſorte delectis à quibus omnes mactarentur, quiſque ſuper chariſſimis ſuis occubuit. Deinde vnus cui id ſorte euenerat, nouem ſociis interfectis, luſtratíſque angulis omnibus, ne quis fortè viuus relictus eſſet: vt intellexit omnes occiſos eſſe, regiam incendit: & adacto per totum corpus enſe,prope ſuos occidit. Quamuis autem putaret, neminem viuentem relictum eſſe: tamen anus quædam, & meretricula, & quinque pueri in cauernis abditi, eos latuerant. Interfectorum cum mulieribus & pueris fuere C C L X. Romani cum mane impetum in caſtellum facerent, nec vllum hoſtem cernerent, intus autem tranquilla eſſent omnia, & ignis arderet: animi dubij, tandem clamorem ſuſtulerunt, vt aliquem elicerent. Quo clamore mulierculæ è cauernis excitæ,Romanis quid actum eſſet expoſuerunt. Neque verò illi crediderunt, donec regiam ingreſſi, viſis interfectis, generoſam virorum indolem, & mortis contemptum ſunt admirati. Ac ad hunc modum expugnata eſt Maſada.

*Alexandrinorū Iudæorum cædes.*

Accidit autem vt Alexandriæ quoque in Ægypto multi Iudæi cæderentur. Nam factio ſicariorum eò profuga, multis hoſpitum ſuorum perſuaſerat, vt ſe in libertatem aſſererent. Si qui verò ex Iudæis haud ignobilibus refragarentur, illis occiſis,cæteros ad defectionem hortabantur. Principes verò ſenatus, Iudæis ad concionem vocatis, ſicariorum deſperationem arguebant:& populum hortabantur,vt exitium ab illis imminēs cauerent,ſéque Romanis dederent. Paruit multitudo, & in ſicarios impetu facto ad D C eorum comprehendit. qui verò tum effugerant, non multo pòſt capti,reductíque ſunt:& cum omnis generis tormentis excruciarentur,à nullo extorqueri potuit, vt Cæſarem dominum agnoſcerent, ſed omnes animos neceſſitate ſuperiores conſeruarunt. In primis tamen puerorum ætas ſpectatores obſtupefecit. Nam ne ab illorum quidam vllo exprimi potuit, vt Cæſarem dominum appellarent.

*Cyrenēſium Iudæorū cædes.*

Sicariorum deſperationis contagium etiam Cyrenem inuaſit. Nam cum Ionathas,vir improbiſſimus,arte textor, eò euaſiſſet, aliquot pauperes ſibi conciliatos in deſertū eduxit,prodigia & ſigna editurū pollicitus. Eam rem Cyrenenſium Iudæorum proceres, Catyllo præſidi nunciarunt: qui militibus miſſis, Ionathæ cōiuratos comprehendit. ipſe Ionathas tum quidem effugit, ſed diligenti indagatione captus, & ad præſidem perductus, id confecit,

vt ipſe ſupplicium effugeret, & Catyllo iniquorum emolumentorum anſas præberet: ditiſſimos enim Iudæos eorum facinorum ſibi autores extitiſſe falſò aſſerebat. quas calumnias præſes alacriter amplexus, præter eam credulitatem ſicarios eandem calumniam edocebat: qui ab illo ſubornati, multos accuſarunt. Ac Iudæorum calamitates tum hunc finem habuerunt, Hieroſolymis à Romanis extremùm euerſis. Pòſt ſub Ælio Adriano Imperatore rurſus per ſeditionem arma contra Romanos cœperunt: ſed tum quoque victi, attritíque ſunt, multis millibus interfectis, perpaucis ſuperſtitibus: id quod ſuo loco referetur.

*Iudæorũ cædes ſub Ælio Adriano.*

FINIS.



# IOANNIS ZONARÆ MAGNI DRVNGARII BIGLÆ, ET PRIMARII A SECRETIS, TOmus ſecundus, quo Romana hiſtoria ab Vrbe condita vſque ad Conſtantinum Magnum, breuiter perſtringitur:

## *De Romanorum primordiis.*

*Romana hiſtoriæ procœmium.*

IAM cum Romanorũ mentionem fecerit hiſtoria, eíſque potentiam inuictam tribuerit: omnino neceſſariũ eſt dicere ac docere, aut admonere Lectores, qui ſint Romani, quæ gentis origo, vnde nomen habeat, quibus Rerumpublicarum formis vſa, quibus caſibus iactata ſit, quibus rationibus ad ſummam felicitatem aſcenderit, vt toti ferè terrarum orbi imperarit, ſuámque poteſtatem ad omnes penè propagarit: & vt principiò regibus paruerit, ac pòſt ad optimatiũ poteſtatem, ſiue dictaturam & conſulatũ reciderit: deinde rurſus ad Democratiam deuoluta, mox ad Monarchiam ſit reuerſa. De his igitur etiam dicendum eſt, prolixitate narrationis, quantum fieri poteſt, in compendium cõtracta, vitatáque verborũ multitudine: vt hiſtoria & facilè intelligi, & memoria teneri queat. Æneas poſt Troianum bellũ ad Aborigines venit, qui eam regionem, in qua Roma ſita eſt, olim tenuerunt, Latino Fauni filio regnante: & Laurenti iuxta fluuiũ Numicium appulit, vbi ex oraculo quodam cõſidêre voluit. Quod eius loci rex Latinus prohibiturus, commiſſo prælio ab Ænea vincitur. Deinde per ſomnia, quæ vterque viderant, reconciliati ſunt: ac Latinus conceſſo habitandi loco, filiam Lauiniam Æneæ in matrimonium collocat, de cuius nomine vrbem à ſe cõditam Æneas Lauinium nominat: regio Latium, populus Latini appellati. Rutili gens finitima, vrbe Ardea oriundi, antè infenſi Latinis, tum quoque bellũ intulerunt, adiuuante Turno viro illuſtri, cognato Latini, cui ob Lauiniæ nuptias iratus erat, ſibi prius deſponſæ. Pugna inita & Latinus & Turnus cadũt, Ænea & victoriam & ſoceri regnum adepto. Aliquãto pòſt Rutuli, aſcitis Tyrrhenorum auxiliis, Æneam vicerunt: qui cum neque viuens neque mortuus vſquam videretur, à Latinis pro deo cultus eſt. Hic Romanæ quoq; gentis author perhibetur, Æneadum appellationem honorificam ſibi ducentis. Æneæ in regno Latinorum Aſcanius filius, Troia patrem ſecutus, ſucceſſit. Necdum enim filium ei Lauinia pepererat, prægnans relicta. Cum Aſcanium hoſtes obſiderent, Latini eos noctu adorti, & obſidionem & bellum propulſarunt. Annis aliquot elapſis, abundante Latinorum multitudine, plerique vrbe Lauinij relicta, Albam lõgam in loco meliore condiderunt. Aſcanio defuncto, Latini Syluiũ Æneæ ex Lauinia filium in regno, Aſcanij filio, propter aui Latini memoriam, prætulerunt. Syluius Æneam creat, is deinde Latinum, Latino ſucceſſit † Padys. Tiberinus, qui pòſt regnauit, in fluuio Albula ſubmerſus eſt: qui fluuius Romam perfluens, & vrbi ad plurimos vſus opportunus atque vtiliſſimus, ab illo Tyberis nomen accepit. E Tyberini poſteris ortus eſt Amulius, homo ſuperbus, ſéque pro Deo venditare auſus: qui cum machinis quibuſdam tonitrua tonitribus, fulgura fulguribus referret, ac fulmina iacularetur, ſubita inundatione paludis, ad quam habitabat, periit, vnà cum regia demerſus. Luentinus filius eius in bello cæſus eſt. Atque hæc de Lauinio & Albanis. Romani verò ortum duxerunt à Numitore & Amulio Luentini nepotibus, Æneæ poſteris. Ad quos cum Albani regni ſucceſſio pertineret, regnum & pecuniam diuidere voluerũt. Amulius igitur regno ſeorſim poſito, ac pecunia itidem, optione fratri alteriuſutrius data. Numitor vt natu maior, regnum elegit. Amulius verò pecunia accepta, comparatiſque inde copiis, etiam regnum ſibi vendicauit. Numitoris filiæ, veritus ne ex ea nati filij contra ſe inſurgerent, cum eam Veſtalem legiſſet, perpetua virginitate ſpem partus adimit. Sed pòſt compreſſa à Marte, vt fabulãtur, ab homine vtique aliquo, & in cuſtodiã data, ne fœtum clam ederet, gemellos magnos & elegantes peperit. Qua re magis territus Amulius, infantes exponi iuſſit. Quos miniſter alueo impoſitos, in Tyberim fluuium abiicit. Cæterùm alueo in locum mollem delato, lupam ferunt infantibus mammas præbuiſſe, & Picum Martium cuſtodem acceſſiſſe, qui eis bolos in ora ingeſſerit. Infantes illic ſitos, Fauſtulus Amulij ſubulcus clam ſublatos, vxori Laurentiæ educandos dedit: alterúmque Romulum, alterũ Remum appellauit. Quidam aſſerunt (idque probabilius, atque adeò ve-

*Æneæ res in Italia geſtæ.*

*Lauinium.*

*Rutili vnde*

*Æneas pro Deo habitus*

*Alba longa.*

*† Atys*

*Tyberis vnde nomẽ accepit.*

*Amulius.*

*Numitor. Amulius.*

*Rhea.*

*Romulus. Remus.*

rius eſt) non lupam eorum nutricem fuiſſe: ſed Laurentiam vulgato corpore lupam vocatam, locum fabulæ dediſſe. Cum primùm adoleuit ætas, ambo animoſi & fortes euaſerunt: ſed Romulus ingenio præſtare viſus, & ad imperãdum quàm ad obtemperandum aptior habitus eſt. Exorta igitur inter Numitoris & Amulij paſtores rixa, fratres illos cædunt, & magnam armenti partem abigunt. Poſtridie Numitoris paſtores Remum cum paucis aliis ambulantem ex inſidiis adorti, ad Numitorẽ pertrahunt: qui Amulium fratrem precatus eſt, vt ſibi ius ſuum tribueretur, ab illius domeſticis inſigni affecto iniuria. Is Numitori Remum ad ſupplicium dedit. Qui domum regreſſus, cum adoleſcentem magnitudine & robore præſtantem videret, eiúſque fidentiam, & minimè ſeruilem indolem miraretur, leni voce, quis & vnde natus eſſet, rogat. Ille interritus reſpondet, ſe geminos fratres eſſe: natales ſuos arcanos eſſe, nutricationem & alimoniam mirabiles memorari, ferarum & volucrum miniſterio; cum iuxta magnum flumen in alueo iacerẽt, qui adhuc extaret, æreis laminis deuinctus, obſcuris literis inciſis. Numitori ex Remi verbis & vultu tetigit animum memoria filiorum filiæ, qui expoſiti fuiſſent. At Fauſtulus Remi captiuitate cognita, Romulum ad opem fratri ferẽdam hortatur: apertéque docet, vt nati eſſent. Nam prius per ambages id ſignificarat, ne humilibus eſſent animis: ipſe cũ alueo ad Numitorem territus properat. Cum autem cuſtodibus ædium Amulij ſuſpectus eſſet, ac in reſponſionibus vacillaret, & alueum veſte tegere ſatageret, latere illos non potuit: quin eum furtiui aliquid ferre opinati, alueum in medium proferrent. Tum autem ibi quidam eorum aderat, qui pueros expoſuerant: qui alueo agnito, ad Amulium accurrit, & rem nunciat. Fauſtulus à rege interrogatus, pueros incolumes eſſe reſpondit, ſed procul ab Alba pecudes paſcere. Alueum verò ſe afferre Iliæ puerorum matri, eum videre deſideranti. His turbatus Amulius, quendam ad Numitorem mittit, percontatum, an ſuperſtites eſſe pueros audiuiſſet? Is verò, quem miſerat, Numitoris amicus erat: qui cum ſenem in Remi amplexu inueniſſet, eis animos addidit, & rem maturare iuſſit: atque ipſe etiam adiumento fuit. Iam Romulus quoque aderat in proximo, cum magna agreſtium manu: ad quem ciuium quoque non pauci, odio Amulij ſe contulerant. Hoc rerum ſtatu Amulius, nihil ſalutaris conſilij operíſue molitus, occiditur. Romulus & Remus, Albana re Numitori auo permiſſa, & iuſto honore matri habito, ſuo more viuere (neque enim ferebant imperium) decreuerunt: & vrbem, quo in loco educati eſſent, condere voluerunt. Eam rem aggreſſis fratribus, diſcordia inceſſit de principatu, & de vrbe: ortáque pugna Remus occiditur. Alia fama eſt, Romulo foſſam fodiente in munimentum vrbis, Remũ id opus partim prohibuiſſe, partim deriſiſſe, ac deniq; tranſiliſſe, vt ſuperatu facilem: eáque de cauſa vel à Romulo, vel ab alio ictum cecidiſſe. Vnde receptũ ſit, qui foſſam caſtrorum præter ſolitas vias tranſierit, capite plecti. Romulus verò fratre ſepulto vrbẽ condidit: & tauro vaccæ iuncto, æreóque vomere aratro inſerto, ipſe ſulcum profundum in orbem terræ impreſſit: qui ſequebantur, glebas ab aratro euerſas omnes intra ſulcum repoſuerunt. Ac vbi murus extruendus erat, ſulcus, vt dictum eſt, ductus fuit: vbi verò portas extruere inſtituerunt, aratro ſurſum elato, ſulcum interruperunt. nam omnem murum ſanctum cenſent. Si verò portas etiam ſanctas cenſerent, non vtique res neceſſarias & immundas, per eas vel inferre, vel efferre liceret. Vrbis ędificatio XI Cal. Maij, hoc eſt, XX Aprilis eſt abſoluta: qui dies Romanis feſtus eſt, & patriæ natalis appellatur: quo tempore memorãt Romulũ XVIII annorum fuiſſe, & vrbem eo in loco, vbi Fauſtulus habitarit, qui Palatium diceretur, condidiſſe. Ea perfecta, qui militari ætate erant, eos in legiones inde dictas, quòd bello apti ex omnibus legerentur, diſtribuit, reliqui, populi nomine cenſebãtur, & apud Iureconſultos plebeia * educatio popularia vocantur. Habebat autem tum legio ter millenos pedites, & trecentenos equites. Ex illuſtrioribus genere, prudentia, & inſtituto vitæ, C creat ſenatores, quos * Patricios nominauit: eorúmq; cœtum, Senatum. Senatores porrò appellati fuere patricij, ſiue quòd ingenuorum liberûm patres eſſent: ſeu potius quòd patres ſuos demonſtrare poſſent, nobili quiſque ortus genere: ſiue à patrocinio, & ope ferenda. Verùm is proximè ad Romulum mentem accedere videri queat, qui eum nomine patriciorũ ſignificare voluiſſe crediderit, principibus & potentiſſimis ciuitatis humiliores patria cura complectendos eſſe: ſimúlque plebem eò perducere ſtuduiſſe, ne ſuperiorũ honoribus inuideret, ſed faueret potius iis quos patres & putaret, & appellaret. Cum autem in ciuitatem multi recepti eſſent cœlibes, Romulo curæ fuit, vt illi quoq; vxores nanciſcerẽtur. Sed quia conuenæ ob ſtirpem inopem atque obſcuram à vicinis populis ſpernebantur, conſiliũ init raptu parandi coniuges ſuis ciuibus: & rem diuinam, ludorúmque celebritatem indicit, quaſi ara noui dei inuenta eſſet. Quò cum multi cõueniſſent, ipſe cum optimatibus præſidens, purpura conſpicuus, eam populo teſſeram dedit, vt cum purpuram explicaſſet, ac rurſus cõplicaſſet, rem aggrederẽtur. Quo facto, ſtrictis enſibus, & cum clamoribus impetu facto, Sabinorum filias virgines, nullas autem vxores rapiebãt. Ob id facinus Sabini, populoſa gens, & bellicoſa, quæque ob animorũ magnitudinem, vt Lacedæmoniorum colonos par eſt, pagos ſine muris incolebat, per legatos à Romulo petierunt, vt violentia reſciſſa, voluntate & lege amicitia inter ipſos, & affinitas cõtraheretur. Romulo verò puellas nõ reddente, ſed poſtulante, vt Sabini cõiugia probarent: aliis conſultando tempus trahentibus, Acron Ceninenſium rex, vir iracundus & bellicoſiſſimus, prior armis arreptis magnas copias contra Romulum ducit. Cum ambo in propinquo eſſent, vterque alterum ad pugnam prouocat, quieſcentibus exercitibus. In eo ſingulari certamine Romulus Acronem obtruncat: commiſſóque prelio eius exercitum fundit, fugátque, vrbem capit: neque tamen ciues alia clade afficit, quàm quòd dirutis ædibus, ſe Romã ſequi iuſſit, ciues futuros, & æquo iure vſuros. Deinde etiam

alij Sab

*Roma ædificatio.*

*Legiones.*

*Patricij.*

*Paulo aliter T. Liui. hæc tractat. decad. pr. li. pr. his verbis: Patres certe ab honore patricij q; progenies eorũ appellati.*

*Raptus Sabinarum.*

*Bellum Ceninenſe.*



alij Sabini Romanos bellis aggreſſi, & ſuperati, demum Tatio duce creato, Romæ bellum intulerunt: & Capitoliũ à Tarpeia, eius qui arci præerat filia, proditum cæperunt. Quæ cũ aquam petitum extra mœnia iuiſſet, ad Tatium perducta, perſuaderi ſibi ſiuit, vt arcem prodat: Sabinóſque aureas armillas, quas læuo brachio habebãt, pacta, vna porta accipit. Tatius ingreſſus, ſuos quicquid læua geſtarent, Tarpeiæ dare iuſſit, ac ipſe primus armillam & ſcutum in eam cõiecit: quod cũ omnes facerent, auri ſcutorúmque multitudine oppreſſa expirat. Hic igitur re ipſa declarauit, quod Cæſar & Antigonus pòſt ſermone vſurparunt. Nam alter ſe proditionem amare, proditores odiſſe: alter eos qui prodant, benignè admittere: qui prodiderint, ſe auerſari dixit. Arce à Sabinis capta, pugna vehemẽs inter eos & Romanos exarſit: in qua multi ceciderunt, Romulus lapide caput ictus eſt. Sabinos verò ad vrgendum prælium paratos, raptæ ipſorum filiæ inhibuerunt, aliæ aliunde cum clamore & vlulatu progreſſæ, partim infantes in vlnis geſtantes, partim paſſum capillum prætendentes: omnes verò ſuauiſſimis nominibus, nunc Sabinos, nunc Romanos inclamantes. Mouit ea res hoſtes, vt dirempta acie mulieres in medio ſtare paterentur, nemine non plorante. Ac mulierum verbis adducti duces, colloquio habito, pepigerunt, vt matronæ quæ apud maritos manere vellent, omnis operis, omníſque miniſterij, præterquàm lanificij, immunes eſſent, & Sabini æquo iure cum Romanis viuerent: ipſáque vrbs à Romulo Roma, populus Quirites, à Curribus Tatij patria, vocaretur: & ambo regnum ac militare imperium conſociarent. Locus in quo fœdus ictum eſt, à coeundo, ſeu commeando, Comitium appellatur. Ex Sabinis C in patricios lecti ſunt. Reges vero non ſtatim communiter, ſed cum ſuis vterque centum patribus ſeorſim deliberarunt: deinde in locum vnum omnes conuenere. Anno quinto Tatij cum Romulo regnantis, propinqui regis Tatij, Laurentium legatos Romam ituros in itinere ſpoliare aggreſſi, repugnantes, & ſe ſuáque defendentes occiderunt. Ac Romulo iniurios puniendos eſſe decernente, Tatio pœnam eludente & differente, reges hac vna in re apertè diſſenſerunt. Cæſorum propinqui, iure negato, Tatium in Albano cum Romulo ſacrificantem, concurſu facto interficiunt: Romulum, vt virum iuſtum, laudibus proſequentes. Sabinos ſui ducis cædes non turbauit, quo minus partim beneuolentia erga Romulum, partim eius potentiæ metu, parérent. Deinde Romæ peſtilentia laboratum, hominibus ſine morbis repentè morientibus, ac ſterilitate agrorum & pecudum, & ſanguineæ guttæ depluerunt. Cum Laurentibus etiam ſimilia accidiſſent, opinio fuit, numen cædis Tatij & legatorum, quos Sabini trucidaſſent, exigere pœnas. Homicidis ad ſupplicium deditis, mala illa deſierunt. Creſcentibus Romanorum viribus, ex finitimis populis imbecilliores cedebant. Potentibus verò non conniuendum eſſe ratis, ſed incrementa prohibenda, primi Tyrrhenorum Veij occupant bellum facere. Congreſſi, multíſque amiſſis, pactione inducias in C annos impetrarunt, L ex optimatibus obſidibus datis. His ſuperatis Romulus triumphauit: atque inde mirandis ſucceſſibus elatior & grauior factus, relicta mutatáq; populari conſuetudine, ſe ad odioſæ & moleſtæ monarchię habitum conformauit, tunicam purpuream, & togam prætextam induere, & rubris calceis vti ſolitus, & in ſolio reclinatus reſpondere: multóſque iuuenes, quos Celeres vocabat, ſemper iuxta ſe habuit, & lictores ante ſe, baculis turbam ſummouentes, & lora gerentes, quibus vincirent homines, iuſſi à rege. Vt autem auo Numitore mortuo, Albanoque regno ad ipſum pertinente, Rempublicam ad conciliandos populi animos libertate donauit, & quotannis principem Sabinis deſignauit: Romani proceres ad cupiditatem popularis liberæque Reipublicæ ſunt incitati. Neque enim patriciorum vlla erat in rebus gerendis autoritas, ſed nomen duntaxat & habitum regi accommodabant: cum conſuetudinis potius ergò, quàm ſententiæ dicẽdæ cauſa in curiam vocati, Romulum decernentem taciti audirẽt: nulla re ſuperiores cæteris, niſi quòd quæ ille decreuiſſet, primi audiebant. Ea re cum dignitatem Senatus imminuere videretur, ac paulo pòſt in terris eſſe deſiiſſet, patres ſuſpicione haud caruerunt. Nam cum ad * Capræ paludem concionem haberet, fertur obſcurato ſole nox extitiſſe, cum horrendis tonitribus & procellis. Interea turbam diffugiſſe, proceres verò ſeſe conglobaſſe. Tempeſtate ſedata, populoque rurſus congregato, quæſitum eſſe Romulum: ſed potentes de eo quæri vetuiſſe, atque omnes hortatos eſſe, vt eum ad deos raptum venerarentur & colerent, Deum pro bono rege futurum. Ac vulgus his verbis acquieuit, ſpe bona præditum. Quidam autem ſuſpectos habuere patres, & exagitauere, vt qui vulgo inane commentum perſuaderent, cum ipſi Romulum diſcerpſiſſent. Ac ij negocium faceſſiſſent potentibus, niſi Proculus Iulius eques, & genere & moribus probatiſſimis, ac Romulo fidus, pro concione iureiurando affirmaſſet, Romulum ſibi auguſtiorem ſolito, in armis ſpendidis atque fulgentibus apparuiſſe: ſeque illum percontatum eſſe, quamobrem Senatum in atrocia crimina, ciuitatem in luctum conieciſſet? eum verò reſpondiſſe: Diis ita viſum, vt tantum temporis inter mortales eſſet, atque in cœlum, vnde veniſſet, reuerteretur. Abiret, ac nunciaret Romanis, ſi modeſtiam & rem militarem colerent, ad ſummum humanæ potentiæ faſtigium aſcenſuros: ſe vero eis propitium fore Quirinum. Hæc dicenti, tum ob iuſiurandum, tum ob autoritatem viri, tanta fides fuit, vt nemo refragaretur: omníque ſuſpicione & calumnia amota, Quirino vota facerent, numine eius inuocato. Hoc autem cognomentum Romulo factum traditur, vel ob ciues, qui Quirites appellabantur: vel ab haſta, quam veteres quirim vocitarũt. Quirinus igitur deus appellatus eſt, vt bellicoſus & haſtatus. Fertur annos vixiſſe LIIII, & anno regni XXXVIII è cõſpectu hominum ſublatus eſſe. Cũ hæc Romulo accidiſſent, regẽ volebãt omnes: ſed Romanorum animos certamẽ & ſeditio verſabat, non de viro tantũ, qui principa-

tu

*Bellum Sabinum.*

*Tatius cum Romulo regnat.*

*Tatij cædes.*

*Cædes legatorum & Tatii expiatæ.*

*Veientium bellum.*

*Romulus ob maieſtatem imperij inuiſus.*

*Romuli interitus.*

** Nomen huius loci eſt αἰγὸς ἕλος ſed ob latinum ſic mutatum.*

*Proculi Iulij commentum de Romuli ſpectro.*

*Interregnũ.*

tu potiretur:ſed etiã de gente,vtra principẽ pręberet.Nam & Romanis, primis vrbis cum Romulo conditoribus,non ferendum videbatur,vt Sabini in ciuitatẽ aſciti, regnũ ſibi in eos, à quibus recepti eſſent,per vim vendicarent: & Sabinis ex altera parte contendentibus, quia Tatio mortuo,Romulum regnare paſſi eſſent,ſui corporis regem creandũ eſſe. Factionibus inter ſeſe ita certantibus, cum ciuitas ſine imperio, exercitus ſine duce eſſet,patricij numero c & l conſtituerunt, vt quilibet regiis inſignibus ornatus, & diis immolaret,& iura diceret,ſenis horis noctu, & totidem interdiu. Hæc enim temporum diſtributio, propter æquabilitatem & ipſis magiſtratibus & populo commoda videbatur: & celerrimus magiſtratu abitus inuidiæ minimum habebat,cum ſubditi eũdem eodem die, eadémque nocte & regem & priuatum cernerẽt. Haud nos præterit,de hac imperij forma,quæ Interregnum dicitur,alia quoq; iactata eſſe:ego verò ea ſum ſecutus, quæ mihi probabiliora videbantur. Fremere tamen nihilominus plebs, multiplicatam ſeruitutem, multos pro vno dominos factos. Sed tumultu ſedato, cum omnes regem creandum eſſe conſenſiſſent, ac Sabini eius eligẽdi poteſtatem Romanis detuliſſent: Numam Pompilium, cuius inclyta virtus apud omnes erat,electum per legatos accerſiuerunt.

*Numa Pompilius II rex Rom.*

Nec enim Romæ habitabat,ſed in Sabinis,patre natus Põponio,probato viro,omni genere virtutis & natura & diſciplina excultus.Vnde tantum nomen & gloriam conſecutus fuit, vt Tatius Romuli regis collega. Tatiam ei filiam vnicam deſponderet:quæ cum ei annos XII nupta fuiſſet, vitam cum morte commutauit. Numa verò relicta vrbana vita, ruri plerunque in pratis & ſaltibus degere malebat.Cumque Romani legati ad eum veniſſent,XL ætatis annũ agentem,regnum offerentes,recuſauit.Sed cum inſtarent, & nihil non ad perſuadendum adhiberẽt,orãtes,ne ciuitatem denuò in ſeditionem & bellũ inteſtinum cõiiceret(neq; enim eſſe alium,in quẽ ambæ partes conſentirent)Numam pater quoque ſeorſim hortatus eſt,vt principatũ tãquam diuinũ donũ, & numinis obſequiũ, quíque viro bono & prudenti honeſtas magnasq; res gerẽdi occaſionem præberet, & vinculum futurus eſſet, quò patria & omnis Sabinorum natio beneuolẽtia & amicitia cũ vrbe potẽti & florente iungerẽtur.

*Regni laudes.*

His Numæ victo, & re diuina peracta,Romam proficiſcenti Senatus populusque Romanus cum lętis acclamationibus obuiam egreditur. Cùm in forum deducto inſignia regni afferrentur,differre, ac de ſe regni firmandi cauſa deos conſuli iuſſit: & re diuina in Capitolio peracta, indutaque veſte regia, deſcendit. Principatu ſuſcepto, primùm CCC armatos, quos Romulus ad cuſtodiam corporis ſemper habuerat, amouit.

*Numæ inſtituta.*

Nec enim decere,iis diffidere,qui ipſi fiderent:neque diffidentibus imperandũ eſſe.Deinde vrbẽ è dura & bellicoſa mitiorẽ & pacis amantiorem reddere aggreſſus eſt:edixitq;,ne imaginem Dei vel humana,vel alterius animantis forma erigerent. Itaque annis C & LXX,quamuis tẽpla conderẽt, nullum tamen in iis neq; pictum, neque fictum ſimulacrum collocarunt: quòd nefas eſſet, præſtantiores deterioribus ſimiles facere,neq; Deus aliter niſi mente comprehendi poſſet. Victimas incruentas farris & libationis ciuibus ſuis edixit. Deos enim pacis & iuſtitiæ cuſtodes, à cæde puros eſſe oportere. Neque diuini quicquam obiter & negligenter audiendum aut videndum præcipit:ſed ocium agendum à cæteris rebus, & religioni, vt rei maximæ, animos intendendos. His rationibus, & aliis pluribus,quas ob multitudinem prætermiſimus,ciuium ſuorum animos ad pietatem aſſuefecit.Ipſe autẽ ſpem ſuam ita in Deo collocaſſe fertur,vt cum ei aliquando ſacrificanti hoſtium aduentus nũciaretur, ſubridẽs dixerit:Ego verò ſacrifico. Agrum à Romulo bello partum, inter inopes ciues diſtribuit: vt inopiam ſcelerũ parentem tolleret,& agricultura ferum populũ domaret,quæ acrem pacis amorem in animis excitare poſſet. Feruntur ab eo Ianuarius & Februarius reliquis menſibus adiecti eſſe,& annus ad curſum Lunæ in XII menſes deſcriptus, cum X antè menſium habitus eſſet: vt apud nonnullos barbaros trimeſtris habetur, & inter Geæcos apud Arcades IIII, apud Acarnanes VI menſium. Apud Ægyptios verò menſtruus fuit annus, deinde quadrimeſtris.

*Ægyptiorum annus menſtruus.*

Vnde antiquiſſimi falſò habentur, cum in genealogiis inexplicabilem annorum numerũ recẽſent,quippe menſibus annorum loco ponẽdis.Ianuarium verò Numa caput anni eſſe voluit: qui cum ad iuſtitiam & pietatem ſubditos ita cõſueteciſſet, omnes bellorum motus conquieuerunt. Neque enim populus Romanus duntaxat æquitate & manſuetudine Regis factus eſt humanior: ſed & circumcirca finitimas ciuitates, mutatis moribus, pacis & iuſtitiæ, colendæ terræ, liberos in tranquillitate educandi, deosque venerandi cupido cæpit. Neque enim bellum, aut ſeditio, aut nouarum rerum ſtudium, Numa regnante extitit. Neque etiam inuidia, inimicitia, aut conſpiratio, atque inſidiæ ex cupiditate regni contra Numam comparatæ, vſquam memorantur. Filiolam Pompiliam Martio deſpondit, ex qua ei Ancus Martius nepos eſt genitus, qui poſt Tullum Hoſtilium regnauit: quo Numa quinquenni relicto deceſſit, cum paulatim ſenio & leni morbo defeciſſet. Vixit annos LXXXIII, regnauit XLIII.

*Pompilia Anci Martij mater.*

*Numa obitus.*

Numa ſine ſucceſſore defuncto, Tullus Hoſtilius à ſenatu populoque Romano rex electus,inſtitutis Numæ pleriſque deriſis,Romulum magis eſt æmulatus, ad bella & ipſe propenſus,& populi cõcitator.

*Tullus Hoſtilius III rex Romanorum.*

Cum igitur fortè inueniſſet, vt Romani ex Albano agro prædas egiſſent, vterq; populus ad bellũ ſpectauit.Sed ante congreſſum reconciliati pepigerũt, vt vnam vrbem incolerẽt. Vtroque autem ſuam defendente,& vt in eam migraretur poſtulante, id conſilium repudiarũt.Pòſt etiam de principatu orta controuerſia, cum neuter alteri cederet, conuenit, vt inter ſe dimicarẽt,non totis copiis, neq; ſingulari certamine. ſed erant apud vtroſq; tergemini fratres, gemellis orti matribus, nec ætate nec viribus diſpares: quorum Romani, P. Horatij,Albani Curiatij vocabantur. eos ad pugnam deſtinant, non habita ratione cognationis.

*Tergeminorum fratrũ pugna.*

Qui armati, & in medio duorũ exercituum inſtructi, deos patrios inuocarũt, & ſubinde ſolem



lem intuiti ſunt.Inter ſe congreſſi,aliàs conferti, aliàs ſingulatim dimicarunt. Tãdem duobus Romanis proſtratis, & Albanis omnibus vulneratis,Horatius ſuperſtes,cum quamuis integer tribus par eſſe non poſſet,capeſſit fugam,vt perſequendo ſegregarentur. Quo facto, ſingulos aggreſſus,omnibus interfectis,inſigni victoria potitur.Sed quia ſororem quoque interfecerat, ob viſa in humeris ipſius,conſobrinorum ſpolia lamentantem,cædis actus eſt reus:ſed prouocatione ad populum facta,abſolutus.Albani tum Romanorum imperium acceperũt. Pòſt pactis violatis, cum vt ſubditi ad belli ſocietatem euocati, pugnæ tempore ſe ad hoſtes conferre,ac in Romanos impetum facere voluiſſe, cõperti eſſent, multi occiſi ſunt, & dux eorum Metius: cæteri Romã migrare iuſſi, Alba diruta,quæ ad annos D Romanorum fuerat metropolis.

*Tulli interitus.*

Tullus bellator optimus,ſed numinis cultor negligẽs, cum in peſtilentia ipſe quoque ęgrotaſſet,ad ſuperſtitionem deflexit. Dicitur fulmine conflagraſſe: aut Anci Marcij inſidiis, nepotis Numæ, vt dictum eſt,periiſſe.Regnauit annos II & XXX.

Regnum Anci Martij.

*Marcius IIII rex Rom.*

MOrtuo Tullo Hoſtilio, regnũ à Romanis Martio eſt delatum:qui ob vitium manus, quòd cubitum flectere nõ poterat, Anci cognomentum habuit:& cum leni eſſet ingenio,neceſſariò ad bella gerenda ſe contulit.

*Alma quies eſt prima ſalus:vbi rupenit hoſtis Hanc,decet intrepido pectore bella geri.*

Nam reliqui Latini tum ob Albæ excidium, tum ſimilis cladis metu, irati quidem Tullo adhuc ſuperſtite Romanis erant:ſed illũ vt ſtrenuum metuentes, iras reprimebant. Marcium verò ob pacis ſtudium, iniuriis opportunum eſſe rati, prædas ex agris egerunt.Ille verò gnarus,pacis cauſam eſſe bellum,inuadit eos,à quibus inuadebatur, atque vlciſcitur. vrbes expugnat, quarum vnam euertit:& captiuis,quos multos cæperat, pro mancipiis vtitur, multos etiam in ciuitatem Romanã mittit.Romani cum finitimi potentiam eorum, & ditionem creſcere ægrè ferẽtes,hoſtes ſe profeſſi eſſent,Fidenas obſidione cæperũt: Sabinos afflixerunt, diſperſos aggreſſi: & caſtris eorum captis, alios terrore iniecto vel inuitos pacem ſeruare coegerũt.His rebus geſtis,Martius mortem obiit,anno regni 24.exemplo aui religioſus deorum cultor.

*Marcij obitus.*

L. Tarquinij regnum.

*Tarquinius V rex Rom.*

*Tarquinij opidum ſic dictum.*

L. Tarquinius Demarati Corinthij exulis,qui Tarquinios Tyrrheniæ vrbem migrarat, ex indigena muliere filius, regnum ſibi vendicauit. Is cum amplum patrimonium ſuſcepiſſet, nec tamẽ vt aduena, à Tarquinienſibus ad ſummos honores eueheretur, Romam migrat: mutatoque nomine, ab vrbe in qua habitarat, L. Tarquinius pro Lucumone appellatur.

*Augurium regni.*

Fertur autem, cum ſedem mutaret, aquila deuolaſſe: raptóque pileo,quem capite gerebat, ſubuolaſſe: ac magno clangore edito, eundem capiti aptè repoſuiſſe, Vnde nihil humile animo conceperit,& alacriter Romæ conſederit, vbi non multo pòſt in primis eſt numeratus.Nam cum opibus haud parcè vteretur, prudentia & vrbanitate potentioribus ſibi conciliatis, à Marcio in Patricios & Senatum lectus eſt, & dux exercitus deſignatus,credita etiam liberorum & regni tutela. Nam ſe bonum virum præbebat, pecuniam egentibus impertiebat, rogantibus libenter ferebat opem, malum faciebat dicebat ve nemini,accepta beneficia exaggerabat: offenſas vel diſſimulabat, vel extenuans obliuioni mandabat:eos à quibus læſus eſſet,adeò non vlciſcebatur,vt etiam beneficiis demereretur. His moribus & Marcium ipſum, & regios amicos ſibi deuinxit, exiſtimationem viri boni & ſapientis conſecutus, quam non perpetuò conſeruauit.

*Probitatis opinio.*

Marcij namque defuncti duobus filiis iniquum ſe præbuit,erepto regno. quod cum illis Senatus populúſque delaturus eſſet, ille ſenatoribus potentiſſimis ſibi adiunctis,& adoleſcentibus procul ad venationem ablegatis, nihil non & dixit & fecit,donec regnum impetraſſet: id ſe pueris, vbi adoleueſſent, redditurum profeſſus.

*Tarquinius regnum occupat.*

Rerum autem potitus Romanos ita tractauit, vt regios adoleſcẽtes nunquam ipſi prælaturi eſſent, quorum animos & corpora aſſuetudine ignauiæ per benignitatis ſpeciem corrupit. Cum autem eos etiam ſic metueret, ſuas opes in concilio auxit, CC ex plebe amicis in Patricios & Senatores lectis: quo pacto & Senatum & plebem ſubegit. Habitum etiam magnificentiorem ſumpſit, tunicam & veſtem purpuream auro diſtinctam, coronam auream gemmis ornatam, ſceptrum, & ſellam eburneam: quibus & ſecuti Reges, & Imperatores quoque Romanorum ſunt vſi. Victis hoſtibus, quadrigis magnificè eſt iuuectus, & lictores per omnem ætatem XII habuit.Omnino etiam alia innouaturus fuit, niſi ei tribus mutaturo Actius Nauius augur præſtantiſſ. obſtitiſſet.

*Actius Nauius augur cotem nouacula diſcindit.*

Ei cum ob aduerſationes iratus illudere, & artem eludere ſtuderet, cotem & nouaculam in ſignu geſtans,ad populum prodiit, id animo agitans,vt cos nouacula diſcinderetur,quod fieri nequaquam poſſet.Cúmque dixiſſet quæ voluerat, Actio acerrimè aduerſante, ac minimè cedente:Niſi, inquit, aduerſandi ſtudio refragaris, & vera dicis, coram omni populo mihi reſpondeto, num id quod in animo habeo, poſſit fieri. Cum ille in augurio rem ſtatim expertus, profectò futuram dixiſſet:Atqui hoc animo agitaui, inquit, te nouacula cotem diſciſſurum. Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. Id admiratus Tarquinius,tum alios honores Actio habuit,tum æneam ſtatuam erexit:& Reipublicæ ordine non mutato, conſiliis eius vſus eſt ad omnia. Latinorum defectionem compeſcuit. Sabinos, qui Tyrrhenis adiutoribus in Romanum agrum impreſſionem fecerant, ſuperauit.

*Veſtalis defoſſa.*

Veſtæ ſacrificulam, quibus perpetua ſeruanda eſt virginitas, à quodam ſtupratam, in ſubterraneo ſpecu oblongo excauato, ibíque lectulo, lucerna, & menſa cibariis plena, collocatis, multis ſtupratam eò deducentibus; viuentem obſtruxit. Et ſic ab illo tempore de incæſtis ſacrificulis pœnas ſumi, receptum eſt. Qui verò illas violarint, collo furcæ in foro inſerto, nudi flagris cæduntur, donec expirarint. Cæterum Marci liberi, cum regnum eis non reſtitueret, ſed Tullium quendam ſerua ſibi natum omnibus anteferret, idque Patricij quoque ægerrimè paterentur, quibuſdam illorum aſcitis, inſidias ei parant: ſubornatis duobus, qui agreſtium

agreſtium more aſciis & falcibus armati, eum aggrederentur. Qui cum Tarquinium in foro non inueniſſent,ad regiæ fores venerunt, inter ſeſe rixantes, & ſe ad regem admitti poſtulantes. Quo impetrato,cum inuicem dicerent: rex in alterum cauſam dicentem intentus, ab altero occiditur. Hic Tarquinij fuit exitus,cum annos VIII & XXX regnaſſet.

*Tarquinij interitus.*

Tullij regnum.

*Seruij Tullij VI Romanor. regis natales,& regni omen.*

Regnum autem Romanorum Tullius opera Tanaquilis, Tarquinij vxoris, eſt adeptus. Hunc Ocriſia quædam,Seruij Tullij Latini coniunx,bello capta, & Tarquinio tradita, ſiue domo vterum ferens, ſiue poſt captiuitatem grauida facta(vtrumque enim fertur)peperit. Ei puero interdiu in ſella dormienti magnam è capite flammam emicuiſſe tradunt: qua viſa à Tarquinio,diligenter ſit educatus, & per ætatem in Patricios & Senatum lectus. Tarquinij percuſſoribus comprehenſis,vxor eius & Seruius,compertis inſidiis, mortem regis principio celant: ſublatumq́ue,tanquam adhuc viuentem, ſe curare ſimulant: & interim paciſcuntur, vt Tullius regno filiis,vbi adoleuerint,cedat. Cum autem clamor impetúſque multitudinis vix ſuſtineri poſſet, Tanaquil ex ſuperiore parte ædium, populum bono animo eſſe iubet: maritũ enim ſuum viuere, propediem ipſum eos viſuros. Vt autem per ocium curari poſsit, neque tamen rerum adminiſtratio,eo ægrotante,langueat,interim Tullio munia regis mandaſſe. Quæ cum dixiſſet, Tullium ob virtutis opinionem haud inuiti admiſerunt.Is ſuſcepta Reip. procuratione, pleraque ſe de Tarquinij facere ſententia ſimulabat: cúmque ſibi populum in omnibus dicto audientem eſſe cerneret, percuſſores Tarquinij, quem fortè adhuc viuere dixit, propter inſidias factas ad ſenatum adductos, & capitis damnatos occidit.Cum verò Marcij filij metu ad Volſcos confugiſſent, tum demum Tarquinij mortem palàm fecit,apertéque regnum tenuit: ac primùm præ ſe tulit, ſe tutorio nomine filiorum Tarquinij, principatum adminiſtraturum. Deinde ad plebis animos conciliandos conuerſus, quòd ea facilius quàm patres ceſſura eſſet, pecuniam diſtribuit, agros ſingulis aſſignauit, & ſeruos manumittendos & in tribus referendos curauit. Quæ cum potentes ægrè ferrent, conſtituit, vt liberti patronis quædam officia viciſſim præſtarent.Patriciis autem ei ſuccenſentibus,& præter alia illud quoque dicentibus, eum nemine autore potiri rerum: pro concione multa populo grata locutus effecit, vt ſtatim integrum ſibi regnum ab eo decerneretur. Pro quo vt gratiam referret, cùm alia plebi donauit,tum nonnullos eorum in Senatum legit: qui cum olim plurimis rebus deteriore conditione eſſent, quam Patricij,progreſſu temporis (interegno & ſacerdotiis quibuſdam exceptis) par cum illis ius obtinuerunt, neque pręter calceos quicquam ab illis diuerſum habuerunt. nam Patricij calceos vrbanos geſtarunt,& corrigiarum implexione & forma literę adornatos, vt à primis ſenatoribus orti eſſe viderentur. Literam autem fuiſſe tradunt R, ſiue quod ea apud Gręcos centenarium numerum ſignificet,ſiue quod prima nominis Romani ſit litera.Plebe ſic conciliata, veritus Tullius,ne qua ſeditio oriretur, plurima & maxima quæq; negotia opulentiſſimis mãdauit. Sic inter ſeſe conſentientes,Remp.optimè geſſerũt.Bella quędã cum Veientib. & cæteris Tyrrhenis omnibus geſſit,in quib. nihil accidit memoratu dignũ. Cũ autem latinos magis etiã Romanis deuincire cuperet,autor fuit,vt cõmunib.ſumptib. Romæ fanũ Dianæ facerẽt.Sed cum de antiſtite cõtrouerſia eſſet,Sabinus quidã bouẽ inſignẽ ex oraculo Dianæ immolaturus adduxit.Cecinerãt enim vates,qui eam immolaſſet, patrię ſuę opes aucturũ eſſe.Quo Romanus quidam cognito,illi perſuaſit,vt viuo prius flumine perfunderetur: atq; ipſe interim acceptã bouẽ,tanquam aſſeruaturus, mactauit. Oraculo vulgato, Latini Romanis & tẽpli patrocinio ceſſerũt: & aliis in rebus,vt prętantiorib.honorẽ habuerũt.Atq; hæc hactenus.Tullius autem cũ Tarquiniis filias ſuas deſpõdiſſet, ac regnũ ſe eis redditurũ pollicitus, aliàs aliud cauſando procraſtinaret: illi moram ægrèferẽtes,malè cogitabãt.quod rege nihil curãte, ſed Romanos ad Democratiã & libertatẽ magis aſſuefaciẽte, illi magis etiã indignabãtur. Ac iunior eam moleſtiã concoquebat: ſed natu maior Tulliũ diutius nõ ferẽs, quia vxorẽ & fratrẽ ſuũ conatũ nõ probare videbat:vxorẽ ſuã ipſe,fratrẽ per illius vxorẽ veneno tollit ductaque fratris cõiuge,illa adiutrice Tullio inſidiatur: & cũ multis ſenatorib.ac patriciis, quib. inuiſus erat Tullius,cõſpiratione inita, ex improuiſo Curiã ingreditur,etiã Tullia vxore comitãte.multaq́; locutus,eos qui aderãt patrię dignitatis cõmonefecit,Tulliũ autem multis probris affecit.Qui cũ trepido nũcio excitatus ſermoni interueniſſet,atque aliquid dixiſſet,Tarquinius ſenem medium arripit: elatumq́ue è curia,in inferiorem partem per gradus deiicit. Ille ad Tarquinij audaciam,eoq́ue magis quòd ab omnibus deſtitutus eſſet, conſternatus, nihil amplius neque dixit,neque fecit. Tarquinius verò ſtatim regnum à patribus accepit, & per quoſdam Tullium domum ſe recipientem ſuſtulit. At eius filia maritum in curia deoſculata,regem ſalutauit: atque in regiam abiens, per patris corpus carpentum egiſſe fertur. Sic Tullius Rempub. adminiſtrauit,ſic vitam finiit,cũ annos XLIIII regnaſſet.

*Tanaquil cum Seruio paciſcitur.*

*Seruius regnum occupat.*

*Patriciorũ multitudo.*

*Dianæ templum,& bouis immolatio.*

*Tarquinius Seruio occiſo regnum occupat.*

Regnum Tarquinij.

*Tarquinius VII. rex Rom.*

Tarquinius regno ſuſcepto, Romuli more armatis corpus circũſepſit: quibus & noctu & interdiu,domi & foris vſus eſt.Nam quòd ipſe erga ſocerum, vxor erga patrem ita ſe geſſiſſent, timuit ne à ſe ipſo aduerſus ſe exemplum caperetur. Iam quia metu regnũ tutandum erat, potentiſſimos ſenatores & ciues comprehenſos occidebat: alios palàm, quibus aliquid crimini dare poterat, alios clam: nonnullos in exilium mittebat. Neque verò Tullij ſtudioſos dũtaxat, ſed etiam tyrannidis ſuæ adiutores perdidit. Ita optimis quibuſque ſenatorij& equeſtris ordinis ſublatis, cum ſe omni populo inuiſum eſſe crederet,ſtatuit nullos in patres legere:ſed ſenatum penitus tollere aggreſſus; neque vllum ſenatorem ſubſtituit: neque cum iis qui reſtabant, quicquam quod alicuius momenti eſſet, communicauit. Quamuis enim eos conuocaret,

*Tyrannus principiò Senatum labefactat.*





non tamen id eò faciebat,vt alicuius rei gerendæ adiutores eſſent:ſed vt viſa eorum paucitate, ab omnibus contemnerentur: pleraque verò per ſe aut filios adminiſtrabat.Fuit aditu affatúque difficilis, ſuperbia & crudelitate ex æquo erga omnes vſus:ac more tyrãnico tam ipſe, quàm liberi eius cum omnibus egerũt. Quãobrem ſatellitib. etiam diffiſus,conciliatáque ſibi Latinorũ cuſtodia,& in Romanorũ ordines inſerta, id ſpectauit,vt LatinosRomanis æquatos,ſuo ſibi beneficio obſtrictos haberet, & Romanos adiunctis exteris minus formidaret.Gabinos,armis infeliciter adortus,dolo ſuperauit. Nam Sextum filiũ transfugere ad Gabinos iuſſit.cuius facti vt iuſtã habere cauſam videretur,patrem apertè vt tyrannum & fœdifragum eſt inſectatus,atque à patre viciſſim flagris cæſus.Deinde cum ex compoſito ad Gabinos cum pecuniis & ſociis transfugiſſet, illi vt ei commento crederent, & Tarquinij crudelitate,& multis Sexti veris in patrem maledictis adducebantur: à quo cum eum hoſtili odio diſſidere crederent, hominem benigniſſimè ſuſceperunt,& aliquot cum eo in Romanum agrũ impreſſiones magna clade illata fecerunt. His igitur de cauſis,& quòd pecuniam aliquibus priuatim dabat,& in publicum liberaliter conferebat,dux ab eis creatus eſt, vrbanarum etiam rerum adminiſtratione commiſſa. Poſt hæc, per quendam patri ſtatum rerum ſuarum nunciat: quid ſe facere velit,ſciſcitatur.Ille verò nihil reſpondet nuncio, ne cognitus vel volens vel inuitus arcanum prodat:ſed in hortum ædium tranſit, ſequente illo, & ſumma papauerum capita baculo decutit,& humi ſternit, ſicque nuncium dimittit:qui re non intellecta, quid actum eſſet, Sexto renunciat.Is verò animaduerſo patris conſilio,Gabinorum primores partim clam veneno ſuſtulit,partim per ſicarios interfecit:alios in iudicio calumniis oppreſſos, quaſi vrbem patri ſuo prodere vellent, amouit. Simile quiddam Herodotus de Periandro Cypſeli filio,Corinthi tyranno, ſcribit: qui cum à Thraſybulo Mileti tyranno conſiliũ firmandi imperij petiiſſet,Thraſybulum nuncio voce nihil reſpondiſſe:ſed eo in ſegetem deducto, culmis eminẽtioribus reſectis & abiectis,hominem dimiſiſſe.Qui reuerſus,déque illius conſilio rogatus,dixerit, ſe ad hominẽ emotæ mentis eſſe miſſum,neque enim ad interrogata quicquam reſpõdiſſe: ac quid ille feciſſet, narrarit. At Periandrum, intellecta Thraſybuli ratione,omnes Corinthiorũ principes ſuſtuliſſe. Ad eundem modũ Sextus etiã cum Gabinis egit: & melioribus occiſis, eorum pecunias vulgo diſtribuit.Deinde illis deletis,reliquis deceptis, & omnia illi credentibus, cum Romanis captiuis & transfugis,quos ea de cauſa multos coegerat, vrbem occupauit,patríque tradidit. Sed is ea filio conceſſa,cum aliis populis bellum geſſit.Cæterùm oracula Sibyllina vel inuitus populo Ro. cõparauit. Mulier enim quædã fatidica,quã Sibyllã nominabant,Romã III aut IX libros allatos,Tarquinio certo precio venales propoſuit. Illo verò eam negligẽte,vel vnum vel tres libros exuſſit.Vt iterum à rege deſpecta eſt, ex reliquis totidẽ aboleuit.Cũ autẽ eos etiã qui reſtabãt crematura eſſet,augures eũ reliquos emerę coegerunt:ídque tanti,quanti vniuerſos parare potuiſſet.eos libros duobus ſenatoribus aſſeruãdos tradidit: qui quòd ſcripta illa non ſatis aſſequerentur,duos viros è Græcia mercede accerſiuerunt, qui eos legerent,atque interpretarẽtur. Finitimi autem cognoſcendi auidi,quid iis libris contineretur,altero cuſtodum M. Aquilio largitionibus corrupto,quædam tranſcripſerunt.Quo facinore Cognito,Marcus culeo inſutus atque ſubmerſus eſt. Id ſupplicij genus pòſt in parricidis obſeruatũ:vt neque terra,neque aqua,neque ſol eorum morte inquinaretur. Templum in monte Tarpeio ex patris voto ædificauit,Cum verò terra ad fundamenta iacienda effoderetur,viri recẽs mortui capite inuento, quod ſanguis nondum deſtituerat,Romani Tyrrhenum vatem percontati ſunt,quid portenderet? At ille id ſignum in Tyrrheniam tranſlaturus,certum in terra ſpaciũ deſignauit:in eóque Romæ ſitu & Tarpeio monte incluſo,legatos rogauit,an ea Roma eſſet? an is mons eſſet?an caput ibi inuentum eſſet? vt illis nihil ſuſpicantibus,& ita eſſe affirmãtibus, illius portenti vis in eum locum,in quo deſcriptio facta eſſet,transferretur. Sed legati ab illius filio fraudem prius edocti,cum rogarentur,Non hîc, inquiunt,Roma colitur, ſed in palatio: & mons Romæ eſt,& caput in monte illo inuentum eſt. Vatis calliditate hac ratione eluſa, omnẽ veritatem didicerunt, & ciuibus ſuis renunciarunt,eos fore potentiſſimos,& plurimis imperaturos.Igitur hæc quoque res fiduciam illorum auxit, & mõs ex eo Capitolium eſt appellatus. Quia verò Tarquinius ad templi exædificationem pecunia egebat, Ardeatibus illato bello,neque pecuniam acquiſiuit, & regno excidit. Quæ calamitas ei prodigiis eſt præſignificata. Nam & vultures ex hortis eius pullos aquilarum expulerunt: & anguis ingens è cõclaui,in quo cum amicis cõuiuabatur,& ipſum & conuiuas fugauit. Iis de cauſis Titũ & Aruntẽ filios, Delphos miſit. Quibus cũ Appollo reſpõdiſſet,tum eũ imperium amiſſurũ, cũ canis humana voce loqueretur, ſpe bona ſibi blãditus eſt,nunquã id oraculũ euenturum ratus. Erat autẽ L. Iunius,ſororis Tarquinij filius,cuius patrem & fratrem tyrannus ſuſtulerat.Is vitę ſuę timens,ſtultitiã ſimulauit, cuius numine tutior eſſet.vnde Bruti nomẽ eſt adeptus,quod fatuum ſignificat. Ob eã ſtultitiæ ſimulationẽ à Tarquiniis Delphos ductus,ludibrium verius q̃ comes: etſi profitebatur ſe deo baculum dono laturũ,in quo cum nihil appareret boni,ea quoque de cauſa ridebatur. Verùm ea re per ambages effigiem quanquã ingenij ſui repræſentabat. Nam eo excauato,clam aurum infuderat:vt oſtẽderet,ingeniũ quoque ſuũ integrũ & honorabile ſub ignominioſo ſtultitiæ velamento deliteſcere. Adoleſcẽtibus porrò interrogantibus,quis patri ſucceſſurus eſſet?reſpõdit Deus,eum qui matrem prius oſcularetur,rerũ potiturum.Quo Brutus intellecto,terram,quaſi fortuitò prolapſus,deoſculatus eſt,quã cõmunẽ omnium matrẽ eſſe rectè iudicauit.Idẽ Brutus Tarquinios, ob ſtuprũ Lucretiæ oblatũ,vrbe eiecit, antè ob tyrannidẽ & violentiam omnibus inuiſos.Lucretia verò filia fuit Spurij Lucretij ſenatoris, vxor Tarquinij Collatini viri illuſtris,elegãtia formæ & caſtitate ce-

*Latinorum ſocietas.*

*Gabij Sexti Tarquinii dolo capti.*

*Thraſybuli Mileſii culmi decuſſi.*

*Sibyllina oracula.*

*Tẽpli Tarpeii exædificatio.*

*Capitolium.*

*Ardeate bellum Tarquiniis exilij occaſio.*

*Prodigia, oraculum Delphicum.*

*L. Iunius Brutus, ſtulti ſapiens imitator.*

*Lucretiæ ſtuprum.*

lebris. Huius ſtuprandæ libido Sexto Tarquinio inceſſit, non tam ob pulchritudinẽ, quàm vt eius famæ ac pudicitiæ labem aſpergeret. Itaque captata Collatini abſentia, noctu apud eam, vt cognati vxorem, diuertit. Ac primum verbis eam tentat, deinde vi. cum nihil proficeret, mortem minatur: quam illa contemnente, dixit ſe ſeruũ cum ea poſiturum, & ambos occiſurum: cámque cauſam cædis editurum, quòd eos in concubitu deprehẽſos peremiſſet. Hoc Lucretiam cõmouit: ac verita, ne res ita eſſe acta crederetur, adultero obſecuta, pugionem ſub ceruicali poſuit: accerſitóque marito & patre, Bruto & P. Valerio comitantibus, quid accidiſſet, cum fletu & ſuſpiriis expoſuit. Deinde ſubiecit: Ego quæ me decent, faciam: vos ſi viri eſtis, & necem meam vlciſcemini, & voſmetipſos in libertatem vendicabitis: ac tyrannis oſtendetis, quales viros qualémque matronam violarint. Hæc elocuta, ſtatim pugione clam arrepto ſeipſam interemit. Quibus illi auditis & viſis, ingentem dolorem cæperũt. Brutus verò Publij conſilio, & alacri opera vſus, matronam multis è populo iacentem oſtendit: & apud cæteros habita concione fecit, vt occultum tyrannorum odiũ erumperet, ſéque Tarquinium non amplius recepturos affirmarent. His actis Brutus, vrbe aliis commiſſa, in caſtra equitauit.

*Tarquinij expulſio.*

cadémque militibus quæ populo perſuaſit. Tarquinius re cognita, ad vrbem properans, excluditur, & cum liberis cæteriſque amicis Tarquinios confugit. Nam ſola Tullia ſibi ipſi manus attuliſſe fertur. Sic Tarquinio regno pulſo, quod per annos x x v violenter adminiſtrarat, Romani Brutum, inclinatis in eum ſtudiis, magiſtratũ elegerunt.

*L. Iunius Brutus, & Tarquinius Collatinus primi Coss.*

Verùm ne monarchia regia reducta videretur, Lucretiæ maritum Tarquinium Collatinum, ei collegam dederunt: qui ob vim vxori ſuæ factam, tyrannis infeſtus eſſe crederetur. A Tarquinio legati Romam reditum flagitantes miſſi, tum re infecta diſceſſerunt. Pòſt reuerſi retulerunt, ſi bona ſua ipſi, amicis & neceſſariis redderentur, vnde exilium tolerarẽt, cum regno ceſſurum, & bellum depoſiturum eſſe. Qua petitione cum multi flecterentur, atque ipſe adeò Collatinus, Bruti collega: Brutus e curia in forum excurrit, Collatinum proditorem appellat, qui belli & tyrannidis inſtrumenta largiretur.

*Nobilium adoleſcentũ coniuratio contra patriam vindicata.*

Legati per ſpeciem repetendæ pecuniæ Romæ commorati, nobiles aliquot adoleſcentes corrumpere, atque inter alios, etiã Bruti filios duos ad proditionem impellere ſtuduerunt. A quibus benignè accepta oratione, viſum eſt pacta iureiurando ſancire: eáque de cauſa in ædes penè deſertas & obſcuras ingreſſi, non animaduerterunt ibi eſſe Vindicium ſeruũ, qui non de induſtria, ſed fortè fortuna ibi deliteſcens, ſpectator actorũ, & auditor ſermonũ fuit: quæ omnia ad cædem Coss. & proditionẽ vrbis ſpectabant, additis etiam ad Tarquinium literis. Coniuratis digreſſis, ſeruus omnia defert. Illi capiuntur, literæ afferuntur. Deducuntur in forum: aſtante Vindicio, literæ recitantur. Aliis mœſtum ſilentium tenentibus, Brutus nominatim vtrunque filium allocutus: Non depellitis, inquit, crimen? Illis tacentibus, ad lictores conuerſus: Quod reſtat, ait, veſtri muneris eſt. Ij adoleſcentes arreptos flagris cæciderunt: quorum miſericordia cum alij mouerentur, pater neque oculos aliò auertit, neque vllũ miſericordiæ ſignũ dedit, quoad ſecuri percuſſi ſunt. Hoc factũ neque laudare neque vituperare promptũ eſt. Aut enim virtutis altitudo perturbationes omnes in eius animo oppreſſit, aut calamitatis magnitudo ei ſtuporem attulit. Neutrũ verò exiguum eſt, aut humanum: ſed aut diuinitatis, aut belluinæ immanitatis. His interfectis, à Bruto poſtulatum eſt, vt de cæteris quoque pronũciaret. Ad quę ille: Liberis, inquit, meis idoneus fui iudex: de cæteris verò, ciuib. iam liberis ſuffragia ferenda permitto. Sentẽtiis latis, omnes ſecuri ſunt percuſſi, atque inter alios cognati aliquot Collatini: ob quos cum iraſceretur, populi à Bruto concitati manib. penè diſcerptus eſſet. Magiſtratus tamen ei eſt abrogatus, P. Valerio ſucceſſore dato: cui à cultu & obſeruantia populi, Publicolæ cognomentum fuit. Tarquinius deſperata per proditionem regni recuperatione, ad Tyrrhenos ſe contulit

*Tarquiniorum exulũ, & Romanorum bella.*

A quibus cum magnis copiis reduceretur, conſules in aciẽ Romanos eduxerunt. Ac pugnæ principio Aruns Tarquinij filius, & Brutus Cos. Romanus, adeò infeſtis animis inter ſe concurrerunt, vt neuter, dum hoſtẽ vulneraret, ſui protegendi corporis memor, vterque ictu contrario trãsfigeretur. Acri orto prelio, & multis vtrinque cęſis, incerta victoria fuit. Sub noctem concuſſo luco, iuxta quem caſtra erant poſita, ingens vox edita eſt, quæ diceret, vno plus Hetruſcorum cecidiſſe in acie, vincere bello Romanum. Vnáque cum ea voce Romani magno & confidenti clamore ſublato, terrorem incuſſerunt Tyrrhenis, vt per tumultum caſtra defererent, quæ à Romanis capta & direpta ſunt. Numeratis interfectorum cadaueribus, Tyrrhenorum x i millia c c c ſunt reperta, Romanorũ vno minus totidẽ. Valerius Publicola primus in conſulatu triumphauit. Tarquinius poſt magnam illã pugnã, in qua filiũ quoque amiſerat, à Bruto interfectũ, Cluſiũ ſupplex confugit ad Lartem Porſenam, Italicorũ regũ potentiſſimum: qui auxiliis promiſſis, cum primùm per legatos à Romanis, vt Tarquinium reciperent, non impetraſſet, cum magno venit exercitu.

*Porſenæ obſidio Romæ.*

Valerius Publicola denuò conſul creatus, vulneribus acceptis, lectica ex pugna elatus eſt. Porſena vrbem premente, Romanos annonæ penuria afflixit: ſed caſu quodam, ac potius diuino conſilio factũ eſt, vt Porſena bellum omitteret. Nam quidam Mutius Cordus, cùm omni virtute præſtans, tum militari fortitudine præſtãtiſſimus, cognomẽto Scæuola, Tyrrheno habitu, ſermonem etiam Tyrrhenorum imitans, hoſtiũ caſtra ingreſſus, cum Porſenam non ſatis noſſet, nec rogare auderet, ſcribam cum rege ſedẽtem pari ornatu, ſtricto enſe interfecit. Comprehenſus, cum interrogaretur, dextra accẽſo ad ſacrificium foculo iniecta, interim dum caro vritur, intrepido vultu Porſenã intuens aſtitit (vnde à clade manus, id ei cognomentũ eſt inditum) donec eum rex, propè attonitus miraculo, dimiſit. Tum verò hoſtem alio modo fefellit, his verbis: Victo tui metu, virtuti tuæ ſuccubui: ac beneficio à me feres, quod minis nequiuiſſes. c c c Romani, iiſdẽ præditi animis, in caſtris tuis ver-



ſantur: mea prima ſors fuit. Neque fortunæ ſuccẽſeo, quòd à bono viro aberrarim, digniore qui Romanorũ ſit amicus, quã hoſtis. Ex eo Porſena propẽſior ad pacis cõditiones euaſit. Publicola verò tum tertiùm cõſul, Tarquinium ſubinde ad ius vocauit: vt eius improbitate declarata, vel Porſena iudice, iuſtiſſimo exilio mulctatus exiſtimaretur. Sed cum Tarquinius reſpondiſſet, ſe Porſenã nõ admittere arbitrum, ſi belli ſocius eſſe deſineret: Porſena cauſa eius improbata, bellum depoſuit. Tarquinij verò pòſt etiã auxiliis finitimarũ gentiũ, regnũ ſæpe recuperare conati omnes in præliis occubuerunt: præter ſenem, qui Superbus dicebatur. ſed & ille tandem Cumis apud Opicos periit. Ac Tarquiniorum res eò denique redierunt. Illis autem pulſis, Romani conſules, vt dictum eſt, creauerunt: ex quorum numero P. Valerius, quartùm fuit conſul, cognomento Publicola.

*P. Valerij Publicolæ res geſtæ.*

Qui cum ſine collega magiſtratum gereret, Romani offenſi, eum non Bruti conſulatus hæredem, ſed tyrannidis Tarquinij ſucceſſorem extitiſſe, qui cum omnibus faſcibus & ſecuribus, ex ædibus tantis támque ſplendidis prodiret, dixerunt: Etenim domum ſumptuoſiorem habebat, foro propinquam. Quo Publicola cognito, plurimis opificibus accerſitis, ædes noctu deſtruxit atque euertit: vt Romani manè id vidẽtes, ſimul & magnitudinem animi eius mirarentur, & tantã támque præclaram domum euerſam eſſe dolerent. Secures quoque à faſcibus remouit: & faſces ipſos, cum in concionem prodibat, populo ſubmiſit. Pecuniæ item tractationem aliis mandauit, ne conſulum per eam potentia augeretur, tum primùm quæſtoribus deſignatis. Ij principiò cauſarum capitalium cognitioni præfuere, ab inquiſitione veritatis Quæſtores appellati: pòſt etiam ærario ſunt præfecti, iudiciis aliorum curæ commiſſis. Collegam ſibi aſciuit, Lucretiæ patrem Lucretium. Quo breui mortuo, M. Horatius in illius locum ſuffectus, reliquum temporis Cos. fuit. Publicola rurſus Cos. factus, collegam habuit T. Lucretium. Deinde cum Sabini in agrum Romanum duxiſſent exercitum, Cos. deſignatus eſt M. Valerius, Publicolæ frater, & Poſthumius * Tubertus. Sed cum res bellicæ conſilio & præſentia Publicolæ adminiſtrarentur, Marcus duobus præliis victor, in poſteriore x i i i millibus hoſtiũ cæſis, nullum ciuem amiſit. Sequente anno, denuò conſule Publicola, concors Sabinorum & Latinorum aduerſus Romam expeditio expectabatur. Erat autem in Sabinis Appius Claudius, vir & opibus & robore corporis præſtans, ſed opinione virtutis & eloquentia in primis clarus.

*Appij Claudij transfugium.*

Quas ob res inuidia popularium ſuſcepta, cum ob diſſuaſum bellum inſidiis appeteretur, magna amicorum & clientium comitatus manu, Romam transfugit. Quibus à Publicola benignè ſuſceptis, Appius inter patres lectus, haud ita multò pòſt prudentia gerendæ Reipubl. in principum dignitatem peruenit, ac gentem Claudiam reliquit, quæ tempore longiſſimo floruit, ſummam adepta autoritatẽ. Sabini verò eam quoque belli cauſam nacti, cum magno exercitu Romam inuaſerunt: quos Publicola, optimi ducis officiis functus, penè omnes interfecit: populóque ſpoliis hoſtium & captiuis locupletato, triumphum duxit: traditáque Reipub. adminiſtratione Coss. ſucceſſoribus, ſtatim obiit, publicis ſumptibus elatus, annuo matronarum luctu. Cæterùm Sabini ex dolore acceptæ cladis, ne hyberno quidem tempore quieuerunt: ſed incurſione in Romanum agrum facta, Poſthumium, itèrum conſulem, afflixerunt: eúmque cum exercitu cæpiſſent, niſi Menenius Agrippa collega ei auxilio veniſſet. Tum verò vterque conſul, facto in hoſtes impetu, multos occidit, reliquos profligauit. Poſt hæc Sp. Caſſius & Opitor Virginius Coss. pacem cum Sabinis fecerunt: & Camerino capto, pleroſque occiderunt: reliqui, oppido euerſo, vænierunt. Poſthumius Cominius & T. Largius aliquot ſeruos, qui de occupando Capitolio coniurarant, occiderunt: quemadmodum Seruius Sulpitius & M. Tullius pòſt, aliã quoque coniurationẽ ſeruorũ oppreſſerũt, à cõſciis quibuſdã indicatã, & coniuratos corona circũdatos trucidarunt. Indicibus cùm alia præmia, tum ciuitas data. A Latinis iterũ bello moto, plebs arma capere noluit, nouas tabulas flagitans. Quapropter locupletiores nouum magiſtratus genus crearunt, pari in omnes autoritate, potentia regia præditum, quẽ Dictatorem vocarunt.

*Dictatura.*

Nam cũ regis cognomentum propter Tarquinios odiſſent, ac monarchiæ vtilitates magna vi ad bella & ſeditionum tumultus præditæ expeterent: verbo reiecto, rem ipſam ſub alio nomine ſunt amplexi. Fuit igitur, vt dixi, dictatura poteſtate regno par: præterquã quòd ei equũ cõſcendere nõ licebat, niſi ad bellũ ituro, neque vllos ex ærario ſumptus facere ſine decreto: ſed ius dicere, & capite plectere domi & militiæ, non plebeios duntaxat, ſed & equeſtris & ſenatorij ordinis licuit, nemine eum vel accuſare, vel intercedere audẽte, ac ne ipſis quidem Tribunis plebis: neque ab eo prouocatio fuit. Dictatura tamen vltra v i mẽſes nõ extẽdebatur: vt ne quis in tanta poteſtate & autoritate maxima diutius immoratus, per ſuperbiam in monarchiæ cupiditatẽ delaberetur: id quod pòſt Iulio Cæſari accidit, dictaturã contra morẽ maiorum conſecuto.

*Seditio nexorum ob æs alienum.*

Tunc igitur Largio dictatore creato, populus nouarum rerum ſtudio repudiato, in armis fuit. Sed Latino bello pactionibus ſopito, cum creditores nomina ſua violẽtius tractarent, tanta plebis orta eſt indignatio, vt in curiã concurſus fieret: ac in eo tumultu patres occiſi eſſent, niſi quidam nunciaſſent, Volſcos infeſto exercitu ad vrbem oppugnandam venire. Ad eum nuncium plebs quieuit, non reuerentia ſenatus, ſed expectatione, vt is ſtatim ab hoſtib. interiret. Quare neque mœnia cuſtodierunt, neque opis quicquã attulerunt, donec Seruilius ob æs alienũ nexos ſoluit: & ne debitor quiſquã expeditionis tẽpore appellaretur, edixit, ſéque leuaturum æs alienum promiſit. Tum igitur his promiſſis excitati, hoſtes vicerunt. Sed cũ deinde nec ære alieno leuarentur, nec vlla æquitate tractarentur, rurſus ab iratis tumultuatum, & contra ſenatum & duces mota ſeditio. Verùm denuò exorto bello, duces nouas tabulas decreuerunt: ſed aliis aduerſantibus, M. Valerius Publicolæ gentilis, homo apud

pleбem gratioſus, dictator eſt creatus. Ac tantus ad eum, & tam alacer ſtipendio promiſſo cõcurſus factus, vt & Sabinos vinceret, & Volſcos Æquóſque illorum fœderatos. Ob id ei cùm alios honores, tum Maximi cognomentum decreuerunt. Qui cum multa in ſenatu in populi gratiam diſſeruiſſet, neque quicquam impetraſſet, iratus è curia ſe proripuit: & cum apud plebem in concione ſenatum nonnihil perſtrinxiſſet, dictatura ſe abdicauit. Plebs verò magis ad ſeditionem irritata eſt. Nam creditores in ære alieno repetendo ſummum ius vrgentes, neque vlla æquitate cõtra debitores vtentes, nec id quod debebatur exegerunt, & in alia plura incõmoda inciderunt. Inopia enim, atque inde orta deſperatio, malum eſt admodũ violentum, & ſi multitudinem ſibi aſciuerit, penè inexpugnabile. Tum igitur locupletũ erga pauperes ſeueritas, plurimorum malorum Romanis cauſa fuit. Vt enim milites expeditionibus premebantur, & in multis ſæpius euidẽter decepti fuerant, & debitores à fœneratoribus & contumelias & flagra perpetiebantur: tanta iracundia exarſerunt, vt inopum multi vrbe excederent, & caſtra deſererent, & ex agro Romano hoſtium inſtar commeatus peterent. Quo facto, cum multi ad eos qui ſeceſſionem fecerant confluerent. ſenatores veriti, ne & hi magis exaſperarentur, & ciuitatẽ factionibus diſtractam finitimi inuaderẽt, per oratores blebi polliciti ſunt, ſe facturos quicquid ipſa vellet. Ea verò maximè fremente, & nullas rationes admittente, Menenius Agrippa vnus ex oratoribus, petiit, vt fabulam audirent. & audientia impetrata, dixit: Orta aliquando contra ventrem cæterorum membrorum ſeditione, dixiſſe oculos, manus & pedes ſua opera in officio eſſe: linguam & labia, per ſe animorum ſenſus annũciari: aures, ſuo miniſterio aliorum ſermones ad mentem peruenire: manus, ſuo labore parari res neceſſarias: pedes, totum corpus à ſe ſuſtentari, ſẽque ſiue iter, ſiue opus fiat, ſiue ſtetur, fatigari. Ventrẽ verò ſolum omnis muneris & laboris expertẽ, miniſteriis omnium tanquam regem vti, & ſudoribus illorum partis frui facultatibus. Ventrem hæc ita ſe habere confeſſum: ſi videretur, nihil ſibi tribui, nihil miniſtrari iuſſiſſe. Membra communiter decreuiſſe, ne quid deinceps vẽtri ſuppeditaretur. Qui cum nullum cibum acciperet, neque manus ad opus fuiſſe agiles, ob vẽtris inediam defectas viribus: neque pedes valuiſſe, neque vllũ aliud mẽbrum ſuum munus citra offenſam obiiſſe, ſed omnia fuiſſe ignaua, ægra, aut penitus immobilia. Tum verò intellectum eſſe, ea quæ ventri præberentur, non magis ipſi quàm omnibus mẽbris ſuppeditari, ac ea ſingula fructum inde ſuũ percipere. Ex eo ſermone multitudo intellexit, locupletum facultates etiam pauperibus eſſe vtiles. Quòd ſi illi ſuas opes ex mutuis pecuniis augeant, id tamẽ in populi detrimentum non cedere. Nam ſi nihil haberẽt locupletes, neque pauperes neceſſariis temporibus habituros, vnde mutuentur, atque vrgente neceſſitate perituros. Hac oratione mitigati, decreta à Senatu leuatione debitorum, & nexorum ob æs alienũ ſolutione, in gratiã cum patribus redierunt. Cæterùm veriti, ne illo cœtu diſſipato, vel pactis non ſtaretur, vel ſi digreſſi eſſent, alius alio nomine cõprehenſi plecterentur: pepigerũt, ſi cui fieret iniuria, mutuò laturos eſſe opem. Eóque pacto iureiurando firmato, ſtatim duos patronos ſui ordinis elegerunt: deinde auxerunt numerum, vt ſingulæ claſſes ſuos patronos haberent ac vindices. Neque hoc ſemel fecerunt: ſed ab eo tẽpore facto initio, res ita proceſſit, vt quotannis eos patronos tãquam magiſtratus deligerẽt, qui Tribuni plebeij, diſcriminis cauſa nominantur: quòd ij etiam in re militari Tribuni dicuntur, qui imperium in mille viros obtinent. Ij Tribuni plebis magnas in Rep. turbas concitarunt: qui cũ magiſtratuũ nomen nõ ſtatim haberent, potentia cæteros omnes ſuperabant, quemuis ſupplicem defendebant, quemuis à quo implorati eſſent aſſerebant, non contra priuatos duntaxat, ſed etiam aduerſus ipſos magiſtratus, Dictatoribus tantum exceptis. Quòd ſi quis eos vel abſentes appellaſſet, is quoque ab eo, à quo comprehenſus fuerat, liberatus, vel in concionẽ ab eis adducebatur, vel etiam abſoluebatur. Ad hæc, ſi quod eis decretũ ſiue à priuato, ſiue à magiſtratu, ſiue à plebe factum, diſplicebat, intercedebant. Quòd ſi Senatus aliquid vel agere, vel decernere inſtituiſſet, atquẽ vnus Tribunuspl. interceſſiſſet, irritum erat id decretum, actione ſuperſedebatur. Progreſſu temporis illa etiam, vt & Senatum conuocarent, dicto non audientes punirent, & aruſpices conſulerent, aut conceſſa eis ſunt, aut ab ipſis vſurpata. Nam multa, quæ eis non licebant, aduerſationibus illis inuictis contra omnia quæ agerentur, obtinuerunt. Etenim leges rogabant, quibus is, ſiue priuatus, ſiue magiſtratus, à quo dicto factóue offenſi eſſent, ſacer eſſet, ac piaculo obſtrinctus.* Sacrum autẽ eſſe, idem erat quod periiſſe. Sic enim omnia quæ inſtar victimæ ad cædem deſtinata ſunt, appellantur. Ipſos etiam Tribunospl. ſacroſanctos dixit plebs, tanquam ſacra mœnia eorum à quibus implorentur. Proinde multa ſunt ab eis abſurdè facta: vt Conſules in carcerem ducti, vt quidam indicta cauſa occiſi. Neq; eis aduerſari quiſquã audebat: alioqui & ipſe ſacer erat. Si qui tamen non ab omnibus Tribunis damnarentur, opẽ diſſentientium implorabãt: itáque cauſam dicere ſiue apud eos ipſos, ſiue apud alios iudices, ſiue apud populum licebat, plurium ſuffragiis vel condẽnandis vel abſoluendis. Tribunorũ numerus tandem ad denos vſque auctus eſt: vnde vires eorum multũ ſunt imminutæ. Nam collegarũ in magiſtratibus cùm natura quodammodo, tum magis ex inuidia ſocietas infida eſt: nec temerè fit, vt multi, præſertim potentes, conſentiãt. Eò accedebat, ꝙ alij vim eorum eneruare ſtudẽtes, motus excitabãt, vt diſſidentiũ robur infringeretur, aliis ad alios ſe cõferentibus. Vno tamen eorum intercedẽte, cæterorum ſentẽtiæ reddebãtur irritæ. Principiò Curiam nõ ingrediebãtur: ſed in aditu ſedentes, quid fieret obſeruabant. ac ſi quid diſplicebat, eueſtigiò refragabantur. Pòſt intrò vocati ſunt & ad ſenatoriã quoque dignitatem admiſſi. Denique ex ſenatoribus quidã tribunatum expetiuerunt, modò ne Patricij eſſent. Plebs enim Patricios non admittebat: contra quos cũ Tribuni creati eſſent, & ad tantã prouecti poteſtatẽ, verebantur, ne quis ea poteſtate in ipſam plebem abuteretur. Si quis autem eierata familię dignitate ad plebeios trãſibat, benignè admittebatur. Itaque multi ex nobiliſsimis, magnæ potẽtiæ cupiditate, nobilitate repudiata, tribunatum geſſerunt. Ac tribunorum poteſtas hunc ortũ habuit: quibus duo ædiles ſunt adiũcti, quorum miniſteriis ad literas vterentur. Qui cum omnia decreta, omnia plebiſcita & ſenatuſconſulta acciperent atque aſſeruarẽt, nihil eos eorũ omnium quæ agebantur latebat. Olim igitur his de cauſis, dicundíque iuris ergò creabatur. Pòſt autem cùm alia, tum rerum venaliũ forum eis commiſſum: vnde à Græcis Agoranomi appellantur. Prima Romanorum ſeditione ad hunc modũ ſedata, finitimorum, quorum multi ob eam ſeceſſionem contra eos cõcitati erant, poſt reditum in gratiam, multa grauia bella ſuſtinuerũt, victis omnibus. Sed cum Coriolos obſiderent, parum abfuit, quin caſtris exuerentur, niſi virtus Cn. Martii, viri patricij, profligatis hoſtibus, obſtitiſſet: qui cùm aliis honoribus eſt affectus, tum Coriolani cognomentum, à deuicto à ſe populo conſecutus. Ac tum ita in altũ eſt euectus: non multò autem pòſt, cum ei petẽti prætura negata, iratus populo, tribunitiam poteſtatẽ inſectatus, & abrogare conatus eſſet, à Tribunis-plebis, quibuſdam criminibus confictis, & affectati regni calumnia inſtructa, in exilium actus eſt. Exul ſtatim ad Volſcos ſe contulit: quorum principes & magiſtratus, aduentu illius læti, Actii Tullii impulſu rurſus ad bellum ſe parabãt. Quod cum populo minimè placeret, qui à potentibus neq; admonẽdo, neque terrẽdo ad arma ſumẽda commoueri poſſet, hac arte ſunt vſi. Cum ludis Circenſibus, cùm alii ex finitimis, tum magna Volſcorum multitudo Romam ad ſpectaculũ conueniſſet, Tullius per beneuolentię ſpeciem Romanorum magiſtratibus perſuaſit, Volſcos cauendos eſſe, paratos ad impetum in eos in Circo faciendum. Magiſtratus eo indicio etiam cum aliis communicato, Volſcos ante ludos ſtatim ciuitate excedere pręconio iuſſerunt. Hi verò grauiter ferentes, ſe ſolos ex omnibus eſſe pulſos, ad bellum iritati, imperatorib. lectis Coriolano & Tullio, ac Latinorum auxiliis aſcitis, maiore numero contra Romanos ſunt profecti. Quo illi audito, non ſtatim arma corripuerunt, ſed inter ſe criminibus certarunt. Plebeii cum patriciis, quòd ex eo ordine Coriolanus cum hoſtibus patriam oppugnatum iret: illi cum plebe, quòd eũdem iniquo exilio mulctatum, hoſtem reddidiſſent. Ea contentio in magnum malũ euaſiſſet, niſi matronæ tuliſſent opem. Nam cum Senatus Coriolano reditum decreuiſſet, ac legatos ad eum propterea miſiſſet: & ille, vt agri ſuperioribus bellis adempti Volſcis redderentur, poſtulaſſet: multitudine de agris non aſſenſa, rurſus alia legatio mittitur. Quam ille iracundè tulit, quòd qui de ſuis agris periclitarentur, ne ſic quidem cederent alienis. Quibus nunciatis, cum plebs nihil moueretur, neque vel periculis admonita, à ſeditione recederent viri: matronæ, Coriolani vxor Volumnia, & mater Veturia, clariſſimis quibuſque mulieribus aſſumptis, in caſtra hoſtiũ ſunt profectæ, liberis etiam Coriolani adductis. Cęteris autem tacitè plorantibus, Veturia: Non transfugimus, inquit, fili: ſed nos patria miſit. Si parueris, matrem, vxorem, & liberos: ſin minus, prædam. Quòd ſi tua nõdum deſæuiit iracundia, nos primas occidito. Reconciliare omiſſa ira ciuibus, amicis, ſacris monumentis. Noli excindere patriam, in qua natus es, & educatus, & magnum illud Coriolani cognomẽtum adeptus. Ne me voti impotem dimiſeris, ne meis manib. interfectam me videas. His dictis eiulans, & mãmis oſtenſis, & ventre attractato: Hic te genuit, inquit, hæ te lactauerunt. Deinde ab vxore & liberis eius, cæteriſq; mulieribus fletu orto, ille quoque ad luctum commotus, & vis ſibi redditus, matrem amplectitur, & inter oſcula: En tibi, inquit, mater pareo. Tu enim me vincis: tibi gratiam iſtam debebunt omnes. Ego verò ab eorum etiam conſpectu abhorreo, qui pro tantis beneficiis talem mihi gratiam retulerunt. Verùm tu meo loco patriam teneto, quando ita voluiſti: ego recedam. Hæc locutus, repudiato in patriam reditu, in Volſcos receſsit, ibíque ſenex obiit. Tribunis-plebis agrum hoſtibus ademptũ, populo diuidi poſtulantibus, Romani & inter ſeſe, & ab hoſtibus multa detrimenta cæperunt. Nam diuites cum plebem aliter continere non poſſent, bella ex bellis de induſtria ſeuerunt: vt iis occupati, legis agrariæ obliuiſcentur. Quo conſilio tandem à nonnullis animaduerſo, non paſsi ſunt vtrumque conſulem à potentibus deſignari: ſed & ipſi alterum ex patriciis eligere voluerunt. Eo impetrato. Sp. Furium elegerunt: quo duce omnia quæ aggreſsi ſunt, ſedulò confecerunt. Sed qui cum eius collega Cæſone Fabio exierant, adeò ſe viros fortes non præbuerunt, vt caſtris relictis in vrbem reuerſi, tumultum excitarint: donec Tyrrheni ea re cognita, illos inuaſerunt: ac ne tum quidem prius ſunt egreſsi, quàm Tribuni quidam patriciis aſſenſi eſſent. Tum verò ſtrenuè pugnarunt: ac multis hoſtibus cæſis, ipſorum quoque non pauci ciderunt. Cecidit etiam alter conſul * Manlius. Plebs Manlium tertiûm conſulem creauit. Orto rurſus à Tyrrhenis bello, Fabii Romanis quomodo reſiſti poſſet hoſtibus, ſollicitis, opem tulerunt. Qui VI & CCC numero, quia populum anxium, nihil quod in rem eſſet deliberantem, ac deſperantem omnia videbant, Tyrrhenum bellum ſuis & corporibus & ſumptibus gerendum ſibi depopoſcerunt: & opportuno loco præſidium communierunt, vnde infeſta hoſtium omnia fecerunt, Tyrrhenis acie decernere aut non audentibus, aut ſi auſi eſſent, turpiter profligatis. Sed ſociis aſcitis, & inſidiis in ſaltu quodam collocatis, Fabios ob crebras victorias incautos circumuenerunt, & occiderunt omnes. Ac eorum familia internecione periiſſet, niſi vnus ob teneriorem ætatem domi relictus fuiſſet: à quo inſtaurata, deinceps quoque floruit. Cum hæc clades accepta eſſet, Romani à Tyrrhenis grauiter vexati, pace cum hoſtibus facta, in ſemetipſos conuerſi, mutuis ſe cladibus affecerunt: nec ipſis conſulibus multitudo abſtinuit. Nam & miniſtros eorum verberarunt, & faſces confregerunt, & ipſos Coss. per quamuis cauſam, ſiue

*Plebis ſeceſſio in ſacrũ montem.*

*Menenij Agrippæ apologus.*

*Tribunorũ plebis creatio.*

** Extat etiã prouerbium inter ſacrum & ſaxum.*

*Omniſque poteſtas Impatiens conſortis erit.*

*Cn. Martius Coriolanus.*

*Actii Tullii dolus in concitandis ad bellum Volſcis.*

*Legis agrariæ turba.*

*CCC & VI Fabiorum interitus.*

*Seditio contra conſules.*

magna ea, ſiue parua eſſet, reos fecerunt. Appium Claudium in ipſo etiam magiſtratu in carcerem ducere voluerunt: quòd is populi in omnibus aduerſator, legiones ſuas decimarat, quòd Volſcis in prælio ceſſiſſent. Decimatio verò huiuſmodi fuit. Cum milites grauiter deliquerant, Imperator omnibus in decurias diſtributis, decimum quemque cui ſors obuenerat, occidebat. Appio, depoſito magiſtratu, plebeij ſtatim diem dixerunt; nec damnarunt tamen: ſed die producta, in eam neceſsitatem adegerunt, vt ipſe ſibi manus afferret. Ad hęc quidam Tribuni plebis cùm alia contra patres ſcripſerunt, tum illud, vt populo per ſe inire concilium, & abſque illis deliberare liceret, & ſuo arbitratu decernere omnia. Quòd ſi quis ob crimen aliquod à Coss. mulctetur, ei prouocationem eſſe ad populum, Ædiliúmque & Tribunorum poteſtatem ampliarunt, vt quamplurimos patronos haberent. Quæ cum agerentur, Patricij apertè non niſi in paucis aduerſabantur, clam verò multos ex audaciſsimis tollebant. Sed nec id cæteros cohercebat: nec illud, quòd ſemel nouem Tribuni à plebe cremati ſunt. Quorum exemplo inſecuti Tribuni, adeò non facti ſunt moderatiores, vt magis etiam ſæuierint.*Eò populus à patribus eſt redactus. Nam bellis exortis militare noluerunt, niſi optatis eorum ſatisfieret: aut egreſsi pugnarunt ſegniter, niſi quæ voluiſſent, omnia impetraſſent. Vnde multi ex finitimis, non tam ſuis freti viribus, quàm illorum diſſenſionibus, bella mouerunt. Quorum è numero Æqui, M. Minutio Conſule victo, animos ſuſtulerunt. Qua clade cognita, Romani

*L. Quintius Cincinnatus Dictator Æquos ſub iugum mittit.*

L. Quintium, pauperem illum quidē, & agriculturæ deditum, ſed virtute & temperantia præſtantem, Dictatorem dixerunt: qui ob comam in cincinnos implexam, Cincinnatus eſt appellatus: cuiuſmodi nunc multi in regia verſantur. eoque malo in Remp. inuecto, cincinnatos vbique videre licet. Is igitur Dictator creatus, eodem die ducto exercitu, celeritate citra temeritatem vſus, vnà cum Minutio impetu in Æquos facto, plurimos occidit: cęteros viuos cæpit, ac ſub iugum miſſos dimiſit: quæ res huiuſmodi erat. Duo recta ligna terra defigebantur, quibus vnum obliquum ſupernè imponebatur. per hęc media captiui nudi traducebantur. quod victoribus magnæ gloriæ, victis tanto dedecori erat, vt quidam ei ignominiæ mortē anteferrēt. Coruino vrbe capta, & Minutio ob cladem conſulatu abrogato, domum rediit, atque ipſe etiam ſe magiſtratu abdicauit. Deinde Romani domeſtico bello ſunt conflictati, à ſeruis & exulibus conflato: qui noctu ſubita impreſsione Capitoliū occuparūt. ſed plebs tū quoq; non prius arma cæpit, quàm patriciis aliquid detraxiſſet. ac ſeditioſos oppreſſerunt: ſed multos ſuorum amiſerunt. His igitur de cauſis Romani & prodigiis quibuſdam impulſi, omiſsis mutuis criminationibus, Rempub. æquabiliorem efficere decreuerunt. Ac tres viros in Græciam, ad illorum leges & inſtituta cognoſcenda, ablegarunt: quibus allatis, tribunatum & alios quoſdam magiſtratus abrogarunt, eorumque loco viros VIII principes delegerunt: illoque anno Appiū Claudium & Titum Genutium prætores cum ſummo imperio crearunt, data poteſtate condendi leges, cum appendice, ne ab eis prouocatio eſſet. id quod prius non niſi Dictatoribus conceſſum fuit. Hi per vices imperarunt, ſinguli in dies ſingulos magiſtratus inſignibus ornati. Et leges à ſe conſcriptas in foro propoſuerūt: quas cum omnibus probaſſent, ad populum tulerunt, ſancitaque in x tabulas retulerunt. Quæ enim digna cuſtodia iudicabant, in tabellis aſſeruabant. Ac illi anno exacto, magiſtratu abierunt. quibus alii x cum ſucceſsiſſent, ita ſe geſſerunt, quaſi euertendæ Reipub. cauſa delecti eſſent. Omnes enim ſimul ex æquo imperabant: aſcitíſque nobilium adoleſcētum audaciſsimis, per vim multa egerunt. Serò tandem, ſub anni ferè finem, pauca quędam in duabus tabulis ſuapte autoritate aſcripſerunt, non ad concordiam, ſed ad maiores diſſenſiones pertinentia. Duodecim igitur tabulæ ſic confectæ ſunt. Decemuiri autem non hæc tantum egerunt: ſed & tempore magiſtratus eorum elapſo, adhuc in rebus gerēdis ſunt verſati, Repub. vi oppreſſa, neque ſenatu, neque populo cōuocato, ne ſucceſſores ſibi darentur. Quum autem Æqui & Sabini Romanis arma inferrent, per idoneos homines effecerunt, vt ſibi belli adminiſtratio mandaretur. Itaque ex decemuiris Seruius Oppius & Appius Claudius ſuum priſtinum locum retinuerunt: cæteri octo contra hoſtes ſunt profecti. Ita factum, vt cum & in vrbe & in caſtris turbarentur omnia, denuò ſeditio oriretur. Nam cum prætores in Sabinorum agrum impreſsionē feciſſent, L. Sicium rei bellicę peritiſsimum, & præcipuæ apud plebem autoritatis virum, cum aliis ad occupandum caſtellum quoddam miſſum, per comites eius peremerunt. Rumore in caſtris ſparſo, eum vnà cum aliis ab hoſtibus cæſum eſſe: milites ad cadauera tollenda profecti, cum nullum hoſtile corpus, ſed ciuium complura vndique circa Siccium iacentia, & ad eum conuerſa viderent, quos ſe defendendo occiderat: ſuſpicati, quid actum eſſet, & tumultuati ſunt. Huc aliud facinus acceſsit. Lucius Virginius homo plebeius, virginem formoſiſsimam L. Icilio eiuſdem ordinis viro deſpōderat: quam cum Claudius deperiret, nec tamen ea potiri poſſet, quibuſdam negocium dedit virginis in ſeruitutem aſſerendæ. Quam cum pater è caſtris reuerſus defenderet, Claudius autem accuſatoribus, nemine opitulante, addiceret: pater dolore commotus, filia cultro interfecta, ſtatim ad milites properat: quos nec antè bene affectos ſic perturbauit, vt mox in vrbem contra Claudium accurrerent. Alii quoque qui cum Latinis pugnabant, ea re cognita, vallo deſerto congreſsi cum reliquis, viris XX, ſumma rerum mandata, nihil modicum cogitarunt. Acceſsit etiam vrbana multitudo, ac tumultum auxit. Interea Claudius præ metu ſe abſcondit. Oppius verò coacto ſenatu, per internuncios multitudinem percontatur, quid ſibi velit. Quæ cum L. Valerium & M. Horatium ſenatorij ordinis, ſed homines populares, ad ſe mitti poſtularet, per quos reſponſum datura eſſet, iique miſsi non eſſent: veritis decemuiris,

*Decimuiratus inſtituitur.*

*Duodecim tabulæ.*

*Decemuiratus ob L. Siccii & Virginiæ cædem abrogatur.*



ne contra ſe duces crearentur (iam enim omnes aderant) maior indignatio populi eſt exorta. Qua territus ſenatus, vel inuitis decemuiris, Valerium & Horatium ablegauit: compoſitáque controuerſia, tumultus autoribus data eſt impunitas, decemuiratu abrogato. Annui verò magiſtratus cùm alij, tum Tribunorum, iiſdem conditionibus, quibus prius ſteterant, ſunt reuocati. Lecti cum alij, tum Virginius, Oppium & Claudium in carcerem compegerunt: qui antequam cauſam dicerent, ſibi ipſi manus attullerunt. Reliquos accuſatos & damnatos in exilium eiecerunt. Conſules verò (quibus tum primùm id nomen factum eſſe fertur, cum antè Prætores vocarentur) Valerius & Horatius, & tum & deinceps multitudini addicti, plebeiorum opes magis quàm patrum firmarunt. Itaque patres imminuta autoritate neque facilè conueniebant, neq; vllarum rerum poteſtatem prorſus ſibi vendicabant. Quin Tribunis etiam in conuentibus, auſpiciis vtendi facultatem per honoris ſpeciē conceſſerunt (id enim munus ab antiquiſſimis temporibus ad ſolos patricios pertinebat) cum reuera id agerent, ne Tribuni & multitudo quiduis temerè agerent, ſed per cauſam auſpiciorum aliquando impedirentur. Patricij & ſenatus irati Conſulibus, vt populi fautoribus, nec triumphū decreuerunt, quamuis vterque hoſtes viciſſet, & neutri diem de more aſſignarunt: ſed multitudo & biduum ferias celebrauit, & triumphum illis decreuit. Ea diſcordia freti hoſtes, receptis animis Romanos inuaſerunt. Anno ſequente, Marco Genutio & C. Curtio Coss. contentiones redintegratæ ſunt. Nam plebeiis conſulatum expetentibus, quòd patricij ad plebē tranſeuntes tribunatum gererent: patriciis verò acriter defendentibus, multa violenter inuicē & dicta & facta ſunt. Ne quid verò deterius ſequeretur, locupletes magiſtratum ipſum plebi conceſſerunt, ſed nomen non communicarunt: dixerúntque Tribunos militares pro Coss, ne honoratum vocabulum à promiſcua turba inquinaretur. Placuit igitur ternos ab vtraq; factione tribunos deligi, duorum Coss. loco. neque tamen horum nomē penitus defecit, cum aliàs Coss. aliàs Tribuni crearentur. Atque hæc ita eſſe acta traditum eſt. Dictatores autem non ſoli Conſules (quamuis eorum autoritas, illorum magiſtratu multo minor eſſet) ſed Tribuni etiam aliquando deſignarunt. Fertur tamen nullus vnquam Tribunus triumphaſſe, quamuis multi ſæpe hoſtes viciſſent. Ac Tribuni tum hoc modo creati ſunt. Cenſores verò anno ſequente, Barbato & M. Macrino Coss. deſignati ſunt. L. Papyrius, & L. Sempronius. Eorum creandi cauſa fuit, quòd Coss. ob multitudinem omnia negocia exequi non poterant. Nam iura Cenſoribus attributa ad id vſque tēpus tenuerant. Ac principiò bini fuere Cenſores patricij, qui initiò & poſtremo ad quinquennium imperarunt: interiecto vero tēpore, menſes XVIII. ipſiſque Coss. quamuis parte duntaxat poteſtatis eorum accepta, ſuperiores euaſerunt. Muneris eorum fuit, publica vectigalia elòcare, vias & publica ædificia curare, cuiuſque facultates deſcribere, mores ciuium obſeruare & explorare: ac laude dignos, in tribus, in ordinem equeſtrem, in ſenatum referre, pro cuiuſque meritis: improbæ vitæ homines eodem modo ex albo delere. id quod maius erat iis omnibus, quę Conſulibus relinquebantur. Dabant autem in vno quoque iuſiurandum, ſe nec gratia, nec odio quicquam acturos: ſed ſincero animo, ea quæ è Repub. eſſent, & deliberaturos, & acturos. Populum item ad rogandas leges, aliáque munia conuocabant: & maiorum magiſtratuum ornamentis, lictoribus exceptis, vtebantur. Ac tale Cenſorum munus fuit. Qui vero, cum cenſus agebatur, ſua nomina & facultates profeſſi non non erant, eorum facultates à Cenſoribus, ipſi à Conſulibus vendebantur. Et hæc ad tempus aliquod ſic acta ſunt. Poſt conſtitutum eſt, vt qui ſemel in ſenatum lectus eſſet, per omnem ætatē in eo maneret: neq; deleretur ex albo, niſi ob facinus ignominioſo iudicio condemnatus eſſet, aut improbæ vitę conuictus. Talibus enim in ordinem coactis alios in eorum locum ſubſtituebant. In magiſtratibus temporum cauſa inſtitutis, principem obtinebant locum Dictatores, proximum Cenſores, tertium magiſtri equitum. qui ordo, ſiue in magiſtratu eſſent, ſiue eo abiiſſent, obſeruabatur. Quod ſi ad humilius munus deſcendiſſent, priorem dignitatem inuiolatam obtinebant. Vnus quidam princeps ſenatus per id tempus, dum his honos durabat (neque enim perpetuus erat) omnibus dignitate, non potentia præſtabat. Ad hunc modum pace ad tempus domi & foris conſtituta, tanta fames vrbem oppreſſit, vt quidam inediam non ferentes, in flumen ſe præcipitarent. Vnde orta ſeditione, pauperes diuitibus annonæ ſuppreſſionem, diuites pauperibus agriculturæ neglectum crimini dabāt. Qua de cauſa Sp. Melius eques, homo diues, coemptum à finitimis frumentum, aliis minoris vendidit, aliis gratuito dedit. Eáque re multis ſibi conciliatis, ſpe regni concepta, arma & ſatellites comparauit. Atque vrbe potitus eſſet, niſi Minutius Augurinus vir patricius, rei frumentariæ præfectus, cum ob annonæ penuriam accuſaretur, rem ad Senatum detuliſſet. Qui ſtatim L. Quintium Cincinatum Dictatorem dixerunt, virum exactæ ætatis, annum agentem LXXX. atque in curia totum diem deliberantium ſpecie conſederunt, ne id decretum foràs eliminaretur. Noctu Dictator Capitolium & alia opportuna loca per equites occupat. Manè C. Seruilium magiſtrum equitum ad Melium mittit, quaſi per aliam cauſam accerſendum. At ille Melium aliquid ſuſpicantem & tergiuerſantem, veritus ne concurſu populi eriperetur, interficit, ſiue ſuopte conſilio, ſiue Dictatoris iuſſu. Ob quod factum tumultuante multitudine, Quintius concione habita, & frumento diſtributo, accuſato mulctatóque nemine, motum eum ſedauit. Deinde Romani bellis petiti à diuerſis gentibus, cæteras paucis diebus vicerunt, ſed cum Tyrrhenis longo tempore decertarunt. Milites, cum Poſthumius victis Æquis magnam eorum vrbem expugnatam, non diripiendam dediſſet, neque ex manubiis quicquam cōceſſiſſet: quæſtorē primùm, deinde ipſum etiam Poſthumium, obiurgātem, & cædis autores ad ſupplicium poſtulantem, occiderunt. neque recens captum dūtaxat, ſed om-

*Conſulatus dignitas plebis poteſtate imminuta.*

*Auſpicia Tribunorū.*

*Plebei conſulatum ſibi vendicant.*

*Cenſuræ inſtitutio.*

*Princeps ſenatus.*

*Sp. Melius regno affectato occiditur.*

*Poſthumij cædes à militibus.*

nem publicum agrum ſibi vendicarunt. Ac diuturna fuiſſet illa ſeditio, niſi belli ab Æquis redintegrati terrore quieuiſſent. Cædium pœna in paucis conſumpta, hoſtes vicerũt. Quamobrem potentes & manubias inter eos diſtribuerunt: & pediti, deinde etiam equiti ſtipendia decreuerunt. Nam ad id vſq; tẽpus ſine mercede, ac ſuis impẽſis militarant: ac tum demum ſtipẽdia merere cœperunt.

*Stipẽdia militibus decreta.*

*Veiorum excidium.*

Bello aduerſus Veientes orto, dũ illi ſuo Marte pugnabant, à Romanis ſæpe victi, & intra mœnia compulſi ſunt. Sed ſociorum viribus aucti, eruptione ex vrbe facta, Romanos profligarunt.

*Lacus Albani exundatio.*

Interea lacus Albanus, tumulis vndique ſeptus, cum nullum haberet aqua exitum, dum Veij obſidebantur, ita inundauit, vt aqua vltra montes euoluta, ad mare decurreret. Quo cũ Romani diuinitùs portendi aliquid crederent, Delphicum oraculum cõſuluerunt. Erat & apud Veientes Tyrrhenus vates, qui cum Pythia conſentiebat. Ambo enim vrbem expugnatum iri affirmabant, ſi quæ exundaſſet aqua in mare nõ decurreret, ſed alibi conſumeretur. & quædam ſacra fieri iuſſerunt. Verùm Apollo nec quibus diis, nec quo ritu immolandum eſſet, declarauit. Tyrrhenus autem cum ea ſcire videretur, celabat. Itaque Romani circa mœnia, vbi cũ eo colloqui ſolebant, diſpoſiti, ſimulata amicitia, cùm aliis in rebus eum bono animo eſſe iuſſerunt, tũ impunè in caſtra exire permiſerunt: & comprehenſum, omnia quæ facto eſſent opus, effari coegerunt. Ex illius igitur præceptis rem diuinã fecerunt: perfoſſóque tumulo, aquam redundantem occultis meatibus in campum emiſerunt, in quo omnis conſumpta eſt, nec in mare quicquã influxit.

*M. Furius Dictator de Veientibus triumphat.*

Hoc peracto, M. Furius Camillus Dictator creatus, cum impetu in mœnia facto nihil profeciſſet, à longinquo auſpicatus, cuniculo in arcem acto & militibus à Roma voluntariis auctus, vrbem corona circumdedit: & ciuibus in mœnia diſperſis, alij per cuniculum clàm in vrbẽ penetrarunt. Cum vrbem captam diripi videret, illachrymaſſe, & cum ſuſpirio dixiſſe fertur: † Si cui deorum hominúmque nimia ſua fortuna, populíque Romani videretur, vt eam inuidiam lenire quàm minimo ſuo priuato incommodo, publicóque Romani populi liceret.

*† Quod mutilus in græco videretur hic locus pauca addita ſunt ex T. Liuio dec. pr lib. 5.*

Tum Iunoni regiæ templum in Auentino locauit, dedicauítq; Matutæ matris, quod antè vouerat. Dedicauit etiã craterem aureum, ex mulieribus ornamentis conflatum. Pro quo ſtatim eis honos decretus eſt, vt curribus ad ſolennia feſta veherentur, ad quæ pedibus prius ire ſolitæ erant. Camillum autem indignatio atque inuidia populi ſuſcepit, tum ob decimam Appollini non in direptione vrbis, ſed tempore elapſo exemptam: tum quòd in triumpho, præter cætera inſolentius acta, candidos equos currui iunxiſſet.

*Triumphi deſcriptio.*

Fuit autem triumphi huiuſmodi ratio. Re bene geſta, iuſtáq; parta victoria, dux ſtatim à militibus Imperator appellatus, faſces laureatos per curſores in vrbem mittebat. Domum reuerſus, conuocato ſenatu, decerni ſibi triumphum petebat: ac ſuffragiis à ſenatu populóque impetratis, Imperatoris cognomentum ei confirmabatur. Quòd ſi adhuc magiſtratum gerens aliquem vicerat, eo etiam in celebritate vtebatur. Sin tempus exierat, aliud nomen ſibi accommodatum aſſumebat. Priuato enim triumphare non licebat. Triumphali habitu ornatus armillis ſumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens, populum conuocabat. Et militibus publicè, quibuſdam etiam ſeorſim laudatis, pecuniam donabat, & ornamẽta: vt armillas, haſtas ſine ferro, & coronas aliis aureas, aliis argenteas expreſſo in iis nomine & facinore viri. Nam qui murum primus conſcenderat, aut caſtellum expugnarat, ei muralis & obſidionalis dabatur. Qui claſſe vicerat, eius corona ſpecie nauium erat. Si equeſtri pugna vicerat, aliquid equeſtre effingebatur. Qui verò ciuem in prælio, obſidione, alióve periculo liberarat, cùm ſummam laudem aſſequebatur, tum quernam coronam accipiebat, cuius honos omnibus argenteis & aureis præferebatur. Hæc dona non viritim tantum, ſed & cohortibus & exercitibus totis præbebantur. Spoliorum magna pars inter milites diſtribuebatur. Fuerunt etiam, qui toti populo ſumptus ad ſpectacula publica largirentur. Quod ſupererat, in fana, in porticus, & alia publica opera conferebant. His triumphator peractis, currum conſcendebat, neque bellicis, neque iis ſimilem, quorum in ludis vſus eſt, ſed inſtar turris rotundæ confectum. Neque ſolus eo vehebatur: ſed ſi liberos, aut cognatos aliquos habebat, vel ſuas vel illorum puellas & puellos in eo collocabat, grandiores equis iugalibus & anterioribus imponebat. Si plures erant, equis ſingularibus victorem comitabantur. Cæterorum ciuium equitabat nemo, ſed laureati omnes ſequebantur. Vnus item publicus miniſter in ipſo curru vehebatur, coronam auream gemmis interpolatam ſupra caput eius tenens, & retrò videre iubens. quo monebat, vt reliquæ vitæ curſum prouideret, nec eo honore elatus ſuperbiret. Appenſa quoque erat currui nola & flagellum: quæ innuebant, eum in tantas calamitates poſſe incidere, vt aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo ſupplicio afficiebantur, nolas geſtare ſolebant: ne quis intereundum, contactu illorum piaculo ſe obſtringeret.

*Triumphator retrò videre iubetur. appenſa currui nola & flagello.*

Sic autem exornati vrbem ingrediebantur, ſpoliis & victoriæ inſignibus antecedentibus, in quibus expreſſa erant caſtella, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria, denique omnia quæ capta erant. Quòd ſi pompa vno die peragi non poterat, ſecundus & tertius ſumebatur. Iis rebus præmiſſis, triũphator in forum Romanum delatus, aliquot captiuis in carcerem duci occidíque iuſſis, in Capitolium inuehebatur: ibíque aliquot cerimoniis peractis, & donariis dedicatis, cum in porticibus ibi cœnatus eſſet, veſperi tibiis & fiſtulis antecedẽtibus domum redibat. Ac triumphus olim huiuſmodi fuit: ſed ſeditiones & factiones plurima in eis innouarunt. Et ſi autem plebs, vt iam dictum eſt, Camillum oderat, tamẽ ob bellum Faliſcum neceſſariò Tribunum militum deſignant. Qui cum prælio viciſſet, vrbis validæ, cui Faleri nomen erat, obſidione nihil proficiebat. Quam ciues ita contemnebant, vt eorũ liberi cum præceptore iuxta mœnia deambularent, & exercitationes frequẽtarent. Itaque Romani re infecta diſceſſuri erant, niſi caſu retenti eſſent. Is enim præceptor, ſiue ex offenſa aliqua, ſiue lucri



ſiue lucri ſpe ciuibus inſidians, quotidie pueros prope mœnia prima perducebat, eóſque peractis exercitationibus ſtatim reducebat. Denique omnes in excubias Romanorum coniectos, ad Camillum duci iuſſit: eíque dixit, per eos pueros ſe totam illi vrbem tradere. Camillus id facinus deteſtatus, Imperatori ſuapte virtute, nõ aliena improbitate freto, bella gerenda eſſe dixit. Ac magiſtrum nudatum, manibus poſt tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgis & flagellis datis, vt proditorem verberibus in vrbem agerent. Proditione cognita, concurſúq; virorum & mulierum lamentantium in mœnia facto, pueri magiſtrum nudum adducunt.

*Faliſci Camillo deditionem faciunt.*

Quo ſpectaculo permoti Faliſci, re cognita, vltro deditionem Camillo fecerũt, ſe illius tam iuſtum imperium ſuæ libertati præponere profeſſi. Qui cum accepta pecunia, datáque pace receſſiſſet: milites direptione Faleriorum fruſtrati, populi odium ei obiecerunt: ac magis aucta inuidia, repetundarum accuſatus eſt, vt qui Tyrrhenam prædam ſurripuiſſet, nec in ærarium inde quicquam intuliſſet.

*M. Furius Camillus in exilium agitur.*

Vnde tãta iracundia populi condemnatus eſt, vt priuati luctus illius, mortuo altero filio, nulla ratio haberetur, Cúmque amicos rogaſſet, vt ſibi per iniuriam damnato opem ferrent, illi verò contra ſuffragia iudicum, auxilia ei negarent, ſed ad mulctam ſoluendã ſtipem promitterent: ea conditione repudiata, cum exulatum abiret, precatur, ſi nulla ſua culpa, ſed iniuria & inuidia populi pelleretur, vt ſui ciues ſua opera celeriter egerent, ſéque deſiderarent, ad Rutulos ſe contulit: indictáque cauſa damnatus eſt XV millibus æris, quæ drachmas MD argenti valent. Ceterùm Europæi Galli, quorum coloni perhibentur Aſiatici, terra ſua ob agrorum penuriam relicta, partim ad Riphæos montes ſunt profecti, partim prope Alpes diu conſederunt. Tum verò Italico vino guſtato, admiratione tantæ ſuauitatis, ſumptis armis, cum vxoribus & liberis, terram illam, quæ talem liquorem gigneret, quærentes, Cluſium Tyrrheniæ oppidum obſederunt. Cluſini cum à Romanis ſupplices auxilia peterent, Galli Romanos legatos ob nomen populi honorificè ſuſceperũt: & oppugnatione omiſſa, ad colloquium venerunt. Interea Cluſini cum Romanis legatis Gallos ex inſidiis inuaſerunt.

*Galli Cluſio relicto Romam vaſtãt.*

Quod Brẽnus Gallorum rex indignè ferẽs, Cluſinis neglectis, eueſtigiò Romam verſus duxit exercitum, cum ei legati ad ſupplicium non dederentur, tanta celeritate, vt vrbem inuaderet, priuſquam eorum acceſſum Romani cognouiſſent, quamquam diuinitùs prænũciatum. Marcus enim Cædicus fertur, noctu iter faciens, vocem audiuiſſe, quæ diceret, Galli veniunt.

*Galli veniunt.*

Quam cum Senatui populóque narraſſet, verba eius cum ludibrio & riſu excepta ſunt, donec Galli ipſi in propinquo ſuum aduentũ nunciarũt, Tunc feſtinenter egreſſi, temere cõmiſſo prælio, ſunt turpiſſimè ſuperati multi: in pugna, multi in fuga comprehenſi: plurimi in Tyberim flumẽ præcipitati perierunt. Reliqui diſſipati, partim Romam peruenerunt, partim aliò. Qui in vrbe erãt, cladem eam deplorantes, inopes conſilij & deſperabundi, nec mœnia cuſtodiuerũt, nec portas clauſerunt: ſed alij fugam cæperunt, alij cum vxoribus & liberis Capitolium occuparunt. Soli LXXX viri (quos alij ſacerdotes fuiſſe memorãt, alij Romanorum ætate opibus & genere principes) ſiue ſacris, ſiue precioſiſſimis ſtolis induti, in ſellis eburneis in foro cum maieſtate conſederunt, imminentem fortunam expectantes.

*LXXX ſenes in foro occiſi.*

Poſtridie Galli ad Romã venerũt: ſed cum portas apertas, & mœnia præſidiis vacua viderent, reſtitere, nec ingreſſi ſunt, ſubeſſe inſidias ſuſpicati. Tertio die ſumpta fiducia, impetu facto vrbem cæperũt. Barbarorum rex Capitolium præſidio ſepſit: forúmque perambulans, ſenum illorum tranquillum & tacitum conſeſſum eſt miratus. Gallos etiam ſtupor inuaſit, ob inuſitatum ſpectaculum ad eos accedere nõ auſos. Tandem quidam vnum aggreſſus promiſſam eius barbam deorſum traxit: & ſenem, qui baculum eius capiti illiſerat, ſtricto enſe occidit: eódemque modo reliqui à Barbaris cæſi ſunt, ædes direptæ & incenſæ. Deinde Capitolio per multos dies fruſtra oppugnato, alij in præſidiis manſerunt, alij ad commeatum petendum agros populati ſunt, diſperſi, ac nullo ordine, elati ſucceſſibus, & præ ebrietate titubantes. Nam vini magna copia reperta, auidè ſe ingurgitarãt, vt qui prius ſimilem potum non guſtaſſent. Quos vbi Camillus ſic affectos vidit (nam ardeatem quoque agrum infeſtabãt) cum Ardeatium iuſta multitudo eſſet, ſed ob belli gerendi imperitiam non ſatis audaciæ haberet: apud iuniores ſermonem iniecit, ſucceſſus illos non fortitudini Barbarorum, ſed infelicitati Romanorum eſſe aſcribẽdos. Quòd ſi ſtrenuam operam imperterriti nauare vellẽt, citra periculum hoſtes ſuperaturos affirmauit.

*Camillus Ardeatiũ auxiliis, & cõcurſu Romanorum, Gallis profligatis, patriam liberat.*

Sic perſuaſis adoleſcentibus, mox etiam cæteris, ætate florentes armat: & profunda nocte cum Ardeatibus ebrios Barbaros aggreſſus, pleroſq; illic cæcidit. Si qui verò in tenebris effugerunt, eos interdiu equites comprehenſos occiderunt. Eam victoriam cum fama celeriter paſſim vulgaſſet, Romani qui ex primi pugna Gallica euaſerant, ſumptis armis ad Camillum ſe contulerunt, petentes, vt imperium in ſe exercere vellet. Id ille recuſauit, priuſquam ab iis qui in Capitolio incolumes eſſent, decerneretur. Cum nemo eſſet, qui id in Capitolio nunciaret: quidam adoleſcens Pontius Cominius, gloriæ cupiditate, id diſcrimen adiit, pérque medios hoſtes clã ad tumulum Capitolinum euaſit: & cum ægrè nunc pronus, nunc ſupinus arrepſiſſet, ab excubitoribus ad magiſtratus eſt perductus: nunciatáque victoria, & militum voluntate expoſita, eos hortatus, vt imperium Camillo confirmarent.

*Pontius Cominius.*

Qui cum ab eis Dictator dictus eſſet, Romanorum qui foris erant ad XX millia, & magnis ſociorum auxiliis comparatis, ad pugnam ſe parauit. At Barbari cum interdiu circumeuntes animaduertiſſent, vbi Pontius in Capitolium conſcendiſſet (id verò ex abruptis petræ fragmentis, & herba, quæ multa in ea erat, partim euulſa, partim conculcata, coniectabant) illic & ipſi noctu aſcendere ſtatuerunt: & rem aggeſſi, ægrè illi quidem, ſed aſcenderunt tamen. Ac propugnacula attigiſſent, & vigiles oppreſſiſſent, niſi anſeres, qui in æde Iunonis alebantur, cum natura ſenſus excitatos habeant, & ad quemuis ſtrepitum expaueſcant,

*Anſeres Capitolini.*

ueſcant,celeriter Gallorum aduentu animaduerſo,cum turbulento ſtrepitu fugientes,vigiles cęteróſque omnes excitaſſent. Sic Romani, iis qui aſcenderant partim occiſis, partim de petra deiectis, id periculum euitarunt. Ex eo Gallis imminuti ſunt animi, cum oppugnationis ærumnas ſeptem menſibus toleraſſent. Itaque duce Barbarorum Brenno, & Romanorum tribuno Sulpitio, de pacificatione tractantibus cōuénit, vt Romani Gallis mille pondo auri numerarēt:

*Pactio cum Gallis, Camilli dictatoris interuentu fit irrita.*

Galli verò auro accepto, ſtatim vrbe agróque Romano excederent. Auro allato, Barbaris in penſando clam fraudem ſtruentibus, Brennus enſem & baltheum lateri demptum ponderibus impoſuit. Rogante Tribuno, quid id eſſet? Quid aliud, inquit, niſi victis dolor? Interea Camillus cum exercitu ad portas vrbis acceſſit, & ſtatu rerum cognito, properè ad Romanos abit, aurum de lancibus ſublatum miniſtris dat auferendum, Gallos cum lancibus & ponderibus abire iuſſit. Romani enim moris eſſe, ferro, non auro patriā tueri. Brenno conquerente, iniuriam ſibi fieri, ſi pacta rumperentur: Camillus reſpondit, pacta irrita eſſe abſque ſuo aſſenſu, qui iam Dictator creatus eſſet. Quo ſermone turbatus Brennus, parum abfuit quin enſem ſtringeret. ſed tamen Gallos in caſtra duxit: eáque deinde, relicta vrbe, ſtadia LX promouit. Cum primùm diluxiſſet, adeſt Camillus, Romanos iam fidentes adducit: & Barbaris cum multa cæde profligatis, caſtra occupat. Sic Roma capta mirabiliter, & maiore miraculo liberata, Camillus triumphauit. Sed multitudo vrbem penitus euerſam inſtaurare noluit, ob inopiam pecuniæ, & corporum imbecillitatem. Ac parum abfuit, quin ea deſereretur:

*Conſilium deſerendæ vrbis, centurionis voce mutatur.*

ac neque ſenatui, neque aliis magiſtratibus, à deſerendæ vrbis conſilio, profligato hoſte, reuocantibus paruiſſet plebs, niſi cum in foro ea de re omnes deliberarent, centurio quidam ex præſidio reuertens, dum fortè agmine forum tranſiret, in comitio exclamaſſet: Hîc ſtate, hîc vobis manendum eſt. Ea enim verba diuinitùs prolata arbitrati, migrationis conſilium abiecerunt: & ad Romæ inſtaurationem alacriter cōuerſi, tum mœnia, tum priuatas ædes annuo ſpacio refecerunt. Verùm occupatione nondum defunctos, bella variarum gentium infeſtarunt, Æquorum, Volſcorum, & Latinorum. Tyrrheni Sutrium, ſociam populi Romani vrbem, obſederunt. Igitur Camillus tertiùm Dictator dictus, cæteris profligatis, exercitum contra Sutrium duxit.

*Camillus tertiùm Dictator, hoſtibus profligatis, Sutrium recuperat.*

Enimuerò Sutriani, dedita hoſtibus vrbe, cum vxoribus & liberis Camillo in itinere obuiam facti ſunt. Quibus viſis Camillus, eorúmque caſibus cognitis, ſtatim, vt erat, Sutrium properat: ac ſubitò aggreſſus, vrbem nulla munitam cuſtodia, ciuibus incolumem eodem die reſtituit. His rebus geſtis triumphauit, magnam gloriam adeptus.

*M. Mālius ob Capitoliū affectatum, de Saxo Tarpeio deiicitur.*

Marcus verò Manlius, qui primus Gallos Capitolio depulit, vnde Capitolini nomen eſt adeptus, præ cæteris Camillo inuidens, regnum affectauit: eáque de cauſa plebe ſibi obſequiis deuincta, in cuius gratiam nihil non faciebat, à factione ſua ad Capitolium occupandum ductus eſt. Quare Camillus quartùm Dictator eſt dictus. Senatu autem & magiſtratibus cæteris admodum conſternatis, & quid agendum eſſet dubitantibus, ſeruus quidam promiſit, ſe Capitolinum eis viuentem traditurum. acceptíſque armatis, & clā per inſidias ſub Capitolio collocatis, transfugæ ſpecie ſe ad illum confert: eiúſq; facto collaudato, à conſeruis ſuis auxilia pollicetur. Quæ cum diceret, virum paulo longius à circumſtantibus, vt arcani aliquid dicturus, in eum Capitolij locū, quo inſidiæ collocatę erant, perductum, præcipitat. Ita captus in prætorium abducitur: vbi cum res ſuas geſtas commemoraret, & Capitolio iudicibus ac circumſtanti coronæ (ex eo enim loco videri poterat) oſtenſo, vt & arcem, & eos qui illuc confugerant, conſeruaſſet, in memoriam reuocaret: iudices miſeratione adducti, eum neq; abſolutū, neque damnatum ampliarūt. Eo Camillus cognito, iudices in alium locum traduxit, vnde Capitolium conſpici non poterat. Vbi condemnatus, & in Capitolium perductus, de rupe Tarpeia præcipitatur, vnde Gallos ipſe profligarat. Deinde multa bella partim ipſi vrbi, partim ſubiectis ciuitatibus illata, Romani & per Camillum, & eo iam ſenio effœto, per alios omnia propulſarunt: & ſummo ocio ab exteris hoſtib. potiti inter ſeſe certarūt. Nam cum M. Fabius patricius, duarum filiarum pater, natu maiorem Licinio Stoloni, homini longè inferioris conditionis, iuniorem Sulpitio Rufo, ſui loci viro, deſpondiſſet: interim dum Rufus tum Tribunus in foro verſatur, ſoror vxorem eius inuiſit. Illo reuertente, cum lictor veteri quadam conſuetudine fores pulſaret, ad eum ſtrepitum mulier, illius rei inſolens, expaueſcit: eáque de cauſa riſu & à ſorore & à cæteris orto, vt plebeia muliercula, deridetur. Quam illa rem iniquo animo ferens, maritum ad petendos honores incitat: cuius impulſu Stolon, re cū L. Sextio ſui ordinis homine communicata, per vim tribunatum vterque expetiuerunt, confuſo Reipublicæ ordine, vt per annos quatuor nulla eſſet populi obedientia, patriciorum comitiis interruptis.

*Plebeij magiſtratus petunt.*

Auctáque turba illa eſſet, niſi nunciatum fuiſſet, Gallos denuò Romam inuaſuros. Omiſſa igitur omni inter ſe contentione, Camillóque quintùm Dictatore dicto, contra hoſtes ſunt profecti. Sed antequā prælium committeretur, ſingulare certamen eſt initum.

*Titus Manlius Torquatus.*

Titus enim Manlius, vir patricius, offenſo patre, neglectus in agro verſabatur. Cui deinde reconciliatus, factúſque Tribunus militum, Gallum à quo prouocatus fuerat, vincit: & aureum torquem illi detractum geſtare ſolitus, Torquati cognomentū inuenit.

*Camillus Gallos denuò profligat.*

Exercitibus quoque congreſſis, Galli ſuperati, Romano itinere omiſſo, Albanū agrum populabantur. Id Romani prohibere noluerūt, donec mero & crapula diſtentos minore periculo aggreſſi, multos occiderunt, eóſque caſtris exuerunt. Camillus Romam reuerſus, magiſtratum depoſuit.

*Conſulatus reſtituitur*

Ab eo tempore Tribunis militum qui in Conſulum ſucceſſerant locum abrogatis, Coss. deſignari cæperunt, aliàs patricij, aliàs plebeij, nonnunquam vtriuſque ordinis ſimul.

*Camilli obitus.*

*M. Curtius ſe diis manibus deuouet.*

Lue Romæ graſſante, Camillus etiam eſt mortuus, cuius obitus plurimùm triſticiæ Romanis attulit. Pòſt huiuſmodi malum Romanos inuaſiſſe fertur, vt ea planicies, quæ intra palatium & Capitolium



Capitolium eſt, ſubito hiatu, neque terræmotu, neque alia re, vnde talia naturà oriuntur, antegreſſa, diſceſſerit, ac ita permanſerit diu. Qui cū neque coiret vllo modo, neq; expleretur: quamuis Romanis multum & terræ, & ſaxorum, & alterius materiæ omnis generis eò congerētibus: oraculum cōſultum reſpondit, voraginem illam non expleri poſſe, priuſquam res optima, quaq; plurimùm Romani poſſent, in eam coniiceretur. Sic enim & ſpecum illum deſiturum, & vrbis imperium nūquam euerſum iri. Hoc reſponſo non explicata eſt difficultas, propter obſcuritatem. Verùm Marcus Curtius, vir patricius, ætate integra, forma pulcherrima, viribus maximis, animo fortiſſimo, prudentia ornatiſſimus, oraculo intellecto, pro concione dixit. Quid obſcuritatem oraculi, Romani, aut tarditatem ingeniorum noſtrorū accuſamus? Nos id ſumus quod quæritur, omnéſque ſuſpenſos tenet. Neq; enim inanima præferenda ſunt animatis: neque ea quæ mente & intelligentia prædita ſunt, & ſermone ornata, brutis, rationis & prudētiæ expertibus poſtponenda. Nam quid homini anteponatis, quo iniecto hiatum illum contrahamus? Non eſt vllum mortale animantis genus homine præſtantius, aut fortius. Quòd ſi audacius loquendum ſit, quid eſt homo, niſi Deus corpore mortali circumſeptus? aut quid Deus eſt, niſi homo omnis ex materia concretionis expers, atq; immortalis? Neque nos longè à diuina potentia abſumus. Hæc mihi perſuaſa ſunt, quæ vobis etiā perſuaſa eſſe velim. Neque verò quiſquam exiſtimet, me ſortem ducturum, aut virginem, puerúmve immolari iuſſurum. Nam ego ipſe me pro vobis deuoueo, vt me hodie ſtatim caduceatorem & oratorem ad deos manes ablegetis, ſemper patronum veſtrum & adiutorem futurum. His dictis, arma induit, equum conſcendit. Cæteri inter lætitiam & mœrorem ambigui, ornamenta quædam partim ad eum ipſum pro heroe excolendum, partim quæ in hiatum coniicerentur, attulerunt. Qui cùm primùm equo inſidēs, ſe in ſpecum immiſit, hiatu illo expleto, neque voraginem, neque Curtium quiſquam vidit. Hæc ita narrantur à Romanis: quæ ſi cui fabuloſa, & à fide veri aliena videbuntur, non poſtulo vt multum eis tribuat. Deinde Romanis alia bella & à Gallis & ab aliis gentibus ſunt illata, ſed propulſata omnia, vel à Coss. vel dictaroribus, quo tempore huiuſmodi quiddā accidit.

*L. Camillus Gallos profligat.*

Lucius Camillus Dictator dictus, cum Galli ſuburbanū agrum incurſarent, educto exercitu in animo habuit ducere bellum, neque decertare cum hominibus, temerè in perniciem ſuā ruentibus, quos facilius & tutius penuria commeatus domiturus eſſet.

*M. Valerius Coruinus.*

Gallo autem cuidam ex Romanis aliquem ad ſingulare certamen prouocāti reſtitit M. Valerius tribunus militum, ex Maximi illius poſteritate. Certamen inter hos duos illuſtre fuit. Nā alter prudentia & arte ſuperior erat, Gallus audacia & viribus: ſed illud mirabilius, quod in Valerij galea coruus crocitans conſedit, in hoſtem verſus, cuius os oculóſque roſtro & vnguibus appetere, illiúſque impetum retardare non deſtitit donec obtruncaretur. Galli ſe ab alite victos indignati, ſtatim Romanos iracundè inuaſerunt; ſed malè tractati receſſerunt. Valerius ab illo corui auxilio, Coruinus eſt appellatus.

*Conditiones ſedatæ ſeditionis.*

Deinde orta inter exercitus diſſentione, ac bello ciuili imminente, ſeditio compreſſa eſt: cum hæ leges eſſēnt latæ, vt neque inuitus quiſquam ex albo militum deleretur, neque tribunus centurio fieret: vt conſulem vtrumque ex plebe creari liceret: vt idem binos eodem tempore magiſtratus non gereret, nec eundem bis intra x annos.

*Latinum bellum.*

Poſt hæc Latini ſocij, quia pube continentibus expeditionib. egregiè exercitata abundabant, elati animis defecerunt, & Romanis bellum intulerunt. Quibus Torquatus tertium & decius lecti Coss. obuiam profecti ſunt, & atrox prælium cōmiſſum: vtraque acie exiſtimante, eo ſe die & virtutis & fortunæ ſuæ illuſtre ſpecimen edituram.

*T. Manlius Torquatus filium victorem ſecuri ferit.*

Ea pugna euentu quodam facta eſt celebrior. Cum enim Latinos eodem armorum genere, eadémque lingua, qua Romanos, Conſules vti viderēt: veriti ne qui militū diſcrimine hoſtium & ſuorum non facilè obſeruato, errarent: præter alia diligenter obſeruanda, illud etiam edixerunt, ne quis extra ordinem in hoſtem pugnaret. Ei edicto cæteri paruerunt. Sed Torquati filius, qui inter equites militabat, ad explorandos conatus hoſtium miſſus, id non tam ex contumacia quā ambitione neglexit. Nam Latinorum equitum magiſter eum accedentem conſpicatus, ad ſingulare certamen prouocauit, ídque illo propter patris edictum detrectante, dixit: Non tu Torquati filius es? Non torque parentis gloriaris? An contra Gallos homines perditos tātum viri fortes eſtis, nos verò Latinos formidatis? Cur ergo nobis imperitare vultis? cur vt deteriorib. præſcribitis? Manlius verò præ iracundia vix mentis compos, & paterni edicti vltrò oblitus, hoſtem vincit, detractáque ſpolia magno animo parenti affert. Is cōuocato exercitu: Fortiter ſanè, inquit, fili dimicaſti, eáque de cauſa te corona donabo: ſed quia neque imperium conſulare, neque maieſtatem patriam veritus es, ea moderatione aduerſus te vtar vt & virtutis fructum percipias, & contumaciæ pœnas des. Hæc dicens, ſimul & coronam capiti eius impoſuit, & caput amputauit. Deinde eadem nocte vterque conſul in ſomnis vocem audire ſibi viſus eſt, dicentem ſuperiores fore hoſtibus, ſi alter Coss. ſe deuoueret. Cum diluxiſſet, vterque alteri ſomnium narrat: diuinū id eſſe, ideóque obtemperandum conſentiunt. De eo tantum controuerſia eſt nō vter maneat incolumis, ſed vter ſe deuoueat. Cauſa apud exercitus principes diſceptata, tandem conuenit: alterum in dextro, alterum in ſiniſtro cornu ſtatuendum eſſe, & vtrum prius inclinarit, eius duci oppetendam eſſe mortem. tantáque fuit eius decoris cupiditas, vt vterque ſe ſuccumbere optaret, vt & deuotionis & gloriæ conſecuturæ compos redderetur.

*P. Decius ſe pro ſalute Reip. deuouet.*

Exercitibus congreſſis, pugna diu anceps fuit. Deinde cornu Decij Latinis nonnihil ceſſit. quo ille cognito, ſe deuouit, atq; armis poſitis togam prætextam induit, itaque cū nōnulli in equum inſiluiſſe, ac in medios hoſtes inuectum occubuiſſe: alij à commilitone immolatum eſſe ferunt. Decio defuncto, victoriam Romani haud dubiam ſunt adepti, Latinis omnibus in fugam verſis, non vtique ob Decij mortem. Quis

tem. Quis enim credat tali vnius viri interitu, tantam multitudinem hinc cæſam, illinc conſeruatam, & illuſtri potitam eſſe victoria? Latinis ita ſuperatis, Torquatus quamuis & filio occiſo, & collega mortuo, tamen triumphum duxit. Deinde populus Romanus Latinos rebellantes deuicit, & alias gentes nunc per Cōſules, nunc per Dictatores armis ſubegit: quorum è numero fuit L. Papyrius, Curſoris cognomentum à celeritate pedum, currendíque ſtudio adeptus. Qui dictator cum Fabio Ruſo equitum magiſtro contra Samnites miſſus, eos deuictos in ſua verba pacem facere coegit.

*Samniticum bellum.*

Sed cum magiſtratu abiiſſet, rurſus illi ſe commouerūt: & ab Aulo Cornelio dictatore rurſus debellati, legatos de pace Romam miſerunt, captiuis quos habebant omnibus redditis, cauſaque belli in Rutulum virum apud ſe potentem tranſlata: cuius oſſa quoniam ſibi conſciſcere necem maturarat, diſiecerunt. Eis Romani, vt fœdifragis, pacem nō dederunt: ſed, quāquam captiuis receptis, bellum irreconciliabile indixerunt. ac dum elati ſucceſſibus ſe illos omnes primo impetu capturos ſperant, in magnam cladem inciderunt.

*Furculæ Caudinæ.*

Nam Samnites perterriti & anxij ob negatam pacem, ex deſperatione in pugnam ruebant: & collocatis in anguſta valle inſidiis, caſtra cæperunt, totúmque Romanum exercitum ſub iugum miſerunt. quæ res cuiuſmodi fuerit, ſuprà expoſuimus: neminē tamen occiderunt, ſed armis, equis, cæteríſque omnibus, vna veſte duntaxat relicta, ademptis, dimiſere nudos, ea conditione, vt agro illorum excederent, & æquo iure ſocietatem colerent. Quę pacta, vt etiā Senatus autoritate rata eſſent, DC equites obſides retinuerunt. Coss. verò Sp. Poſthumius & Tiberius Caluinus cum exercitu ſtatim receſſerunt: noctúque & ipſi, & præcipui è cæteris Romam ſunt ingreſſi, reliqui in agris diſperſi. Qui in vrbe erant, clade cognita, neque militum ſalute delectati ſunt, neque dolere potuerunt. Nam vt aduerſum caſum dolentiſſimè tulerūt, pręſertim à Samnitibus illatum: ſic, cum reputarent, ſi omnes periiſſent, ſe in extremo diſcrimine futuros, ſalute illorum ſunt gauiſi. Sed gaudio interim diſſimulato, nihil more ſolito adminiſtrarunt, nec in præſentia, neque pòſt, donec victoriam recuperarunt. Conſulibus magiſtratus ſtatim abrogatus eſt aliíſque lectis, deliberatum de pactis reſcindendis. Quod quia fieri non poterat, niſi crimine in autores illorum tranſlato: inuiti faciebant vt Coss. & cæteros magiſtratus qui cum iis fuerant, condemnarent: neque committendum putabant, vt iis abſolutis, crimen violati fœderis in ſemetipſos redundare paterentur. Re igitur cum ipſis Coss. communicata, primùm Poſthumium ſententiam dicere iuſſerunt, vt ipſe contra ſeſe pronunciaret, ex verecundia, ne omnes dedecoris implerētur. Is in medium progreſſus, negauit probanda eſſe à ſenatu populóque, quæ ne ipſi quidem ſua ſponte, ſed ab hoſtibus, non virtute, ſed dolo atque inſidiis coacti, egiſſent. Qui igitur dolum priores vſurparint, ij ſi dolo viciſſim circūuenti fuerint, non habere quod querantur. Hæc & huius generis plura cùm dixiſſet, à ſenatu animi dubio quid agēdum eſſet, cùm Poſthumius & Caluinus omnem culpā in ſemetipſos trāſtuliſſent, decretum eſt, pactis reſciſſis illos dedendos eſſe. Conſules igitur ambo, cæteríque magiſtratus qui pacificationi adfuerant, Samnium abducti ſunt. Samnites autem captiuos omnes repetentes, Deos teſtati, dediticios reiecerunt. Quibus Romani cupidè receptis, iracundè cum Samnitibus pugnarunt, adeptíque victoriam eodem planè modo eos tractarūt: itidémque ſub iugum miſſos, nulla alia illata iniuria dimiſerunt, receptis abſque noxa equitibus ſuis, quos illi pacis obſides retinuerant. Plurib. annis pòſt Romani iterum cum Samnitibus Caio Iunio duce congreſſi, cladem acceperunt.

*C. Iunij clades.*

Nam cùm is agros eorum vaſtaret, Samnitæ res ſuas in ſyluas altiſſimas & denſiſſimas, quò nec aues aduolare dicuntur, contulerunt, atque inde gregibus ſine paſtoribus & præſidiis emiſſis, & transfugis ſubornatis, hoſtes tāquam ad paratam prædā pellexerunt. Sed cùm in ſyluam penetraſſent, nō prius eos circumuentos cædere deſtiterunt, quàm planè viribus deſtituti eſſent. Sed & aliàs ſæpe Samnites à Romanis victi, non quieuerunt: ſed cùm alijs, tum Gallis ſociis aſcitis, ita ſe pararunt, quaſi ipſam vrbem oppugnaturi eſſent. Quo Romani cognito territi ſunt, etiam prodigiis multis admoniti.

*Prodigia.*

Nam ex Iouis Capitoloni ara tribus diebus, vno ſanguis, altero mel, tertio lac emanaſſe fertur, ſi hæc credere fas eſt: & in foro victorię ſimulacrū æreum, in ſolo marmoreo poſitum, repertum eſt vltro humi ſtans, vultu eò conuerſo, vnde Galli aduentabant. Quæ cum per ſe terrerēt populum, terror is ab aruſpicibus dira canentibus augebatur.

*Manius Tyrrhenus augur.*

Sed Manius quidem Tyrrhenus genere, eos confirmauit. Nam & ſi, inquit, Victoria deſcendit, tamen cum progreſſa ſit, & firmius in terra defixa, victoriam denunciat. Quòd autē ſanguis ex ara Iouis Capitolini emanarit, indicio eſſe, multas victimas diis immortalibus immolatum iri. Aras enim, præſertim Capitolinas, in quibus triumphantes ſacrificare ſoleant, rebus ſecundis potius, quàm aduerſis cruentari ſolere. Ex his igitur eos læta expectare iubebat. Melle autem morbum, quòd ægrotantibus eo ſit opus: lacte famem portendi, aiebat. Ad tantam enim penuriam redactum iri, vt eum victum quæſituri eſſent, qui ſpontè proueniat citra humanam operam. Manius prodigia ſic interpretatus, cum ipſe euētus prædictionem poſtea comprobaſſet, ſapientiæ ac præſcientiæ gloriam eſt adeptus. Volumnius ad bellum Samniticum ire iuſſus. Contra Gallos eorúmque fœderatos deſignati Coss. *Rullus Fabius Maximus, & P. Decius: qui cū celeriter in Tyrrheniā veniſſent, & Appij caſtra duplici vallo munita vidiſſent, vallis reuulſis & diſiectis, milites ſpē ſalutis in armis habere docuerunt. Interim verò dū contra hoſtes pergunt, lupus ceruā perſequens, inter vtranq; aciem delatus, iuxta Romanos euaſit: eóſque confirmauit, exiſtimantes id fauſtum ſibi omen eſſe, ob Romulum à lupa nutritum, quemadmodum eſt expoſitum. cerua verò cum ad hoſtes fugiſſet, telis confecta, & timorem eis & eiuſdem cladis euentum reliquit.

*Lupi augurium.*

Congreſſis exercitibus, Maximus in ſuo cornu facilè vicit, Decius ſuccubuit. Verùm facti paterni recordatus, ad quod ille

*P. Decius patris exemplo ſe deuouet.*

ſomnio



*P. Decius patris exemplo ſe deuouet.*

ſomnio impulſus fuerat, ſuum & ipſe caput eodē modo deuouit, conſilio cum nemine cōmunicato. Ipſo cæſo, milites partim eius verecundia, qui vltro mortem pro ipſis opetiiſſet, partim certa ſpe victoriæ ex eo facto concepta, fugere deſierūt, & perſequentibus fortiter reſtiterunt.

*Victoria Gallica, Sānitica & Tyrrhena.*

Interim Maximus quoque à tergo hoſtes aggreſſus, multos occidit, reliqui in fuga perierunt. Decij cadauer Fabius Max. vnà cum ſpoliis cremauit, petentibus pacem dedit. Sequente anno Attilius Regulus denuò cum Samnitibus pugnauit, aliquandiu æquo Marte. Deinde victi Romani, Samnites viciſſim ſuperatos, & ſub iugum miſſos demiſerunt. Quam ignominiam iniquis ferentes animis, extrema experiri decreuerunt aut victuri, aut perituri: mortem comminati, ſi quis manſiſſet domi. Cum igitur in Campaniam irruerent, Coſs. Samnium militibus vacuum vaſtarunt, & oppida aliquot cæperunt. Samnites Campania relicta domum reducti, & cum altero conſule congreſſi, atque arte quadam ſuperati, grauiter in fuga impegerunt, & caſtris & oppido, cui ſuppetias veniebant, amiſſis. Conſul triumphauit: & quicquid ex præda redegerat, in ærarium intulit. Alter verò Conſul qui cum Tyrrhenis pugnabat, cùm eos breui tempore compeſcuiſſet, frumētum & pecuniam eis imperatam, partim militibus diſtribuit, partim in ærarium intulit. Cum autem vrbs graui peſtilentia laboraret, Samnites & Faliſci Romanis, cùm ob morbum, tum propter Conſules non ex virtute creatos, vt pacatis temporibus fieri ſolet, ſpretis, in motu fuerunt. Quo cognito, Caruilium Iunio Bruto, Quinto Fabio patrem Rullum Maximum legatos decreuerunt. Ac Brutus Faliſcos vicit, eorúmque & cæterorum Tyrrhenorum agros populatus eſt. Sed Fabius, quòd Samnites Campaniam infeſtare audiebat, properè ante patrē Roma profectus, cùm aliquot eorum ſpeculatores maturare obitum videret omnes ibi hoſtes eſſe ratus, ac fugere: ante patris aduentum manus conſerere properans, vt ſuum eſſet decus, nullo ordine proceſſit. & in cōfertos hoſtes delapſus, cum exercitu cæſus eſſet, niſi nox ſuperueniſſet. Multi etiam poſt prælium perierunt, neque medicum, neque quicquam valetudini curandæ aptum habentes: quòd impedimentis longè anteuerterant, ſpe victoriæ ſtatim adipiſcendæ. ac niſi patrem eius in propinquo eſſe rati Samnites metu receſſiſſent, omnino poſtridie quoque eos occidiſſent.

*Fabius Maxim. pro filio deprecatus, Samnites vincit.*

Quæ cum in vrbem nunciata eſſent, magna indignatione orta, & Conſuli reuocato die dicta, pater eius ſenex, tum ſuis, tum maiorum ſuorum rebus præclarè geſtis commemoratis, filium nihil illis indignum facturum pollicitus, acceptámque cladem ætati imputans, ira populi mitigata, cum eo profectus, Samnites victos caſtris exuit, agros vaſtauit: & prædam, quæ magna erat, partim in ærarium retulit, partim militibus diſtribuit. Ea de cauſa cùm ipſi Fabio honos eſt habitus: tum filio permiſſum, vt etiam deinceps pro conſule imperaret, tum quoque patre legato vtens. qui nihil ſenectuti ſuæ parcens, ipſe adminiſtrauit omnia: ſed diſſimulanter, vt à filio acta eſſe viderentur. Poſt hæc, cum tribuni plebis legem de nouis tabulis rogarent, cui creditores interceſſerunt, orta ſeditio non conquieuit prius, quàm hoſtes vrbem inuaſerunt.

*Seditio ob nouas tabulas.*

*Tarentinū bellum.*

Belli eius principium à Tarentinis ortum eſt, qui ſe Tyrrhenis, Gallis, Samnitibus, & pluribus aliis coniunxerunt. At Romani cæteros, per alios atque alios conſules deuicerunt. Tarentini autem, quamuis belli autores: tamen apertè in aciem nondum deſcenderant. Cæterùm L. Valerium claſſis prefectum, dum ibat quò miſſus erat, Tarenti appulſurum (eam enim vrbem populi Romani amicam eſſe putabat) ex conſcientia facinorum ſuorum contra ſe eſſe miſſum ſuſpicati, iracundè impetu facto, nihil hoſtile metuentem, cum multis aliis demerſerunt: captos partim in carcerem coniecerunt, partim occiderunt. Quo Romani audito, etſi grauiter eam iniuriam ferebant: tamen per legatos cum eis expoſtularunt. quibus non modò nihil æqui reſponſum eſt, ſed etiam contumelia facta, L. Poſthumij legatorum principis veſte ſordibus inquinata. Eam ob rem tumultu orto, ac Tarentinis cachinnantibus, Poſthumius: Ridete, inquit, ridete dum vobis licet. nam longiſſimo tempore plorabitis, cum veſtem hanc ſanguine veſtro eluetis. Eam contumeliam iniquis animis Romani ferentes, bellum Tarentinum L. Æmylio Conſuli decreuerunt. qui cum eò appuliſſet, idoneis verbis animos eorum tentauit, æquis conditionibus pacem amplexuros ratus. Sed diſſenſione inter ciues orta, ſenioribus & diuitibus pacem expetentibus, iuuenibus & iis qui vel parum vel nihil habebant bellum flagitantibus, iuniorum ſententia vicit.

*Pyrrhus.*

Sed ſuis diffiſi viribus, Pyrrhum Epirotam ad belli ſocietatem accerſendum duxerunt, legatis & muneribus ad eum miſſis. Quo Æmilius cognito, agrum populatur & vaſtat: eóſque in aciem egreſſos profligat, vt Romani deinceps impunè prædas agerent, & quædam caſtella caperent. Cum autem captiuos diligenter curaret Æmylius, & aliquot ex potentioribus dimiſiſſet: Tarentini & humanitatem eius admirati, & in ſpem pacis impetrandæ erecti, Agidem Romanis amicum ducem cum ſummo imperio creauerunt.

*Cineas Pyrrhi legatus.*

Qui cum vix magiſtratum iniiſſet, Cineas legatus à Pyrrho præmiſſus, eam rem impediit. Nam Pyrrhus Epiri rex, tum ingenij dexteritate, tum inſtitutionis accuratione, tum vſu rerum omnibus præſtans, maxima Græciæ parte vel beneficiis, vel terrore ſibi adiuncta, Tarentinorum ſocietatem peropportunam ſibi fore exiſtimans, cùm longo iam tempore Siciliam, Carthaginem & Sardiniam ſubigere cuperet, & tamen Romanos armis laceſſere vereretur: legatis auxilia pollicitus eſt. ſed ne ob loca quæ diximus ſuſpectus eſſet, ſe ſtatim rediturum eſſe domum dixit, & in fœderibus excepit, ne diutius quàm opus eſſet, ab eis in Italia detineretur. Hæc pactus, maiorem legatorum partem, vt in colligendo milite operam nauaturos, obſidum vice retinuit: paucos & Cineam cum exercitu præmiſit. Quorum aduentu confirmati Tarentini, pacificatione repudiata, imperium Agidi abrogatū, vni ex legatis detulerunt. Non multo pòſt

*Milo.*

Milonem cum exercitu,ad arcem in aduentum ſuum occupandam,& mœnia cuſtodienda,miſit Pyrrhus.Gratum id Tarentinis fuit,quòd neque in præſidiis eſſe, neque quicquam laboris capere cogerentur.Itaque militi cibaria præbuerunt, Pyrrho pecuniam miſerunt. Æmylius, qui ad id tempus in caſtris ſe tenuerat, Pyrrhi militum aduentu cognito, cum per hyemem oppugnare vrbem non poſſet, in Apuliam abire ſtatuit. Sed cum Tarentini anguſtis quibuſdam faucibus occupatis, per quas tranſire neceſſe habebat, iter ei ſagittis, iaculis & fundis interclusiſſent, captiuos eorum præmiſit. illi verò veriti, ne ſuos pro Romanis conficerent, deſtiterunt.

*Pyrrhus Tarenti pro domino ſe gerit*

At Pyrrhus vere non expectato, cum magno lectiſſimóque exercitu abiens, & x x elephantis (quæ animalia non prius in Italia conſpecta, ſtuporem & admirationem hominibus attulerunt) dum Ionium traiicit, tempeſtate orta, multis amiſſis, cæteris diſſipatis, pedeſtri itinere Tarentum ægrè peruenit: ac pubem ſtatim ſuis militibus inſeruit,ne ſeorſim inſtructi, belli tempore nouis rebus ſtuderent. eadémque forſitan de cauſa theatrum clauſit: & conuiuiorum comeſſationúmque cœtibus interdictis, adoleſcentes aut in armis exerceri, aut per totos dies in foro agere iuſſit. Quarum rerum moleſtia quibuſdam ſe ſubducentibus,ſuos portis præfecit,qui neminem exire paterentur. His igitur rebus & cõmeatus ſuppeditatione,& ſatellitum in ædes receptione oneratos,ſera pœnitentia Tarentinos inuaſit,quòd non ſocium ſed dominum acciuiſſent. Pyrrhus verò ne ad Romanos his de cauſis inclinarent veritus,Reip.gerendæ, tractandóque populo idoneos, partim per cauſas aliquas in Epirum ad filium miſit, partim clam ſuſtulit. Ariſtarchum verò ſummũ apud illos virũ,& eloquentia præſtantem,ſibi conciliauit,vt ob ſuam familiaritatem populo ſuſpectus eſſet.Sed cum ei nihilominus fidem eſſe cerneret,in Epirũ ire iuſſit: qui cum refragari non auderet,ſe illò nauigaturum ſimulans, Romam eſt profectus.Quæ cum Tarenti agerentur, Romani Pyrrhi aduentu minimè læti, tum quòd Italiam infeſtã haberent, tum quòd illũ bellicoſum & inuictis munitum eſſe copiis fama ferebat,delectibus habitis, coactáque pecunia, ſociis ciuitatibus præſidia impoſuerunt, ne illæ quoque deficerent: & quas nouis rebus ſtudere velle præſenſerant,earum principes mulctarunt.Prænestinos autem quoſdam veſperi in vrbem adductos, ærario cuſtodiæ cauſa incluſerunt: vt vetus oraculum quoddam impleretur, quo prædictum fuerat, illos Romanum ærarium occupaturos. cuius hic euentus fuit, vt ibi necarentur.

*Valerius Leuinus conſul contra Pyrrhũ miſſus.*

Contra Pyrrhum, Tarentinos,eorúmque ſocios Valerium Leuinum miſerunt, parte exercitus in vrbe præſidij cauſa retenta. Is ſtatim Roma profectus eſt, vt bellum quàm longiſſimè à patria gereret, & terrorem Pyrrho incuteret: qui ab iis vltrò laceſſeretur, quorum ſe mœnia oppugnaturum opinabatur. Captóque munito & opportuno caſtello, præſidium in Lucanis reliquit, ne ad hoſtes ſe conferrent. Pyrrhus Leuini aduentu cognito, eductis copiis tẽpus terere, dum auxilia cõueniſſent, cupiens, ſuperbas & minaces Leuino literas ſcripſit, in hanc ſententiam. Rex Pyrrhus Leuino ſalutem. Audio te exercitum contra Tarentinos adducere. cæterùm eo dimiſſo, ipſe cum paucis ad me venito.nam ſi qua inter vos controuerſia eſt, ego ius vobis dicam: & inuitos ea quæ æqua ſunt, præſtare cogam. Ei Leuinus hoc modo reſpondit: Omnino mihi Pyrrhe inſanire videris, qui te inter nos & Tarentinos iudicem conſtituas, priuſquam nobis pœnas dederis ingreſſus in Italiam tui. Itaque cum toto exercitu veniam, & de te & Tarentinis pœnas ſumam. Quid enim verbis & nugis mihi opus eſt, cum Marte iudice, autore noſtri generis, cauſam diſceptare liceat? Hoc reſponſo dato, properat: & flumine interiecto caſtris poſitis, ſpeculatores aliquot comprehendit: quos per caſtra circumductos,ſéque alium longè maiorem habere exercitum gloriatus, dimiſit. Quo facto perculſus Pyrrhus, pugnam detrectauit, tum quòd fœderati eius nondum conueniſſent, tum quòd Romanos in hoſtili agro commeatus penuria laboraturos ſperabat. Eadem Leuinus quoque reputans, confligere quam primùm ſtatuit: & quia milites & Pyrrhi famam, & elephantes timebant, conuocato exercitu, & longa oratione ad confirmandos militum animos habita, ita ſe parat, vt cum Pyrrho vel inuitò pugnaturus. qui quamuis à pugna abhorreret, tamen ne Romanos formidare videretur, & ipſe milites ſuos ad pugnam cohortatus, Leuinum flumen iuxta caſtra tranſire conantem, prohibuit.

*Pyrrhus Leuinum elephantorum potiſſimum opera ſuperat.*

Is igitur cum peditatu ibi ſe continens, equitibus per ſpeciem prædæ petendæ ablegatis, mandat,vt longè prouecti, traiiciant. qui cum ex improuiſo terga hoſtium inuaſiſſent, & ordines turbaſſent, Leuinus amne ſuperato, prælium & ipſe init. Sed Pyrrhus dum ſuis fugientibus ſuppetias venit, equo ex vulnere amiſſo periiſſe putabatur:vnde Epirotis animi imminuti ſunt,Romanis creuerunt, mutata prælij facie. quo Rex intellecto,veſtem inſignem dat Megacli induendam, eúmque paſſim circumuehi iubet,vt ſe viuere arbitrati,hoſtes terrerentur, ſui confirmarentur, ipſe priuati habitu cum toto exercitu, elephantis exceptis, in Romanos inuehitur, & vbique laborantibus ſuccurrens, ſuos multum iuuat. Pugna igitur initiò magna diei parte anceps fuit, donec quidam Megacle occiſo, ſe Pyrrhum occidiſſe ratus, effecit vt hoſtes idem crederent. Tum verò & Romanis aucti ſunt animi, & hoſtes ceſſerunt. Pyrrhus autem abiecto pileo, nudo capite circumiens, pugnæ fortunam mutauit. & cum Leuinus equites,quos extra aciem in inſidiis habebat, à tergo in hoſtes incurrere iuſſiſſet, ſignum elephantis ſuſtulit. Ibi ex inuſitato belluarum conſpectu, & horrendo barritu, armorúmque ſonitu, quem qui in turribus ferebantur, edebant: tum ipſi Romani perterriti ſunt, tum equi perturbati, ſeſſores partim excutientes, partim vehentes fugerunt. Itaque abiectis animis in fugam verſi, partim à viris qui in elephantorum turribus erant, occidebantur: partim ab ipſis belluarum manibus & dentibus multi conficiebantur, neque pauciores pedibus



pedibus illarum proterebantur. Multos etiam equites inſecuti ſuſtulerunt: neque vllus euaſiſſet, niſi elephantus vulneratus retroceſſiſſet, & barritu ſuo cæteros turbaſſet. Nam cum ea de cauſa Pyrrhus à perſequendo deſtitiſſet, Romani flumine ſuperato in vrbem quendam Apuliæ peruenerunt. Multi etiam ex Pyrrhi militibus & ducibus ceciderunt. Quare cum ei quidam victoriam gratularentur: Si denuò,inquit, ita vicerimus, actum de nobis erit. & Romanos quamuis victos admiratus, ſi eis imperaret, ſe orbis terrarum imperio potiturum eſſe dixit. Ex ea victoria magnum nomen adeptus eſt, ac multi ſe ad eum contulerunt. Sociis, cum veniſſent, ob moram nonnihil caſtigatis, partem manubiarum dedit. Qui Romæ erant, ob acceptam cladem mœſti Leuino ſupplementum miſerunt: & Tyberio ex Hetruria reuocato, vrbem præſidiis firmarunt. nam Pyrrhum ad eam tendere audierant. Leuinus verò ſauciis curatis, & diſperſis recollectis, acceptíſque miſſis ex vrbe militibus, Pyrrhum aſſectando vexauit: & Capuam, cuius illum capiendæ eſſe cupidum audierat, occupatam defendit. Eò conſilio fruſtratus Pyrrhus, Neapolim contendit: qua cum potiri non poſſet, ad Romam occupandam properans, & per Hetruriam tranſiens, vt eam quoque gentem ſibi adiungeret: vbi eos cum Romanis fœdus percuſſiſſe didicit, & Tiberium ſibi obuiam ire, Leuinum à tergo

*Pyrrhus conſilium Romæ oppugnandæ mutat.*

ſequi: ne ab eis in regione ignota circumueniretur timens, vlterius non eſt progreſſus. Vt verò recedenti & Campaniæ fines ingreſſo, Leuinus cum exercitu longè maiore quàm prius habuerat, ſe oſtendit: Hydræ inſtar, inquit, Romanorum legiones cædendo renaſcuntur. & aciem inſtruxit ille quidem, ſed non commiſit prælium. Nam cum ſuos milites clypeos haſtis pulſantes, clamorem tollere, & claſſica canere, & elephantos barrire iuſſiſſet, vt Romanos ante congreſſum perterrefaceret: illi autem longè ferocius reclamaſſent, vt ipſius milites conſternarentur: pugnam inire, ſacra inauſpicata cauſatus, noluit: ſed captiuos Tarentum reduxit, ibíque Romanorum legatos pro captiuis redimendis miſſos, Fabricium & cæteros, honorificè benignéque excepit ſperans eos pacem petituros, & vt victos leges accepturos. Cæterùm Fabricio pro captis in bello id precium offerente, quod vtrinque conueniſſet: quia pacis nullam mentionem fecerat, animi dubius, ſeorſim, vt ſolebat, cum amicis,de reddendis captiuis, déque bello adminiſtrando deliberauit, Milone autem ſuadente, vt neque captiuos redderet, neque pacem faceret,ſed Romanis iam victis, etiam reliquias belli perſequeretur: Cyneas planè contrarium cenſuit. Nam & captiuos gratis eſſe reddendos,& legatos atque pecuniam Romam mittendos, pacis & fœderis impetrandi cauſa. cuius ſententiæ & cæteri & ipſe Pyrrhus aſſenſi, legatis accerſitis: Neque prius, inquit, Romani mea ſponte vobis bellum intuli, neque nunc inferam. Amicus enim veſter eſſe cupio. Itaque captiuos gratis vobis reddo, & vt pacem mecum faciatis peto. Hæc cum legatis omnibus dixiſſet, & pecuniam partim dediſſet, partim promiſiſſet, cum Fabricio ſeorſim hoc modo egit:

*Pyrrhus Romanis captiuos reddit, eorúmque pacem expetit.*

Cùm omnium Romanorum amicitiam expeto, tum verò tuam, quem virum bonum eſſe video, & vt pacem mihi conficias peto. Hæc cum diceret, munera quoque multa ei obtulit. At ille: Pacis, inquit, ſtudium in te Pyrrhe laudo: & pacem,modò ea nobis proſit, tibi conficiam. neque enim poſtulabis, cum me bonum virum eſſe dicas, vt aliquid agam contra patriam.Sed nihil munerum illorum quæ mihi offers, accipiam. Nunquid enim me verè bonum virum eſſe cenſes, an non? Nam ſi malus ſum, cur munera mihi largiris? Sin bonus, cur ea me accipere iubes? Scito autem me abundare opibus, ſorte mea contentum, neque plura deſiderantem. Te verò, etſi ditiſſimus es, extrema inopia laborare. nam neque Epiro, neque cæteris quæ habes relictis huc traieciſſes: ſi illis contentus, plura non deſiderares. His dictis, legati captiuis receptis abierunt.

*Cyneas Romã legatus, re infecta diſcedit.*

Pyrrhus autem Cyneam cum multo auro & ornamentis muliebribus omnis generis Romam miſit:vt etſi ex viris aliqui aduerſarentur, at vxores eorum ornamentis illectæ viros etiam corrumperent. Romam profectus Cyneas, non ſtatim ſenatum adiit, ſed aliàs aliud cauſando moratus, potentum ædes circumiit, eóſque & verbis & muneribus ſibi conciliauit. Cum iam multos ſibi deuinxiſſet, curiam ingreſſus, dixit: Pyrrhus rex ſe veniſſe ait, non vt bellum vobiſcum gereret, ſed vt Tarentinos ſupplices ſibi factos reconciliaret. Præterea captiuos ſine precio vobis reſtituit:& cum agrum veſtrum vaſtare, & vrbem oppugnare potuiſſet, ſe in numerum amicorum & ſociorum veſtrorũ inſcribi petit.Iam quamuis ſibi vos multum commodaturos credit, plura ſe tamen & maiora in vos beneficia collaturum exiſtimat. Hæc cum maximæ ſenatorum parti ob largitiones & captiuos redditos placerent, tamen nullo reſponſo dato, plures dies in deliberando conſumpſerunt: cúmque varia dicerentur, ſententia de pace facienda vicit.

*Appius Cæcus pacem impedit.*

Quo Appius cæcus cognito, in ſenatum delatus (nam ob ætatem & cladem oculorum domi ſe continere ſolebat) negauit è republica eſſe vt pax cum Pyrrho fieret. & monuit, Cyneam ſtatim vrbe pellendum eſſe: per eúmque Pyrrho ſignificandum, vt domum reuerſus, ſiue de pace, ſiue quid aliud vellet, legatos mitteret. Hæc Appio locuto, ſenatus nihil cunctatus, ſtatim conſentientibus animis decreuit, Cyneam eodem die extra fines ablegandum: & Pyrrho, dum in Italia verſaretur, bellum irreconciliabile indicendum eſſe. Captiuos verò, militari quadam ignominia notarunt, iis neque contra Pyrrhum vſi, neque vſquam alibi vniuerſis, ne quid coniuncti nouarum rerum molirentur, ſed alios in alia præſidia miſerunt. Per hyemem vtrinque ſe inſtruxerunt. Vere inſtante Pyrrhus impreſſione in Apuliam facta.multa vi, multa deditione occupauit: donec Romani ad Aſculum oppidum contra eum caſtra poſuerunt, ac dies complures mutuo metu quieuerunt. Nam Romani Epirotas vt victores timebant, Epirotæ Romanos vt deſperatos. Interea cum nonnulli

rumore ſparſo, Decium ad deuouendum ſemetipſum exemplo patris & aui paratum eſſe, Epirotas perterrefacerent: ex illius enim obitu omnes perituros: Pyrrhus ſuos milites hortatus eſt, ne deſperarent, aut percellerentur huiuſmodi verbis. neque enim vnius hominis obitu multos debellari poſſe: neque incantationem, aut præſtigias vllas, plus quàm viros & arma valere. Quæ cum dixiſſet, & orationem ſuam rationibus approbaſſet, exercitum confirmauit. indagatóque habitu, quo Decij ſe deuouiſſét, monuit, ſi quem ita ornatum cernerent, ne eum occiderent, ſed viuentem cõprehenderent. Decio verò nunciari iuſſit, facinus illud ei non ſucceſſurum: & ſi viuus caperetur, malè periturum eſſe minatus eſt. Ad quæ Coſs. reſponderunt, nulla re tali ſibi opus eſſe. Si enim alioqui omninò ſuperiores illo futuros. & cum profundum flumẽ caſtra mediũ dirimeret, ſciſcitati ſunt, vtrũ ipſe impunè tranſire, ſe digreſſis, an ſibi trãſeundi poteſtatẽ dare mallet: vt æquali pugna, vtriſque copiis integris congreſſis, de fortitudine certum fieri iudicium poſſet. Hanc opinionem cum Romani Pyrrho terroris incutiendi cauſa dediſſent: ille multum elephantis fretus, eos flumen tranſire paſſus eſt. Romani verò cùm alia præpararunt, tum aduerſus elephantos ferratas haſtas, antennarum inſtar curribus inſertas, & vndique eminentes pararunt, vt cùm alia tum ignẽ inde eiaculantes, belluas repellerent. Cum ad manus ventum eſſet, Romani Græcos ſerò quidem, ſed tandem pepulerunt, donec Pyrrhus elephantis in auxilium, non quà falcati currus ſtabant, ſed in alteram partem adductis, equitatum Romanum terrore belluarum ante congreſſum profligauit, ſed peditibus parum incommodauit. Interea quidam Apuli Epirotarum caſtra aggreſſi, cauſa victoriæ Romanis extiterunt. Nam cum Pyrrhus aliquot ex iis qui pugnabant, contra eos miſiſſet, reliqui omnes turbati, & tentoria capta eſſe, & illos fugere opinati, inclinarunt, eorúmque multi cæſi ſunt: Pyrrhus ipſe, & ex præcipuis complures vulnerati, ac pòſt cùm ob commeatus, tum medicamentorum inopiam grauiter afflicti. Quamobrem Tarentum diſceſſit, antequam id Romani ſenſiſſent. Conſules, etſi flumen pugnandi cauſa tranſierunt, tamen cum audiſſent hoſtes omnes diſſipatos eſſe, in vrbes Apuliæ hybernatum reuerſi, propter vulneratos milites, illos perſequi non potuerunt. Pyrrhus verò cùm alia inſtruxit, tum milites & pecunias domo aduehi iuſſit. ſed cum Fabricium & * Pappum Coſs. lectos in caſtra perueniſſe cognouiſſet, in ea ſententia non permanſit. Nicias verò quidam, qui fidus illi eſſe credebatur, ad Fabricium ſe contulit, ſe Pyrrhum dolo interfecturum pollicens. Quod facinus indignè ferens Fabricius (virtute enim & viribus, non dolo ſuperandos hoſtes, quemadmodum Camillus cenſebat) inſidias Pyrrho indicauit. Quare illum ita obſtupefecit, vt denuò Romanis captiuos gratis reſtitueret, & per legatos pacem peteret. Vt autem Romani de pace nihil reſpondebant, ſed eum tum quoque, cum Italia exceſſiſſet, de pace agere iubebant, & vrbes ei fœderatas infeſtabant & expugnabãt, animi dubiũ ea res erexit, quòd à Syracuſanis quibuſdam (nam ex quo Agathocles deceſſerat, ſeditionibus agitabãtur) accerſebatur, & vrbem & ſemetipſos illius fidei permittentibus. Concepta enim ſpe totius Siciliæ potiundæ Milonem ad Tarentum, cæteráque tutanda in Italia reliquit: ipſe, vt breui reuerſurus, diſceſſit. Et à Syracuſanis exceptus, ſumma rerum ipſi permiſſa, rurſus breui ſpacio temporis tantus euaſit, vt Carthaginenſes illius metu ex Italia militem conducerent. Sed celeriter ea fortuna mutata eſt in contrarium: quòd multos ex primoribus ſibi ſuſpectos partim pellebat, partim necabat. Carthaginenſes enim, cum eum nec priuatis viribus valere, neque popularium habere ſtudia cernerent, bellum ſtrenuè adminiſtrarunt: eúmque Syracuſanorum exulibus ſuſcipiendis, malè tractarunt. Vnde non Syracuſas duntaxat, ſed totam Siciliam deſeruit. Romani verò per eius abſentiam confirmatis animis, ad vltionem eorum, à quibus accerſitus fuerat, conuerſi, Tarentinorum vindicta in aliud tempus dilata, Rufini & Iunij Coss. ductu & auſpiciis Samnium inuaſerunt: agríſque vaſtatis, caſtella quædam ab incolis deſerta occuparunt. Samnites enim in montes * Cranitas, qui à coruorum frequentia ſic dicuntur, chariſſima pignora, & precioſiſſima quæque contulerunt. Romanis igitur per contemptum eos montes conſcendere auſis, aſperos atque arduos, multi occubuerũt, multi capti ſunt. Eius cladis culpam Conſules alter in alterum conferentes, de communi ſententia bellum gerere deſtiterunt. ac Iunius partem Samniticæ ditionis vaſtauit: Rufinus Lucanos & Brutios afflixit: & ad Crotonem recuperandam profectus eſt, quæ defecerat à Romanis, accerſitus à familiaribus ſuis. Sed cæteri ante aduentum eius, præſidium, cui Nicomachus præerat, à Milone accerſiuerant. Cuius rei ignarus, cum, vt ad amicorum mœnia negligentius acceſſiſſet, ſubita hoſtium eruptione cladem accepit: deinde arte quadam vrbe potitus eſt. Duos enim captiuos, transfugarum titulo Crotonem miſit: quorum alter diceret, eum deſperata vrbis expugnatione Locridem, quò à proditoribus vocetur, diſceſſurum: alter deinde affirmaret, eum iam in itinere eſſe. Quæ oratio vt eſſet probabilior, ſarcinis collectis ſe properare ſimulauit. Id Nicomachus verum eſſe ratus (nam ſpeculatores idem renunciabant) Crotone deſerta, per viam breuiorem celeriter Locros contendit. Quò cum perueniſſet, Rufinus conuerſo ad Crotonem itinere, animaduertente nemine, quòd & præter expectationẽ aderat, & nebula conſpectum eripuerat, vrbem cępit. Quo Nicomachus cognito, Tarentum rediturus, cum in itinere in Rufinum incidiſſet, multos amiſit: Locri ad Romanos ſe contulerunt. Sequente anno Romanis expeditione contra Samnium & Leucadem ſuſcepta, bellóque Brutios adortis, Pyrrhus Sicilia expulſus, & in Italiam reuerſus, permoleſtus fuit. Locros, qui Romano præſidio cæſo defecerant, recepit: ſed à Rhegij oppugnatione repulſus, & ipſe vulneratus eſt, & multos milites amiſit.

*Pyrrhus deuotionem Decij contemnendam eſſe monet.*

*Pyrrhus à Romanis profligatur.*

*Pyrrhus Siciliam non diu tenet.*

*Romani Samnites oppugnant.*

** Si cum aliquo autore poſſem mõtes Cornetanos vel Corneos dicerem.*

*Rufinus Crotone & Locris potitur.*



tes amiſit. Inde in Locridem profectus, & quibuſdam aduerſæ factionis mulctatis, frumentóque & pecunia à cæteris acceptis, Tarentum rediit. À Samnitibus, quos Romani grauiter vrgebant, in auxilium euocatus, in fugam verſus eſt. Nam cum pullus elephanti vulneratus, ſéſſoribus excuſſis, matrem paſsim quæreret, eáque perturbata etiam cæteri elephanti concitati eſſent, ſine diſcrimine permiſta ſunt omnia: ſed tandem Romani multis occiſis, & VIII elephantis captis, caſtris etiam potiti, vicerunt.

Pyrrhus verò cum paucis equitibus Tarentum refugit, atque inde in Epirum nauigauit, vt rediturus, Milone cum præſidio Tarenti relicto: datáque ſella, quæ loris è Niciæ ob proditionem occiſi pelle conſtricta erat. Ac Niciam quidem ita vltus eſt. Tarentinos autem aliquot adoleſcentes ob dicteria quædam puniturus, rogauit, cur ea petulantia vſi eſſent? Qui cum reſpondiſſent, ſe longè plura & acerbiora in eum fuiſſe dicturos, niſi vinum defeciſſet: eos cum riſu dimiſit. Pyrrhus igitur illuſtriſſimus imperator, qui multum terroris Romanis iniecit, quinto anno relicta Italia, & in Græciam expeditione ſuſcepta, non multo pòſt Argis periit. Mulier enim quædam, vt fertur, eum prætereuntem videre cupiens, è ſuperiore loco delapſa, occîdit. Eodem anno Fabricius & Pappus cenſores facti, cùm alios equites & ſenatores, tum Rufinum, quamuis dictatorium, atque iterum conſularem, notarunt, quòd decem pondo argentea vaſa habebat. Ita Romani paupertatem non in parum habendo, ſed in multum concupiſcendo poſitam eſſe crediderunt. eáque de cauſa magiſtratibus & aliis ob Rempublicam peregrè abeuntibus, viaticum & annulus è publico dabatur. Tarentini quidam Milonem, à quo malè accepti fuerant, Nicone duce aggreſſi, cum nihil profeciſſent, caſtello quodam ſuæ ditionis occupato, eum infeſtarunt. Et cum didiciſſent, Romanos contra ſe bellum moliri, legatis Romam miſſis, pacem impetrarunt. Ptolemæus item Philadelphus, Ægypti rex Pyrrhi cladibus & Romanorum incrementis cognitis, & munera eis miſit, & amicitiam pepigit. Quo Romani delectati, viciſſim legatos ad illum miſerunt: qui magnificè ab illo donati, munera in ærarium referre voluerunt, ſed ea ſenatus non admiſſa ipſos habere iuſſit. Poſt hæc Samnites per Caruilium ſubegerunt, Lucanos & Brutios per Papyrium vicerunt. Idem Papyrius etiam Tarentinos domuit. Qui cum Milonem ægrè paterentur, & à ſuis, Miloni, vt dictum eſt, infeſtis vrgerentur: Carthaginenſium opem implorarunt, Pyrrhi cognito interitu. At Milo in anguſtias redactus, Romanis terra, Carthaginenſibus mari prementibus, arcem Papyrio ea conditione tradidit, vt ſibi cum pecuniis & militibus incolumi diſcedere liceret. Inde Carthaginenſes, vt Romanis fœderati, receſſerunt: vrbs Papyrio deditionem fecit, armis & nauibus traditis, muríſque dirutis, & tributo impoſito. Tarentinis ſubactis, Romani Rhegium inuaſerunt: quòd Crotonem proditione captam euertiſſent, & Romanos in vrbe deprehenſos occidiſſent: Mamertinos Meſſanæ habitatores, à Rheginis ad belli ſocietatem euocatos, pactione obſtrinxerũt. Sed dum Rhegium obſident, & cibariorum penuria & aliis incommodis ſunt conflictati: donec ab Hierone frumento & milite adiuti, vrbem expugnatam, veterum ciuium reliquiis reddiderunt: de iis qui eam per inſidias oppreſſerant, ſupplicium ſumptum eſt. At Hieron neque patrio genere nobilis, & matre ancilla natus, toti penè Siciliæ imperauit, Romanorum amicus & ſocius appellatus. Qui cum poſt Pyrrhi fugam Syracuſis potitus, Carthaginenſes inſulæ imminentes formidaret, ad Romanos inclinauit, eóſque primo illo beneficio frumenti & auxiliorum demeruit. Poſt hæc ſæuiſſima hyeme Tyberis in magnam altitudinem conglaciauit, arbores aruerunt, Romani afflicti ſunt, iumenta ex pabuli inopia perierunt. Anno ſequente Lollius Samnis Romæ obſes, fuga elapſus: manúque facta, & munito ſuæ regionis caſtello occupato, latrocinium exercuit. Eum cum ſuis, qui conuenæ erant, & inermes maiori ex parte, Q. Gallus & C. Fabius comprehenderunt. Sed Caricinorum oppugnatio, apud quos prædam repoſuerant, difficilis fuit. Denique verò transfugarum opera, noctu ſuperato muro, in tenebris penè cæſi fuiſſent, non ob noctem illunem, ſed propter niuium procellas. Cum autem luna illuxiſſet, ſubirò caſtellum expugnarunt. Eo tempore auctis opibus, Romani drachmas argenteas vſurpare cœperunt. Deinde Calabriæ arma intulerunt: id crimini dantes, quòd Pyrrhum recepiſſent, & ſocios infeſtaſſent: ſed reuera ob eam cauſam, vt Brunduſium ſubigerent, propter portuum commoditatem, & facilem in Illyriam & Græciam traiectum. Eodem enim vento ſpirante, ex eo portu & ſoluere, & in eundem appellere licebat. Voti compotes facti, colonos non modò Brunduſium, ſed & in alia loca miſerunt. Quæ cum perfeciſſent, & altius aſcenderent, non ſunt elati: ſed Q. Fabium ſenatorem, ob contumeliam legatis factam, Appolloniatibus, qui in ſinu Ionio habitant, dediderunt: quem illi acceptum, incolumem domum remiſere. Q. Fabio & Æmylio Coss. ad libertatem Vlſineis fœderatis ſuis reſtituendam, militarunt: qui cum Tyrrhenorum antiquiſſimi eſſent, & potentiam & mœnia fortiſſima ſibi pararant, & Republica bonis ornata legibus vtebantur. Quibus de cauſis aliquando bello ſuſcepto, Romanis longiſſimo tempore reſtiterunt. Sed ſubacti, atque in delicias delapſi, Reipublicæ adminiſtrationem, & bella ferè gerenda, ſeruis commiſerunt: eóſque tandem eò euexerunt, vt opibus atque animis elati, ipſi ſeſe in libertatem aſſererent, & dominas ſuas vxores ducerent, & dominis ſuccederẽt, atque in ſenatum legerentur, & magiſtratus inirẽt, & ipſi omnem autoritatẽ obtinerent, cæteráque omnia. Iniurias à dominis ſibi factas, maiore petulentia in illos reiecerunt. Veteres igitur ciues, cum eos neque ferre, neque ſuis viribus vlciſci poſſent, clam legatos Romam miſerunt, qui precibus ſecretò impetrarunt, vt ſenatus, ne res palàm fieret, in priuatis ædibus conueniret. Ac illi qui-

*Pyrrhus in Samnio vincitur.*

*Pyrrhi interitus.*

*Decem pondo argenti cenſoria nota caſtigata.*

*Tarentina ſeditio.*

*Ptolemæus Philadelphus fit populi Romani amicus.*

*Samnites domiti.*

*Tarenti & Rhegij expugnatio.*

*Hieron Siciliæ rex.*

*Hyems ſterilitatis cauſa*

*Lollius Samnis.*

*Caricinum caſtellum.*

*Argentea moneta.*

*Brunduſium colonia Romanorum facta.*

*Q. Fabij deditio.*

*Vlſinei Hetruſci.*

dem, vt nemine audiente, deliberabant. Samnis autem quidam, ædium domini hoſpes, ægrotans, per incuriam ibi relictus, cognito ſenatuſconſulto, monuit eos qui accuſabantur. Illi igitur quæſtionibus habitis de legatis, cum quid ageretur intellexiſſent, & illos & primores ciuitatis occiderunt. Quapropter Fabius à Romanis contra eos miſſus, omnes qui in aciem deſcenderant, profligauit, in fuga multos occidit, reliquos in vrbem compulſos oppugnauit. Vbi cum ex vulnere occubuiſſet, ſerui reſumpta fiducia eruperunt: ſed victi, atque obſidione ad famem redacti, deditionem fecerunt. Conſul eos qui ſuis dominis magiſtratus eripuerant, excruciatos necauit, vrbem euertit: indigenas, & ſeruos qui in dominorum fide manſerant, alibi collocauit. Ab eo tempore Romani tranſmarina bella gerere ſunt aggreſſi, prius claſſis inſtruendæ planè rudes. Cum autem in mari verſari cœpiſſent, in inſulas, aliáſque continentes traiecerunt. Sed cum Carthaginenſibus primùm ſunt congreſſi, nihilo neque opibus neque agri bonitate inferioribus, & in re nautica exercitatiſſimis: qui præterea pedeſtribus equeſtribúſque copiis, & elephantis pollebant, & Libyæ, Sardiniæ, ac magnæ parti Siciliæ imperabant. vnde in ſpem Italiæ quoque ſubigendæ erigebantur. Nam præter alia ſuperbię incitamenta, immodica quoque libertas animos eis faciebat. Eorum enim rex, annui magiſtratus, non diuturnæ poteſtatis autoritatem habebat. ac ſi ſumma cupiditate & nimio ſtudio incitati reges reformidarent. *Belli cauſæ prętendebantur à Romanis, quòd Carthaginenſes Tarentinis opem tuliſſent: à Carthaginēſibus, quòd Romani cum Hierone amicitiam iniiſſent. Sed vera cauſa illa erat, quòd inuicem ſe ſuſpectos habebant: & vtrique incolumitatem ſuam in eo ſitam eſſe putabant, ſi alteros ſubegiſſent. Cum ſic affecti eſſent, huiuſmodi occaſio ſoluendæ pacis, & auſpicandi belli incidit. Mamertini, qui olim ex Campania coloniam Meſſanam deduxerant, tum autem ab Hierone obſidebantur, opem Romanorum, vt quos cognatione attingerent, implorarunt: quibus alacriter auxilia ſunt decreta. Neque enim obſcurum erat, Mamertinos ad Carthaginenſes tranſituros, ſi à Romanis deſtituerentur: qui ſubacta tota Sicilia, inde in Italiam tranſituri eſſent. Ea enim inſula parum à continente diſtat: vnde olim Italiæ fuiſſe iunctam fabulantur. Ob ſitum igitur Italiæ tam propinquum, Carthaginenſes inuitare videbatur, vt ea occupata, etiam oppoſitam continentem ſibi vendicarent. & qui Meſſanam tenebant, etiam fretum illud anguſtum in poteſtate habebant. Romani verò auxilia Mamertinis decreta, ob cauſas quaſdam non ſtatim miſerunt. Quare illi, vrgente neceſſitate, Carthaginenſes implorarunt. Qui & ſupplicibus & ſibi ipſis pacem cum Hierone confecerunt, ne Romani in inſulam traiicerent, & vrbem atque fretum Hannone duce cuſtodiuerunt. Interea C. Claudius tribunus militum ab Appio Claudio cum paucis nauibus præmiſſus, Thegium venit. ſed cum hoſtilem claſſem longè maiorem videret, traiicere non auſus, nauicula conſcenſa Meſſanā appulit: & cum Mamertinis ea collocutus eſt, quæ tēpus ferebat. ſed Carthaginēſibus refragatis, tum quidem rebus infectis receſſit. pòſt autem, cum Mamertinos in motu eſſe cognouiſſet (neque enim Romanis parêre volebant; & Carthaginenſes ęgrè patiebantur) rurſus nauigauit: & præter alia ad perſuadendum apta, ſe liberādæ ciuitatis ergò adeſſe dixit, & rebus in integrum reſtitutis receſſurum. Carthaginenſes verò aut recedere, aut quam iuſtam manendi cauſam haberent, exponere iuſſit. Cum verò neque Mamertinus quidquam præ metu loqueretur, & Carthaginenſes vrbem vi tenentes, nihil eum curarent: Satis, inquit, argumenti eſt vtrorúmque ſilentium, alteros iniuſtè agere (nam ſi cauſa freti eſſent, ſe defenderent) alteros libertatis eſſe cupidos. Si enim Carthaginenſibus ſtuderent, liberè illis auxilia promitterent. Quæ verba cùm Mamertini cum plauſu & laudibus excepiſſent, Rhegium ſtatim rediit: ac paulo pòſt cum tota claſſe vi traiicere conatus, partim ob multitudinem & ſolertiam Carthaginenſium, partim ob freti ſæuitiam, & tempeſtatem ſubitò exortam, triremibus aliquot amiſſis cum reliquis ægrè tenuit Rhegium. Neque tamen ob eam cladem Romani mari abſtinuerunt: ſed Claudius naues refecit. Hanno cauſam rupti fœderis Romanis aſcripturus, etiam captas triremes Claudio remiſit, captiuóſque reſtituit, eúmque ad pacem prouocauit. Sed cum ille nullas conditiones admitteret, minatus eſt, ſe non paſſurum vt Romani vel manus in mari abluerent. Claudius verò freti natura conſiderata, captauit refluxum eius & ventum ſimul ex Italia in Siciliam ferentes: itaque in inſulam traiecit, prohibente nemine. & Mamertinis in portu inuentis (nam Hanno cum ciues ſuſpectos haberet, arcem tuebatur) pro concione perſuaſit, vt Hannonem accerſerent. Qui etſi deſcendere volebat, tamen veritus ne Mamertini de iniuriis ſibi factis conquerentes, noui aliquid molirentur, in concionem venit: & multis verbis vtrinque fruſtra factis, à quodam Romano comprehenſus in carcerem coniicitur, Mamertinis approbantibus. Sic ille tota Meſſana neceſſariò relicta, à Carthaginēſibus mulctatus eſt: & vnà cum exercitu caduceator ad Romanos miſſus, per quem edicebant, vt Meſſanam relinquerent, & intra certum diem tota Sicilia excederent. Romanis verò non obtēperantibus, Italos, qui apud ipſos ſtipēdia merebant, occiderunt: & Hierone adiuuante, impetu facto Meſſanam obſederunt: ac fretum cuſtodierunt, vt neque milites, neque frumētum ad eos importarentur. Quo Conſul iam appropinquans animaduerſo, vt milites vbique in portu per cauſam mercaturæ faciendæ verſantes inuenit, eos decepit, vt quàm minimo cum periculo fretum tranſiret. noctúque clàm in Sicilia non procul à caſtris Hieronis appulit, eúmque ſtatim aggreſſus eſt, ſe improuiſa impreſſione maximum illis terrorem illaturum ratus. Verùm equites eius ſuccubuerunt, ſed grauis armaturæ milites ſuperiores euaſerūt. Hieron tum in montes, pòſt Syracuſas ſe cōtulit. quo Claudius amoto, Mamertinis

*Punici belli initia.*

**Quędā & fortè nō pauca hic deſira ri arbitratur*

*Mamertini.*

*C. Claudius malè rem gerit in Sicilia*

*Romanorū & Carthaginenſium certamina in Sicilia.*



ſua præſentia recreatis, Carthaginenſes iam deſtitutos inuadit, impetu in eorum caſtra facto, quę quodammodo peninſulę inſtar erant, hinc mari, illinc profundis cincta paludibus. Anguſtiſſimæ autem fauces, quà ſolum patebat aditus, muro intercludebantur. Quò dū vi per multas ærumnas penetrare Romani ſtudent, telis profligati recedunt. Afros verò auctis animis, ex anguſtis faucibus eruptione facta, tanquam fugientes perſecuturis, Romani conuerſi repulerunt, multis occiſis, vt non amplius caſtris egrederentur, quamdiu Claudius Meſſanæ fuit. Qui cum eos vi elicere non auderet, ad Syracuſas & Hieronem conuertit animum, pręſidio Meſſanę relicto. Et vt ipſe vrbem oppugnabat, ſic ciues aliquando erumpebant, nunc his, nunc illis fauente victoria. Et Conſul aliquando in anguſtias redactus, captus eſſet, niſi antequam circumueniretur, ad Hieronem de pacis conditionibus legatum miſiſſet. Nam cum quidam veniſſet, cum quo de pace tractaret, inter colloquendum paulatim receſſit, donec in tuta peruenit. Et quia vrbs facilè capi non poterat, & obſidio cùm ob penuriam commeatus, tum propter luem in exercitu graſſantem, facultatem non habebat, receſſit. Syracuſani autem ſequentes, cum diſperſis colloquebantur: ac pacem feciſſent, ſi etiam Hieron conſentire voluiſſet. Conſul præſidio Meſſanę relicto, Rhegium traiecit. Romani Hetruriæ rebus compoſitis, atque Italia planè pacata, Carthaginēſium autem viribus creſcentibus, vtrumque Conſulem in Siciliam ire iuſſerunt. Igitur Valerius Maximus & Octacilius Craſſus, tam ſeorſim quàm vnà inſulam peragrātes, multos id deditionem acceperunt: ac locis pleriſque adiunctis, Syracuſas contenderunt. Quorum ſucceſſibus Hieron territus, redditis vrbibus quas eis ademerat, promiſſaque pecunia, & captiuis dimiſſis, pacem petiit, atque impetrauit: quòd Conſules, eius opibus adiunctis, Carthaginenſes à ſe facilius debellari poſſe rebantur. Pactis firmatis, ad alias vrbes, in quibus Punica præſidia erant, conuerſi, atque cæteris repulſi * Segeſtam vltro ſe dedentem acceperunt. Ciues enim ob neceſſitudinem ſibi cū Romanis intercedentem (nam ſuum quoque ortum ad Æneam autorem referebant) Carthaginēſibus cæſis, illorum fidei ſe commiſerunt. Conſulibus ob hybernum tempus Rhegium reuerſis, Carthaginēſes maiorem copiarum partem in Sardiniam tranſtulerunt, vt inde Romanos aggrederentur: atque aut penitus Sicilia pellerent, aut ſi traieciſſent, vires eorum carperent. Sed neutrum eis ſucceſſit, Romanis & ſua tuentibus, & Siciliam cum iuſtis copiis, Poſthumij Albini & Q. Æmylij ductū atque auſpiciis, defendentibus. Qui cum in inſulam veniſſent, Hannibalem Giſgonis filium Agrigenti obſederunt. Quo Carthagine audito, Hanno cū magna manu auxilio miſſus, Heracleæ, quæ parū Agrigēto diſtat, bellum geſſit: ac multa magnáque prælia ſunt commiſſa, primùm Hannone Conſules, deinde Conſulibus Hannonem prouocantibus. Nam dum Romani copiam cibariorum habebant, numero militum inferiores, pugnam detrectabant, ſe fame vrbem expugnaturos ſperantes: cum verò frumento deficerent, ad decertandum alacres facti ſunt. Hanno verò pugnandi copiam eis facere noluit, veritus ne alacritate illa in inſidias pelliceretur. Vnde factū eſt, vt & alij Romanis tanquam victoribus ſtuderent: & Hieron antè ſegniter auxiliari ſolitus, tum frumentum ſummiteret, vnde Romani animos receperunt. Hanno quoque pugnam committere inſtituit, etiam Hannibalem eruptione facta Romanos à tergo cæſurum ſperans. Quo Conſules animaduerſo cùm quieſcerēt, & Hanno per contemptum vſque ad vallum acceſſiſſet, aliquot miſerunt, qui ei à tergo inſidiarentur. Illóque ſub veſperam ſecurè & contemptim exercitum reducente, Romani tam ex vallo, quàm ex inſidiis eum aggreſſi, multam & hominum & elephantorum cædē ediderunt. Interea Hannibal Romanorum caſtra adortus eſt, ſed repulſus à cuſtodibus, Hanno caſtris deſertis Heracleam confugit. Hannibal noctu Agrigēto profugiendi capto conſilio, ipſe quidem clam euaſit: cæteri autem deprehenſi, partim à Romanis, multi ab Agrigentinis ſunt occiſi: qui tamen ea re veniam non impetrarunt, ſed opibus direptis omnes venierūt. Conſules Meſſanam in hyberna conceſſerunt. Carthaginenſes Hannoni irati, Hamilcarem Barchinum ſucceſſorem dederunt, Imperatorem, Hannibale filio excepto, inter ſuos præſtantiſſimū: qui cum Ciciliam ipſe tueretur, Hannibalem claſſi præfectum in Italiam, oræ maritimæ infeſtandæ cauſa miſit, vt Conſules ad ſe retraheret. Sed fefellit eū opinio. Nam præſidiis vbique in mari collocatis, in Siciliam profecti, nihil memorabile geſſerunt. Hamilcar verò metuens, ne Galli milites, ob ſtipendia nō integra numerata indignantes, cum Romanis ſe coniungerent, ad quandam Romanam vrbem per proditionem ſcilicet occupandam & diripiendam eos miſit: ſubornatis transfugis, qui Coss. Gallorum aduentum nunciarent. Ita illi omnes inſidiis excepti perierūt ſed & Romanorum multi occubuerunt. Conſulibus domum reuerſis, Hamilcar etiam Italiæ oram claſſe vaſtauit, & quaſdam Siciliæ vrbes ſubegit. Quo Romani audito, claſſem inſtruxerunt, cui Cōſulum alter Cn. Duillius eſt præfectus, collega eius Cn. Cornelius in Siciliam miſſus, qui cum bello terreſtri, quod mandatum ei fuerat, neglecto, nauibus quas habebat, Liparæ, ſpe proditionis dolo Carthaginenſium facta appulliſſet, à Bode Hannibalis legato eſt circumuentus. Cum autem ad defenſionem ſe pararet, ille Romanorum audaciam veritus, eos ad pacis conditiones prouocauit. cúmque Conſuli & tribunis militum perſuaſiſſet, vt ipſius triremem cōſcenderent, quò cum præfecto claſſis colloquerentur, eos Carthaginē miſit, cæteros non repugnantes cæpit. Deinde Hannibal Italiam vaſtauit: Hamilcar Segeſtam petiit, vbi maxima pars Romani peditatus erat. & C. Cæcilio tribuno militum opem illi ferre volenti, per inſidias multos milites occidit. His Romani cognitis, præfectum vrbis ſtatim ablegarunt, & Duillium maturare iuſſerūt. Qui cùm in Siciliam veniſſet, nauéſque Carthaginenſium craſſitudine & magnitudine Romanis inferiores, ſed celeritate remigij, & nauigandi varietate ſuperiores eſſe vidiſſet: machinas quaſdā, anco-

*Hieron ſe cum Romanis cōiungit.*

** Græci Egeſtam dicunt.*

*Hannibal Giſgonis filius.*

*Hanno.*

*Hannonis & Agrigentinorm clades.*

*Hamilcar.*

*Hannibal.*

*Gallorum cædes per dolum Hamilcaris.*

*Cn. Cornelius Coss. dolo Bodis Liparæ capitur.*

*Cn. Duillius Pœnos claſſe vincit.*

ras,manus ferreas longis contis pręfixas,aliáque eius generis fabricauit,quibus hoſtiles naues attraherentur: ac tranſitu in illas facto, ſui cum Carthaginēſibus,veluti in terreſtri pugna, comminus dimicarēt. Carthaginenſes quum Romanas naues crebra remigatione circundatas, ſubitò inuaſiſſent,aliquandiu æquo Marte certatum eſt:deinde verò Romani ſuperiores facti, multos demerſerunt, multos cæperunt. Hannibal ſeptiremi, in qua pugnabat, cum triremi commiſſa,veritus ne caperetur, in aliam nauim ſaltu facto euaſit. Hoc naualis prælij exitu Romani multis ſpoliis aucti ſunt. Carthaginenſes verò Hannibalem ob acceptam cladem occidiſſent, niſi eos ſtatim,veluti rebus adhuc integris, percontatus eſſet,vtrum nauali prælio decertare iuberent,nécne? Cum aſſenſi eſſent, vt qui claſſibus gloriarentur:ſubiecit, Nullum ſuum peccatum eſſe, qui eadem ſpe, qua ipſi, pugnam iniiſſet. Conſilium enim in ſua poteſtate, euentum penes fortunam fuiſſe. Sic illi vita conceſſa eſt, imperium abrogatum. Duillius peditatu ſibi adiuncto,Segeſtanos liberauit, Hamilcare nec ad manus venire auſo: & ſociis ciuitatibus firmatis, elapſa æſtate Romam rediit. Poſt eius abitum Hamilcar Drepanum (eſt autem portus opportunus)muniit,eóque res maximi precij contulit: & Erycinis omnibus expulſis,atque vrbe euerſa, ne locus munitiſſimus Romanis ad bellum gerendum vſui eſſet,vrbes alias vi, alias proditione cæpit:ac niſi à C.Floro,qui ibi hybernabat, cohercitus fuiſſet,totam Siciliam ſubegiſſet.

*C. Florus Hamilcari reſiſtit.*

*Sardinia. Corſica.*

L.Scipio eius collega exercitum in Sardiniam & Corſicam duxit,inſulas in Tyrrheno mari ſitas, tam exiguo interuallo ſeparatas, vt ex lōginquo pro vna habeantur. Ac primùm Corſicæ principe vrbe Valeria vi capta, reliquis citra laborem eſt potitus.in Sardiniam nauigaturus, cum claſſem Carthaginenſem conſpexiſſet, in eam impetum fecit.Sed cum illa, priuſquam ad manus veniretur,fugiſſet,Olbiam vrbem inuaſit. Vbi nauium Carthaginenſium conſpectu territus (nec enim à peditatu ſatis ad pugnam paratus erat)domum verſus iter intendit. Eo tempore cùm alij captiui,tum Samnites, quorum cōplures ad naualem inſtructionem venerant,Romæ inſidiari decreuerunt. Quo Erius Potilius auxiliorum dux cognito,ſe eis aſſentiri ſimulauit, vt omnia eorum conſilia cognoſceret. Quia verò illa deferre non poterat, à Samnitibus vndique circundatus, eis perſuaſit,vt cum ſenatus haberetur,in foro congreſſi,vociferarentur, in demetiendo frumento fraudem ſibi eſſe factā. Quod cum illi feciſſent, accerſitus, vt tumultus autor, inſidias expoſuit: ac tum quidem ſeditione ſopita, illi ſunt dimiſſi. Noctu verò, cum quique domini ſeruos ſuos comprehendiſſent, omnis coniuratio diſſipata eſt.

*Erius Potilius ſeruorū coniurationem eludit.*

Sequenti æſtate Romani & Carthaginenſes ſimul & in Sicilia & in Sardinia bellum geſſerunt. Deinde cum Attilius Latinus in Siciliam veniſſet, atque Mutiſtratum vrbem à Floro obſeſſam inueniſſet:copiis illius vſus, cum mœnia oppugnaret, oppidani principio cum Carthaginenſibus ei fortiter reſtiterunt. Sed vxoribus & liberis lamentantibus, omiſſa defenſione, Carthaginenſibus noctu digreſſis, primo diluculo portas vltro aperuerūt. Verùm Romani ingreſſi, nemini pepercerunt:donec Attilius pronunciari iuſſit prædam & homines eius fore qui cæpiſſet: Tum demum reliquis captis, vrbem direptam incenderunt.

*Mutiſtrati excidium.*

Inde Camarinam incircumſpectè aggreſſi, atque in loca inſidiis occupata delapſi, omnes periſſent, niſi M. Calphurnius tribunus militū, calamitatem eam arte correxiſſet. Nam cum ex omnibus vnum tumulum ob præcipitiū non occupatum vidiſſet,c c c à Conſule milites petiit.quos cū properè illò adduxiſſet, vt hoſtibus in ſe conuerſis,cæteri effugerent, non deceptus eſt. Nam hoſtes eorum impetu perculſi, Conſule cum ſuis,vt iam captis,relictis, contra Calphurnium concurrerunt: & atroci pugna commiſſa,multi etiam ex illis, ſed illi c c c omnes perierunt, præter vnum Calphurnium: qui cum præ vulneribus inſtar mortui inter cadauera iacuiſſet,viuens repertus, euaſit incolumis.

*M. Calphurnius c c c militum interitu ſalutē totius exercitus redimit.*

Interea verò dum c c c pugnant,etiam Conſul Attilius, euitato periculo, Camarina & aliis vrbibus partim vi, partim deditione ſubactis ad Liparam proficiſcitur. quàm cum Hamilcar clam noctu occupaſſet,ſubita eruptione facta,multos cæcîdit. C. verò Sulpitius non modò Sardiniæ pleraque loca infeſtauit: ſed ſucceſſibus elatus, etiam cōtra Lybiam iter intendit. Ac Carthaginenſes cum Hannibale ſoluerūt,patriæ metuentes ſed vento aduerſo repulſi,ambo receſſerunt. Deinde Attilius Hannibalem per ſubornatos transfugas,tanquam denuò in Africam nauigaturus, decepit. Cum igitur celeriter è portu ſoluiſſet,Sulpitius contra eum inuectus, pleraſque naues eius, præ caligine diu ignorantes quid rei eſſet, ac turbatas, demerſit: reliquæ ad terram profugerunt, atque inanes captæ ſunt.

*Romanorū nauales victoriæ.*

Nam Hannibal cum portum non tutum eſſe videret, iis relictis, in vrbem Sulcos ſe contulit: ibíque orta contra eum ſeditione Carthaginenſium, cū ſolus ad eos prodiiſſet,periit.

*Hannibalis Giſconis filij interitus.*

Ex eo tēpore Romani ſecurius agros populantes, ab Hannone victi ſunt. Hæc eo anno geſta ſunt: & continenter lapides de cœlo ſimul plures, grādinis inſtar, Romæ deciderunt. Idē in Albano,& alibi quoq; factum. Conſules in Siciliam profecti Liparam oppugnarunt. Cum autem ſub Tyndario promontorio Carthaginenſes in inſidiis eſſe cognouiſſent,naues diuiſerūt. Et cum alter Conſul ſemiſſe claſſis promontorium circumdediſſet, ratus Hamilcar eum ſolum eſſe, naues ſuas contrà eduxit. Sed reliquis etiam ſe oſtendentibus, in fugam verſus,maximam nauium partem amiſit. Hoc ſucceſſu elati Romani,Sicilia,vt iam ſuę ditionis, relicta, Lybiam & Carthaginem petere auſi ſunt,ductu & auſpiciis M.Reguli & L.Manlij:qui ob virtutem prælati cæteris,cum in Sicilia appulliſſent, inſula ordinata, nauigationem Libycam adornarunt.

*M. Regulus & L. Manlius in Africam tranſeunt.*

Verùm Carthaginenſes eorum aduentu non expectato, claſſe celeriter comparata, iuxta Heracleam cum eis congreſſi ſunt. Cúmque diu æquo Marte pugnatum eſſet, Romani tandem vicerunt. Hamilcar verò non amplius eis reſiſtere auſus,& cum ſpem haberet, domo ſibi miſſum iri exercitum, tempus extrahere cupiens,Hannonem ad eos per ſpeciem petendæ pacis miſit. Quem cum quidam comprehendendum



hendendum eſſe clamitarent, quòd etiam Carthaginenſes Corneliū fraude cæpiſſent:Si iſtud, inquit, feceritis, Afris nihilo iam præſtantiores eritis. Ea tam opportuna adulatione incolumis euaſit. Illi verò rurſus in bellum incubuerunt. Ac Conſules Meſſana profectos Hamilcar & Hanno diuiſis copiis vtrinque circundare ſtatuerunt. Sed Hanno eorum acceſſu non expectato, ad Carthaginem tutandam properauit,quo Hamilcar cognito,eodem loco manſit. Cæterùm Romani exſcenſu in terram facto, Aſpidem vrbem inuaſerunt:quos cum ciues accedere vidiſſent, è medio exceſſerunt. Ita vrbem Romani vacuam cæperunt: eáque ad belli gerendi commoditatē vſi,atque inde erumpere ſoliti, agros vaſtarunt: & alias vrbes vi,alias deditione ſubegerunt,magnámque prædam cæperunt: & transfugas,ſuorúmque plurimos,bellis prioribus captos, receperunt. Cum hyems ſuperueniſſet,Manlius cum manubiis Romam nauigauit,Regulus in Africa manſit. Carthaginenſes verò omnis generis malis conflictantes(nam & ager vaſtabatur,& finitimi alienabantur) intra mœnia conglobati ſe continuerunt. Regulo ad Bagradam flumen caſtrametato, draco ingens viſus eſt,cuius longitudo pedum c x x fuiſſe perhibetur, & pellis oſtentationis cauſa Romam perlata eſſe. Longitudini tantæ totius moles corporis reſpondit. Eum poſt multos milites qui vel propius acceſſerant,vel è flumine biberant,deuoratos, Regulus militum copiis & catapultis confecit.

*Draco 120. pedum à Regulo occiſus.*

Hamilcarem autem in ſyluoſo tumulo caſtra habentem,noctu aggreſſus,multos in cubilibus, multos experrectos occidit.quòd ſi qui euaſerāt, ab iis qui vias cuſtodiebant, excepti perierunt. Sic magna pars Carthaginenſium eſt abſumpta, & multæ vrbes ad Romanos defecerunt. Itaque ij qui in vrbe erant,veriti ne caperentur,caduceatores ad eum miſerunt: vt eo tolerabili aliqua pactione amoto, imminens malum ſubterfugerent. Cum autem multa per quàm moleſta poſtularet, vt pacis conditiones nihil aliud quàm excidium iudicarent, paci bellum prætulerunt. Regulus enim ad id vſque tempus proſpera fortuna vſus, animis & faſtu adeò plenus fuit, vt Romam ſcriberet, ſe metu obſignatas habere Carthaginis portas. Idem affectus & eius militum,& ciuium Romanorum fuit. Vnde factum eſt,vt impingerēt.

*Regulus per ſuperbiam calamitati viam parat.*

Nam Carthaginenſibus cùm alij,tum Xanthippus Lacedæmonius auxilio venerunt. Qui Imperator creatus(nam ei & populus cupidè ſummam rerum detulit, & Hamilcar cæteríque principes vltro ceſſerūt) cùm alia probè ordinauit,tum Carthaginenſes à tumulis, in quibus præ metu agebant,in planiciem deduxit, vbi & equitatus eorum & elephantes plurimum poterant. Hic aliis temporibus quietus, expectauit dum Romani caſtra negligenter tuerentur. Elati enim victoria,& Xanthippum vt Græculum (quo nomine per contemptum vtuntur) nihili facientes, ſecuri agitabant. Sic affectos Romanos adortus, eorúmque equitatu per elephantos profligato,multos occidit, multos cæpit,atque ipſum Regulum.

*Xanthippus Lacedæmonius Regulum capit.*

Qua victoria Carthaginenſes & ſi animos receperant, tamen captiuos conſeruarunt:ne ij quoque, quos pridem Romani cæperant, occiderentur. Ac cæteros quidem bene tractarunt, Regulum autem omnibus modis afflixerunt. Nam & tantum ſibi præbebant,vnde vitam ſuſtentare poſſet,& continenter elephantum ad eum adducebant: à quo territus, neque animo neque corpore conquieſceret. Denique poſt has vexationes eum in carcerem coniecèrunt. Suos etiam fœderatos crudeliſſimè tractarunt. Nam cum ea quæ promiſerant, præſtare non poſſent, eos dimiſerunt, vt ſtipendia non multo pòſt perſoluturi. Sed vectores eorum iuſſerunt, iis in deſerta quadam inſula expoſitis, clam diſcedere.

*Carthaginēſium in ſocios crudelitas.*

Xanthippum alij ſubmerſum ab aliis ferunt, abeuntem perſecutis. alij nauem ei datam veterem, & ruinarum plenam, extrinſecus recens picatam,vt in ea per ſe ſubmergeretur: quo is animaduerſo, alia naui conſcenſa euaſerit. Id verò factum,ne ab illo conſeruati viderentur. Putabant enim, eo ſublato, etiam rerum geſtarum gloriam vnà perituram. Romanis ea clade mœſtis, illud dolorem auxit, quòd Carthaginenſes ad ipſam vrbem nauigaturos arbitrabantur. His de cauſis & Italiam præſidiis munierunt, & Conſules M. Æmylium & Fuluium Plætinum ad Romanos, qui in Sicilia & Lybia erant, celeriter miſerunt. Qui cum Sicilia præſidiis firmata, in Africam nauigarent, tempeſtate ad Corſuram delati, vaſtata inſula, & præſidiis munita, perrexerunt. Ac tum acre prælium in mari commiſſum eſt cum Carthaginenſibus. Hi enim annitebantur, vt Romanos è ſua ditione penitus eiicerent: Romani verò, vt ſuos ex hoſtili terra recuperarent. Ancipiti pugnæ euentu Romani qui Aſpide erant, à tergo Carthaginenſes ex improuiſo adorti,vtrinque circumuentos vicerunt.

*Carthaginēſes denuo à Romanis victi, Siciliam repetunt.*

Deinde Romani, etiam pedeſtri prælio victores,cæperunt multos,quos propter Regulum & concaptiuos eius conſeruarunt: abactáque præda, in Siciliam redierunt. Sed tempeſtate conflictati, multis amiſſis, cum reliquis nauibus domum redierunt. Carthaginenſes autem & Corſuram receperunt,& in Siciliam traiecerunt. ac niſi Collatinum & Cn. Cornelium cum magna claſſe aduentare cognouiſſent, eam totam ſubegiſſent. Romani enim optimam claſſem celerrimè compararunt, & delectus fortiſſimorum virorum habuerunt:itaque firmati ſunt, vt tertio menſe in Siciliam redirent. Id factum anno ab vrbe condita quingenteſimo. Ac Panormi vrbem inferiorem facilè cæperunt: ſed in arcis obſidione difficultatibus conflictati ſunt, donec præſidiarij commeatu deſtituti, Conſulibus deditionem fecerunt. Carthaginenſes autem, obſeruatis nauibus eorum domum redituris, multas pecuniæ plenas cæperunt. Deinde Seruilius Cæpio & C. Sempronius Coſs. Lilybæo fruſtra tentato, in Africam tranſuecti, oram maritimam infeſtarunt. in reditu incommodum ex tempeſtate cæperunt. Itaque populus exiſtimans detrimenta illa ex rei naualis imperitia capi, reliquo mari abſtinere, & Italiam duntaxat paucis tueri nauibus decreuerunt. Anno ſequenti, P. Caius & Aurelius Seruilius in Siciliam profecti, cum alia loca, tum Himeram cæperunt, ſed vacuam ciuibus,

ciuibus, quos Carthaginenſes noctu aſportarant. Poſt hæc Aurelius nauibus ab Hierone acceptis, & Romanis omnibus qui in inſula erant aſſumptis, Liparam traiecit: ibíque Q. Caſſio tribuno militum relicto, qui eam ſine pugna obſideret, domum rediit. ſed Q. mandato Conſulis neglecto, vrbem aggreſſus, multos amiſit. Qua deinde Aurelius expugnata, omnes occidit, & Caſſio magiſtratum abrogauit. Carthaginenſes decreto Romanorum de re nauali cognito, claſſem ſpe totius Siciliæ potiundi miſerũt. Ac dum ambo Coss. Cæcilius Metellus & C. Furius aderant, quieuerunt. Sed cum Furius Romam rediſſet, Metello contempto, ad Panormum acceſſerunt. Metellus cognita exploratorum pręſentia, omnibus qui in vrbe erant conuocatis, pro concione edixit, vt ſeſe inuicem prehenſarent: & quemuis rogando quis eſſet, quídque ageret, hoſtes deprehendit. Carthaginenſibus autem ad pugnam ſe parantibus, per dies complures metu ſimulato, effecit, vt elati animis audacius mœnia oppugnarent. Signóque dato, Romanis ſubitò portis omnibus erumpere iuſſis, facilè vicit in anguſtias redactos: vnde cum euadere non poſſent, in tanta & virorum & elephantorum multitudine, turbabantur. Sed interea claſſis Punica appellens, exitij cauſa in primis eis fuit. Nam dum naues conſcendere contendunt, partim in mari perierunt, partim ab elephantis & ſeſe & homines vrgentibus conculcati, partim à Romanis occiſi ſunt. Capti etiam multi & viri & elephantes: qui cum magiſtros ſuos non habentes exaſperarentur, Metellus captiuis, qui eos cæpiſſent, ſalutem & impunitatem præconio promitti iuſſit. Sic illi manſuetiſſimis & notis captis, etiam cæteros attraxerunt: qui c x x numero, ſic per fretum Romam ſunt traducti. Dolia multa inter ſeſe deuinxerunt, & lignis inſertis ita diſtinxerunt, vt neque ſepararentur, neque coirent: eáque trabibus conſtrata, ſarmentis & terra ingeſta, circumſepſerunt, vt ſtructura illa ſtabuli inſtar eſſet: in eámque introductos, ſine ſenſu nauigationis traiecerunt. Hac victoria potito Metello, Haſdrubal dux tum quidem euaſit, ſed poſt à Carthaginenſibus reuocatus, atque in crucem actus eſt. Qui cùm aliis de cauſis, tum ob captiuorum multitudinem, Romam legatos miſerunt, adiuncto Regulo, quem propter virtutem & autoritatem nihil non impetraturum arbitrabantur, iureiurando obſtrictum, vt rediret. Is & aliis in rebus ſe pro Carthaginenſe geſſit, neque vxorem ad colloquium admiſit: neque vrbem, quamuis vocaretur, ingreſſus eſt. Sed ſenatu extra vrbem coacto (ita enim reſpondere legatis hoſtium moris erat) in concilium introductus, dixit: Nos, P. C. Carthaginenſes ad vos miſerunt (nam ego quoque iure belli ſeruus eorum factus ſum) petentes in primis, vt pax iis conditionibus, quas vtrinque probaueritis, fiat: ſin id nolitis, vt ſaltem captiui permutentur. Hæc locutus, cum legatis receſſit, vt Romani ſoli deliberarent. Cum autem à Coss. intereſſe deliberationi iuberetur, non paruit priuſquam id Carthaginenſes permiſiſſent. Ac tacitus aſſidens, cum ſententiam rogaretur, ait: Ego, P. C. ſi vel milies captus fuero, veſtrûm vnus ſum. Nam meum corpus penes Carthaginenſes eſt, animus verò meus vobiſcum. Ac illud quidem alienatum à vobis: hic, quò minus Romanorum ſit, efficere nemo poteſt: ac vt captiuus, ad Carthaginenſes pertineo. Cum autem nulla improbitate, ſed rei bene gerendæ ſtudio cladem acceperim, Romanus ſum: vobíſque conſultum cupio, & pacificationem nullo modo è re veſtra eſſe duco. His dictis, ſuæque ſententiæ rationibus adductis, ſubiecit: Scire ſe, haud dubium exitium ſibi inſtare. neque enim Carthaginenſibus clam eſſe poſſe, quid ſuaſerit. ſed ſic quoque Reipublicæ commodum priuata incolumitate ſibi eſſe antiquius. Quod ſi quis dixerit, Cur non aufugiat, aut Romæ maneat? ei ſe reſponſurum, ſe iureiurando reditum promiſiſſe. id ſe hoſtibus etiam cùm ob alia ſeruaturum eſſe: tum quod ſeruata fide, ſolus ærumnam paſſurus eſſet: violata, tota ciuitas periurij crimine obſtringeretur. Senatu autem ſalutis illius cauſa, tum ad pacem faciendam, tum ad permutandos captiuos parato: ne à ratione vtilitatis ſua cauſa decederent, venenum ſibi datum eſſe finxit, ex quo omnino periturus eſſet. Ita neque pace neque captiuorum permutatione facta, quum eum cum legatis abeuntem, præter alios vxor & liberi retinerent: Conſules neque manere volentem dedituros, neque abiturum detenturos eſſe dicerent: iuriſiurandi religione priuatis affectibus antepoſita, diſceſſit. Et à Carthaginenſibus per cruciatum, vt aiunt, interfectus eſt. Nam palpebris præciſis, eum aliquandiu in tenebris concluſerunt. Deinde in vas quoddam refertum ſtimulis coniectum, & ad ſolem conuerſum, doloribus & vigiliis, cum nuſquam inclinare ſe poſſet, peremerunt. Quibus Romani auditis, principes captiuorum, eius liberis viciſſim & excruciandos & necandos tradiderũt: & Coss. C. Attilio, Reguli fratri, & L. Manlio, bellum Africanum decreuerunt. Qui cum in Sicilia Lilybæum oppugnarent, & foſſæ partem ad machinas adducendas explere aggreſſi eſſent, Carthaginenſes ſubterfodientes, terram ſubtraxerunt: ſed cum operarum multitudine vincerentur, alium murum intus lunatum ſtruxerunt. Romanis autem cuniculos ſubter muros agentibus, vt iis in cauernas deſidentibus, irruerent: Carthaginenſes contrà fodientes, multos id ignorantes exceptos trucidarunt, multos igni ſarmentis iniecto in foſſis cremarunt. Sed cum quidam è ſociis moram obſidionis & ſtipendia non integra numerata ægrè ferentes, de oppido prodendo cum Romanis agerent: Hamilcar eo conſilio animaduerſo, ſed diſſimulato, ne illi palàm deficerent, pecunia magiſtratibus data, multitudini promiſſa, ſic eos reconciliauit, vt proditionem non inficiati, poſtremos legatos redeuntes non reciperent: qui ad Conſules profugi, agro in Sicilia & aliis rebus donati ſunt. Carthaginenſes qui domi erant, his auditis, Ardebam cum plurimis nauibus, frumentum & pecunias Lilybæum aduehentibus miſerunt.

*Lipara excidium.*

*Cæcilius Metellus Haſdrubalẽ ad Panormũ vincit.*

*Elephantes cx x Romã perducti.*

*Haſdrubalis interitus. M. Attilius Regulus ob diſſuaſam captiuorum permutationem, à Carthaginenſibus excruciatur.*

*Lilybæi irrita oppugnatio.*

*Hamilcar proditionem callidè compeſcit.*



ſerunt. Is tempeſtate obſeruata appulit. Quod deinde alij plurimi imitari auſi, partim ſucceſſum habuerunt, partim perierunt. Dum ambo Conſules aderant, æquo Marte pugnabatur. Sed cùm morbo & fame premerentur, iíſque de cauſis alter ſuos milites domum reduceret, Hamilcar erumpere auſus, machinas incendit, defenſores earum occidit: & equitatu Drepano emiſſo, Romanos pabulatione & commeatu prohibendo, eorúmque ſocios infeſtando, Ardeba interim aliàs Siciliæ, aliàs Italiæ oram populante, ad ſummam inopiam redegit. Sed Lucio Iunio claſſem parante, Claudius Pulcher Lilybæum properè abiit: & militibus in naues impoſitis, Hannonem Carthaginenſem in quinqueremi nauigantem comprehendit: vnde Romani exemplum fabricandarum nauium petiuerunt. Sed cum claſſes ſæpe periclitarentur, quanquam crebrò tot nauium, in quibus multi viri & pecuniæ erant, interitu dolebant: tamen non ceſſerunt, ſed quędam in ſenatu de pace cum Carthaginenſibus facienda locutum occiderunt. & Dictatorem dixerunt Collatinum, magiſtrum equitum Metellum: nihil tamen memorabile geſſerunt. Interea Iunius Erycem ſubegit: & Carthalo Ægithalo potitus, Iunium cæpit. Sequenti anno C. Aurelius & P. Seruilius magiſtratu inito, Lilybæum & Drepanum infeſtantes, terra Carthaginenſes prohibuerunt, eorúmque ſocias ciuitates afflixerunt. Carthalo cùm variis rationibus contra eos tentatis nihil effeciſſet, in Italiam abiit, vt aut Conſules eò traduceret, aut interea agros vaſtaret, & vrbes caperet: ſed ne ibi quidem ei quicquam ſucceſſit. Nam cùm * ducem, vrbis pręfectum aduentare didiciſſet, in Siciliam rediit. Vbi cùm conductitius miles ob ſtipendium tumultuaretur, multos in deſertis inſulis expoſitos reliquit, multos Carthaginem miſit. Quo cæteri cognito indignati, res nouas ſpectabant. Sed Hamilcar, ſucceſſor Carthaloni datus, multos eorum noctu occidit, multos in mari demerſit. Interea Romani perpetuam cũm Hierone amicitiam ſanxerunt remiſſis tributis annuis. Sequenti anno bello nauali propter crebras clades & impenſas, publicè abſtinuerunt. Sed quidam priuatim nauibus poſtulatis, quas reſtituerent, & prædam ſibi vendicarent, cùm alias clades hoſtibus intulerunt, tum Hipponem vrbem Libycam ingreſſi, nauigia omnia & multas ædes cremarunt. Et cum ciues portus aditum cathenis clauſiſſent, ex magno periculo arte & fortuna euaſerunt. Nam feſtinanter in cathenas inuecti, cum eas roſtra nauium iamiam attingerent, in puppes tranſierunt: ita proræ leuatæ cathenas ſuperarunt. cúmque rurſus in proras tranſiluiſſent, puppes leuatæ tranſierunt. Poſt hæc ad Panormum Carthaginenſes vicerunt. Conſilium alter Cæcilius Metellus ad Lilybæum fuit, alter Numerius Fabius Drepanum obſedit: & inſulę Columbariæ, à Carthaginenſibus præoccupatæ, noctu miſſis militibus eſt inſidiatus, qui occiſo pręſidio inſulam occuparunt. Cum autem Hamilcare manè contra illos profecto, Fabius illis opẽ ferre nõ poſſet, Drepanum inuaſit, vt aut vrbem per ducis abſentiam caperet, aut illum ab inſula abſtraheret. Horum alterum ei ſucceſſit. Hamilcar enim territus, in munitionem ſe recepit. Fabius Columbariam tenuit: & anguſtias paludéſque interiectas, aggeribus continenti iunxit. Ita facilior facta oppugnatio, quum ibi murus eſſet infirmior. * Carthaginenſes autem eis crebra detrimenta inferebant, nunc in Siciliã, nunc in Italiam traiiciendo. Captiuos viritim permutarunt: cæteros, quia tantum numerum non habebant, Carthaginenſes pecunia redemerunt. Ab eo tempore diuerſi Conſules fuerunt, ſed nihil hiſtoria dignum geſſerunt. Nam illud maximo detrimento Romanis fuit, quòd duces quotannis mutabant, eóſque qui imperatoria munia adhuc diſcebant, reuocabant: quaſi non rei gerendæ, ſed exercendi cauſa ablegatos. Galli Carthaginenſibus ſociis infenſi, quòd ab eis malè acciperentur, præſidium quoddam ſuæ fidei commiſſum, Romanis pecunia prodiderunt: ab eíſque vnà cum aliis qui à ſocietate Carthaginenſium defecerant, ſtipendio conducti ſunt, cùm prius peregrinum alere militem Romani non cõſueuiſſent. His freti, & claſſe priuatorum hominum Africam infeſtantium, mare diutius negligere nolentes denuò naues compararunt. Luctatio Catulo Conſuli deſignato, collega adiunctus eſt Q. Valerius Flaccus ædilis. Qui in Siciliam profecti, & terra maríque Drepanum aggreſſi, partem muri deiecerũt: oppidúmque cæpiſſent, niſi Conſule vulnerato, milites circa illum occupati fuiſſent. Interea cognito hoſtium aduentu, Hannone magnam turbam domo adducente, cõtra illos ſe conuerterunt. Acie vtrinque inſtructa, aſtrum quoddam, facis inſtar, ſupra Romanos ad læuam exortum, verſus Carthaginenſes acumen direxit. Pugna atrox commiſſa eſt ab vtriſq;, tum ob alia, tum quòd Carthaginenſes Romanos ad extremam bellorum naualium deſperationem adigere voluerunt, Romani prius acceptas clades reſarcire ſtuduerunt. Sed penes hos victoria fuit. Nam Carthaginenſium naues, præter alias ſarcinas, frumentum & pecuniam vehentes, grauabantur. Hanno elapſus, ſtatim Carthaginem properauit. Sed à ciuibus iracundia & metu commotis, in crucem actus eſt, & legati de pace ad Catulum miſſi. Qui quod & annus eius iam penè exierat, neque breui tempore Carthaginis excindendæ ſpem habebat, & ſucceſſoribus gloriam laborum ſuorum inuidebat, à pace non abhorrens, inducias fecit, pecunia, frumento & obſidibus acceptis, vt Romam legatos mitterent, ea conditione, vt tota Sicilia & omnibus circumiacentibus inſulis Romanis cederent, neque Hieronem laceſſerent: & pecuniam partim pace facta ſtatim, partim pòſt numerarent: & Romanos captiuos gratis redderent, ſuos verò redimerent. Tali pactione facta (ſolam enim ſub iugum miſſionis ignominiam Hamilcar deprecatus eſt) militibus è munitionibus eductis, domum rediit, priuſquam iuſiurandum daretur. Qui Romæ erant, victoria celeriter cognita, ita ſunt animis elati quaſi planè debellatum eſſet: legatíſque præſentibus, ſe non amplius continere potuerunt, ſpe totius Africæ occupandæ concepta. Itaque conditionibus à Conſulibus

*Hanno captus.*

*Priuata claſſis Romanorum.*

*Columbaria inſula.*

** Videtur mutilus hic locus.*

*Mutatio ducum Romanis noxia.*

*Galli Romanorum ſtipendiarij.*

*Luctatius Catulus Carthaginenſes ad pacem petendam adigit.*

*Pacis conditiones inter Romanos & Carthaginenſes.*

Conſulibus propoſitis non acquieſcentes, & pecuniam promiſſa longè maiorem poſtularunt: & interdixerunt, ne longis nauibus vel ad Italiam, vel ad alias ſocias prouincias accederent, aut conducticiis inde militibus vterentur. Atque ita primo bello Punico anno quarto & vigeſimo à Romanis confecto, Catulus triumphauit. Q. verò Luctatius, poſt conſulatum in Siciliam profectus, cum fratre Catulo omnia ibi ordinauit. Siculis arma adempta: tota inſula, Hieronis excepto imperio à Romanis ſubacta, & amicitia cum Carthaginenſibus conſtituta. Sed vtrique paulo pòſt ſeorſim alia geſſere bella. Nam Carthaginenſes, reliqui eorum ſtipendiarij, & ſeruitia ciuitatis, & multi ex finitimis, aduerſa illorum fortuna freti inuaſerunt. Romani cum ab hoſtibus illorum accerſerentur, adeò non aſſenſerunt, vt cùm per legatos reconciliare illos non poſſent, omnes Carthaginenſium captiuos gratis dimitterent, frumentum mitterent, è ſociis prouinciis conſcribendi militis poteſtatem darent: non tam vt rationibus illorum conſulerent, quàm vt humanitatis & clementiæ laudem conſequerentur: vnde pòſt in negocia inciderunt, Hamilcar enim Barchinus ille, victis hoſtibus Romanos, quanquam eis infenſiſſimus, bello petere non auſus, contra magiſtratuum voluntatem in Hiſpaniam abiit. Sed hæc pòſt facta ſunt. Tum autem Romani cum Faliſcis bellum geſſerunt, Manlio Torquato agrum illorum vrente: qui cùm eis congreſſus, peditatu ſuccubuit, equitatu victor. Deinde repetita pugna, eos domuit: armis, equis, ſupellectilibus, ſeruitiis, & agri ſemiſſe mulctatos. Tandem etiam antiqua vrbs, in arduo ſita monte, euerſa: aliáque condita in planicie, oppugnatu facilis. Pòſt alia bella cum Boiis, & Gallis eorum vicinis, & Liguribus quibuſdam geſſerunt. Ac Ligures Sempronius Gracchus victor afflixit. P. Valerius, à Gallis principiò ſuperatus, cum auxilia ſibi mitti Roma audiſſet, Gallos denuò eſt aggreſſus: vt aut per ſe victoria potiretur, aut mortem oppeteret, quàm vitæ ignominioſæ præferebat: ac fortuna quadam vicit. Tum igitur ita cum Romanis actum: eiſque Sardinia citra pugnam, & pecuniæ rurſus datæ à Carthaginenſibus: qui cum negociatores Romanos in mari malè tractaſſe accuſarentur, nondum firmatis opibus, minas illorum timuerunt. Sequenti anno L. Lentulus & Q. Flaccus, bello contra Gallos ſuſcepto, dum vnà agebant, inſuperabiles erant. Sed cum ſeparati, loca quædam, maioris prædæ cupiditate, vaſtare cœpiſſent, Flacci caſtra noctu circumdata, in periculo fuerunt. Barbari verò tum repulſi multis ſociis aſcitis, cum magna manu denuò Romanos inuaſerunt. Et P. Lentulo & Licinio Varo ſe ob multitudinem ſuam vel ſine pugna terrorem incuſſuros arbitrati, per legatos Ariminenſem agrum repetierunt: & eos ipſa vrbe, quæ ſua eſſet, cedere iuſſerunt. Conſules verò nec ob paucitatem confligere, neque illa concedere auſi, inducias fecerunt, vt iis de rebus legati Romam mitterentur. Qui cum apud ſenatum eandem poſtulaſſent, neque quicquam impetraſſent, in caſtra reuerſi, res ſuas perditas repererunt. Quidam enim ex eorum ſociis, mutata ſententia, Romanos timentes, Boios ſunt aggreſſi: ac vtrinque multi ceciderunt. Vnde reliqui domum redierunt: Boij per pactiones magna agri ſui parte ſunt mulctati. Gallicis bellis iam confectis, Lentulus contra Ligures arma cæpit: & iis qui occurrebant profligatis, caſtella quædam ſubegit. Varus Corſicam petiturus, cùm propter nauigiorum penuriam traiicere non poſſet, Claudium Cliniam cum copiis præmiſit: qui Corſis territis, in colloquium venit, & pro autoritate pacem cum eis fecit. Varus autem nulla pactionis habita ratione, eos oppugnare non deſtitit, donec ſubegiſſet. Romani verò id crimen violati fœderis à ſeſe amouentes, Claudium eis dediderunt: non receptum expulerunt. Bellum aduerſus Carthaginenſes, ob mercatorum ſuorum iniurias ſuſceptum, depoſuerunt: exactáque pecunia fœdus renouarunt, ne ſic quidem diu duraturum. Ac Carthaginenſi bello dilato, Sardos dicto non audientes adorti vicerunt: qui deinde à Carthaginenſibus clam ad rebellionem incitati ſunt. Defecerunt & Corſi: nec Ligures quieuerunt. Sequenti anno Romani copiis trifariam diuiſis, vt hoſtes ſimul bello infeſtati, auxilia inuicem ferre non poſſent, Poſthumium Albinum in Liguſticum, Sp. Caruilium contra Corſos, in Sardiniam P. Cornelium ædilem miſerunt. Conſules licet haud citra laborem, citra moram tamen mandata executi ſunt. Sardos nihil modicum animis agitantes, Caruilius ingenti prælio ſubegit. Cornelius enim & multi milites morbo perierunt. Romanis digreſſis, Sardi & Ligures de integro defecerunt. Contra Ligures miſſus eſt Q. Fabius Maximus, in Sardiniam Pomponius Mannius. Carthaginenſes, vt eorum bellorum authores, hoſtes iudicati, iuſſi numerare pecuniam, & omnibus cedere inſulis, vt quæ Romanorum eſſent. Et vt ſententiam ſuam magis declararent, haſtam illis & caduceum miſerunt, optione data, vtrum mallent. Sed Carthaginẽſes nihil territi, tum ad alia reſponderunt aſperius, tum ſe neutrum velle dixerunt: ſed illud alacriter accepturos, quod legati reliquiſſent. Hinc mutuis odiis conceptis, neutri bellum auſpicari ſunt auſi. Contra Sardos autem denuò tumultuantes, ambo Coss. M. Malleolus & M. Æmylius miſſi, magnam prædam cæperunt: quæ eis à Corſis, cum eò appuliſſent, eſt erepta. Qua de cauſa pòſt Romani vtròſque inuaſerunt. M. Pomponius, qui Sardos infeſtabat, cum eorum plurimos in ſaltuoſis ſpecubus abditos indagare non poſſet, ſagaces canes ex Italia accerſiuit: per eóſq; tramitibus hominum & pecudum inueſtigatis, multos inde extraxit. C. verò Papirius Corſos planicie pulſos, cum in montes adegiſſet, per inſidias multos amiſit: & præ ſiti plures amiſiſſet, ni ſerò tandem aqua inuenta, Corſis, vt deditionem facerent, perſuaſiſſet. Sub hoc tempus Hamilcar dux Carthaginenſium, ab Hiſpanis victus occubuit. nam cum aciem contra eos inſtruxiſſet, illi currus facibus & pice plenos ante copias Carthaginenſium produxerunt: cúmq; propè ventum eſſet, iis incenſis iu-

*Carthaginenſes à Romanis adiuti, vires recuperant.*

*Faliſcum bellum.*

*Bellum Gallicum & Liguſticum.*

*Gallorum inteſtina bella.*

*Corſica.*

*Sardi, Corſi, Ligures ſubacti rebellant.*

*Hamilcaris interitus.*

cenſis iu-



cenſis, iumenta incitata in rabiem egerũt: eáque re aduerſarios turbatos, diuulſos, & in fugam verſos aſſectati, & ducem & plurimos alios ceciderunt. Hamilcari poſt diuturnam felicitatem ad hũc modum interfecto, gener Haſdrubal ſucceſſit: ac multis Hiſpaniæ vrbibus ſubactis, Carthaginẽ patriæ cognominem condidit. Boiis cæteriſque Gallis ex venditione tum aliarum rerũ, tum plurimorum captiuorum, magnam pecuniã facientibus, veriti Romani, ne iis opibus contra ſe vterentur, edixerũt, ne quis homini Gallo vel aurum vel argentum daret. Deinde Carthaginenſes M. Æmylij & M. Iunij in Liguſticum expeditione cognita, ſe ad Romam inuadendam parauerunt. Quo Coſs. intellecto, ex improuiſo eos adorti terruerũt, vt per amicitiæ ſpeciem eis obuiam egrederentur. Simularũt illi quoque ſe nõ cõtra illos eſſe profectos, ſed per eorum agrum in Liguriam ituros. Romani ſinu Ionio trãſmiſſo, ad Græciæ continentem hac de cauſa appulerunt. Iſſa inſula in Ionio ſinu ſita eſt: cuius incolæ Iſſæi, Romanis vltro ſe dediderunt, ſuo domino Agroni, Sardianorum regi, gentis Illyricę, irati. Ad eum Conſules legatos miſerunt. Sed illo mortuo, filio adhuc impubi hærede relicto, vxor eius, pueri nouerca, Sardianorum imperiũ adminiſtrauit, nec vllum æquum legatis reſponſum dedit. Qui cum liberius locuti eſſent, alios occîdit, alios vinxit. Cum autem Romani bellũ ei decreuiſſent, territa, ſe & incolumes legatos reddituram pollicetur, & mortuos à latronibus eſſe cæſos ait. Romanis verò cædium autores poſcentibus, neque ſe quenquam dedituram eſſe dixit, & Iſſam exercitum miſit. Deinde rurſus territa, Demetrium ad Conſules miſit, tanquã per omnia morem eis geſtura. & pax facta eſt cum Legato, Corcyra ab eo accepta. Sed cum Romani ad inſulam traieciſſent, reſumpta fiducia, vt mulier leui & mutabili prædita ingenio, ad Epidamnum & Apolloniam miſit exercitus. Verùm quia Romani iis vrbibus liberatis, illiúſque nauibus cum pecunia ex Peloponeſo veniẽtibus, captis, oram maritimam vaſtabant: Demetrius autem ob muliérculæ vecordiam ad Romanos ſe contulerat, multis transfugis ſecum adductis: abiecto animo, imperio abſtinuit, quod Demetrius tutorio nomine ſuſcepit. Hac de cauſa Romani à Corinthiis laudati ſunt, & ad Iſthmiacos ludos admiſſi, in quibus Plautus ſtadium vicit. Inita cum Athenienſibus quoque amicitia, ciuitate donati, & ad Initia ſunt admiſſi. Illyrici nomen olim aliis locis attributum, pòſt in ſuperiorem continentem ſupra Macedoniam & Thraciam, intra Hæmum & Rhodopen tranſiit: ſitáque eſt Illyria in medio horum montium & Alpium, & intra * Hæmum fluuium, & Iſtrum, vſque ad pontum Euxinum: alicubi etiam vltra Iſtrum euagatur. Cum aliquando Romanis oraculum eſſet redditum, Græcos & Gallos vrbem occupaturos, duos Gallos & totidem Græcos vtriuſque ſexus in medio foro viuos defoderunt: vt ita fatis ſatisfactum eſſe, itaque defoſſi, partem vrbis aliquam tenere viderentur. Sardi perpetuam Romani prætoris præſentiam agrè ferentes, ſeditionem mouerunt: ſed denuò ſubacti ſunt. Cum Inſubres Gallica gens, auxiliis à Tranſalpinis popularibus accerſitis, Romanis arma intuliſſent, & quædam loca populati eſſent: tandem noctu magna tempeſtate orta, deos ſibi infeſtos eſſe rati, abiectis animis, trepidi fuga ſalutem quærere inſtituerunt. Regulus verò eos perſecutus, & extremum agmen aggreſſus, victus occubuit. Æmylius cum tumulum quendam occupaſſet, Galli idem imitati, per dies aliquot quieuerunt. Deinde illi cladis acceptæ dolore, Barbari victoriæ inſolentia impulſi, de tumulis decurrerũt. Cúmque diu æquo Marte certatum eſſet, Romani deniq; eos equitatu circundatos occiderunt, caſtris direptis, & ſpoliis recuperatis. Poſt hæc Æmylius Boiis ſuperatis triumphans, captiuorum principes armatos in Capitolium perduxit, inſolentiam eorum irridens, quod ſe thoraces nõ prius exuturos iuraſſent, quàm in Capitolium veniſſent. Ab eo tempore Boiorum terram omnem occuparunt: & Eridano ſuperato, Inſubres inuaſerũt, eorúmque agros vaſtarunt. Interea Roma prodigiis perterrita eſt. Nam & in Piceno flumen ſanguine manauit, & in Hetruria magnus cæli tractus ardere viſus, & Arimini lux noctu inſtar diei fulſit, & alibi in Italia tres lunæ noctu apparuerunt, & vultur in foro per dies complures ſedit. Conſules igitur, tum ob hæc prodigia, tum quòd vitio creati dicerẽtur, accerſiti ſunt. Verùm non ſtatim literas legerunt: ſed cum modò in aciem deſcendiſſent, commiſſo prius prælio vicerunt. Epiſtola poſt pugnam lecta, Furius haud grauatim paret: ſed Flaminius victoria elatus, eã argumẽto eſſe aiebat, ſe ritè creatos eſſe, & optimates ex inuidia etiam diis affingere mendacia aſſeuerabat. Nec igitur, niſi rebus omnibus confectis, recedere voluit: & ſe ciues ſuos edocturum eſſe dixit, ne vel auium vel vllius alterius rei obſeruatione fallerentur. Itaque manere, & collegæ idem perſuadere inſtituit. Quod cum ille detrectaret, Flaminij milites veriti, ne à cæteris deſtituti, ab hoſtibus malè tractarentur, precibus ab eo impetrarunt, vt dies aliquot maneret: ſed nihil rei geſſit. Flaminius autem regionem vbique peruagatus, agros vaſtauit, & aliquot caſtella cepit: & militibus, vt eos ſibi conciliaret, omnes manubias donauit. Serò domum reuerſis, contumaciæ crimen à ſenatu eſt obiectum: & ob iram in Flaminium, etiam Furio negatus honos. Sed à multitudine patribus pro Flaminio aduerſata, decreto actóque triumpho, magiſtratum depoſuerunt: aliíque Conſules creati, Claudius Marcellus, & Cn. Scipio, Inſubribus arma intulerunt, pace quam petierant haud conceſſa: ac principio belli ambo rem ferè bene geſſerunt. Deinde cum ſociæ ciuitates infeſtarentur, diuiſi, Marcellus contra prædatores celeriter profectus, cum eos ibi non inueniſſet, fugientes perſecutus eſt, commiſſáque pugna ſuperauit. Sed Scipio caſtris non motis, Acerras obſedit: iiſque expugnatis (erant enim opportuno loco ſitæ & munitæ) ad gerendi belli commoditatem vſus eſt. Inde profecti, Mediolanum, & Comum aliam vrbem ceperunt: quibus expugnatis, cæteri quoque Inſubres deditionem fecerunt, pecunia & agri parte mulctati. Deinde P. Cornelius & M. Mi-

*Haſdrubal nouæ Carthaginis in Hiſpania conditor.*

*Carthaginẽſes male cogitantes coherciti.*

*Romanorũ tranſitus in Græciam.*

*Illyricum.*

*Galli & Græci defoſſi.*

*Sardyniæ defectio.*

*Inſubrium cædes.*

*Prodigia.*

*Flaminius contemptis prodigiis Inſubres vincit.*

*Inſubria ſubacta.*

m

*Iſter.*

nutius ad Iſtrum duxerunt exercitum, & multas illius loci gentes partim vi, partim deditione ſubegerunt. L. verò Veturius & C. Luctatius vſque ad Alpes progreſſi, citra pugnam ſibi multos adiunxerunt.

*Alpes.*

*Demetrius Sardianus à Romanis capitur.*

Demetrius autem, cuius ſuprà facta eſt mentio, Sardianorum princeps, popularibus ſuis grauis, etiam finitimos vexabat: ac Romanorum amicitia fretus, iniurius eſſe videbatur. Quo Conſules Paulus Æmylius & M. Liuius animaduerſo, eum accerſiuerunt. Vt verò non parebat, ſed eorum ſocios quoque offendebat, Iſſam contra eum ſunt profecti: edoctíque, eum alicubi in portubus inſidias collocaſſe, nauium partem ad alterum latus inſulæ miſerunt. Quo factum, vt Illyriis contra illos, tanquam ſoli eſſent, conuerſis, cæteri per ocium portu occupato, & caſtris idoneo loco poſitis, inſulares eodem die ex impoſturæ iracundia irruentes profligarent. Demetrium in aliam inſulam Pharum perſecuti, hoſtibus ſuperatis, vrbem proditione ceperunt. Demetrius ad Philippum Macedoniæ regem cum magna pecunia confugit. Nec ab illo deditus eſt, ſed in Illyrios reuerſus, & à Romanis captus, pœnas dedit.

*SECVNdum bellum Punicum.*

Sequenti anno Romanorum & Carthaginenſium inimicitiæ apertè eruperunt: ac id bellum, vt tempore longè priore minus, ſic operibus & cladibus longè maius fuit, & grauius.

*Hannibal.*

Eius autem belli potiſſimus autor fuit Hannibal dux Carthaginenſium, Hamilcaris Barchini filius, ſtatim à puero contra Romanos exercitatus. „ Aiebat enim Hamilcar ſe omnes filios, „ tanquam catulos quoſdam, contra illos alere. Illum autem quem ingenio longè cæteris antecellere videret, iureiurando adegit, ſe hoſtem fore populo Romano. Ea de cauſa cùm aliis eum diſciplinis, tum in re militari diligenter erudiit, vſque ad annum ætatis decimumquintum. Vnde patri in imperio ſuccedere non potuit: ſed poſt Haſdrubalis obitum, annum tum ſextum & vigeſimum agens, nihil cunctatus, Hiſpanienſem exercitum ſtatim occupauit. Et Imperator à militibus ſalutatus, effecit, vt etiam ab vrbanis magiſtratibus ſibi principatus confirmaretur. His perfectis, ſpecioſum quærebat titulum inuadendi Romanos, quem ei Zacynthiorum coloni in Hiſpania ſuppeditarunt. Qui cùm non procul ab amne Ibero habitarent, paulùm à mari remoti, Romanos magno ſtudio & honore colebant, atque in Carthaginenſi fœdere excepti erant. Ea de cauſa bellum eis intulit Hannibal, haud ignarus, Romanos aut opem eis laturos, aut clades eorũ vlturos. Eò accedebat, quòd eos magnas opes habere norat, quibus in primis egebat, & aliis rationibus, quæ contra Romanos etiam ei profutura erant, adductus, Saguntinos eſt adortus.

*Saguntini. Hiſpania.*

Hiſpania verò, in qua illi habitant, cum finitimis locis omnibus in Europa verſus Occidentem ſita, ad mare interius, & Herculis columnas & Oceanum longè excurrit, atque etiam continentem longiſſimo tractu vſque ad mõtes Pyrenæos occupat: qui à mari, quod olim Bebrycium dicebatur, pòſt Narbonenſe appellatum eſt, vſque ad exterius mare magnũ pertinent, totámq; Hiſpaniam à Gallia finitima dirimunt. Intra eos multę diuerſæ gentes conſederunt, nec lingua eadem, nec forma Reipublicæ vtentes: vnde nec eodem nomine apellantur. nam Romani Hiſpanos, Græci ab Ibero amne Iberos vocant.

*Carthaginẽſes bellu contra Romanos decernũt.*

Saguntini cum obſiderentur, auxilia & finitimorũ & Romanorum implorarunt: ac illos prohibuit Hannibal. Romani autem legatis ad eum miſſis, poſtularunt, vt Sagunto abſtineret, quod ni faceret, minabantur, ſe Carthaginem ſtatim ad eum accuſandum nauigaturos. At Hannibal ex Hiſpanis quoſdam miſit, qui per fidei & amicitiæ ſpeciem legatis appropinquantibus dicerent, nõ adeſſe ducem, procul in loca quædam incognita profectum: monerentque, vt quamprimùm diſcederent, ne aduentu illorum cognito, per Imperatoris abſentiam ab effrenatis militibus interirent. Legati vera illa eſſe rati, Carthaginem abierunt. indictóque concilio, Carthaginenſium alij pacem ſuaſerunt: factio verò Hannibalis, Saguntinos eſſe iniurios, & Romanos ea quæ nihil ad ipſos attinerent, curioſè complecti aſſerebat. Denique in eorum ſententiam itum eſt, qui belli Romanis inferendi autores erant.

*Sagunti oppugnatio.*

Interea dum Hannibal ſedulò mœnia oppugnat, multi ex eius militibus cadunt, pluribus vulneratis: & cum aliquando Carthaginenſes muri partem deieciſſent, & per ruinas penetrare conarentur, à Saguntinis eruptione facta, repulſi ceſſerunt: imminuta audacia, oppidanorum verò animi aucti ſunt. Neque tamen ab obſidione deſtiterunt, in menſem octauum vſque prorogata. quo temporis ſpacio cùm alia multa, eáque incommoda euenerunt, tum Hannibal grauiter vulneratus eſt.

*Sagunti excidium.*

Vrbs autem ſic capta eſt. Machinam adduxerunt, quæ mœnia multum ſuperaret, armatis partim conſpicuis, partim occultis refertam. Dum autem Saguntini cum iis duntaxat quos videbant, acrius pugnant, ſolos eos eſſe opinati, occulti ſuffoſſo muro vi in vrbem penetrarunt. Saguntini re inopinata perterriti, in arcem accurrerunt: habitóque colloquio, tolerabilibus conditionibus ſalutem impetrare ſtuduerunt. Hannibale verò nihil moderati poſtulante, neque Romanis quicquam opis ferentibus, efflagitarunt, vt oppugnatione intermiſſa, rebus ſuis conſulendi ſpacium daretur. Interea precioſiſſimis quibuſque rebus igni abſumptis, homines imbelles ſibi ipſi manus attulerunt: qui erant ætate integra, ſubito in hoſtes impetu facto, ſtrenuè dimicantes occubuerunt. Hæc Romanis & Carthaginenſibus belli cauſa fuit. Nam cum Hannibalem multis ſociis aſcitis in Italiam properare Romani audiuiſſent, indicto concilio multa verba facta ſunt.

*Romanorum de bello Carthaginẽſi deliberationes.*

Verùm L. Cornelius Lentulus pro concione dixit, non eſſe cunctandum, ſed bellum contra Carthaginenſes decernendum, & tam Conſules quàm exercitus bifariam diuidendos: & alterum in Hiſpaniam, alterum in Lybiam mittendum: vt eodem tempore & ager eorum vaſtaretur, & ſocij vexarentur: neque Hiſpaniæ opem ferre, neque inde auxilia expectare hoſtes poſſent. Ad hæc Q. Fabius Max. reſpondit, non adeò præcipitanter bellum eſſe decernendum, ſed legatos prius mittendos. Quòd ſi crimina purgarint, quieſcendum:



dum: ſin iniuriarum conuincantur, tum demum bello petendos eſſe, vt etiam cauſa belli in illos transferatur. Ac vtriuſque ſententia ſummatim hæc fuit. Senatui autem placuit, ſe & ad bellum parare, & legatis Carthaginem miſſis Hannibalem accuſare. Quòd ſi illa improbarent, iure agendum: ſin illi imputarent, eum depoſcendum: ſi non dederent, bellum eis indicendum. Legatis digreſſis, Carthaginenſes quid agendum eſſet deliberabant. Haſdrubal verò vnus ex iis quos Hannibal ſubornarat, autor fuit veteris libertatis recuperandæ: & ſeruitutis, quam pax attuliſſet, tum pecuniis, tum copiis, tum ſociis comparatis repudiandæ.

*Carthaginẽſes bellũ paci præferũt.*

ſubiecítque: Si vel ſoli Hãnibali ſuo arbitratu rém gerere permiſiſſent, omnia ritè adminiſtratum iri, & ipſos omni laboris moleſtia carituros. Illo hæc locuto, magnus Hanno contrà, non temerè, neque ob parua & aliena crimina bellum in Rempub. retrahendum eſſe cenſuit, cum alia purgare, alia in autores transferre liceat. Qui cum dicendi finem feciſſet, Carthaginenſium ſeniores, primíque belli memores, illi ſunt aſſenſi: cæteri adoleſcentes, iíque potiſſimum qui Hannibalis cauſam agebant, acriter aduerſati ſunt. Vt autem nihil certi reſponſi dederunt, legatóſque neglexerunt, M. Fabius ſinu ex toga facto: Hic, inquit, vobis bellum & pacem porto: vtrum placet, ſumite. Cum reſpondiſſent, ſe neutrum quidem ſumere, ſed vtrum dediſſet, alacriter accepturos: bellum eis ſtatim indixit. Hoc igitur modo, & his dé cauſis inter Carthaginenſes & Romanos alterum bellum eſt conflatum, futuráque diuinitùs denũciata ſunt.

*Prodigia belli euentũ ſignificantia.*

Nam Romæ bos humana voce locutus eſt: & alius ludis Romanis ex ædibus ſe in Tiberim præcipitauit, ac periit: fulmina multa ſunt delata: ſanguis tum è ſtatuis manauit, tum è militis cuiuſdam clypeo: alterius enſem lupus ex ipſis caſtris rapuit. Hannibali verò multæ ignotæ beſtiæ Iberum tranſeunti, veluti viam monſtrarunt: & ſomnium huiuſmodi apparuit. Aliquando ſibi viſus eſt à diis in cõcilio ſedentibus accerſi, & quamprimùm in Italiam exercitum ducere iuberi: ab eíſque ducem itineris accepiſſe, quem non reſpectans ſequeretur: ſed cum ſe conuertiſſet, magnam ingruere tempeſtatem vidiſſe, draconémque ſequi ingentis magnitudinis. Quæ cùm miraretur, ductorem rogaſſe, quídnam ea ſibi vellent? qui reſponderit, ea illi ad vaſtitatem Italiæ adiumento futura eſſe. Hæc bonam ſpem Hannibali, Romanis magnum timorem attulerunt. Qui copiis & Coſs. bifariam diſtributis, Sempronium Longum in Siciliam miſerunt, in Hiſpaniam P. Scipionem.

*Hannibal Rhodanum & Alpes tranſit.*

Hannibal verò impreſſionis in Italiam primo quoque tempore faciendæ cupidus, iter accelerauit: ac Galliam, quæ intra Pyrenæum & Rhodanum eſt, citra dimicationem tranſiit: neque quiſquam cum eo congreſſus eſt, priuſquam ad Rhodanum veniſſet. Ibi ſe illi oſtendit Scipio: & quanquam eius copiæ nondum adueniſſent, tamen cum popularibus, eorúmque finitimis, naues quæ in flumine erant, comminuit, alueúmque cuſtodiit. Hannibal, etſi temporis aliquid inſtruendis ratibus, ſcaphis & lintribus conſumpſit: tamen omnia ad traiectum neceſſaria, multitudine operarum prius parauit, quàm Scipioni ſuæ legiones adueniſſent. Frátrémque Magonem cum equitibus & velitibus nonnullis, quà amnis latè ſpargitur, & inſulis diſtinguitur, traiicere iuſſit. Ipſe ad euidens vadum contendit: nimirum vt Galli, dum ipſi obſiſterent, fallerentur, & in aliis ripis fluminis negligentius cuſtodias haberẽt. Itáque contigit. Cum Mago flumen tranſmiſiſſet, Hannibal cum ſuis vadum ingreſſi, vbi ad medium peruenere, clamorem ſuſtulerunt, & claſſica cecinerunt. & Magone aduerſarios à tergo adorto, & cęteri & elephantes citra periculum trãſierunt. Vix tranſierant, cum Scipionis copiæ aduenerũt.

*Pugna equeſtris, euentus belli totius augurium.*

Cum igitur vtrinque ſpeculatũ equites miſiſſent, is equeſtris prælij fuit exitus, qui belli totius. Romani enim principio inferiores, multis amiſſis vicerunt. Inde Hannibal in Italiam properans, cum vias compendioſiores ſuſpectas haberet; illis vitatis, atque aliis tramitibus quæſitis, magnas ærumnas tolerauit. Nam & montes admodum prærupti, & valles flatu ventorum profundis niuibus expletæ, & glacies denſiſſima grauiter exercitum afflixerunt: multíque milites vel hyeme, vel inedia perierunt: multi etiam domum redierunt. Fertur & ipſe Hannibal reuerti voluiſſe, niſi confectum iter longius & difficilius fuiſſet eo quod reſtabat. eáque de cauſa cœptis non deſtitit: ac ſubitò extra Alpes conſpectus, admirationem ſimul & terrorem Romanis iniecit, intérque progrediendũ obuia quæque ſubegit. Scipio fratrem C. Scipionem, legatum ſuũ, in Hiſpaniam miſit, vt aut eam occuparet, aut Hannibalem eò retraheret: ipſe contra Annibalem eſt profectus.

*Captiuorum dimicatio ad animandos milites.*

Ac dies quidem aliquot quieuerunt, deinde autem ambo pugnæ ſe pararunt. Sed priuſquam ad manus veniretur, Hannibal militibus conuocatis, in itinere captos produxit in medium, rogans vtrum vincti duram perpeti ſeruitutem mallent, an inter ſeſe ſingulari certamine congredi, vt victores gratis manumitterentur? Vt poſterius prætulerunt, eos inter ſeſe commiſit: peractóque certamine, militum ſuorum animos pro concione confirmauit, atque ad bellum acuit.

*Scipio ad Ticinũ vincitur.*

Idem & Scipio ex altera parte fecit. Deinde ita congreſſi ſunt, quaſi cum totis exercitibus conflicturi eſſent. Sed Scipio equeſtri prælio in primis tentato, multis amiſſis victus & vulneratus, atque adeò perimendus, niſi à filio ſeptemdecim annos nato protectus eſſet: timens, ne pedites etiam ſuccumberent, ſtatim receptui cecinit, ac noctu receſſit.

*Hannibal Eridanum tranſit.*

Hannibal eius diſceſſu mane cognito, ad Eridanum venit: vbi cum ne vnam quidem ratem inueniſſet (cremarat enim omnia nauigia Scipio) fratrem Magonem cum equitibus tranare iuſſit, Romanóſq; perſequi: ipſe ſurſum ad fontes amnis profectus, elephantes, quà flumen concitatius fertur, traducit: & aqua in belluarum mole reſiſtente & ſparſa, facilius infra eos tranſiit. Scipio ab hoſtibus deprehenſus, ſe loco non mouit. ac pugnam iniiſſet, niſi Gallica auxilia noctu ad hoſtes transfugiſſent. Ea re turbatus, & dolore vulneris vexatus, ſub noctem caſtra in editiorẽ locum tranſtulit, vallúmq; communiit, perſequente nemine. Deinde Carthaginenſes venerunt,

& flumine interiecto caſtrametati ſunt. Dũ Scipio tum ex dolore vulneris, tum ob acceptã cladem ſeſe cõtinens, plures copias expectat: Hannibal multis fruſtra tentatis, vt eum ad pugnam eliceret, cum penuria commeatus laboraret: caſtellum quoddam eſt adortus, in quo Romani multum frumenti repoſitum habebant: & quia vi nihil proficiebat, Caſtellanum pecunia corrumpit, vt id ſibi prodat. quo occupato, etiam cæteris partim vi, partim auro ſe potiturum ſperauit. Interea Longus, Sicilia legato credita, accerſitus ad Scipionem venit: nec multo pòſt ex ambitione, & quòd prædatores quoſdam ſuperarat, dum in pugnam ruit, in inſidias delapſus impingit, & ab Hannibale cum equitibus & elephantis in fugam conuertitur: in qua multi cæſi, multi temerè in fluuium præcipitati perierunt, pauci cum Longo euaſere. Hannibal verò ea victoria non eſt lætatus, quòd & milites multos & elephantos omnes præter vnum, frigore & vulneribus confectos amiſerat. Factis igitur ſine fœdere induciis, vtrique ad ſocios ſe contulerunt, & in eorum vrbibus hybernarunt. Ac Romanis commeatus abundè ſuppetebat. Hãnibal autem cum ea quæ ſocij dabant, ſatis nõ eſſent, Romanorum pagos & oppida inuadendo, aliàs vincebat, aliàs repellebatur. aliquando equeſtri certamine à Longo victus, vulnus accepit. Vnde quidam ex Romanis ſumpta fiducia, per ſeſe contra eum mœnia oppugnantem, eruperunt. Sed & illi cæſi ſunt, & oppidũ facta deditione euerſum: & ex captiuis Romani omnes interfecti, cæteri dimiſſi. Eandem rationem in omnibus captiuis obſeruauit, vt per eos vrbes ſibi cõciliaret. Quin ex reliquis etiam Gallis, Liguribus & Hetruſcis multi, Romanis in ſuis oppidis partim occiſis, partim deditis, defecerunt. Hannibal in Hetruriam iturus, à Longo magna tempeſtate laceſſitus eſt: & multis vtrinque cæſis, in Liguriam profectus, diu ibi ſe continuit, ſuos quoque ſuſpectos habens, nemini temerè credens: ſed & veſte mutata & coma appoſititia vtens, & aliàs alia lingua loquens (plures enim norat, ipſamque Latinam) & noctu & interdiu plurima & videbat & audiebat: quædam etiam loquebatur, perſona ſua diſſimulata. Dum hæc in Italia geruntur, alter Scipio C. in Hiſpaniis appulit: & oram eius maritimam omnem vſque ad Iberum, multa etiam ſuperiora loca, partim vi, partim deditione, Baannonem quoque prælio victum cæpit. Quibus Haſdrubal frater Hannibalis cognitis, Ibero ſuperato, & quibuſdam ex iis qui defecerant receptis, Scipioni contra ſe eunti ceſſit. Romani Flaminium & Caium denuò conſules crearunt. Hannibal vbi ineunte vere, Flaminium & Seruilium Geminum cum magna manu aduentare cognouit, ad eos decipiendos conuerſus, ſéque ibi moraturum & pugnæ copiam illis facturum ſimulando, dum Romani verum id eſſe rati, vias negligenter cuſtodiunt, equitibus in caſtris relictis, noctúque ſarcinis collectis, & anguſtiis per ocium ſuperatis, Aretium contendit: equitibus etiam, cum longè proceſſiſſet, conſecutis. Conſules vt ſe deceptos eſſe ſenſerunt, Geminus ibi manſit, vt eos qui defecerant vexaret, & Carthaginenſibus opem ferre prohiberet.

*Longus ab Hannibale vincitur.*

*Hannibal Romanos captiuos occidit.*

*Hannibalis vigilantia.*

*C. Scipionis res in Hiſpania.*

*Flaminij clades ad Aretium.*

Flaminius verò ſolus abeuntes perſecutus, vt victoria ſcilicet ſui vnius eſſet, Aretium antè occupauit. Nam Hannibal dum compendia quærit, in inuia incidit: multóſque mortales, multa iumenta, & alterum oculum amiſit. Serò tandem ad Aretium progreſſus, Flaminium illic inuentum contempſit: ac pugna quidem abſtinuit (locus enim incommodus videbatur) ſed hominis ingenium periclitans, agrum vaſtauit. Cum verò Romani excurriſſent, ſimulato metu reduxit exercitum: & noctu caſtris promotis, locóque pugnæ idoneo capto, peditum partem maximam in montibus, in inſidiis collocauit, equitatum omnem extra anguſtias clam in ſubſidiis eſſe iuſſit, ipſe in tumulo cum paucis caſtra habuit. At Flaminius ſibi fidens, quum eum cum paucis in colle vidiſſet, & longè ablegaſſe reliquum exercitum putaret, ſpe eius ita deſtituti facilè capiendi concepta, temerè anguſtias eſt ingreſſus, ibíque (ſerum enim diei erat) quieuit. Sub noctem mediam Carthaginenſes eos ſine excubiis (adeò ſibi præſidebant) dormientes eodem tempore ab omni parte circundederunt: atque eminus iaculis, fundis, ſagittis, alios cubantes adhuc, alios arma induentes, impunè occiderunt. Romani enim in tenebris & nebula nemine comminus congreſſo, virtute ſua vti nõ potuerunt. Tantus autem tumultus fuit, tanta perturbatio, tantus terror eos inuaſit, vt terræmotus qui tum fiebant, non ſentirent, quamuis multa ædificia corruerent, multi montes partim finderentur, partim collapſi valles complanarent, & flumina veteribus alueis excluſa, aliò verterentur. Quæ cum in Hetruria fierent, à pugnantibus non ſunt animaduerſa. Cecidit ipſe Flaminius, & maxima multitudo: complures etiam tumulo quodam occupato, vbi diluxit, fuga ſalutem quæſituri, capti, arma & ſemetipſos, impunitate promiſſa, dediderunt. Sed Hannibal iuriſiurandi parum memor, omnes captiuos qui in caſtris erant ex ſubditis & ſociis Romanorum dimiſit: Romanos ipſos in vinculis aſſeruauit. His actis, itinere Romam intento, Narniam vſque agros vaſtando, & vrbes ſubigendo, Spoleto excepto, progreſſus, C. Centenium prætorem circumuentum, euitatis eius inſidiis, occidit. A Spoleto repulſus, cum pontem Naris deiectum vidiſſet, idémque in cæteris fluminibus, quæ tranſire neceſſe habebat, eſſe factum audiſſet: omiſſo Romano itinere, in Campaniam ſe conuertit, cuius ſolum fertiliſſimum, & vrbem Capuam maximã eſſe audiebat. quas ſi occupaſſet, ſe cætera breui tempore adiecturum putabat. Romani clade audita mœſti atque anxij, & ſemetipſos & cæſos lugentes, pontes Tyberis, præter vnum, deiecerunt, & mœnia multis in locis ruinoſa celeriter refecerunt, & Dictatorem in concione dixerunt: ac benè ſecum agi exiſtimantes, ſi ipſi manerent incolumes, nulla ſociis auxilia miſerunt. Sed Hannibalis in Campaniam profectione audita, etiam ſociis opem ferre decreuerunt. Hannibali dictatorem Fabium & M. Minutium magiſtrum equitum oppoſuerunt: qui cum eò veniſſent, cum illo non congreſſi ſunt, ſed tergis inhærentes, obſeruarunt, quãdo ſe pugnæ offerret occaſio. Fabius

*Terræmotus in Hetruria.*

*Hannibal Roma omiſſa, in Campaniam contendit.*

*C. Cẽtenius.*

*Q. Fabius Max. dictator & cunctator.*



bius enim cum militibus trepidis & victis contra plures, & victores, Martis aleam experiri noluit: ſimúlque putabat, quo magis agrum vaſtaſſent, eò citius commeatus penuria laboraturos. His rationibus adductus, neque alteri regioni vlli, neque Campaniæ opem tulit: & omnes hoſtes in Campania concluſos, & vndique ignorantes circundatos obſeruauit. Nam ipſi quidem & ex mari & ex ſociis ciuitatibus commeatus abundè ſuppetebat: illis verò nihil eſſe niſi ex agrorum vaſtatione norat. His de cauſis moram æquo ferebat animo, & à ciuibus non ſine querelis Cunctator dicebatur. Hannibal autem inſtante hyeme, cum ob commeatus penuriam eo loco hybernare non poſſet, & varias rationes Campaniæ exeundi fruſtrà tentaſſet, huiuſmodi conſilium cæpit. Captiuos omnes conuocatos, ne quis eorum effugeret, & quid ageretur Romanis ſignificaret, occidit: & boum, quos in caſtris habebat, cornibus faces alligauit, noctúque ad Samniticos montes profectus, facibus incenſis boues extimulauit, qui igni & verberibus in rabiem acti, multis in locis ſylua incenſa, facilem ei tranſitum præbuerunt. Nam Romani qui in caſtris & collibus erant, inſidias veriti, ſe non commouerunt. Sic Hannibal ad Samnites peruenit. Ea re Fabius mane cognita, abeuntes perſequens, iis qui ad hoſtes repellendos in via relicti erant, fugatis, eorumque ſociis ſuperatis: non procul à Pœnis caſtra poſuit, ſed pugna detractata, eos vagari & prædas agere prohibuit. Itaque Hannibal ob cibariorum penuriam primùm Romam inuadere ſtatuit. Vt autem Fabius pugnæ copia negata, cum pedetentim aſſectabatur, in Samnium rediit: Dictatore nunquam ab eo diſcedente, atque in id intento, ne quos ſuorum amitteret, vtque ipſe commeatu abundaret: ille autem præter arma nihil haberet, neque domo auxilia acciperet. nam Carthaginenſes eum deridebant, ſcribentem ſe benè rem gerere, & proſperis vti ſucceſſibus, & tamen pecuniam & milites flagitantem. Neque enim petitiones cum ſucceſſibus conſentire. Victores enim decere, exercitibus quos habeant contentos, pecuniam domum mittere, non emendicare. Ac dum Fabius apud exercitum fuit, nihil aduerſi Romanis accidit. Eo autem Romam ob publica negocia profecto, impegerunt. Rufus enim magiſter equitum iuuenili audacia exultans, bellique caſus non proſpiciens, & Fabij cunctationem ægrè ferens, cum ſolus imperium adeptus eſſet, mandatorum Dictatoris immemor, acie cum hoſte congreſſus principiò bene pugnauit, ſed tandem ſuccubuit: ac internecione deletus eſſet, niſi fortè fortuna Samnitum auxilia ad Romanos accedentia, Carthaginenſibus aduentus Fabij opinionem attuliſſent. qui cum hac de cauſa receſſiſſent, ſe victorem eſſe arbitratus, Romam literas miſit, quibus & rem geſtam exaggerabat, & Dictatorem, vt ſegnem & cunctatorem & hoſtium ſtudioſum criminabatur. Romani verè viciſſe Rufum opinati, præter expectationem receptis animis, eo collaudato & honorato, Fabium & ob calumniam eam, & quòd hoſtes eius prædia in Campania non incendiſſent, ſuſpectum habentes, parum abfuit quin magiſtratu priuarent. Sed cum eum vſui Reip. eſſe putarent, id quidem non fecerunt: ſed magiſtro equitum eandem poteſtatem dederunt, vt ambo ex æquo imperarent. His decretis, Fabius neque ciuibus neque collegæ ſuccenſuit. Rufus verò iam antè parum prudens, tum magis etiam inflatus, temperare ſibi non potuit, quin poſtularet, vt diebus alternis, aut etiam pluribus diebus per vices ſolus imperaret. Fabius autem veritus, ne totius exercitus accepto imperio rem malè gereret: neutrum conceſſit, ſed diuiſit exercitum, vt more Coſſ. vterque ex æquo priuatas vires haberet. Rufus igitur ſtatim caſtra tranſtulit, vt appareret, ſe ſuapte autoritate imperare, non ſubeſſe Dictatori. Quo Hannibal animaduerſo, eum ad pugnam elicuit per ſpeciem eius loci occupandi: & vndique per inſidias circumuentum, in diſcrimen adduxit totius amittendi exercitus, niſi Fabius hoſtem à tergo adortus obſtitiſſet. Hac plaga accepta Rufus, mutauit animum: & reliquiis exercitus ſtatim ad Fabium adductis, imperium vnà, non expectatis populi ſuffragiis, vltrò ei tradidit, quod ſolus ex magiſtris equitum acceperat. quo nomine ab omnibus eſt laudatus. idque Fabius ſtatim citra vllam dubitationem vniuerſum recepit, approbante populo. Deinde milites cautiſſimè duxit, & magiſtratu abiturus, Conſules tradito exercitu, candidiſſimè de omnibus rebus monuit: qui confidenter nihil, ſed ex Fabij conſiliis omnia adminiſtrarunt, quamuis Geminus rem bene geſſerat. Nam cum claſſem Carthaginenſium tendere in Italiam, ſed ob Romanorum inſtructionem non appellere vidiſſet: inter nauigandum Corſicam & Sardiniam firmauit: & exſcenſu in Africa facto ex ora maritima prædas egit. quæ cum egiſſet, non tamen elatus fuit, vt temerè Hannibalem aggrederetur: ſed Fabij mandatis paruit. Vnde vrbes non tam facilè vt prius ad Carthaginenſes defecerunt, metuentes, ne Hannibale Italia pulſo, à Romanis finitimis malè tractarentur. Ac plerique futura conſiderabant, ſed pauci ad Romanorum ſocietatem redibant, quidam etiam donaria miſerunt. Ex multis autem Hieronis muneribus, frumentum duntaxat & Victoriæ ſignum acceperunt: quanquam adeò pecuniæ inopes, vt argenteum nummum prius impermiſtum & purum, ære admiſto adulterarent. Hæc tum in Italia acta ſunt: ac Romæ ſeruilis coniuratio maturè oppreſſa. Explorator quidam in vrbe deprehenſus, amputatis manibus dimiſſus eſt, vt ipſe Carthaginenſibus ſuæ cladis nuncius eſſet. In Hiſpania Scipio nauali prælio, ad Iberi hoſtia vicit. Nam cum pugna principiò anceps eſſet, velis nauium reſectis, ſuos ad promptius dimicandũ cohortari voluit: nec agros duntaxat vaſtauit, ſed etiam multa loca munita ſubegit: & per fratrem P. Scipionem, vrbes Hiſpanicas Romano imperio adiecit. Abellus enim quidam Hiſpanus, cum Carthaginenſibus fidus eſſe crederetur, reuera Romanis fauens, perſuaſit ei, qui obſides Hiſpanorum cuſtodiebat, vt eos domum abire ſineret, quò facilius ciuitates ad beneuolentiam adducerentur. Quos cum, vt illius conſilij autor, legatis

*Hannibalis in Samnium tranſitus.*

*Fabij prudentia.*

*Hannibal Carthagine deridetur.*

*Q. Minutij Rufi temeritas, & falſa victoria.*

*Q. Minutius Rufus Fabio Dictaturam reſtituit.*

*Germini res geſtæ.*

*Monetæ adulteratio.*

*Coniuratio ſeruilis.*

*Scipionis res geſtæ in Hiſpania.*

prius ad Scipionem miſſis, & communicatis iis quæ volebat, noctu abduceret, captus eſt ſcilicet: Romani iis domum remiſſis, patrias eorum in deditionem acceperunt. Quæ cum feliciter ſuccederent. in eam cladem inciderunt, qua nec antè nec pòſt grauiorem ſenſerunt: eaque prodigiis præſignificata eſt, & Sibyllinis oraculis tot antè ætatibus prædicta.

*Cannenſis clades oraculis prædicta.*

Mirabilis fuit & Marci vatis diuinatio, qui eos, quippe à prima ſtirpe Troianos in cãpo Diomedæo cladem accepturos predixit. is verò in Apulia Dauniorũ eſt, nomen ab habitatione Diomedis ſortitus, cum illic oberraret. In eo enim campo Cannæ ſunt, vbi cæſi fuerunt, iuxta ſinum Ionium, & Aufidi hoſtia: Sibylla autem monuit vt eum locum cauerent, neque tamen quicquam cautione vel diligentiſſima profecturos adiecit. Ac talia fuerunt oracula: res autem ita geſta eſt. Legionibus præerant Paulus Æmylius & Terentius Varro, viri diſſimilibus ingeniis.

*Paulus Æmylius. Terentius Varro.*

Nam alter patricius erat, doctrina ornatus, tutaſque rationes audaciæ præponebat. Terentius verò inter plebeios educatus, & importunæ audaciæ aſſuetus, tum aliis de rebus perperam ſentiebat, tum ſe ſolum habere imperium ob collogæ moderationem opinabatur. Ambo autem perquam in tempore in caſtra venerunt. Neque enim commeatum habebat Hannibal, & res Hiſpanicæ turbatæ erant, & ſocij ab eo alienabantur. Quòd ſi perpuſillum morati eſſent, citra laborem viciſſent. Nunc Terentij temeritas & Pauli moderatio cauſæ cladis extiterunt. Nam Hannibal ſtatim eos ad pugnam elicere ſtudens, cum paucis munitionem aggreſſus eſt: factaque excurſione, ſponte receſſit, vt timore ſimulato facilius eos in prælium attraheret. Cumque Paulus ſuos milites ab hoſte perſequendo reuocaſſet, timore ſimulato, vaſis noctu collectis, tanquam abiturus, multa in vallo reliquit. cæteraque negligentius portari iuſſit, vt Romanos in rapinam intentos aggrederetur: ac id omnino accidiſſet, niſi Paulus milites & Terentium vel inuitos cohibuiſſet. Hannibal, etiam hoc conſilio fruſtratus, noctu ad Cannas venit: cognitoque loci ſitu, & ad parandas inſidias, & ad prælium committendum idoneo, caſtra ibi poſuit, ac omnem eum agrum ſubarenoſum aratro proſcidit, vt in pugna puluis tolleretur: id machinatus, vt ventum qui ibi ſub meridiem flare conſueuit, à tergo haberet. Coſs. quum manè caſtra viris vacua vidiſſent: primùm ſe repreſſerunt, inſidias veriti. Poſtridie ad Cannas venerunt, iuxta flumen vterque ſeorſim caſtrametatus. Ob morum enim diuerſitatem alter alterius conſuetudinem declinabat. Paulo quieſcente, Terentius confligere voluit: nec tamen fecit, cum milites parum eſſe alacres vidiſſet. At Hannibal vel inuitos ad pugnam eliciens, aquatione prohibebat, nec palari ſinebat, & cadauera cæſorum ſuprà in profluentem ante vallum eorum proiiciebat, vt à potu abhorrerent. His rebus Romani cõcitati, aciem inſtruxerunt. Quo Hannibal præcognito, inſidiis ſub tumulis collocatis, & reliquo exercitu ordinato, nonnullos transfugas ſubornauit, quos ſigno dato clypeis, haſtis & enſibus grauioribus abiectis, ſolos pugiones retinere iuſſit, vt ab aduerſariis pro inermibus accepti, eos ex improuiſo aggrederentur. Romani, cum Hannibalis exercitum manè in procinctu ſtare viderent, armis captis & ipſi inſtruebantur. Claſſicis igitur vtrinque canentibus, collatiſque ſignis, variè & vſque meridiem ancipiti Marte pugnauerunt. Vt autem ventus eſt exortus, & ficticij transfugæ pro inermibus accepti, poſt Romanos ſteterunt, ne ſcilicet à Carthaginenſibus opprimerentur: tunc qui in inſidiis erant, vtrinque conſurrexerunt, & Hannibal à fronte cum equitibus, & hoſtes, nec minus ventus & puluis in facies eorum violenter incidentes, Romanos vndique turbabant, & creber ex fatigatione anhelitus, vt & viſu & voce priuati, promiſcuè nullóque ordine cæderentur. Tanta igitur multitudo cecidit, vt Hannibal vulgi inire numerum ne tentarit quidem: equitum autem & ſenatorum numerum ad ſenatum Carthaginenſem non ſcripſerit, ſed per modios anulorum demonſtrarit. Soli enim ſenatores & equites anulis vtebantur. Multi tamen cum Terentio tum quoque euaſerunt, ſed Paulus occubuit. At Hannibal fugientes non perſecutus eſt, neque Romam properauit.

*Hannibal victoria non vtitur.*

Nam cum vel totum exercitum, vel partem eius eueſtigiò Romam perducere, atque in vrbe bellum gerere potuiſſet, non tamen fecit: quamuis ſuadente Maharbale. Quare probro ei datum eſt, quòd vincere poſſit, ſed vti victoria neſciat. Rem ſanè tum neglectam, poſtea nunquam reſarcire potuerunt: & Hannibalem ceſſationis ita pœnituit, vt continenter exclamaret, O Cannæ Cannæ. Romani autem excidio proximi, victoriam per Scipionem recuperarunt, P. Scipionis in Hiſpania bellum gerentis filium, qui patrem vulneratum defenderat. Tum verò miles Canuſium fugit, adeptúſque gloriam ab iis qui eôdem ſe receperant, imperium vltrò delatum accepit, & rebus ibi conſtitutis præſidia miſit finitimis, in rebus & deliberandis & gerendis dexter. Qui Romæ erant, cladem audiuerunt, ſed non crediderunt: cum credidiſſent, luxerunt. & in curia congreſſi, rebus infectis recedebant: donec tandem Fabius dixit, exploratores eſſe mittendos, qui & rem geſtam, & quid ageret Hannibal, nunciarent.

*Q. Fabius Max. Reip. afflictæ conſilio ſubuenit*

Ipſis verò non plorandum eſſe, ſed pedetentim procedendum, vt ea quæ facto eſſent opus, tempeſtiuè gererentur: & copias quantæ poſſint maximæ conſcribendas eſſe, & finitimorum opem implorandam. Poſthæc cum Hannibalem in Apulia eſſe cognouiſſent, & à Terentio literas accepiſſent, de ſalute & actis eius: nonnihil receptis animis, Dictatorem Marcum Iunium, Tiberium Sempronium Gracchum magiſtrum equitum dixerunt: & eueſtigiò non iuuenes duntaxat, ſed etiam effœtos ſenes conſcripſerunt: & carcere aperto maleficis impunitate, ſeruis libertate promiſſa, etiam latrones aliquot in militum catalogos retulerunt. Ad hæc ſocios accerſiuerunt, beneficiorum quæ accipiſſent admonitos, aliis frumentum, aliis argentum polliciti, quod prius facere non ſoliti erant: & in Græciam miſerunt, auxilia vel impetraturi, vel mercede conducturi. Hannibal Romanorum conſpiratione & apparatu cognito, in Cannis ſe tenuit, deſperata repentina vrbis expugnatione: & fœderatos,



tos, vt prius etiam, gratis dimiſit: Romanos verò ſpe venditionis aſſeruauit, vt ea re ſuas opes augeret, Romanorũm imminueret. Sed cum nemo veniret, qui captiuos requireret: eos aliquot domum mittere iuſſit, afferendæ pecuniæ cauſa, prius iureiurando adactos, ſe redituros eſſe.

*Hannibal Romanorum captiuos occidit.*

Sed cum eos ne tum quidem redimere vellent, eos qui nominis alicuius erant, Carthaginem miſit. Cæteros partim excruciatos necauit, partim inter ſeſe dimicare coegit, amicis & cognatis inter ſe commiſſis. Qui verò petendæ pecuniæ cauſa miſſi fuerant, reuerſi, vt iureiurando ſatisfeciſſe viderentur, & pòſt fuga elapſi, à Cenſoribus notati, ſemetipſos peremerũt. Hannibal fratre Magone Carthaginem res geſtas nunciatum miſſo, & ad pecuniam militéſque petendos, cum iis ex aggeraſſet omnia, & anulos annumeraſſet, decreuerunt omnia quę petierat. Hannoni enim belli deponendi, & dum ſuperiores eſſent, faciẽdæ pacis autori, non auſcultarunt: non tamen decreta executi ſunt, ſed neglexerunt. Interim Hannibal in Campaniam proceſſit, & oppido quodam Samnitico capto, Neapolim contendit, paucis cum præda præmiſſis. contra quos oppidani, vt ſolos, excurſione facta, improuiſo illius aduentu, cæſi ſunt magna ex parte: vrbem tamen non cæpit, neque obſidioni illius diu immoratus eſt. Nam Capuani cum partim Romanorum amicitiam colerent, partim Hannibali ſtuderent, poſtquam is in Cannis victor, aliquot eorum ciues captos dimiſerat: multitudo ad eum deficere voluit, optimates autem aliquãdiu diſtulerunt.

*Capuani. Hannibalẽ recipiunt.*

Deinde cum in curia conueniſſent, impetu populi omnes occiſi eſſent, niſi quidam ex plebe, conſiderata mali magnitudine, ſenatores vt exitio dignos accuſaſſet: ſed prius alios eis ſurrogandos eſſe, dixiſſet, quòd vrbs ſine conſilio ſalua eſſe non poſſet. Cui cum Capuani obtemperaſſent, ſingulis è curia eiiciendis multitudinem rogabat, quóſnam illorum loco crearent? & cum exiguo tempore alios ſufficere non poſſent, omnes illos vt neceſſarios dimiſerunt: & inter ſe reconciliati, pacem cum Hannibale fecerunt. Qui celeriter relicta Neapoli, Capuam venit, & pro concione pòſt multa alia grata auribus, Italiæ principatum eis promiſit, vt ſpe erecti, ſe pro ſemetipſis laborare, alacrius pugnarent. Poſt Capuæ defectionem etiam reliqua Campania in motu fuit: cuius defectionem Romanis ægrè ferentibus, Hannibal Nucerinos oppugnauit. Qui cum obſiderentur, inutilem ætatem ob cibariorum penuriam expulerunt: quos Hannibal non recepit, neque aliò quàm in vrbem redeundi poteſtatem dedit.

*Nucerinorum interitus.*

Quamobrem cæteri quoque cum vna veſte ſe vrbe exceſſuros pepigerunt. At ille vrbe potitus, ſenatores in balneis incluſos ſuffocauit: reliquos cum diſcedere quò vellẽt iuſſiſſet, multos in itinere interfecit. ſed tamen eorum multi in ſyluas profugi euaſerunt. Ea crudelitate cæteri territi, non amplius eius fidei ſe permiſerunt, ſed reſiſtebant, dum poterant. Nolaníque de facienda deditione conſultantes, illo facinore viſo, Marcellum clàm accerſiuerũt, Hannibale ab vrbis oppugnatione repulſo. Inde digreſſus, Acerranos fame domuit, iiſdem quibus Nucerinos conditionibus, eodémque tractauit modo.

*Acerranorũ interitus.*

Deinde Baſilinas eſt aggreſſus, quo Romani, corúmque ſocij circiter M confugerant, qui ciuibus proditionem molientibus occiſis, Hannibaléque ſæpe profligato, famem quoque fortiter tolerarunt. Cum autem commeatus defeciſſet, quendam in vtre ad Dictatorem miſerunt: qui noctu dolia farina plena in flumen coniecta eos in tenebris obſeruare iuſſit. Hoc modo clam eos ad tempus aluit: ſed tandem vno dolio ex alliſione confracto, Carthaginenſes re animaduerſa, cathenis fluuium munierunt. Vt autem fame & vulneribus multi perierunt, altera vrbis parte deſerta, & ponte interrupto: in altera obſidionem tolerarunt, Poſtea ſemen raporum in quendam locum extra murum abiecerunt, vt hoſtes eos diu habituros crederent, vnde viuerent. Qua eadem opinione deceptus Hannibal, eorúmque fortitudinem admiratus, eos ad pactionem prouocatos, pecunia vendidit: quos Romani non modò cupidè redemerunt, ſed etiam honorarunt.

*Baſilinarũ deditio.*

Dum hæc geruntur, legati Delphis reuerſi, nunciant, iubere Pythiam, vt repudiata ignauia, bello ſint intenti. Ex eo confirmati atque aſſecuti Hannibalem, iuxta eum caſtra poſuerunt, vt quid ageret, obſeruarent. Ac Iunius Dictator, quæ Carthaginenſes facere iubebantur, eadem ſuos & ipſe obſeruare atque facere iubebat.

*Hannibal Iunium Dictatorem, non impunè ſimiũ ſuum eſſe patitur.*

Itaque & cibum & ſomnum eodem tempore capiebant, excubias eodem modo viſebant, cæteráque ex æquo faciebant. Quo Hannibal cognito, tempeſtuoſa nocte captata, parti militum à veſpera profectionem denunciat. Iunio id imitato, per vices alios atque alios impetum in Romanos facere iuſſit, vt continenter vigiliis & tempeſtate fatigarentur: ipſe cum reliquis quieuit. Cum luceſceret, exercitu reuocato, Romanos qui armis poſitis ad quietem ſe conferebant, ſubitò aggreſſus, multos occidit, & vallum ab eis deſertum cæpit. Sardinia & Sicilia quamuis in motu eſſent, à Romanis non curabantur. Coſs. creati ſunt, Gracchus magiſter equitum, & Poſthumius Albinus: quorum hic cum omni exercitu à Boiis cæſus eſt, in tranſitu ſyluoſi montis inſidiis exceptus, cuius capite Barbari excauato, auróq; inducto, pro phiala in ſacris vſi ſunt.

*Albinus conſul à Boiis cæſus.*

Prodigia tum fuerunt. Nam bos equum peperit, & flamma è mari emicuit.

*Prodigia.*

Coſs. Gracchus & Fabius, quid Hannibal Capuæ ageret, obſeruantes, quólibet legatos mittebant, ſociis opem ferebant: eos qui defecerant, reconciliare conabantur, & reſiſtentium agros populabantur. Hannibal verò dum commeatu, eóque armis parto non abundabat, modeſtè cum exercitu viuebat. Vt verò Capua occupata, in magna rerum affluentia ocioſi hybernarunt: & vires corporum, deſidia, & robur animorum deliciis ſunt imminuta: mutatóque victu patrio, in præliis vinci didicerunt.

*Campaniæ delitiæ Hãnibalem vinci docent.*

Bello iam inſtante, in montes tranſiit, & milites exercuit: ſed cum exiguo tempore firmari non poſſent, elephantis, aliíſque militibus domo aduectis, animum recepit. Nolámque oppugnauit, vt vel vrbem caperet, vel Marcellum à Samnij vaſtatione reuocaret. Cum nihil proficeret, vrbe relicta, agros vaſtauit: donec iuſto prælio vi ſuperatus, ex Hiſpa-

norum & Afrorum crebra ad Romanos defectione (quod ei prius nunquam acciderat) magnum dolorem cæpit:& ſibiipſi ac militibus diffiſus, omni illa prouincia relicta, Capuam rediit, atque inde etiam pòſt diſceſſit. At Scipionibus, Ibero amne iam ſuperato, agros vaſtantibus, & vrbes capientibus: etiam Haſdrubale, qui ad ea prohibenda feſtinanter accurrerat, acie victo: Carthaginenſes maioribus auxiliis Haſdrubali, quàm Hannibali, opus eſſe rati, & ne Scipiones in Africam traiicerent veriti: Hannibali paruis ſupplementis miſſis, maximam copiarum partem cum Magone quàm celerrimè in Hiſpaniã ablegarunt: iubentes, vt rebus illic conſtitutis, ipſe in præſidiis eſſet: Haſdrubal autem, cum exercitu in Italiam proficiſceretur. Quo cognito, Scipiones pugna abſtinuerunt, ne fortè victor Haſdrubal in Italiam properaret. Cum autem ſocij Romanorum à Carthaginenſibus vexarentur, Publius cum hoſtibus congreſſus, vicit: Cneus è pugna abeuntes, exceptos occidit. Ob eam cladem, & frequentem vrbium defectionem, etiam Afris aliquot ad Romanos tranſeuntibus, Haſdrubal opinione ſua diutius manſit. Scipiones iis qui ad ſe defecerant, ſtatim in Italiam miſſis, res Hiſpanicas conſtituebant:& Saguntinorum ſubditis, & belli & calamitatis illius autoribus captis, oppidum euerterunt, homines vendiderũt, ac Saguntum veteribus ciuibus reddiderunt. Circa manubias tam accurati fuerunt, vt plus militibus quàm ſibi cõcedentes, nihil ex iis domum mitterent, niſi liberis ſuis talos. Itaque Cneo veniam domum eundi petenti, vt filiæ nubili dotem colligeret: Senatus dotem ex publico decreuit. Eodem tempore Sardinia & Sicilia planè alienatæ, facilè ſub iugum reductæ ſunt: Haſdrubale, qui opem eis ferebat, capto, totáque penè Sicilia per Manlium Torquatum ſubacta. neque tamen inſulæ res diu tranquillæ manſerunt. Philippus autem Macedoniæ rex, apertiſſimè Carthaginenſium amicitiam coluit. Nam cum Græciæ imperare cuperet, fœdus cum Hannibale percuſſit, vt cõmunibus opibus bellum gerentes, Carthaginenſes Italiam haberent, ipſe verò Græciam, Epirum, & inſulas. Hac pactione Romani cognita (interceperant enim Philippi caduceatorem, ad Hãnibalem euntem) ſtatim Marcum Valerium Lauinium Prætorem contra eum miſerunt, vt ſuo regno timens, domi maneret. itáque factum eſt. Nam Corcyram vſque progreſſus, vt in Italiam nauigaret, cum Lauinium Brunduſium veniſſe didiciſſet, domum rediit. Lauinio autẽ Corcyram vſque progreſſo, impetu in ſocios Romanorum facto, Noricum cœpit, & Apolloniam obſedit. Sed Lauinius ductis aduerſus eum copiis, & Noricum recepit, & Apolloniam liberauit. Vnde Philippus nauibus, quibus vſus fuerat, incenſis, pedes domum rediit. Romæ Conſules creati Fabius & Marcellus, bellum aduerſus Annibalem, Calabriam & finitima loca circumeuntem, Graccho deceſſori ſuo mandarunt. Is Hannone, qui è Brutiis circa Beneuentum occurrerat, profligato, vlterius progreſſus, Hannibalem obſeruabat: eorúmque qui defecerant agris vaſtatis, vrbes nonnullas recepit. Ipſi verò Coſs. in Campaniam ſe conuerterunt, vt ea ſubacta, nihil à tergo hoſtile habentes, ita demum Hannibalem aggrederentur. Poſtea diuiſi, Fabius Campaniam & Samniũ vaſtauit. Marcellus in Siciliam profectus, Syracuſas obſedit. quæ cum deditionem feciſſent, dolo cuiuſdam propter falſum nuncium denuò defecerunt. ac iis, terra maríque mœnia adortus, facillimè potitus eſſet, niſi Archimedis machinę obſtitiſſent. Nam & lapides, & milites inde ſuſpenſos, ſubitò & demittebat, & paulo momento retrahebat. Aliis quoque machinis iniectis, naues & turres attrahebat: & in altum eductas, ſubitò demittebat, vt cum impetu in aquas relapſæ mergerentur. Denique totam Romanorum claſſem mirabiliter excuſſit. Speculo enim quodam verſus ſolem ſuſpenſo, radios excepit: aeréque ob denſitatem & læuitatem ſpeculi ex iis radis incenſo, effecit, vt ingens flamma rectà in naues illata, omnes eas cremaret. Marcellus igitur ob Archimedis ingenium expugnatione deſperara, diuturnitate obſidionis & fame vrbem domare ſtatuit. eáque Pulchro mandata, ipſe ad defectionis eorum ſocios ſe conuertit: ac pœnitentibus conceſſa venia, reſiſtentes aſperè tractauit: multas vrbes vi, quaſdam proditione cæpit. Interim Himilco Carthagine cum exercitu profectus, & Agrigento & Heraclea occupatis, ad Syracuſas progreſſus, & victus eſt, & viciſſim vicit: & ſubito Marcelli superuentu denuò ſuccubuit. Dehinc Marcellus Syracuſis aſſedit, Hannibale in Calabria verſante. Romani autem denuò multas clades acceperunt. Nam & Coſs. ad Capuam impegerunt, & Gracchus in Lucania periit, & Tarentini atque aliæ vrbes defecerunt: & Hannibal dudum territus, in Italia manſit, & contra Romam eſt profectus:& ambo Scipiones perierunt. His rebus elatus Hannibal, opem ferre Capuæ ſtatuens, Beneuentum vſque proceſſit. Sed cum audiſſet Claudium ob Gracchi mortem è Samnio in Lucaniam tranſiſſe, veritus ne qua illic loca alienaret, omiſſo itinere, contra illum ſe conuertit. Scipionũ interitu tota Hiſpania eſt turbata: alij vltrò, alij vi coacti, cum Carthaginenſibus ſe coniunxerunt, qui pòſt ad Romanorũ amicitiam redierunt. Marcellus cum Syracuſas oppugnando nihil proficeret, huiuſmodi rem machinatus eſt. Erat Syracuſani muri pars parum firma, quam Galeagram vocabant. quod cùm prius ignoratum eſſet, tum animaduerſum eſt. Toto igitur populo Syracuſano nocturnis Dianæ ſacris operante, milites aliquot murum illum tranſcendere iuſſit. Qui cùm portas aliquot aperuiſſent, atque alij quoque intraſſent, ſimul omnes, tam qui intus, quàm qui foris erant, ex compoſito clamorem ſuſtulerunt, haſtis clypeos pulſantes, & claſſica cecinerunt. Quibus rebus Syracuſanis iam vino grauibus, ſubitò exterritis, vrbs capta eſt, præter Acradinam & Inſulam. Marcellus partes captas diripit, reliquas oppugnat: & quanquam cum labore & tardè, tamen capit. Quibus Romani potiti, præter alios multos, etiam Archimedem occiderunt. Nam cum figuram quandam delinearet, & hoſtes adeſſe audiret: Caput, inquit, petant, lineam non petant. ac militem iam aſtantem parum curauit: ab eó-

que,

*Scipionum res Hiſpanicæ.*

*Res Siculæ.*

*Philippi Macedonis cum Hannibale fœdus.*

*Syracuſæ à Marcello obſeſſæ, Archimedis ingenio defenduntur.*

*Himilco.*

*Romanorũ res aduerſæ.*

*Marcellus Syracuſas capit.*

*Archimedis cædes.*



que, quòd à linea diſcedere iuſſiſſet, irato cæſus eſt. Marcellus Syracuſis expugnatis, & magna Siciliæ parte recuperata, magnam laudem aſſecutus eſt, & Cos. deſignatus. Nam Torquatum illi quidem, filij ſui interfectorem, elegerant: ſed cum ille recuſaſſet (neque enim ſe populi mores: neque populum ipſius imperium pati poſſe) Marcellum & Valerium Lauiniũ Coſs. crearunt. Marcello ex Sicilia digreſſo, copias equeſtres in eam miſit Hannibal. miſêre & Carthaginenſes:& præliis aliquot victores, ciuitates quoque ſubegerunt. ac ni Cornelius Dolabella prętor ſuperueniſſet, totam Siciliam ſubegiſſent. Tum Capua quoque à Romanis capta eſt: quanquam Hannibale per Latium Romam eunte, vt eos ab eius vrbis obſidione repelleret, & vſque ad Tiberim progreſſo, & ſuburbanum agrum vaſtante. Romani autem, quamuis territi, tamen alterum Conſulem manere Capuæ, alterum vrbem defendere iuſſerunt. Ac Claudius Capuæ manſit (vulnus enim acceperat) Flaccus Romam properauit. Cæterùm Hannibale excurſiones ſubinde in oculis ciuium faciente, & multa crudelia facinora edente, alio tempore ſatis habuerunt, ipſam vrbem tueri. Sed cùm eodem tempore & in mœnia & in caſtra impetum facturus eſſet, alea iacta, vt aiunt excurrerũt. Cum autem iam eminus dimicarent, ſerenitas in tempeſtatem ingẽtem cum turbine maximo, tonitribus, grandine & fulguribus eſt cõuerſa: vt ambo exercitus, velut ex compoſito, cupidè eò refugerẽt, vnde venerant. Vix arma poſuerant, cum ſerenitas rediit. Hannibal, quamuis illa, ipſius conflictus tempore, non ſine numine accidiſſe rebatur, tamen ab obſidione non deſtitit: ſed cum denuò confligere inſtituiſſet, eadémque acciderent, pertimuit: etiam eo obſtupefactus, quòd Romani in tanto diſcrimine conſtituti, neque Capuam relinquerent, & prætorem cum militibus in Hiſpaniam miſſuri eſſent: & quòd pecunia egentes, præter alia, illud etiam ſolum publici agri, in quo caſtra habebat, vendidiſſent. deſperatáque expugnatione receſſit, ſubinde exclamans, O Cannæ Cannæ: ac ne Capuæ quidem opem amplius ferre voluit. Capuani verò, quanquam ad ſummas anguſtias redacti, tamen deſperata venia reſtiterunt, auxilio Hannibalis per literas implorato. Sed tabellarij à Flacco cõprehenſi (nam Claudius ex vulnere iam deceſſerat) manibus truncati ſunt. quo Capuani viſo perculſi de ſumma rerum deliberabant. Multis verbis factis, Iuuius Virius, vir princeps, defectionis præcipuus autor: » Vnum, inquit, nobis » confugium & libertas eſt, mors. Vos me domũ ſequimini: venenum enim præparatum habeo. Sic abductis iis ſecum, quibus ea ſententia placebat, vnà cum illis vltro periit, cæteri portas Romanis aperuerunt: quibus Flaccus arma omnia & pecuniam omnem ademit: & principum virorum alios occidit, alios Romam miſit: ſoli turbæ ex plebeiis reliquæ iis conditionibus pepercit, vt prætori Romano parẽrent, vt nullum ſenatum, nullum concilium haberẽt. Pòſt etiam aliæ mulctæ impoſitæ, cum Flaccum accuſare auſi eſſent. Campani quoque eundem accuſare inſtituerunt, & Syracuſani Marcellum iam Cõſulem. Is ſe defendit, nec ante eam defenſionem quicquam pro authoritate imperij gerere voluit. Verùm Syracuſani dicendi poteſtate data, cauſam ſuam artificioſè egerunt: omiſſáque Marcelli accuſatione, ad preces conuerſi, ſe non vltro defeciſſe aſſerentes, veniam petiuerunt. Quæ cum peroraſſent, in terram prolapſi & lamentati ſunt. Suffragiis latis, Marcellus crimine ſolutus eſt: & decretum, Syracuſanos clementius tractandos eſſe, non ob facta eorum, ſed propter verba & ſupplicationes. Marcello redire in Siciliam recuſante, Lauinium miſerunt. Cum Syracuſani hoc modo veniam impetraſſent, Campani ex inſcitia inſolentius in Conſulem inuecti, etiam obiurgati, & grauius mulctati ſunt, abſente Flacco, & quodam ex eius legatis cauſam dicente. Capta Capua, etiam finitimæ ciuitates Romanis acceſſerunt, præter Atellanos. Hi enim vrbe deſerta, cum vxoribus & liberis Hannibalem adierunt. Etiam reliquæ Italiæ partes, Carthaginenſium ſtudioſæ, mutabant animos, & à Conſulibus paſſim circumeuntibus recipiebantur. Tarentini autem nondum apertè cum Romanis faciebant, ſed clam Carthaginenſibus ſuccenſebant. Romani petitam ab Hannibale captiuorum permutationem non impetrarunt, ob Carthalonem, vt hoſtem, intra mœnia non receptum. Quamobrem is iratus, colloquio detrectato, ſtatim receſſit. Hoc tempore Lauinius Ætolos Philippi ſocios ſibi conciliauit: & Philippum vſque ad Corcyram progreſſum ita terruit, vt trepidus in Macedoniam ſe reciperet. C. Claudius Nero cum militibus in Hiſpaniam miſſus eſt, & claſſe vſque ad Iberum vectus: vbi cæteris etiam legionibus inuentis, Haſdrubalem, priuſquam eum adeſſe noſſet, oppreſſum circumuenit: ſed deceptus eſt. Videns enim Haſdrubal ſe irretitum eſſe, caduceatoribus ad Neronem miſſis, ſe ea conditione dimitti petiit, vt tota Hiſpania excederet. Quam cum ille cupidè accepiſſet, pactiones procraſtinando, alios in alios montes dimiſit. Qui cum euaſiſſent, Romanis ſpe pacis excubias non habentibus, poſtridie ad Neronem in colloquium venit. Sed totum diem conſumpſit, priuſquam quicquam confirmaretur. Itidémque noctu alios dimiſit, & ſic aliis quoque diebus fecit, ſubinde aliquid in pactis cauillando. Denique & ipſe cum equitatu & elephantis ſe ſubduxit, & Neroni formidabilis extitit. Quo Romæ cognito, ſucceſſor Neroni datus eſt. Cum autem dubitaretur, quis eius loco mittendus eſſet (neque enim res quemlibet poſtulabat) & multi clade Scipionum deterrerentur: P. Scipio, is qui patrem vulneratum conſeruauit, vltro ſe ad illam expeditionem obtulit, iuuenis virtute præſtantiſſimus, & optimè inſtitutus: ſtatímque eſt electus. Sed cum non multo pòſt eius iudicij populum pœnituiſſet, tum ob ætatem (annum enim quartum & vigeſimum agebat) tum propter domum eius, patris & patrui interitu funeſtam, denuò in publicum progreſſus, pro concione patribus conſcriptis ita ſatisfecit, vt imperium ei non adimerent: ſed M. Iunium, virum ſenem, collegam adiungerent. Poſt hæc res Romana non

na non

*Hannibal Romam fruſtra oppugnat.*

*Capuã Flaccus occupat.*

*Atella.*

*Tarentum.*

*Captiui.*

*Ætoli.*

*Hiſpania.*

*Haſdrubal Neronem decipit.*

*P. Scipio in Hiſpaniam mittitur.*

*Fortuna virtuti Romanorum paulatim fauere incipit.*

na non citra ærumnas in melius mutari cœpit. Marcellus enim, cum abſolutus eſſet, Hannibalem aggreſſus, pleraque cautè adminiſtrauit, cũ deſperatis hominibus certare veritus. Sed ſi quãdo confligere neceſſe erat, prudentia magnanimitate temperata, ſuperior euadebat. Hannibal autem tum ea de cauſa, tum quòd ab aliis ſociis ciuitatibus deſertus, ab aliis deſerendus erat, tum propter alia quædam, ea loca quæ tueri nequibat, vaſtare inſtituit. Cúmque multos vexaſſet, à pluribus deſerebatur. In vrbe autem Salapia tale quiddam accidit. Duo viri ſummæ rerum ibi præerant, inter ſe diſſentientes. Nam Alinius Carthaginenſibus, Plautius Romanis ſtudebat, & cum Alinio de vrbe Romanis tradenda collocutus erat. Quod cum ille ſtatim ad Hannibalem detuliſſet, in ius adductus eſt Plautius. Hannibale autem cum iis qui in conſilio aderant, de eius ſupplicio deliberante, auſus eſt in conſpectu Pœni cum Alinio denuò de eadem re agere. Illo verò exclamante, Ecce ecce, nunc etiam de proditione mecum agit: propter rei abſurditatem Hannibal non credidit, eúmque vt calumnia petitum abſoluit. Abſoluto eo, ambo conſenſerunt: & accerſitis à Marcello militibus, Punicóque præſidio cæſo, Romanis vrbem tradiderunt. Hoc Italicarum rerum ſtatu, Siculi nihilo plus fauentes Carthaginenſibus, ad Lauinium Conſulem ſe conferebant. Carthaginenſibus qui in Sicilia erant, Hanno præerat, ſub eóque Mutinas militabat: qui cum pridem Hannibali familiaris, ob magna virtutis opera edita, inuidiam ſuſcepiſſet, in Siciliam fuerat ablegatus. Sed ne ibi quidem magiſter equitum rebus præclarè geſtis, Hannonis inuidia euitata, magiſtratu abire coactus eſt. Quibus iniuriis exacerbatus, ad Romanos ſe contulit: ac primùm adiumento fuit, vt eis Agrigentum proderetur. Deinde in aliis quoque rebus nauauit operam, vt totam Siciliam abſque magno labore recuperarent. At Fabius & Flaccus, cùm alias vrbes, tum Tarentum, tenente tum Hannibale, ſubegerunt. Nam cum Brutios incurſare quoſdam iuſſiſſent, eáque de cauſa Hannibal, relicta vrbe, illis ſuppetias iret, Flaccus illum obſeruat: Fabius interim noctu impetu terra maríque facto, partim vi, partim proditione Tarentum cepit. Quem dolum ægrè ferens Hannibal, pari dolo Fabium vlciſci ſtatuit: eíque literas Metapontinorum ciuium nomine ſcribit, de prodenda ciuitate: eum temerè accedentem, in inſidias delapſurum eſſe ratus. Verùm ille ſuſpicatus quid rei eſſet, literis iis cum illis comparatis, quas aliquando Tarentinis ſcripſerat, inſidias ex earum ſimilitudine deprehendit. Enimuerò Scipio, quamuis & patris & patrui cædem vlciſci cupiens, & belli gloriam expetens, non tamen properauit, ob hoſtium multitudinem: ſed cum eos longè in hybernis abeſſe cognouiſſet, omiſſis eis, tanta celeritate & circumſpectatione nouam Carthaginem contendit, vt eius aduentus non prius reſciſceretur, quàm adeſſet, vrbémque non ſine labore cæpit. Ea expugnata, penè maxima inter milites orta eſſet ſeditio. Nam cum Scipio ei qui primus murum conſcendiſſe, coronam pollicitus eſſet: duo viri, alter Romanus, alter ex ſociis, eam ſibi laudem vendicarunt: ac ſtudiis multitudinis contentio ad maximum tumultum proceſſit. & haud dubiè grauius aliquid accidiſſet, ni Scipio vtrunque coronaſſet. Idem multa militibus, multa rebuſpublicis largitus eſt: & obſides, qui ibi tenebantur, omnes ſuis ſine precio reddidit. Quo factum, vt multæ ciuitates, multi Dynaſtæ ſe ad fidem eius contulerint, & præter cæteros Celtiberi. Nam cum inter captiuos virginem excellenti forma cæpiſſet, eam adamaturus putabatur. Sed cum principi cuidam apud Celtiberos deſponſam eſſe cognouiſſet, accito ſponſo, puellam ei tradidit, vnà cum pecunia, quam eius neceſſarij pro ea redimenda contulerant. Quo facto & illos, & cæteros ſibi conciliauit. Haſdrubali fratri Hannibalis, quem properè aduentare cognorat, captam eſſe vrbem adhuc ignoranti, & nihil in itinere hoſtile timenti, occurrit: eóque ſuperato, & caſtris eius occupatis, multos illius loci ad ſuam amicitiam pellexit. Nam in re bellica acer erat, in familiaribus congreſſibus lenis, reſiſtentibus formidabilis, cedentibus, perquàm humanus. Verùm ob illud maximè ab omnibus honorabatur, quòd veluti numine afflatus prædixiſſet, ſe in hoſtili agro caſtrametaturum eſſe. Ab Hiſpanis autem Rex magnus appellabatur. Haſdrubale, deſperata Hiſpania, in Italiam abituro, & hyeme collectis vaſis diſcedente: eius collegæ, loco non mutato, negocium Scipioni faceſſebant, vt neque Haſdrubalem perſequeretur, neque in Italiam profectus, Romanos belli parte leuaret, neque Carthaginem traiiceret. Scipio Haſdrubalem abeuntem non eſt perſecutus: ſed per curſores, eius aduentu Romam nunciato, ea quæ tempus poſtulabat, adminiſtrauit. Et quia videbat, hoſtes in prouincia variis locis diſperſos eſſe: veritus ne ab aliquo omnes eorum copiæ in vnum conducerentur, ipſe contra Haſdrubalem Giſgonis filium eſt profectus, Sillanum in Celtiberiam contra Magonem, L. Scipionem fratrem in Baſtitaniam miſit: qui & illam bello cepit, & Magonem vicit: eúmque ad Haſdrubalem fugientem perſecutus, ad Scipionem rediit, qui nondum quicquam geſſerat. Cum Mago ad Haſdrubalem, Lucius ad fratrem Scipionem veniſſet, primùm equitatu in campos decurrentes dimicabant. Deinde totos exercitus inſtruxerunt, nec tamen ad manus ventum eſt: ídque per dies complures factum. Sed aliquando pugna commiſſa, Carthaginenſibus eorúmque ſociis victis, captáque munitione, Romani commeatu ibi inuento vſi ſunt: id quod Scipio triduo antè vaticinatus eſſe fertur. Nam cum rebus neceſſariis deſtituerentur, prædixit (qua verò arte, ignoratur) ſe in eum diem hoſtium cibariis vſuros eſſe. Poſt hæc Sillano contra hoſtium reliquias relicto, alias vrbes multas ſibi adiunxit: ordinatíſque rebus, in Hiſpania hybernauit. L. fratrem Romam miſit, vt & res geſtas nunciaret, & captiuos eos adduceret: eadémque opera exploraret, quæ de ſe Romanorum eſſet opinio. Verùm Italiam morbus vexabat, & pugnæ afflixerant, ob motus Thyrrenorum quorundam: ſed maiorem luctum attule-

rat

*Salapia ad Romanos deficit.* — *Mutinæ Pœni ad Romanos defectio.* — *Tarenti recuperatio.* — *Fabius dolũ Hannibalis animaduertit.* — *P. Scipionis res in Hiſpania geſtæ* — *Scipionis elogium.* — *Haſdrubal relicta Hiſpania in Italiam contendit.*



*Marcelli & Criſpini Coſs. cædes.*

rat Marcelli interitus. Nam cum ambo Coſs. contra Hannibalem Locris agentem, exercitum ducerent, per inſidias circumuenti ſunt: & Marcellus ſtatim occubuit, Criſpinus nõ multo pòſt ex vulnere deceſſit. Hannibal verò Marcelli cadauere inuento, & eius ſigillo accepto literis eius nomine ad vrbes ſcriptis, quicquid volebat, obtinuit: donec Criſpinus eo cognito, illos monuit, vt ſibi cauerent. Vnde res Hannibali vertit in contrarium. Nam cum Salapianis per tranſfugam ſcripſiſſet, Marcellum noctu ad mœnia accedere, & Romana lingua vnà cum aliis eam ſcientibus vteretur, vt pro Romanis haberentur: Salapiani eius artificio cognito, hac arte viciſſim vſi ſunt, vt ſe Marcellum adeſſe credere ſimularent: clathríſque attractis, tot in vrbem admiſerunt, quot vincendis ſe pares eſſe rebantur, eóſque omnes occiderunt. Hannibal verò, cum Locros à Romanis ex Sicilia profectis obſideri audiſſet, ſtatim receſſit. P. Sulpitius autem cum Ætolis & aliis ſociis, magnam Achaiæ partem vaſtauit. Sed cum Philippus Achæis opem tuliſſet, Romani tota Græcia pulſi eſſent, niſi Ætolis galea Philippi potitis, de eius interitu rumor apud Macedones ſparſus eſſet: ortáque ibi ſeditio. Veritus enim, ne regno priuaretur, in Macedoniam properauit. Ita factum, vt Romani in Græcia perſeuerantes, vrbibus aliquot potirentur. Sequenti anno, quum Haſdrubalis aduentus nunciaretur, Romani legiones conuocabãt, & ſocios ſuos accerſebant, Claudio Nerone & Marco Liuio Coſs. creatis. ac Neronem contra Hannibalem, Liuium contra Haſdrubalem miſerunt, qui ei circa Senam vrbem occurrit: non tamen ſtatim ad manus venit, ſed per dies complures in caſtris ſe continuit. Neque Haſdrubal pugnam vrſit, quietus fratrem expectans. Nero autem & Hannibal in Lucania caſtra habentes, non iuſta acie, ſed tumultuariis duntaxat pugnis ſunt congreſſi. Hannibalem autem locum ſubinde mutantem, accuratè obſeruauit Nero, ſemper eo ſuperior: & literis fratris eius Haſdrubalis interceptis, Hannibale contempto, veritus ne Haſdrubal multitudine hominum Liuio vim faceret, magnum facinus auſus eſt. Relicta enim ibi tanta militum parte, quanta ad reprimẽdum Hannibalem ſatis eſſet, ſi quid mouiſſet, mandauit, vt omnia ita agerent, vt ipſe præſens eſſe putaretur. Aſſumptáque lectiſſima parte exercitus, quaſi finitimum oppidum oppugnaturus, nemine conſilij conſcio, aduerſus Haſdrubalem properans, noctu ad collegam venit, in eiúſque vallo pernoctauit: ambóque ſe parantes, vt hoſtem ex improuiſo aggrederentur, Haſdrubalem non latuerunt. Cum enim vterque Conſul milites ſuos ſeorſim cohortaretur, animaduertit quid rei eſſet: & Hannibalem victum cæſúmque eſſe ſuſpicatus (illo enim ſuperſtite, Neronem contra ſe nunquam iturum fuiſſe) ad Gallos abire ſtatuit: & illic ſtatu fratris explorato, bellum per ocium adminiſtrare. Itaque militibus itinere denunciato, noctu diſceſſit. Id Conſules ex tumultu ſuſpicati, non tamen propter tenebras ſe ſtatim commouerunt: ſed ſub auroram equitibus ad eum perſequendum præmiſſis, ipſi ſubſecuti, Haſdrubalem equites aggreſſum (ſolos enim eos eſſe putabat) ſuperuentu ſuo in fugam verterunt. & fugientes perſecuti, multos occiderunt, ab elephantis nihil adiutos: quorum aliqui vulnerati, cum plus mali eis darent, quàm hoſtes, Haſdrubal ſeſſores eorum monuit, vt vulneratos ſtatim occiderent: id quod facilè fiebat, cùm ferreo aculeo ſub aure pungebantur. Sic belluæ à Carthaginenſibus, viri à Romanis occidebantur: tantaque multitudo cecidit, vt Romani cædibus ſatiati, cæteros nollent perſequi. Atque adeò non modò aliis plurimis, ſed etiam Haſdrubale interfecto, ſpoliis plurimis captis, & captiuis Romanis vltra quatuor millia in caſtris repertis, cladem Cannenſem abundè penſatam eſſe credebant. His geſtis, Liuius ſuo loco manſit. Nero ſexto die in Apuliã reuerſus, abitu ſuo ad id vſque tempus cælato, captiuos aliquot in caſtra Hannibalis miſit, qui ei quid actum eſſet narrarẽt: & caput Haſdrubalis in propinquo cruci affixit. Hannibal clade & cæde fratris cognita, Neroníſque victoris reditu, in magno luctu & mœrore fuit: ſæpe de fortuna queſtus eſt, ſæpe Cãnas inclamauit. atque in Brutios regreſſus, ibi quieuit. At Scipio Hiſpaniæ præeſſe iuſſus, donec ibi omnia cõpoſuiſſet, primùm in Africam duabus quinqueremibus nauigauit, eodémque forteforuna etiam Haſdrubal Giſgonis filius appulit. Quos cum Syphax ambos humaniter accepiſſet (erat enim Carthaginenſibus fœdere iunctus, & Africæ parti imperabat) & reconciliare inter ſe ſtuderet: Scipio reſpõdit, ſibi nullas cum “ Haſdrubale priuatas eſſe inimicitias, neque Rei- “ publicæ nomine faciendæ pacis autoritatem ha- “ bere. Reuerſus in Hiſpaniam, cum Ilitergitanis bellum geſſit: quòd Romanos poſt Scipionum cædem ad ſe profugos, Carthaginenſibus dediſſent, Neq; prius vrbem cæpit, quàm ipſe mœnia conſcendere auſus, vulneratus eſt. Milites enim verecundantes, & illi metuentes, promptius ſubierunt: & potiti victoria, hominibus omnibus occiſis, totam vrbem incenderunt. Qua re territi multi, vltro deditionem fecerunt, multi vi ſubacti ſunt: multi, cum obſiderentur, vrbes cremarunt, ſemetipſos & ſuos iugularunt. Maxima parte Hiſpanię ſubacta, Scipio Carthaginem rediit, vbi in honorem patris & patrui funebres ludos in armis edidit: in quibus, pręter alios, duo fratres, de regno inter ſeſe contendentes, pacificatione fruſtra à Scipione tentata, decertarunt: & maior natu minorem, licet validiorem, interfecit. Poſtea Scipione ægrotante, Hiſpani res nouas moliti ſunt. Nam exercitus Scipionis, qui circa Soncronem hybernabat, ſe cõmouit. & cum prius etiam parum dicto audiens eſſet, nec tamen defectionem planè præ ſe ferret: tum cognito morbo Scipionis, dilata etiam ſtipendiorum ſolutione, apertè defecit: pulſiſque tribunis, ſibi Conſules elegit. Fuerunt autẽ circiter VIII millia. Qua de cauſa Hiſpani etiam ad deſerendam fidem facti promptiores, ſocias ciuitates afflixerunt: & Mago Gades iamiam relicturus, neque reliquit, & mediterraneis multum detrimẽti attulit. Quo Scipio intellecto, exercitui per literas veniam promiſit quod rerum neceſſariarũ penuria coacti, rebus nouis ſtuduiſſent: petens, ne quid ex eo mali ſuſpicarentur: collaudatis

iis

*Salapiani Hannibalis dolum vlciſcuntur.* — *P. Sulpitij res Achaicæ.* — *Claudius Nero Haſdrubalem cædit.* — *Ilitergitanorum excidiũ.* — *Scipionis ludi funebres, & morbus.* — *Legio ſeditioſa ad officiũ reducta.*

iis qui magiſtratũ eorum geſſiſſent, ne ſine imperio grauius aliquid vel deſignarent, vel perpeterentur. Poſt has Scipionis literas, eius incolumitate & placabilitate cognita, nihil amplius commouerunt. Vbi verò conualuit, ne tum quidem aſperius eis eſt comminatus: frumentóque promiſſo, omnes ad ſe venire iuſſit, ſiue ſingulos per vices, ſiue vniuerſos ſimul vtrũ ipſi mallent. Milites verò ſingulatim ſe ei credere non auſi, omnes vnà venerunt. Quos Scipio (ſerum enim erat) extra mœnia manere iuſſit, commeatu abundè ſuppeditato: curauítque, vt eorum audaciſſimi in vrbem venirent, eóſque noctu comprehẽſos vinxit. Vbi diluxit, omnem exercitum, tanquam expeditione inſtituta, præmiſit. Deinde milites, qui recens venerant, inermes in vrbem ad ſe vocauit, vt acceptis ſtipendiis vnà militarent. Quibus ita ingreſſis, iis qui exierant ſignificauit, vt eueſtigiò redirent. Ita ſeditioſis circumuentis, multa exprobrauit, multa minatus eſt. Denique dixit, eos omnes exitium eſſe meritos: ſed ſe de paucis dũtaxat, quos iam comprehendiſſet, pœnas ſumpturum, abſolutis reliquis. Hæc locutus, vinctos in medium produxit: & palis alligatos, per cruciatum necauit. Vt verò quidam ex aſtantibus indignati ac tumultuati ſunt, eorum quoque complures ſuppliciis affecit. Poſtea ſtipendio reliquis dato, cõtra Indibilim & Mandonium eſt profectus: cóſque pugnam detractantes aggreſſus, ſuperauit.

*Indibilis. Mãdonius.*

Qui cum deditionem feciſſent, maior Hiſpaniæ pars eſt ſubacta, & Mago Gadibus diſceſſit, & Maſiniſſa cum Romanis ſe coniunxit. Nam Carthaginenſes poſt Haſdrubalis fratris Hannibalis cædem, Hiſpaniam deſerendam eſſe decreuerunt, & Italiam recuperandam: Magoni pecunia miſſa, vt conductis auxiliis eam inuaderet.

*Mago Hiſpania excedens, bellum in Italiam transfert.*

Is igitur rurſus in Italiam tendens, ad Gymneſias inſulas venit. ac in maiori appellere non potuit, quòd inſulares, funditores exercitatiſſimi, eminus lapides in naues iaculabantur: ſed in minori hybernauit. Inſulæ verò hæ continenti verſus Iberum imminent, ſuntque tres, & à Græcis Romaniſque Gymneſiæ communiter appellantur. Hiſpani verò Valerias, & Hyaſſuſas: & peculiari quamque nomine, vnam Ebeſum, alteram Maioricam, tertiam Minoricam rectiſſimè nominant. Romani verò Gades occuparũt.

*Gymneſiæ inſulæ.*

*Maſiniſſa.*

Maſiniſſa porrò vir inter præſtantiſſimos, in re militari & manu & conſilio promptiſſimus tali de cauſa à Carthaginenſibus ad Romanos defecit. Haſdrubal Giſgonis filius, amicus ei erat, & Sophoniſbam filiam deſponderat. Sed quum Syphacem Romanis ſtudere ſenſiſſet, abdicata Maſiniſſæ affinitate, vt Syphacem Carthaginenſibus recõciliaret, non minimæ potentiæ principem: adiumento fuit, vt Maſiniſſæ principatu, cuius pater recens obierat, potiretur: & Sophonisbam in matrimonium dedit, excellẽti forma mulierem, in literis & Muſica exercitatiſſimam: adeò vrbanam, facundam & venuſtam, vt ſolo aſpectu auditúve hominem etiam ſeueriſſimum, in ſui amorem pertrahere poſſet. His de cauſis Syphax ad Carthaginenſes ſe contulit. Maſiniſſa Romanos eſt ſecutus, quibus per omnem ætatem ſtrenuam nauauit operam.

*Haſdrubal. Sophonisba. Syphax.*

Scipio quum omnia quæ intra Pirenæos montes ſunt, partim vi, partim deditione cepiſſet, traiicere in Africam ſtatuit. Romani autem, partim ex inuidia ſucceſſuũ eius, partim veriti, ne per ſuperbiam regnum affectaret, duos ei ſucceſſores dederunt. Sic Scipio imperium depoſuit.

*Res Macedonicæ.*

Sulpitius autem cum Attalo eodem tempore Oreum proditione, Opuntem vi occupauit. Philippus enim eis maturè opem ferre non potuit, viis quà tranſeundum erat, ab Ætolis inſeſſis. Sed ſerò tandem cum veniſſet, Attalo in naues ſuas compulſo, pacem cum Romanis facere voluit. Sed cum poſt multa verba, conditiones nõ placuiſſent, pace repudiata, Ætolos à Romanorum amicitia ad ſe traduxit. Hannibal autem interea quieuit, ſua tueri ſathabens: neq; à Coſs. eſt laceſſitus, eum citra dimicationem ſubactum iri putantibus. Sequenti anno P. Scipio & Licinius Craſſus Coſs. facti: quorũ hic in Italia manſit, altero in Siciliam & Africam ire iuſſo: vt ſi Carthaginem non caperet, ſaltem Hannibalem ex Italia auocaret. Sed nec iuſtus exercitus, nec ſumptus ad parandam claſſem, ex rei bene geſtæ inuidia, datus eſt, vix ſummè neceſſariis ſuppeditatis. Nihilominus tamen cum claſſe ſociorum, & quibuſdam ex populo voluntariis diſceſſit. Mago ex inſula in Liguriam profectus, exſcenſum fecit. Craſſus in Bruttiis Hannibalem obſeruauit. Philippus cum P. Sempronium cum magnis copiis Appolloniam veniſſe didiciſſet, cupidè pacem fecit. Scipio verò conſul cum in * Italia appuliſſet, ſe vt in Siciliam traiiceret parans, id facere non potuit, quòd nec iuſtas, nec exercitatas copias haberet. Quare totam hyemem ibi exegit vt & milites quos habebat, exerceret, & nouos delectus haberet. Traiecturo nunciatum eſt à Rheginis, Locrenſes quoſdam vrbem prodituros eſſe. Nam cum ab Hannibale contra præſidij præfectum vociferantes, negligerentur, ad Romanos inclinarunt. Miſſa igitur parte copiarum, magnam vrbis partem proditorum opera occupauit.

*Locri à Scipione occupati.*

Cum autem Carthaginenſes in arce conglobati, Hannibalem accerſiuiſſent, eum Scipio celeriter conuerſo curſu, eruptione facta, ad vrbem accedentem repulit. Deinde arce potitus, totáque vrbe duobus tribunis militum mandata, ſoluit: verùm in Africam appellere non potuit. Sic autem Carthaginenſes aduentum eius timuerunt, vt pecunia miſſa Philippum ad bellum Italiæ referendum concitarent, & Hannibali frumentum & milites mitterent, Magoni claſſem & pecuniam, vt à traiectu Scipionem prohiberent. Romani autem ex oſtentis quibuſdam illuſtris victoriæ ſpe concepta, legiones Africanas, & nouos militum delectus, quot vellet, Scipioni decreuerunt. Ex Conſulibus verò Cethegum Magoni, Sempronium Hannibali oppoſuerunt. Carthaginenſes autem metuentes, ne ſe Maſiniſſa cum Scipione coniungeret, Syphaci perſuaſerunt, vt illi principatum reſtitueret, facilè eundem recepturus. Maſiniſſa fraudem intelligens, reconciliationem ipſe quoq; ſimulauit, vt eos magna clade afficeret: ob Sophonisbam, quàm propter principatum amiſſum, iratior. Itaque Romanis ſtuduit, quamuis ſe partes Carthaginenſium fouere profiteretur. Contrà Syphax, cum Afris conſultum

*Maſinaſſæ & Syphacis infidæ amicitiæ.*



conſulum vellet, ſe Romanum fœdus colere prætendebat. à quo Scipio admonitus, ne traiiceret, caduceatore eodem die clam ablegato, vt cum nemine colloqui poſſet, ne id reſciſcerent milites, conuocato exercitu, traiectum maturauit. Carthaginẽſes adhuc imparatos eſſe dicens, eóſque pridem Maſiniſſam, nunc Syphacem accerſiſſe, eorúmque moram accuſare. His dictis, nihil amplius cunctatus ſoluit: & claſſe ad Apollonium promontorium ſubducta, caſtríſque poſitis, agros vaſtauit, & oppida quædam cæpit.

*Scipio rem in Africa gerit.*

Tum Maſiniſſa Hannoni Haſdrubalis Giſgonij filio, magiſtro equitum, perſuaſit, vt Romanos adoriretur. Scipio igitur, miſſis equitibus, quædam idonea loca populatur, vt ij refugiendo perſequentes attraherent. Qui cum ex compoſito in fugam verſi, à Carthaginenſibus vrgerentur, Maſiniſſa à tergo adortus eſt Afros, & Scipio ex inſidiis impetum in eos fecit: ac multis cæſis, multi cum ipſo Hannone capti ſunt, quem Haſdrubal cum Maſiniſſæ matre permutatum redemit. Deinde Syphax, Romanæ amicitiæ ſimulatione abiecta, palàm Carthaginenſibus opem tulit. Romani verò & agros populabantur, & multos qui ab Hannibale ex Italia in Africam mittebantur, recipiebant, & in hybernis ibi manſerunt. Poſt hæc, Cneo Scipione, & Caio Seruilio Conſulibus, Carthaginenſes bello fatigati pacem experiuerunt, & Mago atque Hannibal Italia exciderunt. Conſulibus enim Hannibali & Magoni reſiſtentibus, in Africam Scipio graſſans, vrbes oppugnauit. Interim nauem Cartaginenſem captam, cum vectores ſe legatos ad illum ire ſimularent, miſſam fecit: non ignoratione commenti, ſed ne infamia violatæ legationis aſpergeretur. Syphace de conditionibus agente, vt Scipio Africa, Italia excederet Hannibal, aſſenſus eſt: non quòd illi fidem haberet, ſed vt Barbarum in fraudem illiceret. Nam cum per induciarum licentiam aliàs aliis militibus in Carthaginenſium & Syphacis caſtra miſſis, omnem illorum apparatum exploraſſet: probabilibus de cauſis, eaque potiſſimum, quòd Syphacem Maſiniſſæ inſidiatum eſſe conſtabat, pacta reſcidit, noctúque in eorum caſtra venit, paruo diſiuncta interuallo: & Haſdrubalis, paſſim ignem iniecit. Quæ cum facillimè incenſa eſſent (nam tabernacula ex culmis & frondibus confecta erant) & Carthaginenſes malè tractati ſunt: & Syphacis milites opem laturi, à Romanis in procinctu ſtantibus occiſi, eorum quoque caſtris ſuccenſis, in quibus multi & equi & homines perierunt. Romani cum hæc noctu perpetraſſent, nihil incommodi acceperunt: ſed manè, Hiſpani qui Carthaginenſibus recèns auxilio venerant, ex improuiſo impetu in illos facto, multos occiderunt. Inde Haſdrubal ſtatim Carthaginem, Syphax domum rediit. Scipio verò Syphaci Maſiniſſam & C. Lælium oppoſuit, ipſe contra Carthaginenſes eſt profectus. Illi verò ad munitionem caſtrorum, in quibus Romani hybernarant, quóque omnia ſua contulerant, naues miſerunt: vt aut eas caperent, aut Scipionem à ſeſe remouerent, nec fruſtrati ſunt. Eo enim cognito, obſidione relicta, properè ſtationem nauium cuſtodiit.

*Scipionis & Carthaginẽſium dimicationes.*

Primo die hoſtes facilè propulſarunt Romani: poſtridie longè inferiores fuerunt. Nam Carthaginenſes ferreis manibus iniectis, naues aliquot eorum reuellerunt. Sed in terram excendere non auſi, nauibus domum reductis, imperium Haſdrubali abrogatum, Hannoni cuidam tradiderunt. Inde Haſdrubal ſeruis & transfugis ſuſceptis, ſuapte autoritate copias non imbecilles cogit: & Hiſpanis, qui in caſtris Scipionis militabant, ſibi clam conciliatis, noctu caſtra eius ex inſidiis adoriri inſtituit. Ac effeciſſet aliquid, niſi & augures auſpiciis turbati, & Maſiniſſe mater diuino quodam afflatu, effeciſſent, vt quæſtiones de iis haberentur. Sic illis ante perpetratum facinus ſupplicio affectis, Scipio rurſus ad Carthaginem admoto exercitu, agrum eorum vſſit. Syphax cùm Lælio ad tempus reſtitiſſet, tandem Romani ſuperiores euaſerunt, multis occiſis, multis captis, atque ipſo Syphace: quem cum vinctum oſtẽdiſſent iis qui Cirtam regiam eius tuebantur, vrbem citra pugnam occuparũt, in eaque Sophoniſbam deprehenderũt.

*Syphax à C. Lælio & Maſiniſſa capitur.*

Ad quã Maſiniſſa ſtatim inſiliit: & mulierem amplexus, Habeo, inquit, Syphacem, qui te mihi rapuit: habeo & te. Sed timere noli: neque enim capta es, me ſocio. Hæc locutus, ſtatim eam vxorem duxit: veritus, ne ſi Romanos expectaſſet, illa in manubias relata excideret. Deinde reliquis oppidis ſubactis, præter alia, Syphacem ad Scipionem vinctum adduxerunt. Quod ille ſpectaculum non tulit: ſed memor eius hoſpitij, & humanorum caſuum, è ſella exiliit: eúmque ſolutum, porrecta dextera, honorificè habuit. Cum autem eum aliquando rogaſſet, quo conſilio bellum Romanis intuliſſet? ille pari calliditate & ſeipſum excuſauit, & Maſiniſſam vltus eſt. Id enim Sophoniſbæ impulſu factum eſſe dixit, à qua in patris Haſdrubalis gratiam præſtigiis quibuſdam fuerit irretitus, vt vel inuitus ſtuderet Carthaginenſibus. Etſi autem muliebris impoſturæ iuſtas pœnas lueret, tamen id in malis ſe habere ſolatij, quòd Maſiniſſa, ea ducta, omnino in ſimile exitiũ præcipitandus eſſet. Ea ſuſpicione motus Scipio, cum Maſiniſſa ſtatim expoſtulat, ꝙ mulierem hoſtem & captiuam, ſe inſcio, tam properanter duxiſſet: eamque tradi Romanis iubet. Quibus verbis ingenti dolore affectus Maſiniſſa, ſubitò in tabernaculum inſiliens, Sophoniſbæ ait: Si meo ipſius interitu te liberam & inuiolatam tueri poſſem, cupidè pro te mortem oppeterem. Verùm quia id fieri non poteſt, eò te præmitto, quò & ego & omnes perueniemus. His dictis, ei venenum porrigit. Illa verò citra eiulatum & gemitum, generoſo animo reſpondet: Si tibi iſtud, marite, placet, pareo. Nam animo quidem meo nemo alius dominabitur. Si autem Scipio corpus meum requirit, mortuum id accipiat. Id factum mulieris admiratus eſt Scipio. Romani, Syphace, eius filio Vermina, & aliis principibus à Lælio in vrbem perductis, Syphacem Albæ aſſeruarunt, & defunctum, publicè ſepeliuerunt, Verminæ paternum regnum confirmarunt, captiuis Numidis dono datis. Carthaginenſes autem caduceatoribus de pa-

*Carthaginẽſes inſidioſam pacem aperto bello commutant.*

ce miſſis, ſtatim pecuniam Scipioni dederunt: captiuiſque omnibus redditis, cæteris de rebus legatos Romam miſerunt: qui tum à Romanis admiſſi non ſunt. Negabant enim, moris maiorum eſſe, vt eorum de pace legatos audirent, qui caſtra haberent in Italia. Poſt diſceſſum autem Hannibalis & Magonis, iis auditis, pacis conditiones acceperunt. Illi porrò Italia exceſſerunt, non propter pacificationem, ſed ad bellum domeſticum properantes. At Carthaginenſes, cum prius etiam pacem minimè cogitarent, nec eam alio conſilio petiiſſent, niſi vt tempus tererent, dum veniret Hannibal: eius aduentu recreati, Scipionem terra maríque inuaſerunt. Illo verò expoſtulante, neque quicquam moderati legatis reſponderunt: & abeuntes per inſidias occidiſſent, niſi fortuito vento exorto eſſent conſeruati. Itaque Scipio ſenatuſconſultum de pace interim allatum, nõ ratum habuit. Carthaginenſes verò, Magone in Italiam remiſſo, Hannibalem exercitui cum ſummo imperio præfecerũt, repudiato Hannone, & Haſdrudale capitis damnato. Qui cum vltro venenum hauſiſſet, in cadauer eius eſt ſæuitum. Hannibal omni poteſtate accepta, Maſiniſſæ regnum populatus, ſe ad committendum cum Romanis prælium parat. Idem & à Scipione factũ. Romanos autem pœnituit, quòd Hannibalem Italia emiſiſſent: quem vt in Africa rẽ gerere didicerunt, denuò haud mediocriter perterriti, alterum Conſulem Cl. Neronem contra eum miſerunt, Marco Seruilio Italię defenſione mandata. Verùm Nero propter hyemen in Italia & Sardina moratus, in Africam peruenire non potuit. Deinde ne vltra Siciliam quidem proceſſit, audita Scipionis victoria: qui veritus, ne ſi anteuertiſſet Nero, laborum ſuorum gloriam interciperet, primo vere Hannibalem, audita Maſiniſſæ clade, inuaſit. Hannibal vero Scipionis aduentu cognito, & ipſe ei occurrit. Ita caſtris eregione poſitis, non ſtatim ad manus venerunt: ſed dies complures morati, vterque milites ſuos ad pugnam eſt cohortatus.

*Scipio Hannibalem arte eluſum & ſubactum, ad pacem petendam adigit.*

Vt autem Scipioni tempus nõ diutius terere viſum eſt, & Hannibalem vel inuitum ad certamen elicere, Vticam iter intendit: vt cum timere & fugere crederetur, rei gerendæ occaſionem haberet: ídque factum eſt. Hannibal enim eum fugere opinatus, maioréq; fiducia inde ſumpta, cum ſolis equitibus eum à tergo eſt perſecutus: quibus Scipio præter expectationem reſtitit: iiſque profligatis, perſecutione omiſſa, impedimenta quæ in via erant, intercepit omnia. Hæc turbarunt Hannibalem: atque illud etiam, quòd Scipio tres exploratores in caſtris ſuis deprehenſos, impunè dimiſerat. E quorũ vno cum didiciſſet, quid in caſtris actum eſſet (duo enim vltro apud Romanos manſerant) perculſus eſt: neque amplius decertare auſus, quamprimùm pacem facere decreuit: vt, ea non impetrata, mora ſaltẽ aliqua & inducia intercederent. Maſiniſſa igitur, vt populari ſuo interceſſore, cum Scipione collocutus, nihil impetrauit. Nam Scipio neque aſperè neque perſpicuè reſpondit: ſed quamuis omnino medium quoddam teneret, tamen humanius diſſeruit, vt eum ſpe pacis negligẽtiorẽ redderet. ídque accidit. Cum enim Hannibalem de pugna minimè cogitantem, caſtra in locum cõmodiorem transferre velle, ex transfugis intellexiſſet: noctu loco eo, quò ille properabat, pręoccupato, Carthaginenſibus in cõualle, caſtris haud idonea, verſantibus, ex improuiſo ſe oſtendit. At Hannibal detrectata pugna, caſtris ibi muniẽdis & puteis fodiendis per totam noctem fuit occupatus: qua ærumna fatigatos & ſitientes Scipio vel inuitos inire prælium coegit. Congrediuntur inter ſeſe, Romani inſtructi & alacres, Hannibal & Carthaginenſes inuiti, & præter alia etiam defectu ſolis integro territi: quem præter cætera nihil ſibi fauſti portendere Pœnus arbitratus, elephantes in prima acie collocat. Romani verò ſubitò ingenti & terribili clamore ſublato, & clypeos haſtis pulſantes, ira & curſu incitati, belluas impetu illo territas diſſiparũt atque euerterunt: quæ verò vulnerabantur, ſuis magis incommodabant. Iam vt aliquæ in hoſtes irent, tamen Romanis ſpacium præbentibus, per mediam aciem tranſcurrentes, inter prætereundum & iaculis & gladiis vulnerabantur. Ac ad tempus aliquod Carthaginenſes reſtiterunt. Deinde Maſiniſſæ & Lęlij equitatu inuecto, fugerunt omnes, plures ceciderunt, ipſo etiam Hannibale penè interfecto. Nam cum fugiens Maſiniſſam laxis habenis acerrimè perſequi conuerſus vidiſſet, eius impetu nonnihil declinato, curſúque inhibito, præteruectum à tergo adortus vulnerauit: itaque cum paucis euaſit. Scipio victoria potitus, properè Carthaginem terra maríque obſedit. Carthaginenſes principiò ſe ad tolerandam obſidionem parantes, tandem rebus deſperatis, caduceatores ad illum miſerunt, cum quibus Scipio de pacis conditionibus egit, quæ huiuſmodi fuerunt: vt Carthaginenſes obſides darent, captiuos & transfugas omnes reſtituerent: elephantos omnes & triremes, decem exceptis, traderẽt.

*Pax facta cum Carthaginenſibus.*

in poſterum neque elephantos, neque longas naues plures quàm denas haberent, neque bellum cum quoquam niſi de ſententia Romanorum ſuſciperent. adiecta ſunt & alia quædam. His conditionibus propoſitis legati Romam miſſi, ſed parum alacriter à Senatu ſuſcepti ſunt: aliis aliud cenſentibus, ac inter ſeſe rixantibus. Verùm populus pacem magno conſenſu decreuit, acceptis conditionibus, decémque legatis miſſis, qui vnà cum Scipione omnia adminiſtrarent. Pactis firmatis, triremes traditæ, crematæque ſunt: elephantorum maior pars Romam miſſa, reliqui Maſiniſſæ donati: Africam Romani, Cartaginenſes Italiam reliquerunt. Hic ſecundi belli Punici poſt annos ſexdecim exitus fuit. Scipio autem magna parta gloria, cognomentum Africani tulit. (Iam tum enim Carthagini finitima Libya, Africa vocabatur) & multis captiuis ciuibus receptis, liberator à multis dictus, in ſummo honore fuit. Hannibal contrà à ſuis ciuibus accuſatus eſt, quòd Romam capere potuerit, nec voluerit: & manubiis in ſuum peculium conuerſis, rempublicam fraudarit. Sed abſolutus eſt: nec multo pòſt, ſummum Carthaginenſium magiſtratum adeptus.

BELL-



*BELLVM MACEDONICVM aduerſus Philippum regem geſtum.*

HOC bello confecto, Romani aliis aduerſus Philippum Macedonem & Antiochum ſunt implicati, nam Punicis adhuc certaminibus diſtricti, Philippum quamuis parum amicum, tamẽ colebant, ne Carthaginenſes adiutaret, aut Italiam inuaderet. Pace autem cum illis conſtituta, nihil cunctati, bellum apertè cum eo geſſerunt. Cum enim per legatos multa queſti, nihil eorum quæ poſtularant, impetraſſent, bellum decreuerunt: eam cauſam prætexentes, quod Græciam inuaſiſſet. ſed reuera ob priores iniurias illi infenſi: & anteuertere cupientes, ne Græcis ſubactis, Pyrrhi exemplo bellum in Italiam transferret. Bello decreto cùm alia ritè præpararũt, tum L. Apuſtiũ claſſi præfectum Sulpitio Galbæ adiunxerũt, qui cum ſinu Ionio occupato diu ægrotaret, præfectus ille, & Claudius Cento legatus, omnibus copiis acceptis, hic quidem Athenas à Macedonibus obſeſſas claſſe liberauit: & Chalcidem, quam iidem tenebant, vaſtauit: & Philippum, qui Athenas interim inuaſerat, regreſſus iterum atque iterum depulit.

*Sulpitius Galba, L. Apuſtius.*

*Cl. Cento.*

Apuſtius autem Philippo in Græcia occupato, impreſſione in Macedoniam facta, agros vaſtauit, & caſtella atq; oppida ſubegit. Qua de cauſa Philippus animo æſtuans, ſurſum deorſum aliquandiu curſitauit, aliàs aliis opẽ ferens. Cæterùm Apuſtio regionem grauiter vrgente, & Dardanis finitimam ſibi Macedoniam vexantibus (habitant autem ſupra Illyrios & Macedones) cum Illyrij quoque atque Amynander Athamaniæ Theſſalicæ gentis regulus, dudum eius fœderati, ad Romanos defeciſſent, etiam Ætolos ſuſpectos habens, & rebus ſuis metuens: cum maiori copiarum parte in ſuũ regnum properauit. Cuius aduentu cognito, Apuſtius, hyeme inſtante, receſſit. Galba ex morbo recreatus, pluribus copiis comparatis, ſub veris initia in Macedoniam properauit. Cúmque caſtra in propinquo haberent, leuia certamina inter equites & velites facta ſunt. Romanis autem in locum quendam digreſſis, vnde commeatus facilius ſuppeteret, Philippus eos ſui metu fugiſſe ratus, ex improuiſo prædatores aliquot occidit. Quo Galba animaduerſo, è caſtris eruptione facta, longè plures interfecit: Philippum verò victum & ſaucium noctu recedentem non eſt perſecutus: ſed Apolloniam rediit, Apuſtio interim cum Rhodiis & Attalo mare peragrante, & complures inſulas ſubigente.

*Hamilcaris & Gallorũ tumultus.*

Sub idem tempus Carthaginenſis quidam Hamilcar, Magonis in Italia commilito, qui ad tempus quietus ibi remanſerat, exorto Macedonico bello, Gallos ad defectionem impulit: cum iiſque Ligures bello adortus, eorum etiam nonnullos ſibi adiunxit. Sed à L. Furio prætore acie victi, legatos de pace miſerunt. Ea Liguribus data eſt, cæteri nihil impetrarunt. Nam Aurelius Conſul prætori victoriam inuidens, eos viciſſim bello eſt adortus. Sequenti anno Hamilcar & Galli multas clades Romanis intulerunt. Nam & Cn. Bebium prætorem ſuperarunt, & ſocias ciuitates incurſarunt, & Placentiam expugnatam euerterunt.

*T. Flaminius Cos. cum Philippo bellum gerit.*

In Græcia & Macedonia P. * Villius conſul contra Philippum in procinctu erat, qui Epiri anguſtias occuparat, per quas in Macedoniam patebat aditus. Hyeme elapſa, T. Flaminius Cos. cum Philippus, ob omne illud ſpacium, quod inter montes interiacet, muro obſeptum oppugnatu difficilis eſſet: cum paucis per anguſtum callem munitionem circumiit. & ex ſuperiore loco ſubitò conſpectus, terrorem incuſſit Philippo, omnem eius exercitum anguſtias ſuperaſſe opinanti, vt ſtatim in Macedoniam recederet. Conſul verò illum non perſecutus, Epiri vrbibus eſt potitus: atque inde in Theſſaliam tranſgreſſus, multis à Philippo alienatis, in Phocidem & Bœotiam ſe contulit. Vbi dum Elatiam obſidet, L. Flaminius frater eius cum Attalo & Rhodiis inſulas ſubigunt. denique Cenchreis etiam potiti, cum audiſſent ſocietatem Achæorum à Philippo petitam eſſe, legatos & ipſi vnà cum Athenienſibus ad illos miſerunt. Initio diuiſæ fuerunt Achæorum ſententiæ, aliis Philippo, aliis Romanis auxilia decernentibus.

*Achæi ſe cum Romanis coniungunt.*

Sed ſerò tandem ſocietate inita, Corinthi oppugnandæ adiutores, parte muri deiecta, crebris eruptionibus fatigati, receſſerunt. Deinde veritus Philippus, ne multæ vrbes caperentur, caduceatores ad Conſulem de pace miſit. Qui cum eius poſtulatis annuiſſet, & ipſi & ſocij conuenerunt: ſed nihil actum eſt aliud, niſi quòd Philippo legatos Romam mittere eſt conceſſum. ac ne ibi quidem quicquam impetratum. Nam Græcis poſtulantibus, vt Corintho, Chalcide & Theſſalica Demetriade cederet: Philippi legati nihil de iis vrbibus in mandatis ſe habere affirmantes, rebus infectis diſceſſerunt. Romani verò Græciæ prouinciam, & bellum Philippi cum Flaminio, in ſequentem etiam annum prorogarunt.

*Nabis Laconicus tyrannus.*

Qui cum ibi manſurus eſſet, ad bellum ſe parauit: eóque magis, quòd Nabis, Lacedæmoniorũ tyrannus, quanquã Philippi, ob Argos ab eo acceptum, amicus, pacem cum ipſo fecerat. Nam quia Macedo multa ſimul curare nõ poterat, eam vrbem, veritus ne à Romanis caperetur, Nabidis fidei, depoſiti inſtar, commiſit. Ælio Pæto conſule bellum cum Gallis gerente, etſi multi vtrinque in conflictibus ceciderũt, nihil tamen memorabile geſtum eſt.

*Motus ſeruilis oppreſſus.*

Obſides Carthaginenſium, eorum ſerui & captiui vænundati, vrbes in quibus quique degebant, occupare auſi, multis ciuibus interfectis: à Cornelio Lentulo prætore ſunt oppreſſi, prius quàm grauius aliquid committeretur.

*Gallorum minæ coercitæ.*

At Galli ſucceſſibus elati, cum Romanos obiter ſecum bellare animaduerterent, ita ſe parabant, quaſi ipſam vrbem oppugnaturi. Quo conatu Romani territi, vtrumque Conſulem, Cornelium Cethegum & Minutium Rufum, contra Gallos miſerunt: qui inter ſe diuiſi, alius aliam regionem vaſtauit. Vt conſules, ita etiam hoſtes diuiſi, qui cum Hamilcare fuerunt, victi à Cethego, pacem impetrarunt: reliqui ea clade territi, cum Rufo agros impunè vaſtante non ſunt congreſſi, nec tamen ab armis receſſerunt. Tunc etiã Flaminius cum Attalo totam Bœotiã ſube-

git. ac Attalus dum concionem ad Bœotios habet, præ ſenio efflauit animam. At Flaminius in Theſſaliã profectus, equeſtri prælio cum Philippo decertauit. neque enim locus maiori pugnæ fuit idoneus. Quare ambo in tumulum quendam cuius cacumen Cynoſcephale, à canini capitis ſimilitudine dicitur, ſeceſſerunt: diuerſéque caſtris poſitis, inter ſe totis exercitibus congreſſi, æquo Marte diſceſſiſſent, niſi Ætolorũ auxilia victoriam Romanis peperiſſent.

*Macedonici belli exitus.*

Philippus victus & profligatus, cum Lariſſam & circumiacentes ciuitates in victoris partes conceſſiſſe audiſſet, caduceatoribus miſſis, pecuniáque, & præter alios filio Demetrio obſide dato, inducias à Flaminio impetrauit, & legatos Romam pro pace miſit. Dum hæc geruntur, etiam Androſthenes ab Achæis victus, Corinthum amiſit. Lucius Flaminius claſſis præfectus, cum Acarnanes à Philippi ſocietate abſtrahere non poſſet, Leucadem obſidione cæpit: eóſque, vbi Philippi cladem audiuere, facilius ſubegit. Sic Macedonicum bellũ eſt ſolutum, & Romani pacẽ cum Philippo minimè grauatim fecerunt, his conditionibus: vt captiuos & transfugas omnes reſtitueret: vt elephantos & triremes, præter quinque & prætoriã quæ XVI remorũ erat, & pecuniam partim præſentẽ, partim certis penſionib. daret: vt ſoli Macedoniæ imperaret, neq; milites vltra quinquies mille aleret, neque vlli extra regnum ſuũ bellum faceret. Nã cæteras vrbes tam Aſianas quã Europæas, quæ prius ei ſeruierant, liberas dimiſerunt. Conſules denuò Gallos, ſed non citra laborem & ærumnam, ſubegerunt. Porcius Cato Hiſpaniam penè totam alienatam recuperauit, vir illis tẽporibus omnibus virtutibus præſtantiſſimus.

*Cõtentio de ornamentis mulierum.*

Cum autem poſt Cannenſem cladem lex eſſet lata, ne mulieres aurum geſtarẽt, néve vehiculis aut varia veſte vterẽtur, & populus vtrũ ea abroganda eſſet, néc ne, deliberaret: Cato pro concione eam retinendam eſſe ſuaſit, cum hac concluſione. Ornẽtur igitur mulieres, non auro, non gemmis, non acu pictis aut byſſinis veſtibus: ſed modeſtia, maritorum obſeruantia, liberorum amore, obedientia, moderatione, legibus ciuitatis, armis noſtris, victoriis, triumphis. Sed L. Valerius tribunuſplebis Catoni aduerſatus, autor fuit, vt mulieribus patria ornamenta redderentur, qua de re cum ad populum multa verba feciſſet, oratione ad Catonem conuerſa: Tu Cato, inquit, ſi ornamenta mulierum iniquo animo pateris, & aliquid magnificum & philoſopho dignum præſtare cupis, in orbem eas radito, tunicis & palliis induito, atque etiam, ſi Diis placet, armato, & equis impoſitas in Hiſpaniã ducito, atque adeò huc adducito, vt & cõcionibus noſtris interſint. Age accerſamus eas huc. Cum hæc dicteria Valerij mulieres audiuiſſent (multæ enim euentus expectatione ſuſpenſæ, iuxta forum verſabãtur) in concionẽ irruperunt, cõtra legẽ vociferantes. Qua citra cunctationem ſoluta, ſtatim ibi ornamẽtis quibuſdam ſumptis, cũ tripudiis abierunt.

*Cato Hiſpaniam ſub iugũ reducit.*

Cato in Hiſpaniam profectus, cũ omnes vſque ad Iberũ cõſpiraſſe, atq; in vnum cõueniſſe didiciſſet, vt ſemel vniuerſi cum eo pugnarent: prælio victos ad deditionem compulit, metuentes, ne eodẽ terrore etiã vrbes amitterent. Ac tum quidẽ eis pepercit. Pòſt autẽ, cum quidã ſuſpicionem de ſe præbuiſſent, omnibus arma ademit, & ipſos ciues ſua mœnia euertere coegit. Literis enim in omnia loca miſſis, eodémq; die redditis, omnia mœnia eodem die dirui iuſſit, contumacibus mortẽ cõminatus. Quibus magiſtratus lectis, ſinguli putantes ſibi ſolis ita ſcriptum eſſe, ne ſpacio quidem ad deliberandũ ſumpto, munitiones omnes deiecerunt. Iberũ tranſgreſſus Cato, cum Celtiberis hoſtium ſociis ob multitudinem congredi nõ auſus, mirabiliter homines tractauit: aliàs maiora ſtipendia pollicendo, vt ad ſe tranſirent: aliàs monendo, vt domũ redirent: aliàs etiam certũ pugnæ diem deſignando. Ita factum, vt inter ſe diſſentientes, cum eo pugnare auſi nõ fuerint.

*Flaminius Nabidem domat.*

Tũ Flaminius Argos oppugnauit. Romani enim Nabidem neque ſibi fidũ, & Græcis formidabilẽ, hoſtẽ iudicarãt. Sed cũ ei auxilia à Philippo miſſa eſſent, Flaminius Spartã oppugnaturus, Taygeto mõte citra laborẽ ſuperato, ad ipſam vſque vrbẽ, aduerſante nemine, peruenit. Nabis enim & Romanos metuẽs, & ciuibus diffidens, ſe loco non mouerat, vt illi maturè occurreret: ſed cum iam prę foribus adeſſet, eruptionẽ fecit, eo tum ob laborẽ itineris, tũ propter caſtrametationis occupationẽ cõtẽpto, ac nonnullos turbauit. Poſtridie oppugnantes cũ magna clade ſuorum adortus, de cætero intra mœnia ſe cõtinuit. Flaminius igitur parte copiarum ibi relicta, ne hoſtis aliò abiret: ipſe cum fratre ſuo, Rhodiis, & Eumene Attali filio, agros vaſtauit. Quibus rebus ad deſperationẽ adactus Nabis, caduceatore ad Flaminiũ miſſo, nõ ſtatim pacem impetrauit. Nam quæ conditiones ei ferebãtur, eas neque repudiare, neque multitudine prohibente accipere auſus eſt. Sed cum Romani vrgerent, & totam penè Spartam (quadam enim parte mœnia non habebat) cæpiſſent: nõ diutius cunctatus, pace cum Flaminio facta, & legatis Romam miſſis, reconciliatus eſt. At Flaminius tum omnibus Græcis libertatem dedit, eóſque poſtea conuocatos, beneficiis, quæ accepiſſent, commemoratis, monuit, vt beneuolentiam erga populum Romanum conſeruarent. & præſidiis omnibus deductis, cum toto exercitu diſceſſit.

*Græci contra Romanos Antiochũ & Philippum concitant.*

Eo Romã profecto, Nabis nouis rebus ſtuduit: quo motu tota penè Græcia, impulſu Ætolorum eſt concuſſa, ſéque bello gerendo pararũt, ad Philippum & Antiochum legatis miſſis, cui perſuaſerunt, vt Romanis bellum inferret, ſpe & Græci & Italici regni propoſita. Romani turbatis adhuc rebus, ſine vlla ſpe Antiochi ſuperandi, ſatis habuerunt, ſi ſua tueri poſſent. nam Antiochus domeſticis viribus multũ poſſe putabatur, cùm propter alia, tum quòd Mediã ſubegiſſet: ſed multo maior factus erat, affinitate Ptolemæi Ægypti, & Ariarathis Cappadociæ regũ. Antiochum igitur, de quo talis eſſet opinio, belli Philippici tempore coluerunt, per legatos amicè cum eo agentes, & munera miſſitantes. Sed Macedone victo, quem pridem timuerant, contempſerunt. At ille in Thraciã traiecit: & præter alia vi ſubacta, Lyſimachiam deſolatam inſtaurauit, qua ad belli gerendi commoditatem vteretur, à Philippo & Nabide accerſitus. Hannibal quoquè coram in ſpẽ eum erexerat, fore vt Carthaginem, atque



nem, atque inde in Italiã nauigãs, Ionij ſinus gẽtib. ſubactis, Romã ipſam oppugnare poſſet. Peruenit autem Antiochus bis in Europam atque in Græciã. Sed Ptolemæi morte audita, cum in eo ſibi putaret eſſe omnia, vt Ægypto potiretur: Seleuco filio Lyſimachiæ cum copiis relicto, diſceſſum parauit. Cæterùm cum Ptolemæũ adhuc ſuperſtitem eſſe cognouiſſet, Ægypto abſtinuit. in Cyprum nauigaturus, tẽpeſtate conflictatus, domum rediit. Legatos porrò & ille & Romani miſerunt inuicem, cùm vt de iniuriis expoſtulantes belli cauſam quærerent: tum vt quæ vires aduerſæ partis eſſent, vtrique explorarent.

*Hannibal ad Antiochum profugus.*

Hannibal verò ſummum apud Carthaginenſes magiſtratũ gerens, eóque potentiſſimorum ciuium ſuſceptis odiis, apud Romanos accuſatus eſt, vt qui & Carthagine res nouas moliretur, & cum Antiocho arcana cõſilia tractaret. Itaque cognita Romanorũ quorundam pręſentia, veritus ne cõprehenderetur, noctu Carthagine aufugit: & ad Antiochũ profectus, id molitus eſt, vt & ſibi reditũ in patriam, & Romanis bellũ cõficeret, & Græciæ & Italiæ imperium illi promittens, * donec Scipio Africanus ad eos venit. Is enim iudex in Africã miſſus, vt inter Maſiniſſam & Carthaginẽſes de finib. diſceptãtes ſententiã ferret, inimicitias eorum vigere paſſus eſt, vt & ipſi inter ſeſe contenderent, & neutri ob iudicium Romanis iraſcerentur. Inde in Aſiam traiecit, per ſpeciem legationis apud Antiochum obeundæ: reuera ea de cauſa, vt præſentia ſua & rege & Hannibale territis, ea ageret quæ eſſent è republica.

** Arbitrantur quidam verſus aliquot hic deeſſe vbi de Charthaginenſium & Maſiniſſæ controuerſiis actum eſt.*

*Antiochus Hannibali infenſus.*

Cum ad Antiochum perueniſſet, rex Hannibali non perinde auſcultauit, eúmque ſuſpectum habuit ob arcana cum Scipione colloquia, iam antea quoque parum gratum, quòd omnia conſilia Hannibali aſſcriberentur, omnium ſpes belli ritè conficiendi ab eo penderet. Ob hæc inuidens Hannibali, timuit, ne poteſtate data mutaretur. Itaque nec exercitum dedit, nec Carthaginem eum remiſit, neque in arctiorem familiaritatem admiſit: ſed de induſtria id egit, vt nihil eius conſilio geſtum eſſe videretur.

*Antiochus Græcia pellitur.*

Fama porrò de Antiocho maxima Romæ fuit, neque is curam ciuitati minimam attulit. De quo cum multa dicerentur, atque alij eum iam totam Græciam obtinere, alij in Italiam properare fabularentur: Romani cùm alios legatos, tum Flaminium in Græciam, vt & Philippum & cæteros à ſtudio nouarum rerum pro amicitia dehortaretur: & prætores, M. Bebium Apolloniam, ſi Antiochus ibi traiicere auderet: Attilium aduerſus Nabidem miſerunt. & hic quidem nihil egit, Nabide iam per inſidias ab Ætolis perempto, Spartáque ab Achæis capta. Sed Bebius & Philippus multa loca Theſſaliæ firmarunt. Macedo enim tum ob alia, tum quòd Antiochus ei Thraciæ quædam loca eripuerat, Romanis ſeruabat fidem. Flaminius Græciam paſſim obiens aliis perſuaſit ne deficerent, alios ad officium reduxit, præter Ætolos & quoſdam alios. Hi enim & ipſi ad Antiochum ſe contulerant, & alios partim coactos, partim volentes eódem pertraxerant. Antiochus verò quamuis hyberno tempore, tamen vt ſpei Ætolorum ſatisfaceret, ſine iuſtis copiis aduenit: & illis adiutantibus, Chalcidem cæpit: & reliqua Eubœa potitus, Romanos quoſdam inter captiuos repertos, omnes dimiſit: & Chalcide hybernauit, vbi & ipſius & ducum eius & militum animi cùm aliis deliciis corrupti ſunt, tum ipſe ex amore puellæ cuiuſdam voluptatum illecebris irretitus, etiam cæteros bello ineptos fecit. Romani audito eius in Græciam aduentu, & Chalcidis expugnatione, bellum apertè ſuſceperunt: & altero Conſule Scipione Naſica ad Italiæ defenſionẽ relicto, Manium Glabrionem cum magno exercitu in Italiam miſerunt. quorum ille cum Boiis bellum geſſit, hic Antiocho Græcia pulſo, cum Bebio & Philippo multas Theſſalicas ciuitates ſubegit. & Philippum Megalopolitanum captum Romam miſit: Amynandro eiecto, Macedoni ditionem eius tradidit. Antiochus interim Chalcide ocium agẽs, pòſt in Bœotiam venit, in Thermopylis Romanorum aggreſſionem expectaturus. Nam loci naturam paucitati ſuorum militum ſubſidio fore iudicabat: ac ne idem ſibi quod Græcis bello Perſico accideret, partem Ætolorum in montium cacumina præſidij cauſa miſit. Sed Glabrio contemptis locorum anguſtiis, pugnáque non dilata, Porcium Catonem & Valerium Flaccum legatos noctu contra Ætolos in montium cacumina miſit: ipſe cum Antiocho manè congreſſus, dum in planicie pugnatur, ſuperior, exercitu ab Antiocho ad altiora loca ſubducto, inferior fuit, donec Cato hoſtes à tergo eſt adortus. qui cum Ætolos dormientes oppreſſiſſet, pleriſque cæſis, reliquis diſſipatis, decurrit, & pugnæ etiam inferioris fuit particeps. Antiochus victus, & caſtris exutus, mox Chalcidem redit: & Conſulis aduentu cognito, clam in Aſiam diſcedit. Glabrio verò Bœotiam & Eubœam ſtatim occupat. Heraclea, Ætolis deditionem renuẽtibus oppugnata, vrbem inferiorẽ obſidione capit: eos verò qui in arcem confugerant, ad deditionem compellit. Ac inter cæteros, Democritus quoque dux Ætolorum captus eſt, qui aliquando Flaminij ſocietate repudiata, ei decretum petenti quò Romam mitteret, dixerat: Bono animo es. Ego enim id cum exercitu afferam, & iuxta Tiberim vobis recitabo. Philippo Lamiam obſidente, Glabrio aduentu ſuo & victoriam & manubias intercepit. Cæteri Ætoli, cùm Romanis reconciliari vellent, pecunia per legatos ab Antiocho accepta, repudiata pace bello ſe pararunt: Philippo Romanorum amicitiam ſimulante, cum Antiocho clam ſtuderet. Interea Glabrione Naupactum Ætolicæ ditionis obſidente, Flaminius ciuibus cum quibus ei noticia erat, perſuaſit, vt pacem amplecterentur. Itaque & hi & Epirotæ legatos Romam miſerunt. Philippus corona triumphali Ioui Capitolino donata, præter alia munera filium quoque Demetrium obſidem in vrbe agentem recepit. Ætolis ideo pax data non eſt, quòd nulla re deteriore conditione eſſe volebãt. Contra Antiochum Romani Scipiones, Africanum & fratrem eius Lucium miſerunt. qui Ætolis inducias dederunt, dum Romam legatos pacificatũ mitterent. & quia contra Antiochum properabant, in Macedoniam pro-

*P. & L. Scipiones in Aſia cum Antiocho bellum gerunt.*

fecti, acceptíſque à Philippo auxiliis, per Helleſpontum in Aſiam traiecti, maximam oræ maritimæ partem à Romanis, qui prius eò venerant, atque ab Eumene & Rhodiis, præoccupatã inuenerunt. à quibus etiam Hannibal naues aliquot è Phœnicia ducens, iuxta Pamphyliam victus fuerat. Eumene porrò & Attalo fratre eius Antiochi regnum vaſtantibus, vrbes partim vltrò, partim coactæ ad Romanos defecerunt. Vnde neceſſitas Antiocho impoſita eſt Europa prorſus excedendi, & Seleuci filij Lyſimachia reuocãdi. quem reuerſum cum copiis, Pergamum miſit. Vt autem obſidio inanis erat, & Scipio aduentabat, ſtatim caduceatore miſſo ſpem pacis impetrandæ habuit, quòd Africani filium captũ honorificentiſſimè tractaret: quem tandem, quamuis ſpe ſua fruſtratus, gratis dimiſit. Quò minus autẽ pax fieret, in cauſa fuere conditiones quas Romani tulerant, non acceptæ. Cum ad tẽpus quieuiſſent, repetito bello, hæc pugnæ ratio fuit. Antiochus primo loco currus diſpoſuit, ſecundo elephantos, deinde funditores & ſagittarios. Curruum impetum Romani priores excurſione facta, magnóque clamore ſublato in eos illati retuderunt: vt plerique in elephantos rurſus conuerſi, amicorum aciem turbarent, cum & ipſi temerè ferrentur, & commilitones territos diſſiparent. Sagitarij verò, & funditores, magno imbre ſunt debilitati. Ad hæc, magna & denſa nebula Romanos quippe victores, & comminus totis viribus pugnantes nihil impediit: ſed aduerſarios territos, & ſagittariis atque equitatu maximè nitentes, adempto proſpectu ad dirigenda tela, inter ſeſe vt in tenebris oberrantes, multum læſit. Antiochus tamen cataphractis equitibus aduerſum cornu proffligatum vſque ad caſtra perſecutus eſt: cáque cæpiſſet, niſi M. Æmylius Lepidus iis cuſtodiendis relictus, Romanorum primos accedentes occidiſſet, cum eis vt fugam ſiſterent, perſuadere non potuiſſet. Tum enim & reliqui in hoſtem redierunt, & ipſe cum integris præſidiariis excurſione facta, Antiochum repulit. Interea verò Zeuxis ab alia parte in vallum irrupit, ídque diripuit: donec Lepidus re animaduerſa, & ſua caſtra defendit, & Scipio Antiochi cæpit. in iis multi mortales, multi equi, iumenta, argentum, aurum, ebur & aliæ res precioſæ inuentæ. Antiochus victus ſtatim in Syriam receſſit, Aſiani Græci ad Romanorum amicitiá ſe contulerunt. Poſt hæc induciæ quædam Antiocho petenti datæ ſunt. nam & Scipio propter filium ei bene cupiebat, & conſul victoriam ſucceſſori appropinquanti concedere nolebat. Cum igitur nihil amplius Antiocho impoſuiſſent, quàm ea quæ ante pugnam poſtularant, Cn. Manlius eorum ſucceſſor, illa pactione haud cõtentus, plura exegit: & inter obſides ipſius etiam filiũ Antiochum dare, & tranſfugas omnes dedere iuſſit, inter quos erat etiam Hannibal. Iis poſtulatis Antiochus vel inuitus paruit: ſed Hannibalem, qui iam ad Pruſiam Bithyniæ regem cõfugerat, dedere non potuit. & legatis Romam miſſis, iis conditionibus pacem fecit. L. verò Scipio ea victoria magnam laudem adeptus, Aſiatici cognomentum ex prouincia deportauit: quemadmodũ frater Carthagine ſubacta, potentiſſima Africę vrbe, Africani.

*Antiochus victus à Scipionibus pacem cum Romanis facit.*

Tanti autẽ viri, tantámque virtute gloriá adepti, non multo pòſt in iudiciũ adducti, & populi poteſtati ſubiecti ſunt: ac Lucius repetundarũ damnatus, quaſi ex manubiis multa ſubtraxiſſet. Africanus verò, quòd pactiones propter filium mitiores feciſſet. ſed vera damnationis cauſa fuit inuidia. Nam eos inſontes fuiſſe, cùm aliunde patet, tum ex eo, quòd publicatis Aſiatici bonis nihilo plus eſt repertum, quàm antè habuerat: & quòd Africanũ, antequã ſuffragia ferrẽtur, Linternum profectũ, vbi vſque ad obitũ exulauit, nemo amplius condemnauit.

*Scipionum condemnatio.*

At Manlius tum Piſidiam, Lycaoniã Pãphyliam, & Galatię ſiue Galliæ Aſianæ magnã partem ſubegit. Eſt enim ibi quoque Gallica gẽs, ex Europa profecta. Nam cùm olim Brennũ regem creaſſent, Græciã & Thraciã peruagati, atque inde in Bithyniã tranſgreſſi, partib. quibuſdam Phrygiæ, Paphlagoniæ, Myſiæ ad Olympũ, & Cappadociæ occupatis, peculiarem gentem condiderunt, qui Galatæ appellantur. Hi etſi Manlio negociũ faceſſerunt, tamen & ipſi victi ſunt, Ancyra vrbe primò impetu capta, cæteris deditióne ſubactis. His rebus geſtis, & Ariarathi Cappadocum regi magna pecunia pace data, domum receſſit.

*Manlij Aſiatica victoria.*

*Galatia.*

Ætoli autem ſecundùm legatis de pace Romam miſſis, ipſi vltrò nouis rebus ſtuduerunt. Quemobrem Romani legatis ſtatim reiectis, M. Fuluio Græciam prouinciam decreuerunt. Qui primùm Ambraciam vrbem magnam, Pyrrhi olim regiam, tum autem Ætolis obnoxiam, obſedit. Ætoli fruſtra de pacificatione cum eo locuti, exercitus partem in Ambraciam miſerunt: quam vrbem Romani per cuniculos capere aggreſſi, à longinquo ſuffoderũt. id obſeſſi principiò non animaduerterũt: ſed exaggerata humo ſuſpicati quid rei eſſet, quia tamen ignorabant vbi foderetur, æreum clypeũ humi mœnibus applicarunt, éque ſonitu loco deprehẽſo, atque intrinſecus viciſſim ſuffoſſis mœnibus, cum Romanis occulta prælia commiſerunt. Tandem huiuſmodi dolum excogitarunt. Magno dolio plumis repleto ignem iniecerunt, æreo operculo multis perforato locis addito. Eius dolij ore in cuniculis hoſtibus obuerſo, fundóque folle inſerto, inflato, maximum & moleſtiſſimum fumum, vt ea materia fert, excitarunt, quem cum nemo Romanorum tolerare poſſet, deſperata expugnatione, ſolutáque obſidione pacem fecerunt. Poſt Ambraciotarum deditionem Ætoli quoque mutati, primò inducias, mox etiam pacem à Romanis impetrarunt, magna pecunia & multis obſidibus datis. Fuluius verò Cephalenia deditione capta, Peloponeſum ſeditione laborantem compoſuit. Deinde C. Flaminio & Æmylio Lepido Coſſ. Antiocho defuncto filius Seleucus ſucceſſit. quo & ipſe multo pòſt mortuo, Antiochus qui Romæ obſes erat, regnum ſuſcepit. Philippus nouas res moliri auſus, vrbibus quibuſdam Theſſalicis & Æno Maroneáque ereptis: nihil gerere potuit ob ſenectutem, & filiorum caſus. Galli quidam Alpibus ſuperatis, vrbem intra eas condere ſtatuerunt: quibus M. Marcellus arma cæteráque quæ domo attulerãt, ademit. Romani verò legatis eorum illa omnia reſtituerunt, vt ſtatim

*M. Fuluius rem in Græcia gerit.*

*Ambracia.*



tim Italia excederent. Tum etiam Hannibal interiit. Nam legatis ad Pruſiam Bithyniæ regem tum ob alia, tum vt Hannibalem apud ipſum degentem dederet, Roma miſſis: ille ea re præcognita, cum effugere non poſſet, necem ſibi conſciuit. qui cum aliquando accepiſſet oraculum, ſe in terra Libyca obiturum, ſe in Africa patria deceſſurum eſſe putabat. verum id prædium in quo moriebatur, Libyæ nomen habuit.

*Hannibalis interitus.*

Tunc etiam Scipio Africanus deceſſit. Philippus Macedonum rex, filio Demetrio occiſo, Perſeum quoque occiſurus obiit. Nam cum Demetrius ob Romanorum amicitiam, cæteríque Macedones ſpem concepiſſent regni poſt Philippi obitum obtinendi: Perſeus vt natu maior ei inuidit, & vt patri inſidiantem calumniatus eſt. itaque venenum bibere coactus, periit. Philippus autẽ non multo pòſt veritate cognita, Perſeum vlciſci volens, morte interceptus, regnum Perſeo vel inuitus reliquit: quod ei Romani, paterna amicitia renouata, confirmarunt. Inſecutis tẽporibus accidêre quædam, ſcriptione parum digna. ſed pòſt Perſeus Romanorum inimicitiis ſuſceptis, vt bello moram, dum ſe pararet, produceret: legatos Romam miſit, obiecta ſibi crimina purgaturus ſcilicet. quibus Romani in vrbem non admiſſis, ſenatu foris dato, nihil reſponderunt aliud, niſi conſulem ſe miſſuros eſſe, cum quo ageret quæ vellet. eodémque die illos abire iuſſerunt, ductoribus adiunctis, ne cum quoquã colloquerentur, ac Perſeo aditu Italiæ in poſterum interdixerunt. Deinde Cn. Sicinnium prætorem cum paruis copiis ablegarunt, maioribus nondùm paratis. Perſeus Theſſaliam ingreſſus, maximã eius partem ſibi adiunxit. Imminente vere, Licinius Craſſus contra eum miſſus eſt, & claſſi præfectus C. Lucretius. Ac primo equeſtri conflictu impegit: deinde victoria potitus, eò redegit Perſeum, vt in Macedoniam recederet. Vrbes autem Græcas aggreſſus, quas Perſeus tenebat, à pleriſque repulſus eſt nonnullas ſubegit, nonnullas euertit, ciuibus ſub corona venditis. Quibus Romani auditis indignati, Craſſo poſtmodum pecuniariam mulctam dixerunt, captas vrbes liberas eſſe iuſſerunt: earúmque ciues venundatos, quos in Italia reperêre, ab emptoribus redemerũt. His ita geſtis bello Perſico multas magnas clades acceperunt, rebus eorum paſſim afflictis. Nam Perſeus Epiri & Theſſaliæ pleraque obtinuit. Præter enim alias ingentes copias, aduerſus Romanorum elephantes etiam phalãgem armatorum inſtruxerat, quorum clypei & galeæ ferreis clauis acutis horrebant. Ne autem equis formidabiles eſſent, ſimulacra elephantorum parauit ex vnguento quodam, tetrũ fœtorem ſpirantia, viſu, auditúque horrẽda quæ arte quadam ſonitum inſtar tonitrus ederent: ad quę equi ſubinde adducti, timere denique deſierunt. His rebus Perſeus auctis animis, ſe Alexandro gloria & magnitudine imperij ſuperiorem fore putabat. Romani verò iis cognitis, Marcium Philippum Coſ. celeriter ablegarunt. qui cum in Theſſaliam ad exercitum veniſſet, Romanos & ſocios ita exercuit, vt Perſeus territus, in ſuo regno Macedonico, & ad Tẽpe quietus, anguſtias tueretur. Aucta ex eo audacia Philippus, mediis mõtibus ſuperatis, quaſdã illius vrbes cæpit. & ad Pydnã progreſſus, ob cõmeatus penuriam in Theſſaliam rediit. Vnde Perſeus reſumpta fiducia, quę Philippus occuparat, recepit, & claſſe Romanos crebris detrimẽtis affecit: aſcitíſq; ſociis, tota Gręcia ſe Romanos eiecturum ſperabat: ſed nimia & importuna parſimõnia, ex eáque ſociorum neglectu, rurſus eius opes imminutæ ſunt. Rebus enim Romanorum labaſcentibus, ſuis incrementis fretus, ſocios ita contempſit, quaſi eorum opera nihil eſſet opus: nec promiſſam illis pecuniam dedit. Aliorum igitur alacritate imminuta, ab aliis planè deſtitutus, ita reb. ſuis diffidere cœpit, vt pacem peteret: eámq; per Eumenem impetraſſet, niſi Rhodij legatis adiuncti ſuperba oratione Romanorum animos alienaſſent. Inde bellum Perſicum Paulo Æmylio iterum Conſuli eſt mandatum. qui properè in Theſſaliam profectus, militari diſciplina correcta, per Tempe quæ à paucis cuſtodiebantur, vi patefacta via, contra Perſeum duxit. Is verò cum Elpium amnem interfluentem munitionibus, & quicquid inter Olympum & mare interiacet, ſeptis atque aggeribus occupaſſet, & ſiccitate loci quoque fretus eſſet: tamen ſic etiam Conſul tranſitus periculo facto, ſitis primum inuenit remedium. Perfoſſis enim arenis in montis Olympi radicibus, affatim aquæ potabilis reperit. Interea Rhodiorum legati eadem audacia, qua prius Romæ vſi fuerant, ad eum venerunt. quos ita dimiſit, vt nihil alius diceret, niſi ſe poſt paucos dies eis reſponſurum eſſe. Cum autem oppugnando nihil proficiens, mõtes alicubi eſſe peruios didiciſſet: partem exercitus ad cacumen acceſſu difficilius miſit, vt loca opportuna occuparet. Nam ob arduum aſcenſum, minimum ibi præſidium collocatum erat. Reliqua copiarum parte cum Perſeo dimicauit, ne quid ſuſpicatus, montes accurratius tueretur. Pòſt, verticibus occupatis, noctu ad montes contendit: eóſque partim aperto Marte, partim occultè ſuperauit. Quo Perſeus cognito, metuens ne à tergo circumueniretur, aut Pydna ab hoſte occuparetur, (nam Romam claſſis accedebat) caſtello quod ad amnem erat deſerto, Pydnam properè contendit, & ante vrbem caſtra poſuit. Eódem Paulus quoque venit. non ſtatim tamen ſunt congreſſi, prælio in plures dies dilato: & quia lunæ defectum præcognorat, exercitum ſub veſperã qua ille inſtabat conuocatum, edoctúmque quid futurum eſſet, monuit, ne quid ea re turbaretur. Proinde Romani ex eo nihil aduerſi timuerunt. Macedones autem territi, Perſeo ſiniſtri aliquid portendi iudicarunt. Sic vtriſque affectis, fortuito caſu poſtridie in pugnam non denunciatam ſunt impulſi, quæ bello finem impoſuit. Nam cum iumentum Romanum in flumen, vnde aquabantur, incidiſſet, ídque ſibi & Macedones & lixæ vendicarent: primum inter hos certatum eſt. Deinde cæteri etiam ſuis opitulaturi, alij poſt alios caſtris egreſſi, donec omnes vtrinque conflixerunt: pugna cõfuſa illa quidem ſed acri cuius victoria penes Romanos fuit. qui Macedones vſque ad mare perſecuti, multos ipſi occiderunt, multos claſſi accedenti trucidandos obiecerunt: neque quiſquam eorum euaſiſſet, niſi noctis be-

*Demetrius fratris Perſei fraude ſublatus.*

*Perſei apparatus contra Romanos.*

*Paulus Æmylius Perſeum vincit.*

neficio conſeruati eſſent. Pugna enim ſub veſpe-
ram commiſſa eſt. Perſeus Amphipolim profu-
gus, vt & reliquias colligeret, &rem in integrum
reſtitueret, cum nulli venirent præter Cretenſes
ſtipendiarios, & Pydnam, cæteráſque vrbes ad
Romanos defeciſſe audiret, illinc digreſſus, om-
ni pecunia, quam ſecum vehebat, nauibus impo-
ſita, noctu in Samothraciã nauigauit. Cum autẽ
non multo pòſt audiuiſſet, Octauiũ claſſi præfe-
ctum accedere, & Paulum Amphipolim veniſſe:
per literas pacem ab eo petiit. in quibus quòd ſe
Regem nominaſſet, ne reſponſum quidem tulit.
Deinde cũ ſine tali aliquo titulo idem petiiſſet.
Paulus pacificationis mentione admiſſa, non
alias ei conditiones tulit, niſi vt ſemetipſum, &
ſua omnia Romanorum fidei permitteret: itaq;
inter eos non conuenit. Pòſt, Euandrum Creten
ſem Romanis poſtulantibus, cuius multis in re-
bus fideliſſima contra eos vſus erat opera, non
dedidit: veritus, ne arcana ſua proderet. ſed eo
clàm interfecto, rumorem ſparſit, eum ſibi ipſi
manus attuliſſe. Tum igitur familiares, eius per-
fidiam veriti (neque enim eos id latebat facinus)
ab eo deſciſſere cœperunt. Quare veritus, ne Ro-
manis dederetur, noctu fugã capeſſere inſtituit:
ac clàm ad Cotym Traciæ dynaſten perueniſſet,
niſi Cretenſes, rebus ſuis in naues impoſitis do-
mum diſcedentes, eum reliquiſſent. Ipſe verò ibi
per dies aliquot cum Philippo filio latuit. ſed
quum cæteros liberos ſuos Octauium tenere di-
*Perſeus ab Æmylio captus.* diciſſet, vltrò è latebris prodiit. Amphipolim
perductum Paulus non malè tractauit: ſed por-
recta dextera ad mẽſam ſuam admiſit, & in libe-
ra cuſtodia aſſeruatum honorificè habuit. Dein-
de per Epirum in Italiam eſt perductus. Pluthar-
chus refert Æmylium, cum Perſeus adduceretur,
ei lachrymis oppletum obuiam iuiſſe: illum ve-
rò in faciem proſtratum, prehenſis eius genibus
voces parum generoſas edidiſſe. Æmylium autẽ
,, triſti vultu eum intuentem, dixiſſe: Quid ô miſer
,, iſta facis: vnde non preter meritum in calamita-
,, tem incidiſſe, neque preſenti, ſed preterita for-
,, tuna indignus eſſe videaris? Quid meam victoriã
,, deprimis, & res geſtas attenuas, ignauiam præ te
,, ferendo, téque aduerſarium Romanis indignum
,, declarando? Virtus enim etiã in calamitate mul-
,, tum vel apud hoſtes momenti habet. Ignauiam
,, verò, etiam ſecundis in rebus extremo contem-
,, ptu Romani dignam iudicant. Eodem tempore
*Gentius à L. Anicio victus.* L. Anicius prætor cõtra Gentium miſſus, hoſtes
prælio fudit: Gentium profligatum perſecutus
Scodræ, vbi eius regia erat, obſedit. ídque fruſtra
futurũ erat, quoniã vrbs in montis cacumine ſita,
profundis vallib. quæ fluuios torrentes habent,
cincta muróque firmo munita eſt: niſi Gentius
ſuis copiis fretus, vltrò ad pugnam veniſſet. Vn-
de factum, vt omne eius imperium Anicius ſub-
egerit: & vſque ad Epirum progreſſus, ante Pauli
aduentum illam etiam tumultuantem pacarit.
Romani Pauli victoriam quarto poſt pugnam
die ex rumore audiuerunt, ſed non planè credi-
*Pauli triumphus.* derunt. Deinde Pauli acceptis literis maxima læ-
ticia affecti, non quaſi victo Perſeo, ſubactáque
Macedonia: ſed tanquam Philippum illum regẽ
præſtantiſſimum & ipſum Alexandrum cum to-
to illo imperio viciſſent, ita ſunt gloriati. Paulo
Romam reuerſo multi honores ſunt decreti, &
triumphus ſplendidiſſimus, in quo præter alias
manubias Bythim Cotys filium, Perſeũ & vxo-
rem eius cum tribus liberis, habitu captiuorum
duxit. Veritus autem ex immodica felicitate in-
uidiam numinis, Camilli exemplo precatus eſt,
ſi quid inde mali immineret, vt id incolumi Re-
pub. in ſuum caput redũdaret. itaque duos filios,
alterum paulò ante triumphum, alterum in ipſa
illa celebritate amiſit. Fuit non tantum egregius
imperator, ſed etiam pecunię contemptor. quod
ex eo apparet, quòd ſecundùm Conſul, & ſpoliis
innumerabilibus potitus, in tãta paupertate vitã
exegit, vt poſt eius obitum vxori dos ægrè poſſet
reddi. Ex captiuis Bithis patri gratis eſt reddi-
tus. Perſeus cum liberis & miniſtris Albam miſ- *Perſei cum ſuis interitus*
ſus eſt, vbi cum ſe regni recuperandi ſpe aliquan-
diu ſuſtentaſſet, ea amiſſa, ſibi ipſi manus attulit:
Philippus eius filius, & filia nõ multo pòſt obie-
runt. ſolus filius natu minimus, Albanis magiſtra
tibus pro ſcriba inſeruiẽdo ad tempus vitam to-
lerauit. Ad hunc modum Perſeus à x x regibus
ſe ortum ducere gloriatus, crebrò Philippum,
crebrius Alexandrum in ore habens, & regnum
amiſit, & in hoſtium poteſtatem venit & trium-
pho ductus eſt, non tam diademate ornatus, quã
cathenis oneratus. Rhodij dudum ſuperbè cum *Rhodiorum, Cretenſium, Pruſiæ & Eumenis reconciliatio.*
Romanis agere ſoliti, tum veniam delictorum
petentes, eorúmque ſocietatem nuper ſpretam,
admodum flagitantes, quod voluere tandem
impetrarunt. Romani etiam Cretenſibus irati,
multis precibus denique mitigati ſunt. Pruſias
item ſponte in vrbem profectus, curiæ limen oſ-
culatus, ſenatúque adorato, veniam & impuni-
tatem eſt conſecutus: Eumeni fratris Attali in-
terceſſio delictorum gratiam fecit. Tunc etiam
Cappadociæ hic ſtatus fuit. Ariarathes rex ger- *Cappadocia.*
manum filium habuit Ariarathem. ante quem
ſuſceptum, vxor eius longo tẽpore ſterilis, Oro- *Ariarathes. Orophernes.*
phernem adoptarat: qui deinde nato legitimo,
propter inſidiarum ſuſpicionem pulſus, poſt A-
riarathis obitum cõtra fratrem inſurrexit. Aria-
rathi opem tulit Eumenes, Orophernі Syriæ rex
Demetrius, Ariarathes victus ad Romanos con- *Demetrius.*
fugit, ab eíſque vnà cum Oropherne regnare
iuſſus, quia populi Romani amicus & ſocius ap-
pellatus erat, totum imperium ſibi vendicauit.
atque Attalus Eumenis ſucceſſor, Orophernem
& Demetrium Cappadocia prorſus exegit. Æ- *Ægyptus. Ptolemei.*
gypti rex Ptolomæus moriẽs, duos filios & vnã
reliquit filiam. Fratribus autem inter ſe de regno
contendentibus, Antiochus Magni Antiochi
filius natu minorem pulſum ſuſcepit, vt per eius
defendendi ſpeciem, aditum in Ægyptum habe-
ret: adductóque exercitu, maxima parte occupa-
ta, obſedit Alexandriam. Cum autem reliqui ad
Romanos cõfugiſſent, Popilius ad Antiochum *M. Popilius Lænas legatus ad Antiochum.*
miſſus, eũ Ægypto abſtinere iuſſit. Fratres enim
intellecto illius conſilio, in gratiam redierant.
Antiocho reſponſum differente, virga circum-
ſcripſit regem: ac priuſquam eo circulo excede-
ret, deliberare: ac reſponſum reddere iuſſit. Ea re
territus Antiochus, obſidionem ſoluit. Externo
metu liberati Ptolemæi, denuò & diſſenſerunt,
& à Romanis reconciliati ſunt: vt natu maior
Ægypto & Cypro, Cyrenis verò iunior potire-
tur. nam



tur. nam hęc quoq; tum Ægyptiorũ erant. Iunior
verò iniquè ſecum agi exiſtimans, Romam pro-
fectus, Cyprum etiam ab eiſdem impetrauit. At
ſenior denuò cum eo pactus, pro Cypro vrbes
quaſdam & frumentum ei aſſignauit. Antiocho
rege poſtea mortuo, Romani filio eiuſdem no-
minis regnum confirmarunt. eíque ob teneram
ætatem ſcilicet, tres curatores miſerunt: qui cum
præter pacta & conuenta triremes & elephãtos
inueniſſent, elephantos omnes occidi iuſſerunt,
ac cætera ex Romanorum vtilitate adminiſtra-
*Lyſias Antiochi tutor Romanos malè tractat.* runt. Qua de cauſa Lyſias, cui regis tutela com-
miſſa erat, populum concitauit, vt Romanos
eiiceret, C. verò Octauium etiam occideret. His
factis, ſtatim legatos Romam miſit, vt id facinus
purgaret. Demetrius autem Seleuci filius Antio-
chi nepos, Romę obſes tempore paterni obitus,
ab Antiocho patruo regno ſpoliatus, cum eius
interitu cognito, paternum regnum repeteret, à
ſenatu nec adiutus, nec Roma exire ſitus eſt.
Quod quamuis ægrè ferret, tamen quieuit. Cæ-
terùm cum Lyſias illa feciſſet, Demetrius nihil
cunctatus Roma profugit: & ad ſenatum è Ly-
cia ſcripſit, ſe non cõtra patruelem Antiochum,
ſed contra Lyſiam proficiſci, & Octauij necem
*Demetrius Syriam occupat.* vlturum eſſe. Cum Tripolim Syriæ celeriter ſibi
adiunxiſſet, tanquam à ſenatu ad regnum occu-
pandum miſſus (de fuga enim eius nemo cogi-
tabat) & Apamea potitus, comparatis copiis An-
tiochiam contendit, ibíque puerum & Lyſiam
amicè obuiam egreſſos (Romanorum enim me-
tu armis abſtinuerãt) interfecit. Regno recupe-
rato, coronam & Octauij percuſſores Romam
miſit. quorum neutrum Romani illi irati acce-
*Dalmatæ.* perunt. Poſt hæc Dalmatis bellum intulerunt,
quæ gens Illyrica eſt in ſinu Ionio: quorũ quoſ-
dam Græci Taulantios nominant, ex parte Dir-
rachio vicinos. Belli cauſa erat, quod in finiti-
mos, Romanis amicos iniurij, nec Romanorum
legatis moderatè reſpondiſſent, & aliorum le-
gatos occidiſſent. Hos Scipio Naſica domuit:
eorúmque vrbibus expugnatis, captiuos vendi-
dit. Iiſdem temporibus alia quoque acciderunt,
*Tertium bellum Punicum.* memoria & ſcriptione parum digna. Dehinc ter-
tium bellum Punicum eſt conflatum. Carthagi-
nenſes enim humilem illam fortunam haud fe-
rentes, ſocios & claſſem ad bellum Numidicum
contra fœdus comparabant. Romani autem cæ-
teris rebus ex ſententia cõfectis, non quieuerũt:
ſed per Naſicam Scipionem iis de rebus expo-
ſtulantes, apparatum illum omitti iuſſerunt. Et
quia de Maſiniſſa querebantur, & propter bellũ
cum illo ſuſceptum, imperata detrectabant: pa-
ctione inter illos facta, à Maſiniſſa impetrauit,
vt quadam prouincia eis cederet. Sed cum nihilo
magis parẽrẽt, Romani pauliſper cunctati, quum
primum magno prælio à Maſiniſſa victos eſſe
audiuerunt, bellum eis indixerunt. Carthaginen-
ſes verò ea clade afflicti & territi (nam ab aliis
quoque finitimis premebantur) legatis Romam
miſſis auxilia petiuerunt, ſe Romanis omnibus
in rebus obſecuturos ſimulantes. Nam quum
fœdus rupturi eſſent, facilè quiduis promittebãt.
Ea de re conſilio à ſenatu indicto, Scipio Naſica
legatos Carthaginenſium admittendos, & pacẽ
cum eis faciendam eſſe cenſuit. M. Cato contrà,
nec admittendos eſſe, nec belli decretum abro-
gandum. Verùm Senatus & preces legatorum
admiſit, & pacem eis eſt pollicitus, obſidibus pe-
titis, quos L. Martius & M. Manilius in Sicilia ac-
ceptos Romam miſerunt. ipſi feſtinanter in A-
fricam appulerunt, caſtríſque poſitis, & magi-
ſtratibus Carthaginenſium accerſitis, non om-
nia ſimul quæ poſtulabant, expoſuerunt, veriti
ne iis præcognitis, rebus integris bellum capeſ-
ſerent. Ac primùm frumentum petentibus datũ,
deinde triremes, poſtea machinæ. denique armis
etiam acceptis (Carthaginenſes enim clàm aliũ
magnum apparatum habebant) eos vrbem diru-
ere, & aliam in mediterraneo ſine muris extrue-
re, L x x x ſtadiis à mari diſſitam iuſſerunt. Ad *Carthaginenſes bellũ iniquis conditionibus præferunt.*
illud Carthaginenſes in lachrymas ſoluti, tanquã
vrbe capta lamentati ſunt: precatíq; conſules, ne
patriæ afferre manus cogerentur. Sed cum nihil
proficerent, & aut imperata exequi, aut bellum
experiri iuberentur, multi apud Romanos, vt iã
victores, remanſerunt: cæteri in vrbem regreſſi,
quoſdam ex magiſtratibus occiderunt, quod nõ
principiò bellum amplexi eſſent. & Romanis,
quos intra mœnia repererant, interfectis, bellũ
aggreſſi omnes ſeruos manumiſerunt, exules re
uocarũt: & Haſdrubale denuò Imperatore crea-
to, arma, triremes, machinas repararunt. Quaſi
enim bellũ vrgeret, & de excidio periclitarẽtur,
ita omnia quib. erat opus, perexiguo tempore
cõpararunt, nulli rei parcentes, adeò vt ſtatuas
quoque ob æris penuriam conflarent, & capillis
mulierum ad funes conficiendos vterentur.
Conſules principiò ſpe concepta, ſe eos vt iner-
mes facilè capturos, ſcalas duntaxat pararunt,
quibus mœnia tranſcenderent: ſed ea oppugna-
re adorti, cũ hoſtes armatos, & rebus ad propul-
ſandã obſidionẽ neceſſariis inſtructos vidiſſent:
machinas fabricare inſtituerunt. quibus nõ ſine
periculo confectis (Haſdrubal enim materiam
comportantes ex inſidiis vexabat) vrbem ſunt
aggreſſi. Ac Manilius terra impetu facto, nihil
vrbi nocuit. Martius quà mare paludoſum eſt,
parte muri deiecta, non ingreſſus eſt. Carthagi-
nenſes enim eos qui penetrare conabantur, re-
pulerunt: & noctu per ruinas eruptione facta,
multis occiſis, machinas plures cremarunt. Neq;
etiam Haſdrubal cum equitibus eos latè vagari
in agris patiebatur, neque auxiliis Maſiniſſa iu-
uabat. Nam principio belli non accerſitus, neq;
permiſſum ei pollicenti fuerat, vt ſolus Haſdru-
balem debellaret. Conſules igitur propter euen-
tus illos, & claſſem ex ſtatione in paludib. mor-
bo laborantem, obſidionem ſoluerunt. Ac Mar-
tius mari aliquid efficere aggreſſus, aut oram ma
ritimam vexare, cum res non ſuccederet, domũ
verſus abiit, curſúque conuerſo Ægimurum ſub-
egit. Manilius in mediterranea profectus, cum
ab Hilmicone, qui etiam Fabeas dicebatur, Car-
thaginenſis equitatus prẹfecto laceſſeretur, Car-
thaginem rediit. Sed ibi quoq; foris ab Haſdru-
bale, intus eruptione ciuium noctu & interdiu
fatigabatur. Itaque Carthaginenſes per contem-
ptum vſque ad caſtra proceſſerunt, ac multis a-
miſſis (nam plerique inermes erãt) rurſus in mœ-
nia ſunt concluſi. Manilius verò ſi Haſdrubalem
viciſſet, cætera in procliui fore ratus, in primis
operam

operam dedit, vt cum eo congrederetur, factáq; pugnandi copia, recedentem in caſtellum quoddam perſecuturus, per imprudentiam in locum aſperum & anguſtum delapſus, grauiter impegit. ac cum toto exercitu periſſet, ni Scipio Africani filius ſtrenuam operam ei nauaſſet, vir præſentis animi, optimíque conſilij, & manu promptiſſ. (erat enim robuſto etiam corpore) æquitate autem modeſtiáq; morum inuidiam effugit. Nam cum tribunus militum eſſet, inferioribus par, paribus nõ melior, maioribus infirmior eſſe volebat. Manilius igitur de eo & locutus eſt, & Romam ſcripſit, nulla re diſſimulata: atque inter cætera de Maſiniſſa quoque & Fabea, quæ ita ſe habebant.

*Scipio Æmylianus.*

*Maſiniſſæ obitus.*

Maſiniſſa moriturus, quid de regno ſtatueret, ob filiorum multitudinem ex diuerſæ conditionis mulieribus ſuſceptorum dubitans, Scipionem conſilij capiendi cauſa accerſiuit. quẽ quum miſiſſet Cos. Maſiniſſa ante aduentum eius moribundus, Micipſæ filio annulum dederat: cætera verò omnia quæ ad regnum pertinebant, Scipioni, cum primùm veniſſet, commendauit. qui animaduerſis filiorum eius ingeniis, nulli vni regnũ attribuit: ſed cum tres ex iis præcipui eſſent, Micipſa natu maximus, Guluſſa minimus, medius Maſtanamus: inter eos rerum adminiſtrationem trifariam partitus, natu maximo auaro & pecuniæ amanti vectigalium tractatione mandata: proximo poſt eum diſceptãdi controuerſias munere aſſignato, Guluſſæ homini bellicoſo exercitus tradidit. Reliquis fratribus, qui multi erant, vrbes quaſdam & prædia diuiſit, Guluſſam verò ad conſulem perduxit. Sub veris initium Carthaginenſium fœderatos aggreſſi, multos vi, multos pactione, Scipio præſertim, ſubegerunt.

*Fabeæ defectio.*

Vt verò Fabeas deſperatis Carthaginenſium reb. ad Romanos inclinans, cum Scipione collocutus eſt: tum verò omnes armis in Haſdrubalem conuerſis, cum per dies plures caſtellum oppugnaſſent, commeatu deſtituti, citra dedecus receſſerunt. Nam durante adhuc obſidione, Fabeas hoſtilem in modum eos aggreſſus, in ipſa pugna cum aliquot equitib. ad Romanos tranſiit. Inde Manilius Vticam profectus quieuit. Scipio Fabea Romam perducto laudatus eſt: & is honos Fabeæ habitus, vt in conceſſum à ſenatu reciperetur. Tum Pruſias homo ſenex & aſperis moribus, veritus ne Bythini ſe eiecto Nicomedem filium regem crearent: cum per cauſam quandam Romam miſſum, ibi degere iuſſit.

*Nicomedes filius Pruſiæ ſuccedit.*

Sed quum etiam Romæ agentem per inſidias occiſum vellet: Bythini quidam Nicomedẽ clàm in Bithyniam perductum, ſene occiſo, regẽ dixerunt. Hæc Romanos, quamuis moleſta, non tamen ad bellum inferendum commouerunt.

*Pſeudophilippi tumultus in Macedonia.*

Andriſcus verò quidam Adramyttenus, Perſeo forma nõ diſſimilis, aſcito ſibi Philippi nomine, eiúſque filium ſeſe dictitãs, ad defectionem plurimos impulit. Nam primo aduentu Macedoniã turbare conatus, quum à nemine curaretur, in Syriam ad Demetriũ ſe contulit, ſpe auxilij propter cognationem impetrandi, ab eóque comprehenſus, & Romam miſſus, cum neque Perſei filium eſſe conſtaret, & alioqui nihil inſigne haberet, per contemptum dimiſſus, magnã factioſorum hominum manum coegit, multas vrbes attraxit. denique regio habitu ſumpto, collectóque exercitu in Traciam profectus: multis liberis populis, multis dynaſtis Romanum imperiũ ægrè ferentibus aſcitis, impreſſionem in Macedoniam fecit: eáque occupata, in Theſſaliam tranſgreſſus, non pauca loca ſubegit. Romani Andriſco primùm deſpecto, poſtea Scipionem Naſicam ad tumultum illum pacandum miſerunt. Qui rebus illis in Græcia cognitis, ad Romános ſcripſit omnia: & coacto à ſociis exercitu rei gerendæ intentus, ad Macedoniam proceſſit. Romani igitur P. Iuuencium cum exercitu contra eum miſerunt. Quem Andriſcus circa Macedoniam adortus interfecit: ac cæteros etiã trucidaſſet, niſi noctu diſceſſiſſent. Poſt hæc in Theſſalia paſſim graſſatus, Thraces ſibi adiũxit. Quamobrem Romani Q. Cæcilium Metellum prætorem cum magnis copiis miſerunt. Cui Macedoniam ingreſſo, Attallus claſſe auxilio venit. Andriſcus igitur de ora maritima ſolicitus, vlterius progredi non eſt auſus, ſed paulùm extra Pydnã productis copiis, equeſtri prælio victor, metu pedeſtris exercitus retrò abiit. Ea tamen victoria elatus copiis bifariam diuiſis, partẽ ad vaſtandam Theſſaliam miſit, partem apud ſe retinuit. Proinde Metellus eorũ paucitate contempta, in aciem deſcendit, ac victis iis qui primi ad manus venerant, facilius etiã cæteros ad officium reduxit, ingenuè peccatum ſuum agnoſcentes. Andriſcus verò in Thraciam profugus, reparatis copiis cum Metello, progrediente quà res ferebat, conflixit: fuíſque propugnatoribus profligatis, ſociíſque diſſipatis, à Byzo Trace proditus, pœnas dedit.

*Pſeudoalexander.*

Sed & Alexander quidam Perſei filium ſe profeſſus, regionem Meſto flumini adiacentem occupauit: quem Metellus vſque in Dardaniam eſt perſecutus.

*Res Africanæ.*

Contra Carthaginenſes miſſus Piſo Conſul, vrbe & Haſdrubale omiſſis, maritimas vrbes inuaſit: & ab Aſpide repulſus, Neapoli capta & euerſa, in Hipponis obſidione tempus fruſtrà triuit. Vnde Carthaginẽſes, ſociorum etiam auxiliis aucti, animos receperunt. Quo Romani, tam qui in caſtris quàm qui in vrbe erant, cognito, citra dubitationem Scipionem Conſulem crearunt.

*Scipio Æmylianus conſul ante tempus.*

Nam quamuis ætas adhuc ei dignitati immatura erat: tamen & res eius geſtæ, & virtus patris Pauli, & aui Africani, certam ſpem afferebant omnibus, eius armis & hoſtes ſuperatum iri, & Carthaginem perituram.

*Megalia capta à Mancino.*

Scipione in Africam nauigante, Mancinus Carthaginis littus legens, caſtellum quoddam intra mœnia, nomine Megalia, in prærupta petra in mare prominens, & longè ab vrbe remotum, cùm non magno præſidio cuſtodiri, vt quod ſitu ipſo defenderetur, animaduerteret: ſcalis ſubitò ex nauibus admotis aſcendit. Quod cum iam teneret, & ſi Carthaginenſes aliquot concurrerunt, eum tamen expellere non potuerunt. At ille Piſoni quid egiſſet nunciat, & auxilia ſibi mitti petit. Sed Piſo, qui procul in mediterraneis aberat, nihil opis ei tulit. Scipio verò ſub ipſum nuncium forte fortuna noctu aduentans, ſtatim auxilium ei tulit, alioqui à Carthaginenſibus vel capiendo, vel occidendo. Nam cum naues Scipionis appellere vidiſſent, & ſi animos deſponderant: non tamen ab obſidione

receſſerunt



receſſerunt prius, quàm Scipio ſe adeſſe per captiuos quoſdam eis nunciari iuſſit: accerſitóque Haſdrubale, foſſis & aggeribus murum ædificiis obductum munierunt. Scipio Mancino Megalia tueri iuſſo, ad Piſonem & copias abiit, vt cum eis bellum vrgeret: ſed celeriter cum expeditiſſimis cohortibus reuerſus, Mancinum ab acerrima Haſdrubalis ex vrbe oppugnatione liberauit.

*Carthago ex parte capta.*

Cum iam Piſo quoque aduenisſet, eum extra mœnia ad portas quaſdã manere iuſſit: alios milites ad aliam portam lõgè diſtantem, monitos quid facto opus eſſet, miſit. Ipſe optima copiarum parte aſſumpta, ſub noctem mediam transfugis ducibus intra mœnia penetrauit: & ad portam illam tranſgreſſus, vectibus reſectis, & introductis iis qui foris expectabant, vigiles cecîdit: properéque ad portas, ante quas Piſo ſtationem habebat, accurrit, profligatis cuſtodibus qui medias partes tuebantur, & * ſingulis in locis pauci erant. Ita Haſdrubal ſimul & quid actũ eſſet audiuit, & Romanas copias penè vniuerſas intra vrbem vidit: Carthaginenſes cum aliquandiu reſtitiſſent, in Cothonem & Byrſam confugerunt.

*Cothonis & Byrſæ obſidio.*

Deinde Haſdrubal omnes Romanos captiuos occidit, vt ciues deſperata venia hoſti alacrius reſiſterent: multos etiam ex popularibus proditionis ſuſpectos ſuſtulit. Scipio & ſi eos muris & aggeribus ſepſit, non ſtatim tamen expugnauit. Nam & mœnia firma erant, & multi in anguſto concluſi ſpacio fortiter ſe defendebant, commeatu abundè inſtructi, Bithiæ ſubſidio: qui ex obuerſa vrbi continente, obſeruato fluctu, ventíque impetu, onerarias eis naues in portum ſubmittebat. Contra quod Scipio rem magnam & excogitauit & perfecit: aditu portus anguſto, difficulter quidem magnóque cum labore, ſed tamen operarum multitudine tandem obſtructo, quamuis Carthaginenſes crebris dimicationibus id opus prohibere conarentur. Tũ vero penuria commeatus grauiter vrgente, alij transfugerunt: alij qui obſidionem tolerabant, partim moriebantur, partim cadauera guſtabãt. Haſdrubal igitur ſpe deſtitutus, legatis ad Scipionem de pace miſſis, impunitatem impetraſſet, niſi cæteris etiam omnibus ſalutem & libertatem petiiſſet. Itaque fruſtratus, vxorem in arce concluſit, cum de ea & liberis ſuis caduceatorẽ ad Scipionem miſiſſet: cæteráque inſtruxit, deſperatione factus audacior. atque ipſe vnà cum aliis noctes diéſque pugnabant, aliàs vincentes, aliàs ſuccumbentes, & Romanorum machinis alias machinas opponebant.

*Bithias.*

Ad hæc Bithias, cui munitum caſtellum erat, longè in continentem excurrendo, & Carthaginenſes iuuabat, & Romanis incommodabat. Quare Scipio diuiſis copiis, partem in obſidione reliquit, partem contra Bithiam miſit. C. Lælio legato duce: ipſe vltrò citróque commeans, vtrinque inſpexit omnia, Caſtello capto, rurſus toto cum exercitu vrbem obſedit. Carthaginenſes igitur abiecta ſpe vtriuſq; munitionis defendendæ, in Byrſam vt munitorẽ contulere quæ potuerunt omnia, nauali noctu incenſo, & cæterarum partium pleriſque ne hoſtib. vſui eſſent. Tum Romani portu occupato, Byrſam adorti, ædibus quæ vtrinque erant conſcenſis, partim in ipſis tectis ad vicinas tranſibãt: partim parietibus infernè perfoſſis, in ipſam arcem penetrabant.

*Carthaginis excidium.*

Quó cum veniſſent, Carthaginenſes pugna omiſſa, pacem petierunt, præter Haſdrubalẽ: qui cum transfugis (iis enim Scipio veniam negarat) & vxore atque liberis conſcenſo Æſculapij templo, ſe contra oppugnantes defendebat: donec transfugæ æde incenſa, eiúſque tecto conſcenſo, extremam ignis neceſſitatem expectarũt. Tum demum ſupplex ad Scipionem acceſſit. Quem cum vxor deprecantem videret, eo nominatim vocato, exprobrauit, quòd priuatæ ſaluti conſulens, ipſi pacem impetrare nõ permiſiſſet: ac primùm liberos, deinde ſemetipſam in ignem coniecit. Carthagine ad hunc modum capta, Scipio ſenatui ſcripſit in hanc ſententiam: Carthago capta eſt: quid igitur iubetis? Qua de re cum lectis his deliberaretur, Catone vrbem euertendam & Carthaginenſes delendos eſſe cenſente, Naſica verò adhuc eis parcendum eſſe aſſeuerante: magna orta eſt diſſenſio. quidam vero dixit: Si nulla alia de cauſa, propter ipſos Romanos ſaltem eis parci neceſſe eſſe, vt aduerſarios habentes, virtutem exercerent, neque ad luxum & delicias conuerterentur, ſublatis iis à quibus ad rei bellicæ exercitationem cogerentur: néve per ignauiam deteriores fierent, paribus aduerſariis carentes. Tandem tamen vna omniũ ſententia fuit, Carthaginem euertendam eſſe, cũ credere non poſſent, eam vrbem vnquam ſincerè pacem ſeruaturam. Itaque funditùs euerſa eſt, & eius ſolum diris imprecationib. obſtrictum, ne quis vnquam in eo habitaret. Ex captiuis plerique in carcere perierunt: pauci principib. exceptis, venditi. Nam ii, & obſides, & Haſdrubal & Bithias, alij in aliis Italiæ partibus vitam in liberis cuſtodiis exegerunt. Scipio gloriam & honorem adeptus, nomen Africani non iam ab auo hæreditarium, ſed per ſe partum habuit.

*Corinthi excidium.*

Tum Corinthus etiam eſt euerſa. Nam cum Paulus Æmilius Græcorum principes in Italiam tranſtuliſſet: cæteri primùm eos legationibus repetiuerunt. Ea re nõ impetrata, cum quidam eorum domũ redditionis ſpe ſublata, ipſi ſibi manus attuliſſent, grauiter afflicti publicum luctum inſtituerunt, Romanorum apud ſe ſtudioſis irati; nihil tamen hoſtile præ ſe tulerunt: donec reliquis ex iis viris receptis, ij quibus iniuriæ factæ erant, & qui aliena tenebant, bellum ſuſceperũt: Achæis diſſenſionis autoribus, Lacedemonios ſibi cauſam malorum extitiſſe conquerentibus, Romanis eos conciliare annitentibus nõ paruerunt, ſed Critolao duce creato, arma ceperunt. Itaque veritus Metellus, ne Macedoniam quoq; inuaderent (iam enim Theſſaliam intrarãt) prior obuiam profectus, eos profligauit.

*Critolaus.*

Critolao cæſo, Græci in duas partes ſunt diſtracti, cum alij poſitis armis pacem expeterent, alij ſeditionem vrgerent, Diæo ſumma rerũ permiſſa.

*Diæus.*

Quo Romani cognito, Mummium Metello ſucceſſorem miſerunt. qui cum belli adminiſtratione ſuſcepta plagam ex inſidiis cum parte exercitus accepiſſet: Diæo fugientes vſque ad caſtra perſecuto, viciſſim egreſſus, eo profligato ad Achæorum vallum venit. Diæus verò maioribus copiis collectis; pugnare paratus, Romanos in caſtris ſe cõtinentes contempſit, in conuallem inter caſtra

mediam

mediam progreſſus. Eo viſo Mummius aliquot equites miſit, qui hoſtes ex obliquo aggrederentur, à quibus cum turbati eſſent, phalange à fronte adducta multos occidit. Vnde Diæus deſperatis rebus ſibi manus attulit. Ex iis verò qui è pugna euaſerãt, Corinthij paſſim in agris ſunt diſperſi, cæteri domum refugerunt. Proinde Corinthij qui mœnia tuebãtur, omnes periiſſe rati, vrbem deſeruerunt. qua Mummius viris vacua capta, & illos & cæteros Græcos citra laborem domuit. ac tum eis arma, donaria templorum, ſtatuas, picturas, & alia ornamẽta ademit. Patre autem eius cum aliis ad res poſt victoriam componendas miſſo, quorundam mœnia euertit. omnéſque liberos & ſui iuris eſſe paſſus eſt, præter Corinthios, quos ſub corona vendidit, agro eorum publicato, muris ceteríſque omnibus ædificiis ſubuerſis: veritus, ne eam alij ob tantam amplitudinem occuparent. Ne quis verò Corinthiorum latêret, aut aliorum Græcorum pro Corinthio veniret: omnes qui aderant, priuſquã quid agendum eſſet declararet, conuocauit: iiſq; diſſimulanter militibus circumcluſis, tum aliorum libertatem, tum Corinthiorum ſeruitutem, pronunciauit. Deinde quenque ſibi proximum apprehendere iuſſit, vt planè diſcernerẽtur. Corintho ſic euerſa, Græcia initio ſtatim & cædibus & pecuniarum exactionibus eſt vexata. Deinde tantam libertatem & felicitatem adepta, vt dicerent, ni maturè capti eſſent, ſe incolumes eſſe nõ potuiſſe. Ac Carthaginis & Corinthi vetuſtiſſimarum vrbium tum ſimul hic fuit exitus: longo autem tempore pòſt, colonis Romanorũ eò miſſis, refloreſcẽtes ad priſtinũ ſtatum redierũt.

*Autoris excuſatio, de iis quæ Romani poſt Carthaginẽ euerſam geſſerunt, prætermiſſis.*

Hactenus res à Romanis geſtas ex veteribus ſcriptoribus in compendium redactas, expoſui. Quæ verò deinceps à Coſs. & dictatorib. dum illa Reip. forma viguit, geſta ſunt: ea nemo putet à me vel contemptu, vel negligentia, vel pigritia præterita eſſe. Nam quo minus abſolutum hoc opus ederetur, non per me ſtetit: ſed penuria librorum, quibus iſta continentur, voluntati meæ ad perfectionem hiſtoriæ contendenti obſtitit. Quos cum ſæpe quæſierim, reperire non potui, haud ſcio an vetuſtate amiſſos, an verò negligentius inquiſitos ab iis, quibus id negotij dedi, dum ipſe extorris & procul ab vrbe in parua inſula vitam ago. Vnde factum eſt, vt Conſulum & dictatorum hiſtoria minus abſoluta eſſet. Iis igitur præter inſtitutum meum omiſſis, Imperatorum hiſtorias conſcribam, re paulo altius repetita: vt & lectores, qua ratione Romanorum ſiue Democratia ſiue Ariſtocratia in monarchiam ſit mutata, intelligant, & hiſtoria certo quodã ordine progrediatur.

## *IMPERATORIÆ HISTORIÆ principium.*

ROmanum Imperiũ, vt dictum eſt, initio reges tenuere, vſq; ad euerſionem tyrannidis Tarquiniorum. Ab eo tempore adminiſtratio rerum penes prętores, dictatores, conſules, tribunos conſulari poteſtate, & tribunos plebis fuit, vſq; ad Pompeiũ Magnum, & C. Iulium Cæſarem.

*Cn. Pompeius Cinna.*

Põpeius porrò filius fuit Strabonis, illuſtris Romani, viríq; prætorij, qui Cinnæ violentius imperanti reſtitit. Iam tum enim res Romana laborabat, magiſtratibus tyrannidem ſpectantibus, legitimáque imperia aſpernantibus. Vt autem pater eius propter auaritiam ciuibus inuiſus: ſic Pompeius ob morum integritatem, affabilitatem, modeſtiam in victu, armorúmque exercitationem vſq; adeò charus fuit, vt cum metu Cinnæ, apud quem delatus fuerat, clàm caſtris exceſſiſſet, quia nuſquã comparebat, rumore de cæde eius ſparſo: Cinna impetum eorum quibus alioqui inuiſus erat, fugiens, à centurione quodam propter eam ſuſpicionem occideretur.

*Carbo.*

Poſt eius cædem Carbo, importunior illo tyrannus, imperium ſuſcepit.

*L. Sylla.*

Cui cum Sylla reſiſteret, Pompeius quoque ſe adiunxit. nec id fecit prius, quàm beneficio aliquo eũ ſibi deuinxiſſet. Annum tum agebat tertium & viceſimum: collectíſque copiis vrbes circumiẽs, Carbonis ſtudioſos eiiciebat. Dum autẽ ad Syllã proficiſcitur, tribus Carbonis ducib. à quibus circumuentus erat, profligatis, vrbes in deditionem accepit: deinde Scipionis conſulis exercitus, cum contra Pompeium duceretur, conſalutatis eius militibus, ad Pompeium defecit, ipſe Scipio fugit. Pòſt, complures equitum turmas à Carbone contra ſe miſſas, eò deſperationis redegit, vt ſe ipſius fidei committerent. Eum igitur Sylla ſic excepit, vt ex equo deſiliret: & ab eo Imperator ſalutatus, viciſſim eum Imperatorem ſalutaret. fuerunt & reliqua primis illis officiis conſentanea. Nam & accedenti Pompeio aſſurgebat, & alia eius honori deferebat, quæ aut temerè aliis pręſtare ſolebat. Poſtquam autem ſubacta Italia dictator dictus eſt, alios duces opibus & magiſtratibus remuneratus, Pompeium arctiore ſibi neceſſitudine deuincturus, ei perſuaſit, vt dimiſſa vxore quã habebat, Æmiliam ipſius priuignam, Metellæ vxoris ex Scauro marito priore filiam, duceret. Id coniugium tyrannicum fuit. nam Æmilia viro elocata, vterum ferebat. Pompeium ita ſibi conciliatum cum magnis copiis in Siciliã ablegauit, factionis Carbonis receptaculum. Quò cum veniſſet, aduerſariis inſula eiectis, vrbes vexatas humanitate ſingulari recreauit: Carbonem cõprehenſum occidit: milites in itineribus immodeſtos, ſigillis eorũ gladiis impreſſis, coercuit. quæ qui non conſeruarant, pœnas dabant. Hæc dum in Sicilia gerit, literis ſenatus & Syllæ in Africam nauigare iubetur, & bellũ gerere cum Domitio, à quo ſeptem millia ad eum in Africam profectũ tranſierunt.

*Domitius.*

Pugna cõmiſſa, Domitius vincitur atque occiditur: vrbes partim ſponte, partim coactæ Pompeium recipiunt. Inde in Numidiam facta impreſſione, ſubactis obuiis omnibus, totáque prouincia diebus XL perdomita, literas à Sylla accipit: quibus, cæteris dimiſſis, cum vna legione ſucceſſorem Vticæ expectare iubetur. Quam rem ipſo clàm ægrè ferente, exercitus apertè eſt indignatus: Pompeióque progredi volẽte, de Sylla parum commodè ſunt locuti, nec paſſi Pompeium ſe tyranno credere. Qui cum eos mitigare conaretur, manere & imperare iubebatur, cum obteſtationibus & vociferationibus: ægréque deſtiterunt, cum iuraſſet ſe ſibiipſi manus allaturum, ſi cogerẽt. Principiò





Syllæ nunciatum eſt, defeciſſe Pompeiũ. Deinde veritate cognita, obuiam progreſſus, porrectáq; dextera, magna voce Magnũ eum cognominauit. ſed triumphum petenti aduerſatus eſt, quòd nemini prętérquã cõſuli aut prætori triumphare liceret. Sin Põpeius penè imberbis, cui per ætatem in ſenatum venire non liceret, triumphaſſet: eum honorem inuidioſum fore. Hæc Syllæ dicenti, Pompeius reſpondere non dubitauit, Orientem ſolem plures adorare quàm Occidentẽ: quo dicto ſignificare voluit, ſuam potentiam augeri, illius imminui & exoleſcere. Eo reſponſo Sylla obſtupefactus, Vel bis ordine triumphet, exclamauit. Militibus autem obturbantibus & tumultuantibus, quod expectatione ſua minora accepiſſent: Põpeius ſe triumphũ potius omiſſurum, quàm militibus adulaturum eſſe affirmauit. Ad quod Seruilius, vir illuſtris, qui antè triũpho eius aduerſatus fuerat: Nũc, inquit, Pompeius & verè magnus eſt, & triumpho dignus. Sylla verò & ſi creſcenti Pompei gloriæ & potentiæ inuidebat: tamen pudore deterrebatur, quo minus ei aduerſaretur.

*Lepidus.*

Lepidus verò Pompeij ſtudio conſulatum adeptus, cum poſt Syllæ obitum ſtatim illius potentiam ſibi vendicans, armatus ſeditionum ſcintillas excitaret: Pompeius dux contra eum miſſus eſt, cum ille magnam Italiæ partem iam commouiſſet, & Ciſalpinam Galliam per Brutum occupaſſet.

*Brutus.*

Ac cæteros quidẽ Pompeius facilè ſuperauit, ſed dimicationem aduerſus Brutum paulò diutius diſtulit: donec tãdem ipſe vel ſententia mutata, vel à ſuis proditus, deditione facta, ſublatus eſt. Eius Bruti filius is Brutus fuit, qui pòſt Cæſarẽ interfecit. Lepidus Italia pulſus morbo periit.

*Sertorius.*

Sed quũ Sertorius Hiſpaniis occupatis formidabilis eſſet: Pompeius Oppio Metello cum illo bellum gerenti auxilio miſſus, duobus Sertorij ducibus ſuperatis, vltra X millia cecîdit. Deinde cum Sertorio ipſo ancipiti victoria dimicauit. A pedite ingentis corporis ipſe eques, manum ictus, illius manum amputauit. Caſtris cum Metello coniunctis, virum honorauit, & viciſſim eſt honoratus.

*Perpenna.*

Sertorio ab amicis per dolum interfecto, Perpẽna ducum eius princeps, exemplo illius legionibus munitus, à Pompeio victus eſt, pleriſque ducibus in acie cæſis: & ipſe viuus in poteſtatem redactus, pœnas dedit. Moratus in Hiſpania, dum ſopitis tumultib. res componeret, ac reductis in Italiam copiis, ſuſpicionem & metum hominum, ne retentis legionibus principatum armis ſibi vindicaret, aboleuit, ſe poſt triumphum exercitum dimiſſurum profeſſus.

*Pompeius popularis.*

Vnam rem in eo reprehendebant inuidi, quòd popularis auræ magis quàm optimatium ſtudioſus eſſet. ídque verum erat. Neque enim quiſquam maiora & ardentiora populi Romani ſtudia habuit. Itaque & alter triũphus, & conſulatus, & Craſſus illius gratia adiutus collega ei datus eſt. Cæterùm in Cõſulatu nõ conſenſerunt: ac maior fuit Craſſi incuria, Põpeij in cõcione autoritas.

*Pompeius prius Imperator quam miles.*

* Imperiũ quidẽ recuſauit. & quia moris erat, vt Romani equites, cum legitimum tẽpus militaſſent, equo quiſque ſuo in forum ad Cenſores adducto, duces & Imperatores recenſerent, ſub quibus ſtipendia meruiſſent: & rationibus militiæ redditis, vel honore vel ignominia pro anteactæ vitæ ratione afficerentur: Pompeio etiã inter cæteros imperij inſignibus ornato, equum manu ad Cenſores adducente: populus cum admiratione tacuit: Pompeius verò altero Cenſore rogante, an omnes expeditiones ex lege obiiſſet? magna voce ſe obiiſſe reſpondit, eáſque omnes ſe ipſo imperatore. Tum populo acclamante, à Cenſoribus in multitudinis gratiam honorificè domum eſt deductus.

*Bellum Piraticum.*

Poſt anni exitum magiſtratu abeunti bellum Piraticum eſt mandatum. Piratæ porrò ex Cilicia profecti, bello Mithridatico regiæ claſſi nauarant operã. Deinde Romanis bellis ciuilibus inter ſe congreſſis, freti multitudine, paulatim mare incuſtoditum inuaſerunt, non nautas duntaxat aggredi ſed inſulas & vrbes maritimas etiã occupare ſoliti. Naues habuerunt amplius mille, vrbes ceperunt vltra quadringentas, multa religioſiſſima fana exciderunt, & Romanis ipſis inſultarunt. Nam cum aliquis captus exclamabat, ſe Romanum eſſe, ſe territos præ metu femora ferire ſimulantes, ante eum prouoluti, partim calceos ei circumligabant, partim togam induebant. Sic ludibrio habitum, demiſſa in medium pelagus ſcala, exſcendere, & lætum abire iuſſerunt, reſtitantem, impellendo demerſerunt. Cum autem maria omnia mercatoribus intercluſa eſſent, & rerum in foro venalium penuria laboraretur, Pompeio duce aduerſus Piratas delecto, Gabinius familiaris eius legem tulit, qua illi non claſſis imperium, ſe planè Monarchia tribuebatur: conceſſa poteſtate maris quod inter columnas Herculanas eſt, & terræ continentis à quolibet mari ad quadringenta ſtadia, & vt quindecim legatos è ſenatu ad partes imperij tutandas ſibi legeret: & pecuniæ quantum vellet, ex ærario & vectigalibus ſumeret, ac naues ducentas. Hæc plebs alacriter approbauit. Primores autem ſenatus immenſam illam & infinitam poteſtatem metuentes, aduerſati ſunt: præter Cæſarem, qui legem non in Pompeij gratiam, ſed plebis ſibi conciliandæ ſtudio defendit. Decreto illo firmato, Pompeius in concione dupla omnia impetrauit: diuiſóque pelago, & maris interuallis in partes tredecim deſcriptis, certis nauibus & duce in parte qualibet collocatis, mare Tyrrhenum, Africanum, Sardoum, Corſicum, Siculum, intra dies quadraginta pacauit. Deinde cum vrbes feſtinanter præterueheretur, Athenas non præteriit. Sed excenſu in terram & re diuina facta, populóq; ſalutato, inſcriptiones ſui honoris cauſa factas inuenit, vnam intra portam his verbis: Quatenus te hominem eſſe agnoſcis, eatenus Deus es: alteram extra: Expectabamus, adorabamus, vidimus, deducimus: piraticum bellum confectum eſt, & latrocinia toto mari profligata non amplius trimeſtri ſpacio. His Romæ nunciatis, Manlius tribunus plebis rogationem tulit, vt Pompeius Luculli prouincia ſuſcepta, & Bythynia adiuncta bellum Mithridati & Tigrani regibus inferret, retenta claſſe & maris imperio.

*Mithridaticum bellum.*

Quod non aliud erat, niſi Romanum principatum vni tradere. Tamẽ ea rogatio, optimatibus nutu populi tacentibus & conniuentibus, valuit: Pompeius verò literis ac-

ceptis, fertur contractis ſuperciliis percuſſóque femore præ ſe tuliſſe, quaſi grauiter moleſtéque ferret imperiũ: quam diſſimulationem ne amicis quidem ſuis probauit. Inde mari intra Boſporũ & Phœniciã præſidiis occupato, contra Mithridatem eſt profectus. qui cum montem inexpugnabilem ob aquæ penuriam deſeruiſſet, eũdem Pompeius occupauit, coniectura tum ex ſtirpiũ natura, tum ex locorum flexibus capta, locum illum fontes habere. cúmque puteos effodi iuſſiſſet, tota caſtra celeriter aqua abundarunt. Deinde caſtris circumpoſitis, hoſti fugam intercludere ſtuduit. ſed ille dies X L V obſeſſus, nihilominus cum firmiſſima parte exercitus elapſus eſt, inutilibus & ægrotis interfectis. Quem Põpeius circa Euphratem aſſecutus, timens ne flumen traiiceret, intempeſta nocte eduxit exercitum. Ibi neceſſe erat pro vallo certare, lunaréſque radij turbabant regios. Nam Romani lunam iamiam occiduam à tergo habebant: vnde corporum vmbræ longè antrorſum proiectæ, opinionem hoſtibus afferebãt, eos in propinquo eſſe. Telis igitur in caſſum emiſſis, attingebant neminem. Hoc Romani animaduerſo, clamore ſublato accurrerũt, & vltra decẽ millia in fuga cecîderunt. Ipſe Mithridates cũ pluribus effugit. Pompeius verò in Armeniam impreſſionẽ fecit, à Tigrane iuniore accerſitus: iam enim à patre defecerat. At rex Tigranes à Lucullo attritus, humanitate Pompei audita, deditionẽ fecit, præſidio in regiã accepto. Ad Pompeiũ accedẽs, Cidarim capiti detractam, ante pedes illius collocare, & humi procumbere voluit. Sed Põpeius prehenſa dextera, eo iuxta ſe, filio eius ex altera parte collocato, dixit: Cætera Lucullo eſſe aſcribenda, à quo ei adempta eſſet, Syria, Phœnicia, Cilicia, Galatia, Sophene. Quæ verò ad ſuum vſque aduentum conſeruaſſet, ea habiturũ. Filium eius in Sophene regnaturũ eſſe. His Tigranes acquieuit. eius verò filius iratus, cum ad cœnam vocaretur, Nihil ſibi opus eſſe iſtis Pompeij honorib. dixit, ſe enim alium Romanum inuẽturum eſſe. Quare in vinculis ad triumphum ſeruatus eſt. Pompeius Afranio ad Armeniæ præſidium relicto per gentes Caucaſi mõtis accolas Mithridatem eſt perſecutus, quarum maximæ ſunt Albani & Iberes: hi ad Meſchicos montes & Pontum pertinentes, illi verſus ortum & mare Caſpium habitantes. Albani Pompeio petenti tranſitum dederunt. Deinde cum non pauciores X L millibus conueniſſent, impetum in eum fecerunt: ſed profligati ſunt, atque ingens multitudo periit. Eorum verò regi pace quam per legatos petierat, data, contra Iberes eſt profectus, Albanis bellicoſiores: qui neque Perſis neque Medis ceſſerant, & Macedonum quoque dominatum effugerant, Alexandro celeriter ex Hyrcania digreſſo. Sed & his magno prælio ſuperatis, multos occidit, multos cepit. Inde Colchidem inuaſit, & contra Albanos qui defecerant, per aſperam & aridã viam aqua multis vtribus allata, rediens: iis victis, regem & ducem eorum Adelphũ ictum inferentem, gladio transfixit. In Albanorum exercitu Amazones fuiſſe perhibẽtur. nam cum poſt præliũ cadauera ſpoliarentur, Romani peltas Amazonicas & cothurnos, nullum tamen

*Mithridates ad Euphratem profligatus.*

*Tigranis deditio.*

*Albani.*

*Iberes.*

*Amazones.*

fœmineum corpus repererunt. Incolunt eæ mulieres eas Caucaſi partes quæ ad mare Hyrcanũ deſcendunt. In illarum Albanorúmque medio habitant Gellæ & Ligyes, cum quibus quotannis circa flumen Thermodontem per duos menſes coeunt. Inde digreſſæ, vitam ſine viris agunt. Cum pepererũt, mares circa patrum terram exponunt: puellas ipſæ educant. Mithridatis pellicibus ad ſe adductis, nullius conſuetudine Pompeius vſus eſt. Stratonice verò ſumma dignitate apud Mithridatem prædita, caſtello opulentiſſimo præfecta, multa munera Pompeio obtulit, & caſtellum ipſum tradidit. Is verò iis tantum quæ vel templis ornamẽto futura, vel triumpho ſplendorem allatura erant, acceptis: reliqua Stratonicen habere iuſſit. Item lectũ, menſam, ſoliũ, aurea omnia ſibi à rege Iberum miſſa, quæſtoribus dedit, in ęrarium referenda. Vt Mithridatem fugiendo quàm pugnando moleſtiorem eſſe vidit, ſe hoſtem illi famẽ, ſe ipſo grauiorem, relicturum eſſe minatus, cum exercitu progreſſus eſt: domitíſque per Afranium † Arabibus, qui ad Amanum habitant in Syriam deuenit, eámque populi Romani prouinciam & poſſeſſionem fecit: Iudęam ſubegit, Ariſtobulo rege comprehenſo, vt iam in hiſtoria Iudaica eſt expoſitum. Cum potentia Pompeij multum, virtus & clementia magis etiam celebrarentur, Arabiæ Petreæ rex territus, ei ſcripſit, ſe in eius poteſtate fore. Nunciato Mithridatis interitu, Aminſum profectus, à Pharnace parricida multa munera accepit, multos homines, & ipſum Mithridatis cadauer. Reditum ei moleſtum fecit vxoris Mutiæ per ipſius abſentiam adulterium: cui, cum Italiæ appropinquaſſet, libellum repudij miſit. Romæ autem rumore & tumultu orto, quaſi exercitum in vrbem adducturus & regnum occupaturus eſſet: ſimulatque Italiam attigit, concione aduocata, milites in ſua quęque redire, atq; iterum ad triumphum præſto eſſe iuſſit. Exercitu dimiſſo, ciuitates eum inermem cum paucis ire videntes, præ lætitia effuſæ, Romam cum maioribus copiis officij gratiâ perduxerunt. Lege autem non permittente, vt ante triumphum vrbem ingrederetur, à ſenatu petiit, vt comitia cõſularia differentur: ſed id Catone aduerſante non impetrauit. Quare virum eum conciliare ſibi ſtudens, ex duabus illius neptibus alteram ipſe ducere, alteram filio ſuo deſpondere voluit: qua affinitate Cato, vt quæ corrumpendæ ſuæ integritati eſſet, repudiata, & ſororem & vxorẽ iratas habuit. Pòſt Pompeio ob conſulatum, Afranio petendũ pecunia per tribus diſtributa malè audiente, vt qui dignitates indignis vænales fecerat: Cato mulieribus dixit: Iſta probra nobis communia erũt, ſi affinitatem cum Pompeio cõtraxerimus. Triumpho propter magnitudinem biduo peracto: tamen ex apparatis rebus, temporis excluſæ anguſtiis multæ ſpectari non potuerunt: & ſcriptura prælata ſignificatum eſt, de quibus gentibus triumpharetur. Hæ autem fuerũt, Pontus, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Media, Colchi, Iberes, Albani, Syria, Cilicia, Meſopotamia, Phœnicia, Palæſtina, Iudæa, Arabia, Piratæ terra maríque debellati. Inter hæc caſtella mille non pauciora capta, vrbes penè nongentæ:

*Pompei continentia & abſtinentia.*

*† Fortaßis legendum eſt Iberibus, quia nulli Arabes Amanum incolunt.*

*Pharnaces parricida.*

*Mutiæ repudium.*

*Pompeij affinitas à Catone repudiata.*

*Catalogus gentium à Pompeio deuictarum.*



gentæ: naues piraticæ octingentæ, hoſtium * regiæ vndequadraginta. Ad hæc in literis referebatur, cum ex vectigalibus * quinquies millies centena millia in ærarium redirent, ſe decies octies & quingenties centena millia adiecisse. In ærarium inferri ſignatæ pecuniæ & aurei atque argentei ornatus vicies mille talenta, præter ea quæ militibus donata eſſent. In triumpho ducti ſunt, præter archipiratas, Tigranis Armenij filius, cum vxore & filiabus, ipſiúſque regis Tigranis vxor Zoſime, & Iudæorum rex Ariſtobulus, & cognati Mithridatis, alíique plures. Illud autem in eius gloria præcipuum fuit, quòd tres triumphos duxit: primùm ex Africa, alterum ex Europa, poſtremum ex Aſia: tum annos X L natus, victoriis totum penè terrarum orbem complexus. Pòſt, Roma finitimíſque locis annonæ penuria laborantibus: in Sicilia, Sardinia, & Africa maxima frumenti copia coacta, cum gubernatores ob ventorum vehementiam ſoluere recuſarent, primus naui conſcenſa, & ancoris reuelli iuſſis, exclamauit: Nauigare neceſſe eſt, viuere non eſt neceſſe. Hac audacia, ſecundáque fortuna vſus, omnes mercatus frumento, nauibus mare impleuit. E re porrò eius fuiſſet, ſi tum vitam cum morte commutaſſet. Inſecutum enim tempus ei ſucceſſus inuidioſos & caſus exitioſos attulit. Nam cùm ſe cum Cæſare coniunxiſſet, eúmque ſua autoritate & potentia extuliſſet, ab illo euerſus & conculcatus eſt. Ne autem bis eadem commemorentur, que de Pompeio reſtant, in Cæſaris hiſtoria (in eam enim incidunt) referentur.

*Tres triũphi*

*Res frumentaria.*

*Cæſaris amicitia Pompeio exitiabilis.*

*C. IVLII CÆSARIS DICTAtoris vita.*

FVit & Cæſar in re militari fortunatus, multáque bella proſperè confecit. Cùm autem cultu & obſeruantia populi regnum affectaret, in eóque cùm aliorum aduerſationes, tum magnas Pompei opes ſibi obſtare cerneret: Romam ex Hiſpania rediit. in quam prouinciam ante id tempus ſibi decretam cum primùm veniſſet, Luſitanis & * Calæcis domitis, vſque ad exterius mare proceſſit: eáſque gentes ſubegit, quæ antè Romanis non paruerunt. Ex prouincia diſceſſit gloria & opib. auctus, etiam militibus ditatis. Triumphaturus, cum ad conſularia comitia veniſſet, & conſulatum ambiret, in leges contrarias incidit. Moris enim erat, vt triumphaturi extra vrbem manerent: qui verò Conſulatum ambirent, ipſi comitiis candidati intereſſent. Contempto igitur triumpho vrbem ingreſſus, Conſulatum petiit. Craſſum, virum in ſenatu potentiſſimum, ſibíque amicum & Pompeium, inter ſeſe diſſidentes, atque inuicem aduerſantes, reconciliauit: eorúmque tanquam ſatellitum opera conſul factus, ſtatim leges tulit, quibus ſibi populum deuinceret. Præterea vt Pompei potentiam ſibi adiungeret, Iuliam ei filiam deſpondit. Qua ducta Pompeius, foro armatis impleto, & popularibus legibus confirmatis, Cæſari Galliam Ciſalpinam & Transſalpinam omnem, & Illyricum, & I I I I legiones in quinquennium

*Cæſaris res in Hiſpania geſtæ.*

*Cæſaris conſulatus.*

*Gallia prouincia Cæſari decreta.*

decreuit. Cum autem ſenatoribus qui iſtis rebus aduerſati erant, contumelioſe tractatis, pauciſſimi ad Cæſarem conſulem in curiam conuenirent: quodam natu admodum grandi dicente, ſenatum armorum & militũ metu non frequentari: Cæſar, Cur & tu, inquit, non eodem metu domi te contines? cui ſenex reſpondit, Ætate ſe reddi audaciorem, cum ſciat breuiſſimum ſibi vitæ tempus ſupereſſe. Dum in Galliis bellum gerit, Heluetios & Tigurinos deuicit atq; ſubegit. Cum Germanis congreſſurus, cum duces trepidare videret, illuſtres in primis & adoleſcentes, eos abire iuſſit, atque abeſſe à prælio, quos præter opinionem ſuam adeò molles & effœminatos cerneret. Se verò cum decima legione Barbaros inuaſurum eſſe dixit, quòd neque hoſtes fortiores Cimbris oppugnandi eſſent, neq; ipſe Imperator Mario deterior. Hac oratione omnium animis ad alacritatem & audaciam excitatis, ſecuti milites victoriam illuſtrem ab hoſtibus reportarũt. L X X X millibus cæſis. Eorum rex Ariuſtus, cum paucis Rheno traiecto, elapſus eſt. His rebus geſtis in Circũpadana Gallia degẽs, populi ſtudia eſt aucupatus: & multos ad ſe Roma profectos, hoſtili pecunia ſibi obnoxios reddidit. Inde ad alias gentes domandas profectus, illuſtribus victoriis partis, ad Padum in hyberna rediit, Romanos pecunia ſibi concilians: quam iis ſuppeditabat, qui magiſtratus ambiebant, quò populus per eos corrumperetur, vt iis tantum qui numerarent, magiſtratus decerneret. Illi igitur nihil eorum omittebãt, quibus eius potentia augeretur. Deinde aliis Galliæ populis ſuperatis, Rhenum ponte iunctũ cum exercitu tranſiit. Inde reuerſus, filiæ Pompeio nuptæ morte ex puerperio cognita, puero etiã paulo pòſt defuncto, ipſe & Põpeius in luctu fuerunt: necnon vtriuſque amici caſum eum grauiter tulerunt, vinculo neceſſitudinis eorum diſſoluto. Cæſar enim iam magnus factus, & rebus geſtis parta gloria euectus, aduerſari Pompeio inſtituit. & Craſſo à Parthis interfecto, qui veluti pacis ſequeſter inter eos fuerat, euertere Pompeium, Pompeius viciſſim Cęſarem, eſt conatus. Republica labefactata, cum magiſtratus per ambitum peterentur, & populus non ſuffragia, ſed arma pro iis ferret, à quibus pecuniam accipiebat, & vrbs veluti nauis ſine gubernatore periclitaretur: prudentioribus boni conſulẽdum eſſe viſum eſt, ſi ciuitas ex tanta tempeſtate ad regnum rediret, alioqui grauitas allidenda. Nec enim ſpem ſalutis aliam reſtare: & medicũ mitiſſimum adhibendum eſſe, qui morbo illi medicinam faceret. quib. verbis ſubobſcurè Pompeiũ intelligi volebant. Qui & ſi verbis imperium ſe detrectare ſimulabat, re ipſa tamen id agebat, vt Dictator diceretur. Ne igitur Dictaturam per vim inuaderet, ſolus à ſenatu conſul eſt deſignatus, deſiderium eius ſolitario imperio leniente. Ob hoc Cæſar & ipſe per legatos conſulatum petiit, aliis aduerſantibus, Pompeio verò tacente. Vt autẽ Cæſar lagitionib. multos in ſuas partes traduxit, Pompeius eam conſpirationem veritus, apertè per ſeſe & amicos imperium Cæſari per decreta abrogauit. quibus ille neglectis petebat, vt & ipſe & Pompeius ſimul armis poſi-

*Heluetij. Tigurini. Germani.*

*Ariouiſtus*

*Cæſar populum largitionibus corrũpit.*

*Iulia mortua Pompeius & Cæſar alienantur.*

*Pompeius ſolus conſul deſignatus.*

tis priuati eſſe iuberētur. Sin ſibi eriperetur imperiū, illi verò cõfirmaretur: alterũ tyrannũ conſtitui. Fertur etiam quidã centurio à Cæſare miſſus, cum didiciſſet ſenatum imperium Cæſari nõ diutius dare, pulſato gladij capulo dixiſſe: At hic dabit. Deinde ſenatusconſultum factum eſt, niſi Cæſar intra certũ diem imperio ſe abdicaſſet, hoſtem eſſe iudicandum. Verùm Antonio cæteriſque Cæſaris ſtudioſis poſtulantibus, vt & Cæſar & Pompeius ſimul magiſtratib. abirēt, eã ſententiã probarũt omnes. Sed cũ Cæſar per literas cæteris omnib. cedens, ſolã Ciſalpinã prouinciã & Illyricum atq; duas ſibi legiones reliqui peteret: cætera quidem ei cõceſſit Pompeius, milites autē ademit. Senatus verò Antoniũ & factionē eius ſenatu eiecit. Itaque ſeruili habitu ex timore ſumpto, conducticiis bigis Roma exierunt. quæ res militũ indignationem cõmouit, cum viros claros & principes contumeliis affectos cernerent. Cæſar verò variis rationibus animo agitatis, ac ſubinde mutatis conſiliis, tandē vulgari illo dicto, Iacta eſt alea, arma ſumpſit: ſuperatóque Rubicone flumine, Ariminũ magnã Galliæ vrbem occupauit. Fertur pridie eius diei noctu in ſomnis ſibi cũ matre per fœdam inceſtáq; imaginem coire viſus eſſe. Arimino occupato, Roma tãquam turbine quodam fluctuum vndis exagitata penè ſemetipsã demerſit. Nã & Coſs. & maxima pars ſenatus fugerũt. Eſt & ipſe Pompeius territus, & ab aliis aliũde turbatus, querētibus, eũ Cæſaris opes contra ſeſe & remp. auxiſſe: neq; quiſquã illũ ſuis vti conſiliis ſiuit. Quare vrbe relicta, ſenatũ ſequi ſe iuſſit. & pleriq; eum ſecuti ſunt exiliũ pro patria amplexi, propter Pompeium: Romã verò perinde vt caſtra Cæſaris fugientes. Eo tempore Labienus etiã Cæſaris amicus, cui ſtrenuam in bellis operã nauarat, eo relicto Pompeium eſt ſecutus. Tamē Cæſar ei & pecuniam & ſarcinas, quanquã deſertori, miſit. Domitius verò, qui Corſinium præſidiis tenebat, Cæſare aduentante rebus deſperatis, venenum bibit, vt moriturus. Deinde cum Cæſarem mirabili clementia vti erga captos audiuiſſet, ſemetipſum deplorauit. Sed à medico edoctus, id pharmacum ſoporiferum eſſe non lætiferum, Cæſarem adiit: acceptáque dextera, rurſus ad Pompeium euaſit. Hæc Romæ nunciata, ciues nonnihil recrearunt, vt quidam in vrbem redierint. Cæſar verò auctus viribus, iam cõtra ipſum Pompeium proficiſcens, cum is Brunduſij naue conſcenſa abiſſet: quia naues ipſe non habebat, Romam conuerſo itinere, totius Italiæ dominatu citra ſanguinem LX diebus eſt potitus. Cum autem & vrbem tranquillam reperiſſet, & multos in ea ſenatores, humaniter cum eis egit, vt ad Pompeium legatos de pacificatione mitterent. Sed nemo ei paruit. Metello tribuno prohibente, ne quid pecuniæ ex publicis theſauris efferret, & leges recitante, reſpondit, Non idem legum & armorum eſſe tempus. Tu verò nunc, inquit, cedito. Bellum enim verborum contentionem non admittit. Vbi verò arma poſuero, tum tu tribunus eris. & hæc dico, de meo iure concedens. Nam & tu meus es, & ij omnes, quos contra me tumultuatos cepi. Cum autē claues nõ reperirentur, ſecuribus ærarium aperiri iuſſit: & Metello, cuius nõnulli conſtantiam laudabant, denuò obſiſtenti mortem comminatus, niſi obturbare deſiſteret. Hoc, inquit, adoleſcens mihi ſcito dictu quam factu eſſe difficilius. Profectus in Hiſpaniam, & legionib. illis atque prouinciis aſcitis, Pompei perſequēdi conſilium cepit. Dictator à ſenatu dictus, exules reuocauit, & alia in rep. egit. Sed dictatura intra dies XI depoſita, ſe ipſo & Seruilio Iſaurico ſuapte autoritate Coſs. deſignatis, expeditioni intentus, ſuperato Ionio mari, Noricum & Apolloniam capit. Apolloniæ clam omnib. nauigio duodecim ſcalmorum miniſtri habitu conſcenſo, Brunduſium traiicere ſtatuit: quãuis mare magnis hoſtiũ claſſib. teneretur. Sed cũ in tempeſtate gubernator nauigari non poſſe crederet, & nautas mutare curſum ac reuerti iuſſiſſet, ſe agnoſcendum præbuit. & gubernatori ad ſuum conſpectũ obſtupefacto: Bono, inquit, animo & ſecuro eſto, Cæſarē enim & Cæſaris fortunã vehis. Appulit & Antonius cũ copiis: quib. Cæſar fretus, Pompeiũ prouocauit. & cũ crebrò ante munitiones ſparſim dimicaretur, ſemper ſuperior euaſit, vna pugna excepta: in qua cum magnã plagã accepiſſet, parum abfuit quin caſtris exueretur atq; ipſe etiã cæderetur. Nã vir quidã magnus & robuſtus fugiens, cũ ab eo manu iniecta manere, & ad hoſtes conuerti iuberetur: planè perturbatus, ictum ei intentauit, ac percuſiſſet, niſi armiger eius humerum illius amputaſſet. Cum autē Pompeius magno facinori colophone non adiecto, fugientibus in vallum compulſis receſſiſſet, Cæſar dixit: Eo die victoriam penes hoſtes fuiſſe, ſi virũ habuiſſet, qui ſciret vincere. Inde digreſſus, exercitum in Macedoniam contra Scipionem promouit. Ea res Pompei exercitum & ducum animos vana ſpe inflauit, vt Cæſarem veluti victum & fugientē perſequi cuperent. A quo conſilio Pompeius abhorrens, bellũ ducere, & mora ipſa vires hoſtiũ attenuare conſultius eſſe duxit: eámque ſententiam ſoli Catoni probauit, ciuibus parcere cupienti. qui cum hoſtium circiter mille cæſos vidiſſet, obuoluta facie, illos deplorauit. Cæteris verò omnibus pugnæ detrectationem vituperantibus, Pompeius vel inuitus Cæſarem eſt perſecutus. Vt verò ambo in Pharſalia caſtra poſuerunt, in priſtina ſententia permanſit, ob omina parum auſpicata, & viſum nocturnum, quo in theatro ſuo plauſum dari ſibi putabat. Eius verò familiares audaces erant, ſpe victoriæ percepta. Cæſar cum ſuos milites rogaſſet, vtrum ſoli pugnare mallent, an reliquos expectare, qui in propinquo eſſent: ab iis oratus eſt, ne expctaret. Hoſtiis cæſis aruſpex dixit, intra triduum pugnaturum cum hoſtibus. & Cæſari, qualem pugnæ exitum præuideret, percontanti reſpondit: magnam fore mutationem in contrarium. quòd ſi in præſentia bene cúm eo ageretur, deteriorem fortunam eſſe expectandam. ſin male, meliorem. Pridie quàm pugnatum eſt, à Cæſare excubias ſub mediam noctem obeunte, conſpecta eſt fax celeſtis ignis, quam ſupra ſua caſtra delatam, reſplendentem & flammantem in caſtra Pompei cadere putauit. Diluculo cum ſpeculatores narrarent, hoſtes ad pugnam deſcendere:

*Cæſar bellũ ciuile capeßit.*

*Labienus.*

*Domitius.*

*Metelli & Cæſaris contentio.*

*Pompeius neſcit vti ctoria.*

*Præſagia Pompei & Cæſaris.*



ſcendere: lætitia exultans prælium iniit, & Pompeij exercitum pepulit. qui cum ſuos equites fuga diſſipatos vidiſſet, non amplius idem fuit, neque ſe Pompeium Magnum eſſe meminit: ſed attonito ſimilis, mutus tabernaculum ingreſſus, euentum ſedens expectauit. Hoſtibus verò vallũ iuuadentibus, habitu fugienti apto ſumpto, ſe ſubduxit. Cæſar etiam caſtris potitus, captos in ſuas legiones inſeruit, & multis claris viris impunitate conceſſa, è quorum numero Brutus quoq; fuit, qui eum pòſt occidit, Põpeium eſt perſecutus. Is verò naui oneraria cõſcēſſa, Amphipolim, atque inde Mitylenem eſt profectus, vt filium & vxorem Corneliam Scipionis Metelli filiam, inde ſecum abduceret. Quæ cùm virgo Publio Craſſi filio nupta fuiſſet: eo à Parthis interfecto, Pompeio deſponſa fuerat, puella & eleganti forma, & in literis probè erudita, nec fidium, nec geometriæ ignara, & philoſophicas diſputationes vtiliter audire ſolita: cum tantis dotib. etiam morum ſimplicitas coniungebatur. Quæ cùm Pompeium nauigio vno, eóque alieno fugientē, adeſſe audiſſet, humi prolapſa, diu ſine voce iacuit. Ægrè refocillata, ad mare decurrit. vbi cum eam Põpeius obuiã progreſſus, amplexus eſſet: Video te, inquit, mi vir, in vnã nauē coniectum, meæ, non tuæ fortunæ culpa, qui ante Corneliæ nuptias quingentis nauib. hoc mare tenuiſti, quã fortunata fuiſſem mulier, ſi ante auditam Publij primi mariti in Parthis interitũ, obiiſſem. Sapiēs verò, ſi, vt inſtituerã, poſt illum necē mihi cõſciuiſſem. Verùm incolumis manſi, Põpei Magne, vt tibi etiã calamitati eſſem. Ad hæc Pompeius: Vnã ergo fortunã Cornelia noſſes meliorē, quæ te fortaſſis etiã ſeduxiſſet, ſi ea ſolito diutius me fouiſſet. Sed & hæc (homines enim ſumus) nobis ferenda ſunt, & fortuna adhuc periclitanda. Neque enim deſperandum eſt, qui è felici miſer factus ſit, eum ex miſero viciſſim felicē fore. Igitur vxore & amicis naui impoſitis, Attaliam Pãphiliæ vrbem profectus, Cilicicas triremes & milites reperit: multi etiã ſenatores ibi ad eũ cõuenerunt. In variis deliberationibus, cum tandem in Ægyptũ confugere placuiſſet, Peluſium appulit, vbi Ptolemæũ degere audierat. qui quòd immatura erat ætate, Photinus eunuchus regni procurator, aduentu Pompei cognito, conciliũ principum virorum cõuocauit. quorum aliis eũ repellendum, aliis recipiendũ eſſe ſuadentibus: Theodotus Chius orator, tollendum eſſe pronunciauit. canem enim mortuum non mordere. Itaque miſſi ſunt qui eum accerſerēt. Vt verò eius familiares, eum non regio apparatu aut ſplendido exexcipi, ſed in vna cymba homines paucos accedere viderunt: cõtemptũ illũ ſuſpectũ habuerũt. Pompeiúmq; monuerũt, vt nauē in mare cõuerteret. Vbi cymba acceſſerat, qui ea vehebãtur, eũ ſalutarunt. Græcè, & in nauiculã cõſcendere iuſſerunt. mare enim vadoſum & arenoſum, triremen non capere. Salutata igitur Cornelia vxore, iam eius exitium plangente, & duob. centurionibus, liberto Philippo, & ſeruo cui Scythæ nomen erat, vnà conſcendere iuſſis, ad vxorē & filium conuerſus, illis Sophoclis verſib. recitatis:

Quiſquis tyranni ſe committit ædibus,
Fit illi ſeruus, liber etſi venerit.

cymbam ingreſſus eſt. Et cum à terra longè adhuc abeſſet, orationē quã in paruo libello Græcè ſcripſerat, vt eã apud regem haberet, legit. Vt ad terram appulerant, Cornelia & amici è triremi, quid futurum eſſet, ſoliciti ſpeculabãtur. Interea Pompeiũ, qui Philippi amici manũ prehēderat, vt ſurgeret, Septimius primus à tergo traiicit. deinde Achillas, & cæteri. At ille toga facie obducta, tantũ ingemuit: neq; quicquã ſe indignũ locutus, ex vulnerib. mortuus eſt, anno ætatis vndeſexageſimo. Qui in nauib. erãt, cæde eius viſa, cũ tanto eiulatu vt in terra exaudiretur, fugerunt. Cædis verò miniſtri capite amputato, truncũ nudũ è cymba in littus abiecerunt, vt ſpectaculo quibuſuis eſſet. Quo dum populus ſatiaretur, Philippus ibi manſit. Deinde mari ablutum corpus, & ſua tunicula inuolutũ, paruæ cymbæ reliquiis cremauit: & ſene quodam Romano, qui prima ſtipendia ſub Pompeio adoleſcente meruerat, adiutore, ſepeliit. Cui Philippus, percontato quis eſſet, qui Pompeiũ Magnum ſepelire inſtitueret? reſpõdit, Se libertũ illius eſſe. Tũ ſenex: Iſtud, inquit, decus non tui vnius erit. Me quoque tam pij officij ſocium admittito, vt meis & ipſe manibus tangam, & ornem Romanorum Imperatorem maximum. Hæ Pompeij fuerunt exequiæ. Cæſar autem non multo pòſt in Ægyptum cum veniſſet, eum à quo ei caput Pompeij afferebatur, tanquam parricidam eſt aduerſatus: & annulo eius accepto, illacrymauit: Achillam & Photinum interfecit. ipſe rex Ptolemæus prælio captus, & ad flumen ſublatus eſt. Theodotus verò rhetor, tum quidem Cæſaris vltionem euaſit, clàm ex Ægypto elapſus, & in humili fortuna inuiſus omnibus. Sed pòſt à M. Bruto Cæſaris percuſſore in Aſia comprehenſus, & omni ſuppliciorum genere excruciatus interiit. Quotquot autem Pompeij amici ab Ægypti tyranno capti fuerant, eos omnes Cæſar beneficiis ſibi adiunxit: & ibi quoque bellum geſſit, Cleopatra ex regione clàm accerſita, quæ à Phontino eunucho & regno & vrbe iam eiecta erat. Quæ cùm ſolo Apollodoro Siculo comite parua cymba conſcenſa ad regiam appuliſſet, & inuoluta ſtragulo quàm longa erat, & colligata ab eodem per fores ad Cæſarem perlata eſſet: tum illius commenti ſolertiam admiratus, tum ſuauitate morum & lepôre eius captus, eam vt regni eſſet particeps, cum fratre reconciliauit. Cum autem in conuiuio propter reconciliationem eam inſtituto, ab Achilla duce exercitus & Photino eunucho inſidias ſibi parari animaduertiſſet, Photinum interfecit: Achillas verò fuga elapſus, graue bellũ ei intulit. Quo tempore cum Cæſari ignem claſſi inieciſſet, magna quoq; illa Bibliotheca cõflagrauit. Cõmiſſo prælio, ab aggere in lembum deſiliuit. Sed cum ab Ægyptiis nauibus vndique cingerentur, mari ſe commiſit, & ægrè enatauit. Fertur autem libellos multos manu inter natandum in ſublime elatos, non abieciſſe, quamquam telis peteretur. Tandem cum rex ad hoſtes abiiſſet, reuerſus, cõmiſſo prælio vicit, multis cæſis, ipſóque rege deſiderato, ac Cleopatræ Ægypti regno relicto: quæ non multo pòſt filium ei peperit, ab Ægyptiis Cæſarionem vocatum. inque Syriã

*Pompeij fuga.*

*Corneliæ & Pompeij cõgreſſus.*

*Pompeij cædes, & ſepultura.*

*Cæſaris in Ægypto res geſta.*

*Cleopatra.*

*Cæſar ab Achilla periculoſe oppugnatur.*

*Cæſario.*

*Pharnaces.*

contendit: & Pharnace Mithridatis filio Ponto eiecto. Eius verò exercitu prorſus deleto, vt belli confecti celeritatem demonſtraret, tria verba Romam ſcripſit: Veni, vidi, vici. Inde in Italiam profectus, Romam aſcendit ſub anni exitum, qui ſecundùm Dictator creatus fuerat, cum ea poteſtas antea nunquã annua fuiſſet. In ſequentem annum Conſul eſt declaratus. Cum autem

*Cato. Scipio.*

Cato & Scipio poſt Pharſalicam cladem in Africa iuſtas copias coegiſſent, Cæſar cõtra eos profectus, exigua vnius diei parte tres exercitus ſuperauit: & L. millibus hoſtium occiſis, ſuorum non L amiſit. Viri conſulares & prætorij qui è pugna euaſerãt, cum caperentur: partim ipſi necem ſibi conſciuerunt, partim captos Cæſar ſuppliciis affecit. Catonis necẽ qui ſibi ipſe manus attulerat, palàm ægrè tulit: cur autem, incertum eſt. illud quidem dixit: Inuideo tibi mortem iſtã Cato, quoniam tu mihi ſalutem inuidiſti. Ex Africa Romam reuerſus, triumphauit, & ſpectacula naualis pugnæ & gladiatorum edidit. Cũ cenſus ageretur,

*C L X X mil. lia bellis ciuilibus cæſa. Pompei filij.*

C L millia ciuium, de C C C X X millibus quæ antè cenſa fuerant, ſunt inuenta. Tãtam populi ſtragem bellum ciuile attulerat. Deinde quartùm Conſul factus, in Hiſpaniam abiit cõtra Pompei filios: adoleſcentes quidem illos adhuc, ſed audacia principatu digna præditos. vbi in tantũ periculum venit, vt per aciem diſcurrẽs clamitaret, An milites non puderet, ſe captum pueris in manus tradere? Poſt pugnam autem amicis dixit: Se de victoria ſæpè, tũ verò primùm de vita certaſſe. Cæſare victore, iunior Pompei filius fuga eſt elapſus. poſt dies aliquot, natu maioris caput Cæſari allatũ: qui extremo hoc bello

*Cæſar perpetuus Dictator.*

geſto Romam reuerſus Dictator perpetuus eſt creatus. quæ manifeſta tyrannis fuit, præter monarchiæ ſummam poteſtatem ſucceſſore quoq; carens. Solus rerum potitus, multos qui arma contrà tulerant, abſoluit. nonnullis magiſtratus & honores dedit: quorum è numero fuerunt Brutus & Caſſius. Pompei ſtatuas deiectas reſtituit. Monitus ab amicis, vt ſatellites ad cuſtodiã corporis adhiberet, recuſauit. Melius enim eſſe mortem ſemel oppetere dicens, quàm perpetuò formidare. In maiorum rerum ſtudio & nouæ gloriæ appetitione, in animo habuit Parthis inferre bellum, & per Hyrcaniam in Scythiam facere impreſſionem. Odium populi Romani

*Cæſar regni titulo populi odia ſuſcipit*

cùm aliis de cauſis, tum ob regni amorem vel maximè ſuſcepit. Vnde familiares eius rumorẽ in vulgus ſparſerunt, Sibyllinis libris contineri, Parthos non niſi rege duce à Romanis poſſe vinci. & Alba Romam proficiſcẽs, à quibuſdam rex appellatus, cum ea re populum perturbatum vidiſſet: ſe non regem, ſed Cæſarem eſſe dixit. Cæſaris autem nomen (vt quidam opinantur) habuit, quòd matre mortua ex vtero cæſus eſſet: quod falſum eſt. matrem enim ad virilẽ vſq; ætatẽ habuiſſe ſcribitur. Aliquis autẽ ex maioribus eius eo modo natus, cognomentũ id in familiã propagauit. Cùm aliquando Conſulibus & prætoribus ad ſe accedẽtibus, toto ſenatu comitante, non aſſurrexiſſet, nõ ſenatum tantum, ſed populum etiam offendit: quaſi per ſenatum totam Remp. ludibrio haberet, ac plerique ſtatim mœſti receſſerunt. Ad has offenſas etiam tribunorum plebis acceſſit cõtumelia. nam cũ in feſto, in ſella aurea triumphali habitu ſederet, Antonius Conſul in forum irrupit, diadema lauro implexum Cæſari offerens. ob eam rem plauſus haud ſanè illuſtris datus eſt, à ſubornatis hominib. ſed cum id Cæſar recuſaſſet, totius populi plauſum tulit. Ita bis populi animos expertus, ſurrexit. Ad hæc regias faſcias ſtatuis eius impoſitas tribuni plebis detraxerunt, & eos qui regem illũ ſalutarant, in carcerem duxerunt: applaudente populo, & brutos eos appellante. Vt enim ſuprà eſt expoſitum, Brutus pulſis Tarquiniis monarchiæ poteſtatem ad populum tranſtulit. Quibus rebus Cæſar irritatus, tribunos poteſtate priuauit: & iis grauiter increpatis, populũ etiam per contumeliam Brutos appellauit. Ex eo populus

*M. Brutus.*

ad M. Brutum ſpectauit, qui à vetere Bruto genus ducere putabatur: ab eóque ſolo vel primo pendebant, qui mutationem deſiderabant. Quia verò ipſum alloqui non audebant, noctu literas circa tribunal & ſellam, in qua prætor ius dicebat, ſpargebant: in quibus ſcriptum erat, Brute dormis? &, Non es Brutus? Incitabatur idem etiã à Caſſio. Sed Cæſari futura cædes pluribus prodigiis denunciata eſſe fertur, è quibus etiam illud eſt.

*Prodigia cædem Cæſaris denuntiãtia.*

Vxorem accubantem voces obſcuras & confuſas edere animaduertit. Ea verò ſibi lamentari viſa erat, & eum occiſum in vlnis tenere: & manè orauit, ne in ſenatum veniret. Cum etiam augures ſacra parum auſpicata fuiſſe dicerent, abſtinere curia ſtatuit, & per Antonium ſenatum dimittere. ſed Brutus Albinus, cui Cæſar fidẽ habebat,

*Brutus Albinus.*

cõiurationis cũ M. Bruto & Caſſio particeps & augures deridebat, & Cæſarem reprehẽdebat, vt qui crimen contempti ſenatus in ſe admitteret: qui affuturus eſſet, ſi iuſſiſſet. Paratos enim eſſe omnes decernere, vt omnium extra Italiam prouinciarum rex appellaretur: vtq; cum nationes exteras peragraret, aut mare traiiceret, diadema geſtaret. Hæc dicens Brutus Cæſarem manu prehenſum ducebat. Abeuntem, ſeruus alienus eius alloquendi cupidus, cum conuenire non poſſet: ſe vxori eius cuſtodiendum tradidit, quòd magnas res haberet reuerſo Cæſari nunciandas. Artemidorus item Rhetor Gnidius, libellum de cõiuratione à ſe ſcriptum ei porrexit: Et hunc, inquit, Cæſar ſolus, & celeriter legito: res enim magnas tibi declarabit, quæque tua interſunt. Libellum acceptum Cęſar lecturus, cum à ſalutantibus impediretur: manu tenuit, itaque in ſenatum venit. qui cum ei aſſurrexiſſet, Bruti coniurati partim à tergo ſellam eius circunſteterunt, partim ad eum acceſſerunt, tanquam exuli cuidam veniam petituri. Antoniũ verò Cæſari fidelẽ & robuſtũ, Brutus Albinus foris tenuit. Vbi conſedit Cæſar, & interceſſiones reiecit, primus

*Cæſaris cædes.*

Caſca iugulum ei ferit ictu nõ lethifero. Vt autẽ omnes cõiurati pugiones ſtrinxerunt, cõtra cæteros ſe defendiſſe fertur veſte conuoluta, & vociferans: ſed cum à Bruto etiã ſtricto enſe peti ſe vidiſſet, toga capite obuoluto, nõ amplius reſtitiſſe. Ita tribus & viginti vulneribus confoſſus, ad baſim ſtatuæ Põpei cõcidit, eámq; cruẽtauit, vt ipſe Pompeius cædi inimici aſtare videretur. Sic C. Iulius Cæſar ex ambitione & appetitione principatus interiit. Adulatores enim eius ambitioni &



*Honores ab adulatoribus Cæſari decreti.*

bitioni & gloriolæ ſtudio inſeruientes, alios atque alios ei honores decernere non deſtiterunt: qui huiuſmodi fuerunt, vt triumphalem veſtem perpetuò ferret, & in ſella curuli ſederet: vt faſcibus laureatis perpetuò vteretur, & pater patriæ appellaretur: vt eius imago in nummis exculperetur, & natalis publicè celebraretur: vt in Romanis fanis, & omnibus vrbibus eius ſtatuæ collocarentur. Pro eius autem tribunali duas ſtatuas collocarunt: alteram ob ciues ſeruatos, alteram ob vrbem obſidione liberatam, corona ciuica & obſidionali ornatas. & nouam curiam ædificari iuſſerunt, quæ Iuliana de ipſius nomine diceretur. Cenſorémque eum ſolum & perpetuum crearunt: priuilegia tribunorum ei dederunt: ſi à quoquam dicto factóve offenſus eſſet, vt caput eius ſacrum eſſet ac piaculo obligatum. Quid autem ſacrum eſſe ſignificet, iam eſt à me expoſitum. Iam quia talibus eum rebus gaudere cernebant, auratam ei ſellam conceſſerunt, & veſtem qua olim reges vſi fuerant, & cuſtodiã ex equeſtri & ſenatorio ordine, vtque publicè pro eo ſupplicationes fierent, & per eius fortunã iuraretur, & acta eius rata eſſent, ſanxerunt, & Quintilis menſis ab eo Iulius appellaretur. Hæc & alia plura, ne ſingulis commemorandis lectorem obtundamus, ei decreuerunt. Quibus rebus inuidiam hominum, vel potius iram Deorum ſuſcepit, multóſque in ſe prouocauit, donec eum exitum quo repentè concidit, eſt

*Tumultus poſt cædem Cæſaris.*

ſortitus. Cum ita interfectus iaceret, omnes qui ibi aderant, turbati, & conſilij percuſſorum ignari, quaſi & ipſi periculo proximi fugerunt, & terrendis obuiis vrbem luctu impleuerunt. Ciuitate ſic affecta, percuſſores vim timentes, ſtrictis & cruentis gladiis per forum in Capitolium accurrerunt, ibíque diem & nóctem exegerunt. At Lepidus eo facinore in caſtris audito, neceſſariò ſe cum militibus ea nocte coegit, & pro concione in percuſſores eſt inuectus. Antonius autem præ metu Cæſaris interfectoris latitans, cum illius aduentu cognito, & percuſſorum fuga in Capitolium, reſumpta fiducia prodiiſſet, & ſenatu conuocato ſentẽtias rogaret:

*Cicero.*

Cicero omnibus autor fuit, vt mutuis odiis abolitis, vtrinque, ſi quid peccatum eſſet, condonarent, ne ciuile bellum recrudeſceret, & ciues à ciuibus interirent. conſentirent potius, vt populares & ciues deceret. Adiecit etiam, acta Cæſaris, ſiue ad donationes, ſiue ad honores, ſiue ad magiſtratus pertinerent, rata eſſe oportere, nec exagitanda curioſius, aut reſcindenda. His rationibus adducti, omnium iniuriarum obliuionem decreuerunt. percuſſores verò de Capitolio verba facientes, militibus promiſerunt, ſe nulla Cæſaris acta reſciſſuros, neque cuiquam quicquam ab illo datum erepturos. Seditione hoc modo compoſita, non prius è Capitolio deſcenderunt, quàm filiũ Lepidi & Antonij obſides accepiſſent. Deinde cum lecto Cæſaris teſtamento populus cognouiſſet, Octauium ab eo adoptatum eſſe, & Reip. munera, & viritim vel tricenas, vt Octauius, vel octogenas quinas, vt alij tradunt, drachmas relictas, turbatus eſt. Cum autem Antonius cada-

*Antonius populum cõcitat.*

uere eius adhuc cruento in foro propoſito, orationem ad defuncti laudes, & ad cædis commiſerationem pertinentem habuiſſet, multitudo concitata eſt. Deinde recitatis honoribus qui ei decreti fuerant, ſubiecit: Sed hic pater, hic põtifex, ſacroſanctus, heros, Deus mortuus eſt: hei mihi, non morbo correptus, non ſenio extinctus, non foris in bello vulneratus, nec fortuitò aliquo dæmone raptus: ſed hic intra mœnia per inſidias cæſus eſt, qui citra periculum in Britanniam penetrauit, in vrbe per dolum occubuit. qui pomœrium ciuitatis promouit, intra curiam eſt trucidatus. inermis, vir bellicoſus: nudus, vir pacificus: ad prætoria, prætor: apud magiſtratus, magiſtratu præditus: à ciuibus, quem nemo hoſtium vel in mari natantem occidere potuit: à familiaribus, quorum ſæpè miſertus fuit. Vbi tua eſt humanitas Cæſar? vbi ſacroſancta autoritas? vbi leges? Tu quidem accuratè prouidiſti, ne quis ab inimicis cæderetur: te verò crudeliter amici occiderunt, & nũc in foro iaces interfectus, per quod gloria coronatus multoties incediſti. in ſuggeſto iaces vulneribus confectus, vnde multas conciones habuiſti. Heu canos ſanguine concretos: heu veſtem laceratam, quam eò ſcilicet induiſti, vt in ea iugulareris. His verbis populus commotus, percuſſores quæritauit, raptum cadauer Cæſaris in foro cremauit, ad ædes percuſſorum tetendit, ac Heluium Cinnam tribunum plebis per errorem nominis occidit. Neque enim is Cæſari fecerat inſidias, ſed Cornelius Cinna prætor. Quo in loco Cæſar crematus eſt, plebs aram erexit, in qua illi vt Deo ſacrificaret. Sed eam Coſs. euerterunt, lege lata, ne quis deinceps Dictator crearetur. Qui autem Dictaturam vel decreuiſſet, vel accepiſſet, vt capite plecteretur. Antonius tum pro autoritate multa egit, dandis magiſtratibus, prouinciis, libertate, immunitate, atq; exulibus reuocandis, non ſecus ac ſi potentatus Cæſaris ſucceſſor eſſet: iiſque rebus magnam pecuniam coegit.

## De C. Octauio.

C. verò Octauius, qui & Pius, ſororis Cæſaris filius, nuptæ Octauio Veliterno (ſunt autem Velitræ Volſcorum municipium) pupillus relictus, apud matrem educatus eſt. Cum adoleuiſſet, apud Cæſarem egit orbum liberis: qui eum amauit, magna de eo ſpe concepta. Nam Accia

*Prodigia imperium Cæſari portendentia.*

mater eius prægnans, ſomniauit inteſtina ſua ferri ad cœlum, explicaríque per omnem terrarum ambitum. Somniauit & pater Octauius eadem nocte, vtero Acciæ iubar ſolis exortũ. Qui cum ob vxoris puerperium ſerius in curiam veniſſet, P. Nigidius Figul⁹, qui Aſtronomiæ peritiſſimus habebatur, comperta moræ cauſa, exclamauit: Tu nobis dominum genuiſti. Cum puer ruri educaretur, aquila pane ex manibus eius rapto ſubuolauit, ac delapſa rurſus eundem reſtituit. Deinde, cum adoleſcentulus in vrbe degeret, ſomniauit Cicero, ſe videre illum cathenis aureis è cœlo ad Capitolium demitti, & à Ioue * flagris cædi. Catulus verò & ipſe in ſomnis vidit, Iouem Romæ imaginem in ſinum filij Octauij, pueri adhuc, demittere. His de cauſis cum Cæſar, in ampliſſima ſpe adoptatum, hæredem inſtituit, ac diligentiſſimè in arte dicendi græcè latinéque erudiendum curauit. Exercuit & in re militari, & ad negociorum Reipublicæ atque Imperij admi-

niſtrationem,aſſuefecit.Hic igitur Octauius, Apolloniæ ſtudiorum cauſa degens,interitu Cæſaris audito,Brunduſium traiecit:cognitóque eius teſtamento,& tumultu populi, Cæſaris nomen ſibi vendicauit.aditáque hæreditate,rebus gerendis animum intendit, annos octodecim natus. Eo vrbem ingrediẽte, magnus circulus,& inſtar cœleſtis arcus varius,orbem ſolis ambiit, futuri tumultus prænuncius. * Tribunatum, quamuis ab Antonio prohiberetur, ambire non deſtitit: ſed tribuno conciliato ſibi,in forum perductus, pro concione promiſit,ſe legata,patris teſtamento relicta,ſtatim ſoluturum: & aliorum emolumentorum plebi ſpem fecit. Cuius ſtudia cum ſibi adiunxiſſet,exorta ſtella quæ à Septentrione verſus Occaſum tendebat, quam alij Cometam dicebant, ea portendentem, quæ ſolet id genus impreſſionum:alij Cæſari dedicabant, in ſtellarum numerum recepto ſcilicet:non dubitauit pridem Octauius,tum Cæſar,pòſt etiam Auguſtus, æneam ſtatuam Cæſaris, cum ſtella ſuprà caput, in æde Veneris dedicare. Quod cùm populi metu nemo prohiberet,etiam alia in Cæſaris honorem fecit. Antonius verò, qui eum contumeliis & iniuriis agitabat,plebe ægrè ferente, ac penè omnibus indignantibus, ſibi metuens, cum eo collocutus eſt:& cum reconciliati viderentur,ex ſuſpicione quadam inimicitiæ recruduerunt. & quia Cæſaris opes creſcere videbat, multitudinẽ largitionibus & obſequiis ad ſe allicere ſtuduit: ídque facile conſecuturus videbatur, cum ipſe conſul,frater Lucius tribunuſ-plebis, Caius verò prætor eſſet. In tanto rerum motu, & Antonij ſumma propter Conſulatum potentia: populus tamen Cæſari maximè ſtuduit,cùm propter patris memoriam, tum ob ipſius pollicitationes. Sed ob illud in primis, vt Antonium, cuius vires ægrè ferebant, premerent. Antonio Brunduſium ad legiones Macedonicas profecto, Cæſar amicis eò cum pecunia præmiſſis, in Campaniam progreſſus, exercitum ex diuerſis prouinciis coegit, patris necem vlturus, pecunia partim numerata,partim promiſſa: cum eóque ante reditum Antonij properè in vrbem reuerſus,oratione ad populum habita laudatus eſt, atque iterum ad delectus habendos abiit.Antoniũ verò milites benignè Brunduſij acceperunt. Deinde cum ab eo,nonnullis interfectis, crudeliter tractarentur, tumultuati ſunt, ac multi ad Cæſarem defecerunt. Antonius verò in Gallias properauit, veritus ne rebus nouis ſtuderent: eúmque Cæſar ſecutus,D.Brutum coniurationis contra Cæſarem participem, qui ei prouinciæ præerat Antonij inimicum,ſibi Cæſar conciliat. Nam tempus vindicandi patris nondum adeſſe cernebat. Romæ ſenatu deliberante, & propter bellum territo, alij alias ſententias dixerunt: Cicero autem Antonium hoſtem iudicandum, & Cæſarem ac D. Brutum priuata autoritate cum illo bellum gerentes, laudandos & adiuuandos eſſe cenſuit: data etiam in poſterum autoritate,& ambos Cõſules ſine vlla cunctatione ad bellum ei inferendum mittendos. Q.Calenus contrà,legatos ad omnes mittendos eſſe,qui eos armis poſitis,ſemetipſos & legiones autoritati ſenatus permittere iuberent. quòd ſi auſcultaſſent laudandos eſſe: ſin minus, bellum conſulibus contra eos mandandum.Verùm Cęſariana factione præualente, quidam ex ſenatu ad Antonium miſſi,qui eum,exercitibus & Galliis omiſſis,in Macedoniam ire:eius item milites intra ſtatum diem domum redire iuberent,alioqui hoſtium loco habendos eſſe. & priuſquam noſſet animum Antonij ſenatus, bellum contra eum Conſulibus, Cæſari poteſtatem imperatoris mandauit. Quibus rebus Antonius cognitis, legatis ſenatus contumelioſe tractatis, per ſuos legatos,cauſam quæ bello prætexebatur,in ipſos decreti autores retorſit. Quamorbem denuò & ipſe hoſtis iudicatus eſt:& milites, ni illum reliquiſſent, alio die præfinito. Ille verò Mutinæ Decimum obſidens, nihil geſſit memorabile. Decimus verò primùm egregiè ſe defendit. Deinde cùm operibus vndique cinctus eſſet,veritus Cæſar,ne caperetur,aut penuria commeatus deditionem faceret: cum Hircio exercitum verſus Mutinam duxit. Sed cum amnem preterfluentem propter cuſtodias traiicere non poſſent, & de ſua præſentia eum certiorem factum cuperẽt, ex altiſſimis arboribus ei ſigna dederunt,flamma elata: quæ cum non intelligeret,laminæ plumbi tenuiſſimi quid vellent inſcripſerunt, eámque chartæ inſtar conuolutam natatori perferendam dederunt.Sic Decimus præſentia eorum cognita,eodem illis modo reſcripſit. Quem cum Antonius nihil cedere videret,Lucio fratre ad obſidionem relicto,contra Cæſarem & Hircium eſt profectus.ac primùm æquo Marte certatum eſt. Tãdem victor Antonius, noctu clàm contra Iunium quem appropinquare ſenſerat,ducit, eúmque per inſidias vulnerat, maximam eius militum partem cædit, reliquos in vallo obſidet: & contra Cæſarem,Hircium, & cæteros conuertitur.Verùm Hircius eum & de via & pugna feſſum,ex improuiſo aggreſſus, illuſtri victoria ſuperauit. Ea clade Antonii cognita, Senatus & Hircium, & Iunium, & Cæſarem Imperatores appellauit, quamuis Iunius rem malè geſſiſſet, Cæſar verò non pugnaſſet, ab Hircio ad caſtrorum cuſtodiam relictus.Sic Antonius ſuccubuit. Sed & T.Munatius Plancus eiuſdem factionis, à Pontio Aquila Decimi legato victus eſt.Antonius alienatis à ſe militum animis, & populis quibuſdam ſibi prius addictis tumultuantibus, territus,ad tempus quieuit:ſed nonnullis à Lepido copiis auctus,recepit animum,ſubitáque eruptione facta, & multis vtrinq; cæſis profligatus, fugam cæpit. Itaque ſenatus illius clade lætus, omnes qui cum eo fecerant,hoſtes iudicauit,tam ipſorum quàm Antonij bonis publicatis. Cæſarem verò nec inſigni aliquo honore affecerunt, & premere ſunt conati,iis omnibus quæ ſe accepturum ſperabat, in Decimum collatis. Ac ne malefacere poſſet, magiſtratus inimicis eius decreuerunt, S.Pompeio claſſis profecto deſignato,M.Bruto Macedonia, Caſſio Syria & bello contra Dolabellam mandato. Vt autem Cæſaris milites inter ſeſe committerent, alios laudarunt,pecuniis & coronis oleaginis datis: aliis nihil tribuerunt.Verùm Cæſaris induſtria factum, vt nihilominus inter ſe conſentirent. Quo Romæ cognito,ne ſic quidem Conſulatũ, ſed alios

vim

*Antonij & Cæſaris diſſidia.*

*Antonij & D. Bruti bellum.*

*Antonius hoſtis iudicatur.*

*Mutinæ obſidio, & varij cum Antonianis conflictus.*

*T. Munatius Plãcus.*

*M. Lepidus.*

*C. Octauius à ſenatu alienatus, cum Lepido & Antonio conſpirat.*



ei honores decreuerunt.quos aſpernantem,prætorem primùm,deinde Conſulem fecerunt. Ac illi quidem Cæſarem pro puero & adoleſcentulo,ſicuti vulgò appellabatur,tractabant:ille verò cùm cætera, tum pueri appellationem ægrè ferens, ad arma conuerſus, clàm de pace cum Antonio egit:& è pugna elapſos, quos ſenatus hoſtes iudicarat, collegit. apud quos de ſenatu populóque queſtus eſt. Hæc ij qui ſummæ rerum præerant,principiò neglectui habuere:ſed Lepidi Antoniíque conſenſu cognito,Cæſarem colere cœperunt, bello quod contra illos gereret, mandato,ignari quid cum Antonio egiſſet.Eam ille conditionem non recuſauit, per id bellum Conſulatus adipiſcendi ſpe, cuius amore æſtuabat. Proinde cum ad pugnam ſe parare videretur, clàm id cum militibus egerat, vt veluti ſua ſponte iurarent, ſe cum nullo exercitu, qui ſub Cæſare patre eius militaſſet, pugnaturos: quod non erat aliud, quàm cum Antonio & Lepido, qui militum illorum plurimos haberent, non congreſſuros eſſe.eáque de cauſa C C C C ex ipſis militibus per ſpeciem legationis ad Senatum miſit:cum reuera id ageretur, vt promiſſa exigerentur, & Cæſar Conſul declararetur. Cum reſponſum differri milites ægrè ferrent,vnus eorũ Curia egreſſus,ſumpto gladio(inermes enim ingredi iuſſi fuerant)Si vos,inquit, Cæſari Conſulatum non dederitis, hic dabit. Cæſar verò per eam cauſam,quòd in ingreſſu Curiæ arma ponere coacti,& à quodam rogati eſſent, vtrum à legionibus,an à Cęſare miſſi eſſent,Lepido & Antonio feſtinãter accerſitis, Romam veluti coactus à militibus properauit, equitibus aliquot in itinere pro exploratoribus occiſis.Senatus eorũ aduentu cognito,& pecuniam antequam appropinquarent,miſit, & Conſulem Cæſarem deſignauit.Quod quia neceſſitate milites expreſſum intelligebant,ferociter atque inſolenter ſe contra P.C.geſſerunt.Qui ea re irritati, mutata ſententia,exercitui vrbis aditu interdixerunt,ciuitatis cuſtodia prætoribus mandata.Sed quum Cæſar ad vrbem veniſſet,multi ex Senatu & plebe ad eum tranſierunt,prætoréſque & ſe & milites eius fidei permiſerunt. Sic vrbe citra pugnam potitus, Cõſul etiam à populo eſt deſignatus: in concionem non progreſſus, ne vim afferre ciuibus videretur.Collega ei(ſi tamen ita nominandus eſt,ac nõ potius adminiſter) datus eſt Q.Pedius.Conſul factus,ſtatum ciuitatis arbitratu ſuo compoſuit:militibus pecuniam,quam è p[illegible]lico largiebatur, ſe de ſuo dare ſimulauit, [illegible]as egit. A Senatu multi honores illi per[illegible]m beneuolentiæ,ſed reuera cogente metu, [illegible] decreti: præter cæteros verò in familiam Cæſaris vſitato ritu adoptatus,cognomentum id accepit. Quod etſi prius etiam vſurparat,veluti vnà cum hæreditate acceptũ:non tamen cõſtanter tenuerat,priuſquam more maiorum confirmatum eſſet.Ex eo C. Iulius Cæſar octauianus eſt appellatus.Vſitatum enim eſt,vt qui adoptantur,cætera nomina adoptantis aſſumant,vno ex gentiliis retento.Militibus conciliatis,Senatúque oppreſſo, paterna legata populo diſtribuit, vt eum etiã ſibi deuinciret,nec in vlciſcendis patris percuſſoribus aduerſarium haberet. Ne quid autem per vim facere videretur,iudicia coegit: quamuis rei plerique abeſſent,nonnulli etiam prouincias obtinerent.Si qui verò aderant,ij ſe præ metu clàm ex vrbe proripiebant. Quare indicta cauſa non percuſſores tantum,& coniurati,ſed multi etiam alij ei crimini non affines,quidam etiam qui tum vrbe abſuerant, vt S. Pompeius, ſunt condemnati, & aqua atque igni interdicti, eorúmque bona publicata. His peractis, contra Lepidum & Antonium ſcilicet eſt profectus: ſed nihil rei geſſit, non quòd cum Antonio clàm quædam egerat, & per illum cum Lepido, ſed quòd eos firmos & concordes eſſe videbat, ſpémque habebat eorum ope Bruti & Caſſij, quorum iam magnæ vires eſſent,debellandi, ac poſtea illos etiam inter ſe cõmiſſos opprimendi. His de cauſis vel inuitus pacta ſeruauit: operámque dedit vt Senatui populóque reconciliarentur,non per ſe,quo minus ſuſpecta res eſſet, ſed Q.Pedio eius ſententiæ autore ſubornato. Ipſe verò ea de re conſultus à ciuibus, inuitum ſe,& coactum à militibus aſſentiri ſimulauit. Illi verò impetrata reconciliatione, ambo contra Cæſarem potiſſi. copiarum maximam partem adduxerunt,cùm quòd ei fidem planè non habebant,tum quòd illius autoritate reuocati eſſe videri nolebant,ſed per ſe & ſuis viribus:tum quòd ſperabant, ſe per legiones ea quæ vellent aſſecuturos.Cæſar item eis cum magna manu obuiam proceſſit.Congreſſi,& ſecretò quædam collocuti,de ſtabilienda ſua potentia & vlciſcendis inimicis coniurarunt.Ac publicè profeſſi, ſe triumuiros & rerum curatores fore in quinquennium, ne dominatus paucorum cupidi viderentur: priuatim & prouincias inter ſe partiti ſunt, ne totum imperium ſibi vendicare viderentur, & cædes inimicorum inuicem condonarunt. Lepido Romæ atque Italiæ cuſtodia attributa eſt.Cæſar verò & Antonius ſe bellum communi ope M. Bruto & Caſſio illaturos,iureiurãdo interpoſito pepigerunt, milites vt res poſtulabat allocuti. Verùm milites,Antonij inſtinctu, à Cæſare petierunt, vt Fuluiæ & ſexti Clodij filiam, Antonij priuignam, duceret. Non recuſauit Cæſar, quanquam alia ei deſponſa erat. Inde dum Romam properant,Antonio & Lepido parum auſpicata omina obuenerunt. Cæſaris autem tabernaculo aquila inſedit,quæ duos coruos irruẽtes & pennas aliquot ei euellere conantes occidit:quo augurio victoria contra duos collegas ei portendebatur. Romam cum legionibus ingreſſi,ſtatim fecere quæ voluerunt, tot ciuibus occiſis, vt vrbs cadaueribus impleretur. Nam alij in ædibus alij in viis,alij in foro & ad templa Deorum immortalium trucidabantur. Proſcriptorũ capita triumuiris in Curiam afferebantur, trũci corporum partim temerè abiiciebantur,canibus eſca & alitibus,partim in Tiberim præcipitabantur.nec inimici duntaxat,ſed amici eorum etiam perimebãtur.Nam eos omnes qui vni ex triumviris opem tulerant, aut ſuffragati fuerant, reliqui duo hoſtes iudicabant. Ita fiebat, vt iidem, eorum alicui amici, & cæteris hoſtes eſſent: & dum quiſque inſidiatores vlciſceretur, eadem opera ſuos amiciſſimos perderet. Nec enim vllus inimicum ſuum,ſi alterius amicus eſſet, niſi aliũ

eius

*Conſulatus Cæſaris.*

*C. Iulius Cæſar Octauianus.*

*Cæſaris, Antonij & Lepidi coniuratio.*

*Triumuiralis proſcriptio.*

*Augurium Cæſaris.*

*Inimicorum permutatio.*

eius loco dediſſet, qui ipſius amicus haberetur, aut plures etiam, ſi is qui ad cædem poſtulabatur, ſiue virtute, ſiue nobilitate, ſiue dignitate excelleret, è medio tollere poterat. Diuites verò vel innocentes in proſcriptorum numerum referebant, quòd ingenti pecunia eſſet opus ad explendas militum cupiditates. Hæc à Lepido & Antonio potiſſimum agebantur: quorum quòd ſub priori Cæſare honorati fuiſſent, & ampliſs. magiſtratibus atque imperiis ornati, etiam inimicitiæ latiſſimè patebant. Sed eadem à Iuniori Cæſare quoque fieri putabantur propter potentatus ſocietatẽ.

*Cæſaris moderatio.*

Paucos enim ipſe occidebat, nec natura crudelis, & moribus patris educatus, & paucis grauiter infenſus, quíque diligi ſe quàm timeri mallet. Nec tantum non multos occidit, ſed plurimos etiam cõſeruauit: & eos qui aliquos occultarant, humaniſſ. tractauit. nam id quoque capitale erat. Lepidus verò inexorabilis fuit: Antonius item ſæuus, qui proſcriptorum quoque defenſores crudeliter trucidabat, occiſorúmque capita vel inter epulas intuens, nefario ſpectaculo ad ſatietatem perfruebatur. Vxor item eius Fuluia multos ex odio, multos pecuniæ cauſa, nonnullos etiam marito planè ignotos trucidabat.

*Ciceronis interitus.*

Ciceronis autem caput (nam is quoque in fuga iugulatus fuerat) Antonius ad ſe allatũ, maledictis inſectatus, illuſtriori in loco pro roſtris, vnà cum dextra eius manu, vnde concionatus fuerat, affigi iuſſit. Fuluia verò id primum in manus ſumptum, ira percita conſpuit. Deinde genibus impoſitum, oréque diducto, linguam extractam acubus, quibus ad ornamenta capitis vtebatur, pupugit, cum multis nefariis dicteriis.

*Seruilis fides.*

Multis pereuntibus, quidam euaſerunt. Serui enim dominorum veſtibus ſumptis, illíſque occultatis, ipſi pro eis cæſi ſunt: & quidam herum, à quo ignominioſis notis compunctus fuerat, non modò non prodidit, ſed etiam conſeruauit. Nam cum herum in fuga comitans, percuſſores inſequi animaduertiſſet, quẽdam obuiũ occidit, eiúſque veſte data domino, eóque abire iuſſo, cadauer in pyram coniecit, veſtem verò & anulum herilem perſecutoribus obtulit, ſe fugientẽ dominum occidiſſe profeſſus. quod cum ob notas illas & ſpolia crederetur, & illi ſalutem, & ſibi honorem peperit.

*Q. Cicero.*

Q. Ciceronem, Marci fratrem, filius ſuffuratus, cum torqueretur, non prodidit. Sed pater ea re cognita, filij miſertus, vltrò ſe percuſſoribus obtulit.

*S. Põpeius.*

Multi ex latebris ad Brutum & Caſſium, plures ad Sextum confugerunt: qui claſſi præfectus, & ad tempus mari potitus, priuatis viribus (quanquam poſt à Cæſare adempto imperio) collectis, Siciliam occuparat. Deinde cum ipſe quoque proſcriptus, & cædes factæ eſſent, in eodem periculo verſantibus plurimum tulit opis, tum ſuſcipiendo, tum aliis rationibus. Itaque frequentes ad eum conuenerũt.

*Bonorum direptio.*

Ac cædium huiuſmodi ratio fuit: Bonorum autem nihilo melior. Nam locupletum ædes diripiebantur, & annuæ domorum mercedes tam in aliis Italiæ vrbibus quàm Romæ exigebantur, earum quæ locatæ erant, integræ: in quibus ipſi domini habitabant, dimidiæ, pro amplitudine habitationum. Iis item qui prædia poſſidebant redituum ſemiſſem ademerunt, & occiſorum poſſeſſiones militibus aſſignarunt, aliàs gratis, aliàs vili precio. Nam capite ſanxerant ne quis alius in auctionem emendi gratia prodiret. Largiebatur magiſtratus honores, ſacerdotia: leges alias rogabant, alias abrogabant, omnia denique arbitratu ſuo ſic gerebant, vt Cæſaris interfecti monarchia clemens haberetur. Hæc illo anno acta ſunt. Sequenti, M. Lepido & L. Planco Conſulibus vectigalia intermiſſa reuocata, & noua excogitata ſunt: multáque de fundis, multa de ſeruis exacta. Sed inter omnia moleſtiſſima fuit facultatum omnium quantæcunque erant, decimatio, ſiue virorum, ſiue mulierum. Nam verbo quidem decima exigebatur, ſed reuera nemini pars decima relinquebatur. Eſt & aliud excogitatum. Cuiuis concedebatur, ſi bonis omnibus ceſſiſſet, vt tertiam partem repeteret: hoc eſt, vt nihil reciperet, & negocium ſibi ipſi faceſſeret. Nam qui duabus partibus vi manifeſta ſpoliabantur, tertiam quo pacto recuperaſſent? Alia denique plurima tum, quibus ad egeſtatem redigerentur, hominibus ſunt impoſita: ſolis iis qui arma tenerent, diuitiis abundantibus. Dum hæc Triumviri agitant, eadem opera Cæſarem defunctum ornant, multis ei variiſque decretis honoribus.

*M. Bruti et C. Caßij apparatus, contra M. Antonium & C. Cæſarem.*

His rebus confectis, Lepidus in vrbe manſit, vt Romam & Italiam gubernaret: Cæſar & Antonius contra Brutum & Caſſium ſunt profecti. Qui cum Cęſarem Octauium rerum potiri, & plebem ſibi deuincire velle audiuiſſent: libertate patriæ deſperata, metu illius Athenis vixerunt: ſplendidéque ab Athenienſibus ſunt excepti, æreis ſtatuis decretis, vt Ariſtogitonis & Harmodij tyrannicidarum imitatoribus. Deinde creſcente potentia Cæſaris, Caſſius ad Syros, quibus cum familiaritas ei intercedebat, eſt profectus: Brutus Græcos & Macedones ſibi adiunxit, quos tum ob rerum geſtarum gloriam, tum ob milites, qui partim à Pharſalica pugna ibi oberrabant, partim ex Dolabellæ reliquiis aſcitos partim ob pecuniam à Trebonio ex Aſia miſſam, dicto audientes habuit. Græcia citra laborẽ adiũcta, deinde Macedonia quoque omni & Epiro aſcitis: acta ſua ad ſenatũ perſcripſit. Qui cum Cæſarem ſuſpectum haberet, eum collaudauit, & loca illa omnia tenere iuſſit. Vnde & ipſe factus eſt alacrior, & ſubditos citra exceptionẽ obnoxios habuit. Cæſare autẽ Romæ iam dominante, & patris percuſſores apertè vlciſcente: quo pacto illius impetum propulſaret cogitãs, euitatis inſidiis ſibi factis, in ſup[illegible]m Macedoniam cum validiſſima parte co[illegible]m conceſſit, atque inde in Aſiam nauigauit, ne militum fides Romanarum rerum fama ad terrorẽ amplificata mutaretur. Poſtea in Europam rediit, nouarum rerum metu. Eodem tempore Caſſius quoque ad Trebonium in Aſiam traiecit, à quo pecunia, multis equitibus, & militibus ex Cilicia & Aſia acceptis, Tarſenſes vel inuitos in ſuam ſocietatem pertraxit. Inde in Syriam profectus. omnes populos, omnes legiones citra dimicationem ſibi adiunxit. Syria ſuſcepta, in Iudæam properauit, audito militum, quos Cæſar in Ægypto reliquerat, acceſſa: quos vnà cum Iudæis facilè ad deditionem compulit. Ita Caſſius quoque viribus



bus celeriter auctis, eodem modo quo Brutus, ad Senatum ſcripſit. à quo Syriam prouinciam obtinere, & bellum gerere cum Dolabella iuſſus eſt. Qui cum ei Syria mandata eſſet, in Aſia moram trahens, Senatuſconſulto cognito, in prouinciam non abiit, ſed ibidem degens, Trebonium dolo Smyrnæ ſuſtulit: totáque Aſia potitus, Caſſio in Palæſtina agente, Ciliciam venit, & à Tarſenſibus vltrò eſt receptus.

*Dolabellæ & Treboni interitus.*

Caſſij præſidio, quod Ægis erat, ſuperato, impreſſionem in Syriam fecit. Ab Antiochia repulſus, Laodiceam ſubegit: & claſſis acceſſione auctis viribus, Aradum abiit. Vbi cum paucis circumcluſus, in periculo fuit: ſed tamen elapſus, occurrit Caſſio, ab eóque acie victus, & Laodiceæ circumſeſſus, cum annonæ penuria premeretur, ne viuus in hoſtis poteſtatem veniret, ſeipſum interfecit. idémque legatus eius M. Octauius fecit.

*Caßius & Brutus Aſia ſubacta, in Macedonia ad Philippos caſtra metantur.*

Caſſius Syriæ & Ciliciæ rebus conſtitutis, in Aſiam ad Brutum venit. Cognita enim triumuirorum coniuratione, quos contra ſe moliri omnia norant. alacrius ipſi quoque communi conſilio & deliberabant, & agebant: aduerſa factione partim per ſemetipſos, partim per legatos ad ſe traducta, & pecunia & militib. collectis. quoſdam ſocietatem detrectantes, oppugnarunt. Ac Rhodiis Caſſius mari victis, & naues & pecunias ademit. Deinde Ariobarzanem comprehenſum occidit. Brutus verò Lyciam ſubegit, pleriſque vrbibus vltrò deditionem facientibus: ſed Xanthum vi expugnatam incendit. Deinde Patara profectus, ciues ad amicitiam ſuam inuitauit: quam cum aſpernarentur, per Xanthios captiuos, cognatos eorum, conciliatione fruſtra tentata, captiuis aliquot venditis, cæteros dimiſit liberos. Quo viſo Patarenſes, ſtatim ad eum, virtutis opinione illecti, ſe contulerunt. Idem & Myrenſes fecerunt, cum ducem eorum in nauali captũ dimiſiſſet. reliqua etiam exiguo tẽpore ſubegit. Inde ambo in Aſiã, ex Aſia in Macedoniam properabant.

*C. Norbanus. Decillius Saxa.*

Cum verò C. Norbanus & Decillius Saxa à Cæſare & Antonio in Macedoniam miſſi, compendioſa via præoccupata, caſtra iuxta Philippos poſuiſſent: Brutus & Caſſius per aliam longiorem viam eôdem profecti, pulſo præſidio, ad ſuperiorẽ vrbis partem caſtra & ipſi poſuerunt: & quia numero ſuperiores erant hoſtibus, mõte ſymbolo occupato, commeatum tum ex mari, tum ex campeſtribus petiuerunt. Norbanus verò & Saxa cum eis pugnare non auſi, Cæſarem & Antonium accerſiuerunt. Qui parte quadam copiarum ad Italiam tutandam relicta, cum maiori parte Ionium traiecerunt. Ac Cæſar ægrotans, Dyrrachij remanſit: Antonius Philippos contendens, cùm hoſtibus in frumentatione collocaſſet inſidias, impegit. At Cæſar vtrunque timens, ſi Antonius ſeorſim vel vinceret, vel vinceretur, quòd aut is, aut Brutus & Caſſius ea ratione ſe omnino ſuperiores futuri eſſent: tametſi infirmus accurrit, aduentúque ſuo Antonianos recreauit. Cum ambo exercitus ex aduerſo conſtitiſſent, excurſiones vtrinque factæ ſunt: ſed nunquam iuſta acie dimicatum eſt, quamuis Cæſar & Antonius pugnæ cupidi eſſent. Caſſius enim & Brutus pugnam non metu differebant: ſed ſpectabant, an citra periculum & magnam cædem poſſent vincere. Vt verò Bruti legiones & moram ægrè ferentes, & hoſtes ob luſtralia ſacra ante pugnam fieri ſolita, ab Antonianis & Cæſarianis intra vallum peracta, ignauiæ damnantes, inter ſeſe colloquebantur, ſi pugna diutius differretur, ſe caſtris deſertis dilapſuros eſſe: vel inuiti in aciem deſcenderent.

*Prodigia Philippicã pugnam antegreſſa.*

Maximum id certamen Romanis citra controuerſiam fuit: ídque oſtenta & Romæ & in Macedonia conſpecta declarant. Nam in vrbe ſol aliàs augeri, alias imminui viſus, aliquando etiam noctu emicuit: faces aliò atque aliò ſaltare viſæ: clangor tubarum, ſonitus armorum, clamores exercituum ex vicinis inter ſe Cæſaris & Antonij ad Tiberim ædibus exauditi. Puer denis manuum digitis natus. Mula monſtrum peperit: anteriori parte equo, cætera mulo ſimile. In Macedonia multæ apes Caſſij caſtra circundederũt: in ſacris luſtralibus, lictor ei coronam inuerſam attulit: in pompa quadam puer auream victoriam geſtans ex lapſu concidit: multi vultures, aliíque carniuori alites caſtra illorum cum horrendo & atroci ſono frequentarunt. Cæſaris verò adoleſcentis medicus, ſe à Minerua admoneri ſomniauit, vt eum ex tabernaculo in aciem deportaret, quamuis grauiter ægrotantem: ídque ei ſaluti fuit, vt ſtatim dicetur.

*Pugna Philippica.*

Ac pugnæ diem non conſtituerunt, ſed velut ex compoſito manè inarmis progreſſi, modeſtè tacitéque acies inſtruxerunt. Deinde congreſſi, magna impreſſione, magna digladiatione & alacritate vtrique, neutri verò receſſu aut perſecutionibus vſi, ſed ſuis quique veſtigiis inſiſtentes vulnerant, vulnerantur: cædunt, cæduntur. Ac Brutus Cæſarianos vicit, Caſſius ab Antonianis victus eſt, caſtris vtrinque captis. Sed neque victi amicorum victoriam, neque victores cladem ſuorum norant. Nam & caſtra multum diſtabant, & immenſo puluere excitato euentum pugnæ ignorabant. Interim tamen & Cæſaris vallum, & Antonij eſt vaſtatum: & quæ in iis erant, capta omnia. Quare niſi Cæſar ſomnio medici paruiſſet, captus in periculo fuiſſet.

*Caßij interitus.*

Caſſius è pugna elapſus, ſua quoque munitione vaſtata, tumulum conſcendit, vnde proſpectus in planiciem patebat: & Brutum quoque victum eſſe ratus, centurionẽ miſit, qui rem exploraret, ſibíque vbi eſſet Brutus, & quid ageret, renunciaret. Sed cum is in Bruti equites incidiſſet qui vt cũ Caſſio ageretur, explorarent, ab iiſque circumdatus porrectis dexteris ſalutaretur: Caſſius accedere hoſtes putãs, ab iiſque captum eſſe cẽturionẽ, à Pindaro liberto ſe occidi iuſſit. Hic illius fuit exitus. Centurio verò reuerſus, eo facinore commotus, moram ſuam increpans, ipſe quoque ſe interfecit. Brutus Caſſij clade atq; interitu cognito, illachrymauit: militum verò illius reliquias & verbis & pecunia data conſolatus eſt. Ceciderũt in ea pugna ex horum exercitu circiter octo milia, ex Antonianis & Cæſarianis amplius quàm bis totidem. quamobrem illi triſtes fuere, priuſquã Demetrius Caſſij miniſter chlamydes & enſem illius attulit. Quibus acceptis ita receperũt animos, vt exercitũ ante diluculum armatum ad pugnã educerẽt. Sed Brutus aciẽ decernere nolens, hoſtes turbare no-

re noctu inſtituit,& aliquãdo fluuio auerſo ma-
gnam partem valli eorum demerſit. Sed quia
nonnullos transfugiſſe cognorat, veritus ne id
malum latius ſerperet, pugnare ſtatuit. & quia
multos captiuos in caſtris habebat, neque ſcie-
bat quo pacto cum eis pugnæ tempore ageret:
ſeruilem turbam occidi iuſſit, ex ingenuis verò
alios apertè dimiſit, alios occultando & dedu-
cendo ob implacabilem ducum iracundiam con
ſeruauit. quamuis hoſtes, ipſius milites quos ce-
perant, occidiſſent. Pridie eius diei quo pugna-
tum eſt, ſpectrum illud Bruto veſperi apparuit,
quod prius etiam, ex Aſia traiiciens, noctu vide-
*Bruti malus genius.*
rat. Id erat huiuſmodi. Alta nocte cum ad ob-
ſcurum ignem lucubraret, cogitans atque me-
ditans aliquid, putauit aliquem tabernaculum
*Prodigia.*
ingredi. Cum ad ingreſſum reſpexiſſet, vidit i-
gnotum hominem horrẽdo & miro aſpectu ta-
citè ſibi aſtare. qui percontanti, quis eſſet, & quid
vellet? reſpõdit, Se malum eius eſſe geniũ, quem
Philippus viſurus eſſet. Cui Brutus intrepidè re-
ſpondit, Se eum viſurum eſſe. Id ſpectrum eo-
dem vultu denuò illi conſpectum eſt, ſed nihil
locutum abiit. Ferunt etiam duas aquilas in eo
ſpacio, quod erat inter vtranque aciem, inter ſe
pugnaſſe: & eam quæ verſus Brutũ erat, ceſſiſſe,
ac fugiſſe. Cum aduerſariis congreſſus, & ipſe
ſuccubuit. Nam legiones cum diutiſſimè reſti-
tiſſent, ceſſerunt. Vnde equitatus quoque forti-
ter dimicans inclinauit. Ibi & Marcus Catonis
filius, inter optimos & fortiſſimos adoleſcentes
collocatus, cum vrgeretur, non ceſſit, neque fu-
git, ſed manu rem gerens, patrio ſuo nomine e-
dito, ſuper magno hoſtium aceruo concidit. ex
cæteris etiam optimi quique Brutum propugnã-
*Lucilij fides in Brutum.*
tes ceciderunt. Lucilius verò vir fortis, cõſpectis
Barbaris equitibus, qui impetu in Brutum fere-
bantur, ipſe Brutum ſe eſſe dixit. eóſque rogauit
vt ad Antonium duceretur, quaſi Cæſarem time-
ret: qui cum præmiſſis nunciis, ab eis abductus,
prope caſtra veniſſet, Antonius dubitabat, quo
pacto Butus excipiendus eſſet. verò, M. Brutum,
„ inquit, Antoni, cepit nemo, neque capiet vllus
„ hoſtis. abſit enim, vt tantum fortunæ in virtutẽ
„ liceat. Verùm ille aut viuens, aut etiam mortuus,
„ vt ipſo dignum eſt, inuenietur. Hanc orationem
miratus Antonius, ductoribus illius ait: Fortaſſe
commilitones impoſturam iniquis fertis animis.
Sed Scitote vos prædam ea quam quæritis me-
liorem cepiſſe. nam cum hoſtem perſequeremi-
*Bruti interitus.*
ni, amicum nobis adduxiſtis. Brutus verò, cum
iam tenebris obortis ad locum quendam ſaltuo-
ſum cum paucis tribunis perueniſſet, oculis in
cœlum ſublatis, hunc Euripidis verſum, vt Plutar
chus ſcribit, pronunciauit.

O dij, ne fallat vos tanti mali caput.

Dion verò hæc eum verba protuliſſe refert:

O virtus miſera,
In verbis ſita inanibus,
Culta mihi vice numinis,
Iniquæ ſortis ſeruula.

„ Cum quidam dixiſſet, fugiendum eſſe, omnino
„ fugiendum eſſe reſpondit, verùm manibus, non
pedibus. Hoc dicto, ſtricto gladio incubuit.
*Portiæ interitus.*
Antonius, cadauer eius inuentum, precioſiſſima
purpura inuoluit. Porcia verò Bruti vxor, Ca-
tonis filia, cum ne ſe occideret cuſtodiretur, pru-
nis de foco deuoratis interiit. De qua Plutarchus
ſcribit, cum ante prioris Cæſaris cædem maritũ
triſtem & perturbatiorem ſolito conſilium ali-
quod inexplicabile animo agitare vidiſſet: non
prius eum de arcanis percontatã eſſe, quàm ſui
ipſius periculũ feciſſet: ſumptóque cultello clàm
profundum vulnus intuliſſe femori, quod paulo
pòſt graues dolores, & periculoſæ febres cõſecu-
tæ ſint, Brutóque ſolicito, in ſummo dolore dixiſ
ſe: Ego tibi Brute data ſum, non vt pellicis inſtar «
victum & lectum duntaxat communem tecum «
haberem, ſed vt fortunæ ſecũdæ aduerſæque ſo- «
cia tibi eſſem. Ac tu quidem talem te maritum «
præbes, de quo nihil queri poſſim. Ego verò quo «
pacto gratum animũ declarabo, ſi neque occultũ «
dolorẽ, neque ſolicitudinẽ quæ fidem poſtulat, «
tecum vnà tulero? Equidem ſcio quàm imbecilla «
ſit natura muliebris ad celanda arcana. Sed re- «
ctæ educationis & honeſtæ conſuetudinis aliquę «
vires ſunt. Mihi verò contigit, vt & Catonis filia, «
& Bruti vxor eſſem. quibus rebus dudum minus «
freta, nunc me à labore inuictam eſſe cognoui. «
His dictis, ei vulnus, cauſa illius expoſita, oſten-
dit. Is verò obſtupefactus, deos precatus eſt, vt re «
bene geſta dignum Porcia maritum ſe præberet. «
Bruto ad hunc modum defuncto, viri clari qui
eum ſecuti fuerant, plerique ſtatim ſemetipſos
aut occiderunt, aut capti perierunt. Cæteri peri-
culo tum fuga ad mare euitato, pòſt ad Sextum
ſe cõtulerunt. Cum Brutus & Caſſius iiſdem en-
ſibus quibus Cæſarem trucidarãt, periiſſent, Cæ-
ſar & Antonius ſtatim ſuſceperũt imperium: illi
Hiſpania & Numidia attributa, huic Gallia & A-
frica: pacti inter ſeſe, ſi Lepidus eam partitionem
iniquo ferret animo, ſe illi Africa ceſſuros. Solas
autem has prouincias diuiſerunt, ꝙ Sardiniam &
Siciliam Sextus obtinebat: cæteræ, præter Italiã,
adhuc in tumultu erant. Proinde Antonius in A-
ſiam ad pacandos eos qui arma contrà tulerant,
& ad pecuniam exigendam, abiit. Cæſar in Italiã
properauit, vt Lepidum, ſi quid mouiſſet, coher-
ceret, & cum Sexto bellum gereret. Sed ex mor-
bo tardius progrediens, Romam venit, peractiſ-
que victoriæ ſolennibus, rerum adminiſtrationẽ
*Cæſaris cum Antonianis diſſentio.*
capeſſit. Lepidus enim præ metu & ſocordia
quieſcebat. Antonij verò vxor Fuluia, & L. Anto
nius conſul, ſuſcepta rerum cura, Cæſari aduerſa-
bantur. Itaque is affinitate repudiata, filiam remi
ſit Fuluiæ: eaque de cauſa, & propter famẽ Ro-
manos premẽtem, animo Cęſar æſtuabat. Nam
mare Siculum à Sexto tenebatur, ſinus Ionius à
Cn. Domitio, qui ex Cæſaris percuſſoribus v-
nus, è pugna Philippica elapſus, claſſe comparata
aduerſarios infeſtabat. Ob eam igitur famem &
aliis de cauſis ſeditone orta inter plebem & mi-
lites, ad manus ventum eſt: vtrinque aliquot vul-
nerati & cæſi, & complures ædes incenſæ. His
rebus territus Cæſar, cum Fuluia & Lucio con-
ſule in gratiam redire ſtuduit. Sed reconcilia-
tione permultos alios & milites fruſtra tentata,
ſenatores miſit: eóſque pactis, quæ cum Antonio
fecerat, expoſitis, controuerſiarum iudices ſum-
pſit. Qui cum nec ipſi quicquam impetraſſent,
rurſus ad milites inclinauit. Hi verò Romam in-
greſſi, vt cum Senatu populóque acturi aliquid:
iis neglectis,



iis neglectis, in Capitolio conuenerunt, & pactis
quæ recitari ſibi iuſſerant, cõfirmatis, ſemetipſos
controuerſiarum iudices conſtituerunt. & Cæſa-
re ad diem ſtatũ cauſam dicere parato, Fuluiam
& Conſulem abſentes vt iniurios condemna-
rũt, Cæſaris cauſa probata. Inde pugna inter diſ-
ſentientes orta, in qua multi ſenatores atq; equi-
tes cæſi ſunt: victoria penes Cæſarem fuit, Lucio
conſule capto, ſed dimiſſo. Fuluia verò cum li-
beris ad Antonium profugit. Cæſar Italia ſuba-
cta, & Ionio ſinu liberato, (nam Domitius, de-
ſperatis rebus, ad Antonium ſe contulerat) con-
tra Sextum ſe parabat. Sed eius potentiam me-
tuens: &, quoniam is per matrem cum Antonio
de pacificatione egerat, ne cum vtroque pugnan
dum eſſet veritus, Sextum vt & potentiorem &
fideliorem Antonio prætulit, miſſa ei matre Mu
tia, & ſoceri eius L. Scribonij Libonis filia du-
cta, eo beneficio & affinitate in amicitiam illius
ſe inſinuare ſtudens. Sextus enim, adempto ſibi
pridem à Cæſare imperio quod tenuerat, claſſe
nitebatur: & quia cædis Cæſaris particeps non
fuerat, ſpẽ fouebat, fore vt ab adoleſcente Cæſa-
re reuocaretur. Vt verò cognouit ſe quoque ob
cædem illius proſcriptum eſſe, deſperato reditũ,
triremibus ædificandis, & transfugis recipiendis
ad bellum ſe parabat. piratis etiam aſcitis, exi-
guóque tempore magnis viribus nitens, Italico
mari potitus, proſpero fortunę flatu Siciliam oc-
cupauit, ibíque aucto exercitu claſſem firmiſſi-
mam comparauit. His igitur de cauſis, & ne cũ
Antonio iniret amicitiam, cum eo redire in gra-
tiam Cæſar deſiderauit. Sed impos voti factus,
*M. Agrippa contra Sextum Põpeiũ mittitur.*
M. Agrippa contra illum miſſo, ipſe in Gallias
abiit. Quo Sextus cognito in Italiam appulit, ex
eáque prædas egit. Cæſar Galliis potitus, Lepidũ
in Africam ablegauit, vt ſibi vni, non etiam An-
tonio gratiam illam deberet. M. verò Antonius
in Aſia partim ipſe, partim per alios pecuniam à
ciuitatibus exigebat, & pręfecturas vendebat. Vt
*M. Antonius Cleopatræ amore fruitur.*
autem Cleopatra in Cilicia viſa, mulieris amore
captus eſt, omnis honeſtatis abiecta cura, Ægy-
ptiæ ſeruiit, in eius gratiam præter alia indecora,
fratribus illius occiſis, denique in Ægyptum di-
*Motus Parthorum.*
ſceſſit. Vnde factum eſt, vt Parthi, qui iam antè
in motu erant, tum magis etiam Romanos ve-
xarẽt, à Labieno irritati. Qui cum à Bruto & Caſ
ſio Parthis auxilio miſſus eſſet, audito eorum in-
teritu apud Barbaros remãſit, ſéque belli ducem
profeſſus, & multas gentes ad defectionem im-
pulſurũ pollicitus: magnis copiis ab Orode Par-
thorum rege acceptis, cum eius filio Pacoro eſt
ablegatus, qui Syriam, Tyro excepta, ſubegit, &
in Palæſtinam impreſſionem fecit. Labienus ve-
rò Ciliciam occupauit, & vrbes Aſiæ mediterra-
neas. Enimuerò Antonius, quamuis & hæc & cæ
tera quæ in Italia gerebãtur, audiret: tamen amo-
re & ebrietate præpeditus, neque ciues, neque ſo
cios curabat, ſed cum Cleopatra & Ægyptiis ge-
nio indulgebat, donec funditùs euerteretur. Ac
vix tandem experrectus, Tyrum nauigauit: ſed
ea per cauſam belli cum Sexto gerendi relicta,
per continentem in Aſiam vſque profectus, in
Græciam tranſiit. Vbi cum matre & vxore con-
greſſus, Cæſare hoſte declarato, cum Sexto pa-
cem fecit. Deindę in Italiam traiecit, vbi quaſdã
vrbes occupauit, quaſdam oppugnauit. Coegit &
Cæſar ſuas copias. Bello inter eos orto, cum tota
*Cæſaris & Antonij reconciliatio.*
Italia, tũ Roma turbata fuit. Interea Fuluiæ mor
te Sycione nunciata, ambo armis poſitis in gra-
tiam redierũt: ac Cæſar Sardiniam, Dalmatiam,
Hiſpaniam & Galliam eſt ſortitus: Antonio cæ-
tera omnia, quæ vltra ſinum Ionium in Europa
& Aſia Romanis patebant, obuenerunt. Libycas
gentes Lepidus, Siciliam Sextus tenuit. Imperiũ
ſic de integro partiri, bellum cum Sexto cõmu-
nibus opibus gerendum decreuerunt. Reconci-
liata gratia, ſe mutuò in caſtris Brunduſinis con-
uiuiis excuperũt, Cęſar Romano & militari mo-
re ſine lauticiis, Antonius Aſiano & Ægyptiaco
luxu. Cum inter ſeſe reconciliati viderẽtur, Cæ-
ſariani circumſteterunt Antonium, ab eo pecu-
niam in pugna Philippica promiſſam flagitãtes:
quam vt affatim afferret, in Aſiam profectus eſ-
ſet. Sed cum nihil daret, malè ab eis tractatus eſ-
ſet, niſi eos Cæſar ampliſſimè pollicendo com-
*Sexti Pompeij reconciliatio.*
peſcuiſſet. Deinde bellum aduerſus Sextũ geren-
dum ſuſceperunt. Sed populus Romanus, cũ ob
illum mari dominantem, fame & multiplicibus
tributis premeretur, indignabatur: neq; ſe conti-
nere poterat, quin vt pacẽ cum eo facerent, po-
ſtularet. Quo nõ impetrato, ad Sextũ defecit, &
magiſtratus lapidib. foro exegit: & Cæſaris atq;
Antonij ſtatuis euerſis, ad ipſos occidendos cõ-
citatus eſt. Quare vel inuiti de pace cũ Sexto age
re ſunt coacti. ac primùm per amicos cum eo tra
ctarunt: deinde ipſi in colloquiũ cõuenerunt, &
his conditionibus pacem fecerunt: Seruos trãſfu
gas libertate donandos, exules (percuſſoribus ex-
ceptis) reuocandos eſſe, & quibuſdã eorũ, tribu-
natus, præturas, & ſacerdotia ſtatim tribuenda.
Ipſum Sextum cõſulem deſignandũ, & augurem
*XV centena & L millia aureor circiter.*
creandum eſſe. De paternis opibus * mille quin-
gentas quinquaginta myriadas drachmarum re-
ſtituendas eſſe: Siciliã, Sardiniã, Achaiam, quin-
quennium tenẽdas, trãsfugas nullos ſuſcipiẽdos,
claſſi nullas naues adiũgẽdas, nulla in Italia præ-
ſidia habenda: ſed & mare pacandũ, & certũ fru-
menti numerum in vrbẽ mittendũ eſſe. Has con
ditiones tabulis inſcriptas apud Veſtales virgi-
nes depoſuerunt, porrectiſque dexteris inter ſe
oſculati ſunt. Inde clamor ingens tam in conti-
nente quàm in nauibus eſt ſublatus, vt & mon-
tes reſonarent. Poſtea cùm alij conuiuia inter ſe
agitauere, tum illi ipſi, ac primùm Sextus in na-
ui, poſtea Cæſar & Antonius in littore. Vbi cum
vtrunque Sextus cum paucis Menæ liberti ſuaſu
occidere potuiſſet, qui, ſi vellet, ſe rudentibus re-
ſectis nauigaturum dicebat: noluit, ſed filiam ſuã
M. Marcello Cæſaris conſobrino deſpondit. Eo
*Antonius Bacchus à Minerua cõiuge 100000 aureorum dotis exigit.*
bello dilato, Antonius ex Italia in Græciam re-
uerſus, longiſſimo tęmpore ibi & genio indul-
ſit, et ciuitates afflixit, vt quàm infirmiſſimę Sex-
to traderentur: & præter alia multa à patriis mo
ribus abhorrentia, ſe Bacchũ iuniorem nomina-
bat, & ab aliis appellari iubebat. Qua de cauſa
cum ei Athenienſes Mineruam deſponderẽt, ac-
cipere ſe conditionem illam dixit, & ab eis dotis
nomine decies centena millia drachmarum exe-
*P. Ventidius Baſſus Parthos vincit.*
git. His rebus occupatus, P. Ventidium in Aſiam
præmiſit: qui Labieni Romanas & Parthicas co-
pias acie vicit. ac Parthi multi ab hoſtibus cæſi

ſunt, plures à ſe inuicem in fuga conculcati, reliqui in Ciliciam fugerunt. Labieno prælium redintegraturo, cum Ventidius milites eius ob fugam Barbarorum minus alacres, noctu aufugere velle ex transfuga cognouiſſet, multos in diſceſſu per inſidias exceptos occidit, cæteros ad ſe attraxit: ac tum quidem Labienus euaſit, ſed pòſt à Demetrio Cæſaris patris liberto, quem tum Antonius in Cyprum miſerat, captus eſt. Ventidius Cilicia recepta, Silonem cum equitibus ad Amanum præmiſit, montem in confinio Ciliciæ & Syriæ ſitum, cuius peranguſti ſunt aditus. Vbi diſcrimen adiiſſet à Parthis, quos Pacorus præſidij cauſa ibi reliquerat, niſi ei pugnanti Ventidius fortuito ſuperuentu opem tuliſſet. Sic etiam Syriam recepit, præter Aradios. Deinde Palæſtina quoque potitus eſt. Appio Claudio & C. Norbano Coſs. multitudo, publicanorum exactionibus onerata, per ſeditionem cum eis, miniſtris & militibus eorũ, vectigalium exigendorum adiutoribus dimicauit.

*Liuia. à l. Druſus Nero Tiberius.*

Cæſar Liuiam, Liuij Druſi filiã, qui poſt pugnam Philippicam ſibi manus attulerat, Neroni nuptam, vxorem duxit. Quæ cum ex priore marito ſextum iam mẽſem ferret vterum, dubitans an ritè nuptiæ fierent, à pontificibus hoc reſponſi tulit: Si cõceptus ambiguus eſſet, eas fuiſſe differendas: ſed cum de eo conſtet, nihil obſtare quo minus fiant. quod haud ſcio an ſic in libris ſuis ſcriptũ inuenerint, an in Cæſaris gratiam ſic pronunciarint. Elocauit autem eam ipſe maritus, tanquã pater. Iam Cæſaris materfamilias Cl. Druſum Neronem parit mulier, quem Cæſar patri miſit. Is longo tempore pòſt moriens, & huic & Tiberio ipſum Cæſarem tutorem reliquit. Interea Cæſar & Sextus, qui non ſponte, ſed coacti inter ſeſe pepigerãt, rupto fœdere bellum geſſerunt: ad quod vltrò propenſi, præbita occaſione, facilè inclinarũt.

*Menæ à Sexto Pompeio defectio*

Menas enim Sexti libertus in Sardinia agẽs, cùm ob alia, tum ob habitos cum Cæſare ſermones ſuſpectus, cũ à Sexto quaſi ad reddẽdam geſtæ prouinciæ rationem accerſeretur, legatis occiſis, inſulam, legiones, claſſem, ſemetipſũ Cæſari tradidit. à quo magnis honoribus ornatus, aureos anulos accepit: quos olim Romę nec libertis, nec liberis, niſi imperator permiſiſſet, geſtare licebat, ſed ſenatoribus & equitibus duntaxat.

*S. Pompeij & Cæſaris bellum.*

Hunc igitur cum dedi ſibi Sextus poſtulaſſet, Cæſar autem nõ dediſſet, viciſſim queſtus, illum & transfugas recipere, & triremes ædificare, & alia præter pacta & cõuenta facere: tum propter Menam, tum ob alia crimina, miſſis militibus Campaniam longè latéque vaſtauit. Quo Cæſar cognito, Lepidum & Antonium accerſiuit. ac Lepidus quidem non ſtatim obtẽperauit: Antonius etſi è Græcia Brũduſium venit, tamen priuſquàm cum Cæſare cõgrederetur, lupi in prætorium ſuum ingreſſu, qui milites aliquot ibi interfecerat, territus, per cauſam belli Parthici quo vrgeretur, in Græciam rediit. Sextus factus alacrior, claſſe Italiam aggreſſus, multas clades & inferebat & accipiebat, in naualibus tamen pugnis ſuperior: vt Cæſar nauibus compluribus tam bello quàm vi tempeſtatũ amiſſis deſperata Sicilia, bene ſecũ agi putaret, ſi oram maritimã tueretur. Qua re Sextus elatior, Italiam vexabat, Apollophane in Africã miſſo. Cæſar & nauibus multis fabricatis, & remigib. à ſenatoribus equitibus & plebeiis corrogatis, & militibus ſcriptis, & pecunia vndiq; coacta, ordinanda Italia & Gallia occupatus, Agrippæ naualem inſtructionem exercendã & exornandã tradidit. Is & nauibus & remigibus in vnum conductis, illas refecit, hos vt in tabulatis remigarent exercuit.

*Albæ gallinæ prodigiũ.*

Quæ dum fierent, Romani & principũ diſcordiis & prodigiis terrebantur, eo potiſſimũ, quòd albam gallinã ramum lauri cum baccis ferentem, aquila correptam in Liuiæ gremium deiecit. id quod ſignum haud exiguum videbatur. Enimuero Liuia gallina curanda, & lauro plantanda, quæ radicibus actis creuit, vtique Cæſaris potentiã gremio cõplectebatur, omnibus in rebus eius domina futura. Interea tẽporis Antoni⁹ ex Syria in Italiã profectus, vt Cæſari parũ feliciter cum Sexto belligerãti opem ferret nõ permanſit: ſed nauibus partim ei datis, partim promiſſis, milites viciſſim accepit. Priuſquam autem ad bellum Parthicum reuerteretur, controuerſia inter eos orta, per Octauiam Cæſaris ſororem composita eſt,

*Octauia.*

quæ cum Antonio poſt Fuluiæ obitum, luctu ob priorem maritum nondum finito, nupſiſſet: ſenatuſcõſulto mulcta illa ſublata eſt. Tum etiã, vt per affinitatẽ arctiore neceſſitudinis vinculo aſtringerentur, Antyllo Cæſar Antonij filio ſuam filiam deſpondit. Hæc temporum cauſa vterque fingebat, & ſimulabat omnia. Sexto autem & Conſulatum & auguratum eripuerunt, ſibíque principatum in aliud quinquennium vẽdicarunt, priore quinquennio iam elapſo. Antonio in Syriam properante, Cæſar bello cum Sexto gerendo, ad quem Menas homo perfidus, ſempérque potentiores colere ſolitus, denuò transfugerat, intentus: primo vere in Siciliam traiecit,

*Menæ perfidia.*

& multitudine ac magnitudine nauium fretus, turribus præſertim quas gerebãt, vnde tanquam de muro ex ſuperiore loco pugnarent, ſpem conceperat inſulæ claſſe occupãdæ. Sed inter eundum grauiſſima tempeſtate cõplures naues amiſit, & Menas in reliquas turbatas inuectus, multas cremauit, nonnullas attraxit. Ac niſi rurſus ad Cæſarem defeciſſet, & claſſem illi ſuam tradidiſſet: tum etiã irrita fuiſſet illius expeditio. Menæ transfugij cauſa fuit, quòd in omnibus ſuſpectũ ſe eſſe videbat Sexto. Sed ne Cæſar quidẽ amplius ei fidem habuit, & claſſe recepta in continentem rediit, peditatum per occaſionem tranſportaturus. Sextus verò eius traiectum Meſſanæ obſeruãs, Democharem in Mylis contra Agrippam, à Cæſare cum nauibus Lipare relictum, in procinctu eſſe iuſſit. Vbi cum diutius cõmorati eſſent, tandem Agrippa cum optimis nauibus ad ſpeculandam hoſtilem claſſem profectus, cum nec omnem conſpexiſſet, & nemo contrà iret, reuerſus, ſe vt poſtridie dimicaturus parauit. Idem & Demochari accidit, qui & ipſe, vt in hoſtem pugnaturus. Sextũ accerſiuit. Diluculo ambæ claſſes productæ, longiſſimo tempore æquo Marte dimicarunt: tandem ſub noctem Cæſariani vicerunt, ſed victos non perſecuti ſunt. Cæſar, cum Sextus propter naualem pugnam Meſſana deceſſiſſet, citra periculũ Taurominium traiecit. Peracto prælio Sextus Meſſanam celeriter reuerſus, cognito Cæſa-

ris



ris traiectu, terra eum aggreſſus eſt: qui claſſis maxima parte amiſſa, propemodum ipſe quoq; periiſſet. ſed tum terra euaſit: ægréq; ferens exercitum in inſula circumuentum eſſe, non prius recepit animum, quàm piſcis ſaltu è mari in terrã facto, ſponte ante pedes eius concidit.

*Piſcis omen.*

Id enim vates interpretabantur, fore vt mari potiretur. Eius verò exercitus cum & obſideretur, & alimenta non haberet, & opem ferret nemo: Cornificius dux eius nauibus è pugna reliquis exuſtis, ipſe quoque ad Mylas abduxit copias, ac in itinere multas clades accepit, in fluminum tranſitu potiſſimum, hoſtibus tergo inhærẽtibus. ídque per triduum durauit: extremóque die cum Sextus etiam adueniſſet, vndique vexati omnes periiſſent, niſi Pompeiani coacti eſſent retrocedere. Agrippa enim nauali pugna victor, Siciliã ingreſſus, exercitui frumentum & auxilia miſit. cuius aduentum metuens Sextus, tanta feſtinatione receſſit, vt impedimenta quædam & commeatum in munitione relinqueret, quo ſuſtentati Cornificiani, vbi ad Agrippam peruenerũt, à Cæſare laudibus & muneribus recreati ſunt.

*Cæſaris & Lepidi diſſenſio.*

Qui cum in Siciliam veniſſet, Sextus ad Artemiſium caſtra poſuit. vbi cum inter ſe velitarentur, Gallus ſuas copias cum Sexto, Lepidus cum Cæſare coniunxit: ac ille quidem Sextum confirmauit, hic autem cum Cæſare contendit. Nam ex æquo cum eo adminiſtrare voluit omnia, Cęſar verò eo pro legato in omnibus vti voluit. quare ad Sextum inclinauit, & clam cum eo verba cõtulit. quo Cæſar animaduerſo, primo quoque tempore priuſquàm aliquid nouaretur, decernere cum Sexto inſtituit.

*Sextus Pompeius claſſe vincitur.*

Cum prælium in mari commiſſum longiſſimo tempore, victoria neutram in partem inclinante, duraret: vtrique pedeſtres exercitus in procinctu terra ſtantes, euentum ſoliciti ſpeculabantur. Sexto tandem profligato, alteri pœanes canebant, alteri lamentabantur: ac Sexti pedites, quaſi & ipſi vnà cum claſſe victi eſſent, Meſſanam tendebant. Cæſar verò victos qui in terram enatabant, excipiebat: & naues quæ terræ allidebantur, incendebat. Interea Demochares ſibi ipſi manus attulit, Apollodorus ad Cæſarem defecit. Idem præter alios & Gallus, & eius equites omnes, & quidem pedites imitati ſunt. Itaq; Sextus, deſperatis rebus, filia cum aliis & pecunia & precioſiſſimis quibuſque rebus firmiſſimis nauibus impoſitis, noctu abiit, perſequente nemine, tum quòd clàm ſoluerat, tum quòd Cæſar pertimuerat.

*Lepidus à Cæſare indidem cogitur*

Lepidus enim Meſſanã aggreſſus, & mœnibus receptus, alia incẽdebat, alia rapiebat. Deinde Cæſaris aduentu territus, caſtris in munitiſſimum tumulũ tranſlatis, cum eo de rebus omnibus in quibus iniuriam ſibi fieri putabat, expoſtulauit, & ea omnia quæ in prima coniuratione ſibi conceſſa eſſent flagitauit, & Siciliam quòd eam ſubegiſſet ſibi vendicauit. Quæ cum per legatos ageret, copiis quas ex Africa adduxerat munitus, & iis qui Meſſanæ relicti erant aſcitis omnibus Cæſar armis fretus cum paucis ad eũ iuit: & quia propter paucitatem comitantium de pace acturus putabatur, in caſtra eſt receptus. Sed cum nihil ad reconciliationẽ loqueretur, Lepidi milites irritati, quoſdam ex eius comitatu occiderunt, ipſe protectus à quibuſdam euaſit. Deinde toto exercitu rurſus adducto, eos in vallo obſedit: cuius expugnationem veriti, Lepidi verecundia vniuerſi ad Cæſarem non defecerunt, ſed paulatim alij poſt alios ad eum tranſierunt. Demum & ipſe Lepidus vltrò ſcilicet pulla veſte ſupplex eum adiit: ademptáque poteſtate in Italia, ſub cuſtodia viuere iuſſus eſt. Eos qui à Sexto ſteterant, Cæſar partim ſupplicio affecit, partim dimiſit. Vrbibus quæ ſponte deditionem fecerunt, veniam dedit: eas quę reſtiterũt, mulctauit.

*Seditio militaris arte ſedata à Cæſare.*

Milites verò per ſeditionem & tumultum congreſſi, quod cuique viſum eſt, poſtularunt. Cum autem à Cæſare negligerẽtur, quaſi nullus hoſtis ſupereſſet, minìſque nihil proficerent: cum indignatione & clamoribus miſſionem flagitarunt, eo pacto ſe quæ peterent impetraturos ſperantes. Cæſar non decere ratus, vt princeps neceſſitate coactus ſubditis cedere videretur: æquum eos poſtulare dixit. ac primùm eos dimiſit, qui ſecum cõtra Antonium militarant: cæteris quoque vrgentibus, eos etiam dimiſit, qui annum decimum militarant. ſéque vllo eorum, vt maximè vellent, vſurum eſſe negauit. Quo audito, nihil amplius locuti, ei parẽre cœperunt. Poſtea Siciliæ rebus cõpoſitis, & vtraque Lybia per legatos citra pugnã recepta: Romani multos ei honores decreuerũt.

*Sextus Pompeius Antonij iuſſu occiditur.*

Sextus verò cum Meſſana ſoluiſſet, hoſtem inſequi, aut à ſuis proditũ iri ſe metuens, pelagus traiecturum eſſe dixit: extinctóque igni quo prætoriæ triremes ſequentibus nauibus prælucent, in Cephaleniam appulit, quò reliquæ quoq; fortefortuna tempeſtate compulſæ ad eum redierunt. Iis igitur conuocatis, imperatoria veſte poſita, cùm alia dixit, tum illud: ſi vnà manerent, ſe latẽre non poſſe: ſin diſpergerentur, facilius effugituros. Inde aliis aliò digreſſis, ipſe in Aſiam traiecit, eo conſilio, vt ad Antonium ſe conferret. Sed cum Leſbi didiciſſet, illũ contra Medos profectum eſſe, Cęſarem verò & Lepidum inter ſeſe pugnare: ſpe concepta principatum Antonij obtinendi, habitum imperatorium reſumpſit, & ita ſe parauit, quaſi tranſmarinas prouincias occupaturus. Quo conatu Antonius cognito, cum ei & impunitatem & beneuolentiam ſuam promiſiſſet, ſi arma poneret: annuit ille quidẽ, ſed nec ea quæ promiſerat præſtitit, & rebus gerendis æquè vt prius intẽtus, per caduceatores Parthorum amicitiam petiit. Sed cum Antonius M. Titium cum claſſe contra eum miſiſſet, territus per legatos ab Antonio veniam orauit. qui cum pacem detrectaſſet, niſi naues eius cæteráſque copias accepiſſet: impedimentis grauioribus in naues coniectis, & ipſis nauibus crematis, in mediterranea ſe contulit. Cęterùm Antonianis perſecutis, viuus in poteſtatem eorum venit. eum Antonius ira percitus ſtatim per literas occidi, pòſt mutata ſententia, cõſeruari iuſſit. Sed cum alter tabellarius priori anteuertiſſet, is qui eum ceperat, literas de eo occidendo poſterius acceptas, ſeu verè poſteriores eſſe ratus, ſeu veritatis ignorantia ſimulata, S. Pompeium necauit.

*Ventidius Baſſus Parthos vincit.*

Eo hunc exitum ſortito, Antonius per Ventidiũ Parthos vicit. nam & rex eorum Pacorus in bello cecidit: & Barbaris partim in prælio cæſis, partim fugatis, Vẽtidius Syriacas vrbes recepit. Deinde An-

*Antonius amoto Ventidio cũ Parthis malè pugnat.*
*Antiochus.*

tiocho Comagenes regi arma intulit. Vbi Antonius ex improuiſo cum eo congreſſus, nõ modò ſucceſſibus eius gratulatus non eſt: ſed etiam ex inuidia magiſtratu ei abrogato, ipſe cum Antiocho congreſſus, Samoſata regem compulit. Sed cum obſidione nihil proficeret, pace facta, in Italiam eſt profectus. Orodes verò Parthorum rex grandis admodum natu ob luctum Pacori abdicato imperio, Phraati è cæteris filiis natu maximo regnum tradidit. qui per ſummũ ſcelus fratres dolo ſuſtulit, ipſúmq; patrem ob cædem illorum indignãtem, & ex cæteris optimos quoſque trucidauit. Antonius legatis ad Parthos de pace miſſis, interim bello ſe parauit, vt eos ob ſpem tranſactionis imparatos aggrederetur. Sed cum Medũ auxilio venire Partho didiciſſet, impedimentis & magna exercitus parte Stratiano relictis, vt ſequeretur: ipſe cum equitibus & expedito peditatu properauit, quaſi Medos ſtatim ſuperaturus eſſet. Cæterum Parthus & Medus Stratianum ſubitò adorti, cũ omni exercitu ceciderunt. Nam Antonius ſuppetias eis laturus, ſerius venit, neque quicquam prẹter cadauera ſuorum inuenit: nec multo pòſt Barbaros profligauit, ſed non multum eis nocuit. Dúmque regiam Medorum obſidet, magis ipſe obſidetur, exercitu penuria commeatus laborante: quem dum ex agris peteret, à Parthis ex inſidiis erumpentibus malè accipiebatur. Hoc Antonij ſtatu Parthus per ſubornatos quoſdam ei perſuaſit, vt pacem peteret: ac legatis poſt multa opprobria reſpondit, ſe alia conditione pacem non facturum, niſi ſtatim caſtra mouerent. Antonio digreſſo, & pacis conditiones expectante, obſidionalibus machinis crematis, & aggeribus diſiectis à Medis: Parthi repentina impreſſione facta, Romanos grauiter afflixerũt. Antonius igitur ſe deceptum eſſe videns, in Armeniam abire ſtatuit: & per loca ignota iter faciens, in tantas difficultates incidit, vt exercitus eius internecione deletus eſſet in inſidias præcipitatus, vbi crebris ſagittis obruebatur, niſi conglobati teſtudinem feciſſent. Ea fit hoc modo. Impedimẽta & velites in medium agmen compelluntur. Armati, qui oblongos & cauos clypeos gerũt, in extrema acie collocati, & hoſti obuerſi armis cæteros tegunt. Qui verò latis clypeis vtuntur, in medio conglobati, eos ſupra ſemetipſos & cæteros ſuſtinent, vt in tota phalange nihil præter clypeos cernatur, & omnes propter aciej denſitatem à telis defendantur: quæ quidem ita condenſata eſt, vt ſuper ea ingredi poſſis. Acies igitur & ob hanc formam, & ob robur, & ob protectionem, teſtudinis nomen accepit. eáque bifariam vtuntur, ſiue caſtella & mœnia oppugnaturi, ſiue à ſagittariis circumuenti. & aliquando ita ſe inclinant, vt fatigati eſſe videantur: ſed hoſtem appropinquantem, ſubitò exurgendo percellunt & turbant. Id quod tum quoque accidit. Cum enim, vt dictum eſt, crebris ſagittis ferirentur, teſtudinem fecerunt, ſiniſtro genu humi nitentes: vnde Barbari eos præ vulneribus concidiſſe rati, poſitis arcub. ſtrictis gladiis ad eos occidendos irruerunt. Verùm milites erecti impetu in illos facto, nudos clypeis tecti, inopinantes parati, ſagittarios armati, Romani Barbaros deleuerunt. Hoſtili me-

*Teſtudo.*

tu liberatus Antonius, à frigore eſt afflictus. Nã hyems erat, & Armeniæ montana ſemper congelata ſunt: vnde complures ſuorum amittebat. Quare Armenio fucum fecit, atque adulatus eſt, quamuis ei infenſus eſſet: & reliquiis exercitus pecunia data, in Ægyptum ad Cleopatram abiit. ob quam à ciuibus peſſimè audiebat, quod & liberos ex ea ſuſcepiſſet, & multas ei prouincias donaſſet. Cuius amoribus & præſtigiis ita irretitus fuit, vt Octauiã vxorem Roma ad ſe venientem, in conſpectum ſuum nõ admiſſam, domum redire iuberet. Cæſar verò, cũ propter hyemem in Sicilia diutius moratus, quaſdam Romanẹ ditionis gentes per abſentiam ſuam defeciſſe cognouiſſet: reuerſus contra illas ſe parauit, atque alias per ſe, alias per alios ad officium reduxit & ſubegit. Deinde cõtra Pannonios eſt profectus. Hi iuxta Dalmatiam ad ipſum Iſtrum incolentes, à Norico vſque ad Europæam Myſiam pertinent homines aſperæ vitæ, vt qui nec terram fertilem, nec aerem clementem habeant, non vinum, nõ oleum colant, ſed hordeo & milio tam in potu quàm cibo vtantur. Habẽtur tamen bellicoſiſſimi, & à Græcis nõnullis ignoratione veri Pæones appellantur. Pæones enim ad Rhodopen & ipſam Macedoniam habitant. Hos autem tum alij, tum ipſi ſeſe Pannonios appellãt. Quos Cæſar crebris præliis tandem ad deditionem compulit. Antonius verò Armenij vlciſcẽdi cupidus, omnem lapidem, vt prouerbio dicitur, mouit, donec in caſtra pellectum comprehendit, & in libera cuſtodia ad ea caſtella circumduxit, vbi theſauri eius repoſiti erant, quibus potiri ſtudebat. Sed cum nihil proficeret (nã Armenij filium eius natu maximum, Artaxem, regem eius loco fecerant) eum compedibus argenteis regij honoris cauſa vinxit, ac totam Armeniã ſubegit: Artaxes verò acie victus, ad Parthos confugit. Antonius legionibus in Armenia relictis, Armenium in Ægyptum cum vxore & liberis adduxit: prædáque donata Cleopatræ, Armenium cum ſuis aureis cathenis vinctum, ad eã adduxit. Illi verò nec ſupplices mulieri facti ſunt, neque eam adorarunt, ſed ſuo nomine compellarũt. Poſt hæc Cleopatram reginam regum appellari iuſſit, & prioris Cæſaris vxorem, filium ipſius germanum Cæſaris filium nominauit: vt Cæſarem tanquam adoptiuum & alienum criminaretur, eíſque prouincias aſſignauit. Suis verò ex Cleopatra filiis Ptolemæo & Alexandro, multa regna attribuit. Quẹ dum ageret, ad Senatum ſcripſit, ſe imperio abiturum, & ſummam rerum ipſi & populo reſtituturum: non quòd ita ſentiret, ſed vt ea ſpe Cæſarem vel ab armis diſcedere cogerent, vel non obtemperantem odiſſent. Vſque ad Araxem progreſſus, vt Parthos oppugnaturus, pactis cum Medo factis acquieuit. Ita enim conuenerat, vt Medus Antonio cõtra Cæſarem, Antonius Medo contra Parthos præſtò eſſet: & milites inter ſe commutarunt. Ac Medus Armeniæ recẽs partæ nonnulla accepit, Antonius Iotapen Medi filiam, quam Alexãdro filio deſponderet. Poſt hæc in Ioniam & Græciã ad Cæſarianum bellum eſt profectus. Medus Romanorum auxiliis munitus, Parthos & Artaxen arma inferentes vicit. Sed cum Antonius ſuos

*Cæſar Pannonios domat.*

*Antonius Armenia dolo potitus, in Ægyptum abit.*

*Initia & occaſiones manifeſti belli inter Cæſarem & Antonium.*

milites



milites reuocaſſet, illius verò retinuiſſet, viciſſim victus & captus eſt. Sic & Armenia & Media perierunt. Romani verò etſi libertatem amiſerant, nõ tamen apertẹ monarchiæ ſubiecti ſunt, priuſquam Sexto interfecto, & ſeditioſis gẽtibus ſubactis, à Partho quoq; ocium fuit. Tum verò Antonio & Cæſare manifeſtè inter ſe bellũ gerentibus popul[9] haud dubia ſeruitute eſt oppreſſus. Belli autẽ cauſæ hæ prætendebantur. Antonius Cæſarẽ accuſabat, quòd Lepidi & Sexti prouincias & copias ſibi vendicaſſet, earúmq; ſemiſſem poſtulabat: necnon eorũ militum, quos ex Italia ad illũ pertinente, in exercitu haberet. Cæſar illũ viciſſim, quòd Ægyptũ priuata autoritate ſibi vẽdicaſſet, & Sextũ occidiſſet, cui ipſe vltrò peperciſſet: & quòd Armenio per fraudẽ capto & vincto, nomini Romano ignominiæ maculã aſperſiſſet, ac manubiarũ ſemiſſem & ipſe poſtulauit. Cleopatrã verò & ſuſceptos ex ea liberos, & donationes eis factas, ante omnia ei obiiciebat. Illud tamen in primis querebatur, quòd Cæſarionem in familiã Cæſaris induceret. Dum ad hunc modũ inuicem expoſtulant, arma diſſimulanter parabant, donec Cn. Domitius & C. Soſſius Antonianæ factionis, Coſſ. ſunt deſignati. Tum verò apertè hoſtes facti ſunt. Cũ enim Soſſius Calẽdis multa in Antonij laudem cũ Cæſaris criminatione diſſeruiſſet: Cæſar per aliam cauſam vrbe exceſſit. Deinde reuerſus, præſidio militum adhibito, modeſtè de ſe ipſo locutus, Soſſium & Antonium acriter accuſauit, ſéque Antoniũ literis prolatis iniuriarũ conuicturũ eſſe affirmauit. Conſules igitur, qui nec contradicere auderent, & tacere nõ poſſent, vrbe relicta, nõ paucis ſenatoribus comitãtibus, ad Antonium ſe cõtulerũt: ac viciſſim alij Antonio relicto ad Cæſarẽ abierunt, infenſi ob Octauiã repudiatam, & Cleopatræ odio. E quibus Cæſar cùm aliis Antonij arcanis cognitus, tum quale & vbi teſtamentũ eius eſſet: id acceptum publicè recitauit, facinus iniquiſſimũ auſus, eáque recitatione etiã addictiſſimos Antonio ſic cõmouit, vt & Conſulatum & omnem poteſtatem ei adimerent: & eius familiaribus impunitatẽ & laudationes decernerent, ſi illũ reliquiſſent: & Cleopatræ bellũ apertè indicerent, quod ad Antonium potius ſpectabat, quem propter illam nihil nõ ſubiturum norant: cui ita ſeruiebat, vt eam & reginã & dominam appellaret, & milites Romanos in cuſtodia habere pateretur, quorũ clypeis Cleopatræ nomen inſcriptum erat. Præterea mulier vnà cũ eo forũ ingrediebatur, ludos vnà curabat, ius vnà dicebat, vnà equitabat. In vrbibus lectica ferebatur, ipſe pedes cũ eunuchis ſequebatur. Vnà & pingebatur, & fingebatur: ac ipſe quidem Bacchus & Oſiris, illa Iſis & Luna vocabatur. quamobrẽ artibus illius mentecaptus putabatur. Neq; verò eum ſolum, ſed & proceres eius eò redegit impoſturis ſuis, vt Romanis quiſque ſe imperaturum ſperaret: & in Capitolio ius dicere, votũ & iuſiurandum maximũ duceret. Antonius verò aliquãdo acinacem accingebat, & peregrina veſte vtebatur. Quòd ſi illi, Romanorum conſuli & duci, crimini dabatur peregrina veſtis: noſtri tẽporis imperatores quis reprehẽſione eximat, qui à patrio veſtitu recedunt, & non interdũ, ſed ſubinde

*Cæſar ſenatum & populum contra Antonium concitat, eius teſtamento recitato.*

barbarica veſte vtuntur? Hoc rerũ ſtatu Cæſar & Antonius ad bellũ ſe parabant, vterq; multis ſociis munitus: ac multa vulgò iactabãtur, & ſigna fiebãt. Nam in ſacrificio quodam ſimius fanum Cereris ingreſſus, cõturbauit omnia. Multi pueri Romæ cõgregati, & in factionem Antonianã & Cæſarianam diuiſi, nemine iubente inter ſeſe decertarunt: & qui Antonij nomen præferebãt, victi ſunt. Eiuſdẽ ſtatua marmorea ſanguine manauit. Ignis fanum Cereris & Spei abſumpſit. acciderunt & alia huius generis, quorum nihil eos terruit. Antonius enim feſtinauit, vt eos inopinantes in Italia opprimeret. Sed cum Corcyram appuliſſet, atq; inde in Peloponeſum nauigaſſet, Patris hybernauit, & milites paſſim diſtribuit: Cæſar verò Brunduſio ſoluens tẽpeſtate fatigatus receſſit. Vere incipiente Antonius ſe nõ cõmouit. nã eius claſſiarij ex diuerſis gentibus collecti, cum procul ab eo hybernarent: neque ſeſe exercebãt, & morbo ac transfugiis minuebãtur. Agrippa quoque Methone impetu capta, nauiũ onerariarũ appulſus obſeruãdo, & in aliis atque aliis Græciæ locis excenſus faciendo, admodum eũ perturbabat. Cæſar verò omnes milites, omnes ſenatores, omnes equites, quorũ aliqua erat autoritas, Brunduſij conuenire iuſſit: alios, vt aliquid adiutarent: alios, ne ſeorſim rebus nouis ſtuderent: vtque oſtenderet, ſe maximæ præſtantiſſimæque partis Romanorum conſenſu niti. cum iíſque Ionio tranſmiſſo, & Corcyra, quam præſidiarij reliquerant, capta, in portu Glyce appulit, qui à dulcedine fluuij in eum influentis nomen habet, inde Actiũ nauigauit. Cum nemo contrà claſſem educeret, neque quicquã vel ad pugnam vel ad deditionem hoſtes prouocanti reſponderent: eum occupauit locũ, in quo nunc eſt Nicopolis, ibíque circa Actiũ terra maríque ſtationes habuit. Nam ipſum Actiũ Antoniani præoccupatum turribus vtrinq; munierant. Antonius aduentu Cæſaris cognito, cum ſuis Actiũ properauit: ſed non ſtatim pugnauit, quamuis à Cæſare modis omnibus laceſſeretur. tumultuariis tamen pugnis per dies cõplures certauit, donec conduxiſſet ſuos exercitus. At Cæſar in Græciã & Macedoniam miſit copias, vt Antonium vel inuitũ illuc petraheret. Agrippa ſubito acceſſu Leucade & nauib. illius loci potitus eſt, Patras cepit, Corinthũ ad deditionem cõpulit. Titus Marcus & Taurus Stratilius, equitatũ Antonij ſubita excurſione ceperũt, & Philadelphũ Paphlagoniæ regem in ſuas partes traduxerunt. Cn. item Domitius & alij ad Cæſarem ſe cõtulerunt. Veritus igitur Antonius, ne ij quos in Macedoniã & Traciam miſiſſet, idem facerent, ad eos properauit. Interea conflictus quidã mari factus eſt: & Cæſariani, pauci numero, ab Antonianis principiò pulſi. Sed fortuito Agrippæ ſuperuentu, qui toti Cæſarianæ claſſi præerat, factum eſt, vt illi non modò nullũ victoriæ fructum caperent, ſed etiã interirẽt. Qua de cauſa reuerſus Antonius, equeſtri certamine cum primis Cæſaris excubiis congreſſus, ſuccubuit. Et quia cõmeatus penuria laborare incipiebat, cõcilio indicto deliberauit, an manendum, & Martis alea periclitanda: an verò aliò abeundum, & bellum ducendum eſſet. Aliis aliud cenſentibus, Cleopatræ ſententia vicit, vt

*Prodigia Actiacum bellum antegreſſa.*

*Actiaci belli apparatus.*

opportuniſſimis locis præſidia imponerentur, cæteri ſecum in Ægyptum nauigarent. Id autem conſilij cepit,tum quòd prodigiis quibaſdã terrebatur, tum quia exercitus deſperationem & morbum timebat: Antonio quoq; terrorem incuſſit. Sed quia neque clàm, neque etiam apertè tanquã fugientes abire volebant,ne ſociis terrorem incuterẽt, ſed tanquam ad pugnã parati nauibus optimis delectis, & quia morbo & trãsfugiis remigum imminutus erat numerus,reliquis crematis,& noctu precioſiſſimis quibuſque reb. clàm illatis,ad nauigandum ſe inſtruxerunt. Antonius milites pro concione ad pugnam incitauit, atq; ita primores omnes familiarium ſuorũ in naues impoſuit, ne quid noui molirentur: vt Dellius & alij transfugæ fecerant. Quàm plurimos etiã funditores, ſagittarios & armatos impoſuit. Triremes enim paucas habebat, cæteræ quadriremes & deciremes erant. Cæſar eorũ inſtructione viſa,cõtra ſe parabat. ſed eorum cõſilio tum ex aliis tum ex Dellio cognito, exercitũ conuocauit:quem dum ad pugnã cohortatur,ingenti imbri & turbine in claſſem Antonij illato, reſumpta fiducia,eorum abitũ obſeruauit. Cúmque Antoniani in procinctu ſtarent, nec tamen prodirẽt:in animo habuit,eos vel ſtantes aggredi,vel repellere. Sed quia neq; prodibant, neque ſe conuertebant,ſed loco non mutato aciẽ condenſabant,aliquantulũ moratus eſt:deinde congreſſi pugnauerunt. Cum diu æquo Marte & ancipiti victoria dimicaretur:Cleopatrę L X naues, ſigno ab ea dato,velis ad diſceſſum elatis pelago ſe commiſerunt. Antonius verò abeuntem Cleo patræ nauẽ conſpicatus,in quinqueremẽ trãſcendit:oblitúſq; rerum omniũ,eam perſequitur,quę ipſum perdiderat,& amplius perditura erat. Illa verò agnitis nauis inſignib[9],ſubſtitit.Ità in illius nauem receptus, & ſolus in proram progreſſus, ſedit tacitus. triduóque ſic exacto, cum Tænarũ veniſſet,à familiarium mulierũ cœtu ad concœnationem & ad concubitũ eſt inuitatus. Eius verò claſſis poſt diſceſſum ipſius cũ ad horam vſq; decimã reſtitiſſet,iuſſu Cæſaris igni iniecto partim cremata eſt partim capta. Dicuntur circiter C C C naues eſſe captæ. Hic naualis pugnæ fuit exitus,I I I I nonas Septẽb. ac tũ Cæſar ſolus rerũ omniũ potiri cœpit,vt ab eo tẽpore imperiũ ei[9] numerari incipiat. In caſtrorũ loco vrbẽ Nicopolim à victoria nomine indito cõdidit, & ſtatuas æreas hominis & aſini collocauit, Fertur enim nocturno tẽpore,pridie ei[9] diei quo nauale præliũ cõmiſſum eſt, tabernaculo ad naues cõtẽplãdas egreſſus in hominẽ agaſonẽ incidiſſe,qui rogatus quis eſſet? reſponderit, ſibi Fortunati eſſe nomen, aſino Victorini. Eæ ſtatuæ pòſt Byzantiũ tranſlatæ,in equeſtri theatro ſteterunt. Pedeſtres aũt & equeſtres Antonij copiæ cũ V I I poſt illius fugã dies permanſiſſent,denique ad victorem tranſiuerunt. Quidam vero,ex Romanis potiſſimùm,ad Antoniũ,ſocij domũ abierunt. Cæſar in Italiã properans,veritus ne quis in ea motus exiſteret,Brunduſiũ cũ veniſſet,non amplius eſt progreſſus. nam ibi eum & ſenatus & ordo equeſter, & plebis maxima pars conuenerunt. Vbi rebus quibuſdam ex ſententia confectis,iterum in Græciam diſceſſit,& nauibus per Iſthmũ

*Cleopatræ & Antonij fuga.*

*Actiaca victoria Monarchiæ Cæſaris initiũ.*

*Eutychus. Nicon.*

Peloponenſem ob tempeſtatem traductis, celeriter in Aſiam tranſiit. At Cleopatra Ægyptum occupare cõtendit, ne qui res nouas molirentur metuẽs. quo cum veniſſet, vndique pecuniam & copias coegit. Antonius in Lybiam nauigauit. Cum autẽ is quoq; exercitus, quem ibi habebat, defeciſſet,ſibi manus afferre voluit: ſed ab amicis prohibitus,Alexandriam venit. Ibi ad pugnã ſe inſtruentes, tamen legatos de pacis conditionibus ad Cæſarem miſerunt. Cleopatra verò, clam Antonio, familiaribus eius pecunias,ipſi Cæſari aureum ſceptrum, eiuſdem materiæ coronam,& ſellam regiam miſit, tanquam vnà cũ his imperium etiam ei traderet. Cæſar muneribus boni ominis cauſa acceptis, Antonio nihil reſpondit: Cleopatræ nunciari iuſſit,ſi Antoniũ vel occidiſſet,vel eieciſſet,ſe impunitatem ei daturum, & regnũ inuiolatum relicturum. Interea ædificatas Cleopatrę in ſinu Arabico naues,Arabes cremauerũt, auxilia populi Dynaſtæque omnes negauerunt. Accepto Cæſaris reſponſo, denuò legatos miſerunt: Cleopatra magnam pecuniam pollicens,Antonius cognationis & amicitiæ eum cõmonefaciens, ſéque ſibi manus allaturum affirmans, ſi ſuus interitus Cleopatræ ſalutem allaturus eſſet. Cæſar verò ne tum quidem Antonio quicquam reſpondit, Cleopatræ verò multa & cõminatus & pollicitus eſt:& quia metuebat,ne mulier ingentẽ pecuniam,quã in monumentũ in regia paratũ intulerat,aboleret (minata enim erat, niſi votorum cõpos fieret, eã ſe vnà ſecum crematurã) Thyrſum libertũ ad eam miſit,qui prętet alia humanitatis plena,illud etiã ei diceret,Cæſarem amore illius eſſe captum. Sic Peluſio potitus eſt,quaſi vrbẽ vi expugnaſſet, cũ reuera prodita eſſet à Cleopatra. Nã quum ſe ab illo amari audiſſet, atque eius deſiderio teneretur,ſtatim ei Peluſiũ dedidit. Antonius igitur abſens,Peluſij occupatione cognita, in reditu ante Alexandriã equitatum Cæſaris itinere fatigatum vicit. Inde receptis animis,& eo fretus,quòd literas ſagittis appenſas in caſtra Cæſaris eiaculatus eſſet,quibus magnã pecuniã militibus pollicebatur:etiã pedites aggreſſus, & victus, ſpe in claſsẽ collata,ita ſe parauit,quaſi aut mari pugnaturus, aut in Hiſpaniã abiturus. Eo Cleopatra cognito, curauit vt naues ad Cæſarem tranſirent,ipſa monumentum repente cum duabus ancillis & vno eunucho ſubiit,quaſi Antoniũ timeret,qui ſe ab ipſa prodi putaret. & ianua diligenter clauſa, ad illum miſit,qui ei nunciarẽt, ipſam eſſe mortuã. Quod cũ crederet Antonius, ſe à quodã occidi iuſſit. Vt verò ille ſtricto gladio ſemetipſum interfecit:Rectè verò,inquit,Eros (id enim homini erat nomẽ, quod Latinis Amorem ſiue Cupidinem ſignificat) quid ſit agendum me doces:illatóque in ventrem ictu, non ſtatim letifero,lectulo incubuit. Tumultu orto, Cleopatra fores non aperuit, ſed ſupernè proſpectans (necdum enim tectum abſolutum erat) eo facinore cognito,illum in monumentum inferri iuſſit. qui cum eam viuere cognouiſſet,vt ad eã portaretur,orauit. Cũ allatus eſſet, cathenis & funibus ab ea & ambabus ancillis attrahebatur. Quẽ vbi cruentatum & moribundũ accepit,veſtes ſuas ſcidit, & pectus manib. plãxit, ac ſe lacerauit. At ille vino poſtulato,

*Antonij & Cleopatræ in Ægypto acta cũ Cæſare.*

*Antonij interitus.*



poſtulato, hauſtóque, nonnulla cũ muliere collocutus,expirauit. Cæſar Antonij morte nũciata, illachrymauit:& literas eius amicis recitans, ſeipſum damnauit,quòd illi æqua & iuſta poſtulãti,arrogãter & ſuperbè reſponſum negaſſet. Proculeium autem ad Cleopatram capiendam,& in vita retinendam miſit: quòd magnæ ſibi gloriæ fore putabat,ſi eam in triumpho duceret. Illa verò intra fores fortiter clauſas ſtans, cum eo collocuta. Cæſar cognito loco in quo eſſet, Gallum miſit qui cũ ea ageret. Quo de induſtria ſermonem ad fores trahente, Proculeius cum duobus miniſtris ſcala per feneſtram clàm ſcandit. Cum verò altera ex vnà incluſis mulieribus exclamaſſet,Miſera Cleopatra viua caperis: pugione quo accincta erat, ſe ferire inſtituit. Sed Proculeius celeriter accurrit, eámque continuit: ereptóque pugione,inquiſiuit,ne quod venenũ occultaret. Cæſar Epaphrodito liberto mandauit,vt eã omni diligentia viuentem aſſeruaret, atque ipſe vrbem ingreſſus eſt. Antonio à Cleopatra magnifico & regio apparatu tumulato, cũ febre laboraret (nam pectus eius exulceratum erat & inflammatũ) inedia ſibi necem cõſciſcere inſtituit. Quo Cæſar animaduerſo,minis & terrore de liberis iniecto, eã veluti machinis admotis expugnauit,vt cibum & curationẽ admitteret,ac paulò pòſt ipſe ad eam alloquendam venit. Illa verò in tenui ſtragulo inſtar pauperculæ decumbens, exiliit:& cũ ad eius genua prouoluta,recumbere iuſſa eſſet,eum voce tremula & oculis fletu confectis aſſidentem perinde orauit,ac ſi vitæ cupidiſſima eſſet, poſtremò pecuniæ deſcriptionem ei obtulit. Cæſar eam vitæ cupidã eſſe ratus, gauiſus eſt:ac ſe omni ſpe illã ſplendidius tractaturum pollicẽdo decepiſſe putãs,ipſe magis eſt deceptus. Cum enim illa cognouiſſet eum terra per Syriam iturũ,ipſam verò poſt triduum Romam miſſurũ: orauit,vt Antonio parẽtare liceret. quo permiſſo, ad monumentũ perlata, magno luctu edito,loculóque coronis & inferiis ornato, balneum ſibi parari iuſſit. Dũ lota accumbit, ſplendidéque prandet:quidã ex agro vas plenum ficubus portãs,à cuſtodib. quid ferret rogatus,oſtenſis ficubus ingredi iuſſus eſt. Poſt prandiũ Cleopatra literas obſignatas Cęſari miſit,quibus orabat,vt cũ Antonio ſepeliretur. Vnde ille ſtatim intellexit,quid actum eſſet,ac rem explorari iuſſit. Qui miſſi erant,cũ properè accurriſſent,mortuam eam in aureo lecto regaliter ornatam inuenerũt,altera eius ancilla Irade ad pedes illius expirante, altera Charmonio ex grauedine capitis iam labaſcente,& diadema Cleopatræ exornante. Cui cum quidã dixiſſet,Pulchra verò iſta ſunt Charmonium? illa,Pulcherrima,inquit,& decora tot regib. oriundæ. His dictis, & ipſa iuxta lectum exanimis concidit. Fertur autẽ Cleopatra morſu aſpidis ſerpentis periiſſe,vnà cum ficubus allata:alij in hydria aſſeruatam tradunt aſpidem, & colu aurea laceſſitam & irritatam eius brachiũ mordicus arripuiſſe. Dicitur & venenum in cultello cauo habuiſſe,quem capillo occultauerit. Dion autem refert,acum qua capillum diſcriminaret, veneno inunctam fuiſſe: cuius veneni ea vis eſſet,vt cum ſanguinem attigiſſet, celerrimè & minima cũ moleſtia exitium afferret. Vtcun-

*Cleopatræ interitus.*

*Controuerſiæ de genere mortis Cleopatræ.*

que ſit,illa periit. veritas ignoratur: niſi quòd in eius brachio duæ vibices tenues & obſcuræ apparuerunt, in corpore nulla veneni indicia ſunt animaduerſa. neque ſerpens ipſe repertus eſt. niſi quòd nonnulli dixerunt, ſe tractus illius quoſdã iuxta mare,quo conclaue aſpectabat,& feneſtræ erant, conſpexiſſe. Cæterum cõiectura fuit, eam aſpidis morſu periiſſe,quòd multa lethalia venena pridem collegerat,eaq; damnatis capitis proponebat. quorum alia mortem celerem cum magno cruciatu afferrẽt,alia mitiora tardiorem. ſolum autem morſum aſpidis obſeruarat, veternũ ſoporiferum cum molli ſudore citra conuulſionem inducere, & ſenſibus hebetatis leuiter extinguere. Cæſar eius interitu audito obſtupuit,& cadaueri remedia & Pſyllos adhibuit. Pſylli autem viri ſunt (nulla enim mulier ea vi prædita eſt) qui quoduis venenũ cuiuſuis ſerpentis,priuſquam is qui morſus aut vulneratus eſt, moritur, exugendo,nec ipſi læduntur, & venenis infecto ſalutem afferunt. Propagantur alij ex aliis,& fœtus explorant,vel in ſerpentes coniectos,vel eorum faſciis ſerpentibus iniectis:qui nec puerum lædunt,& veſtibus illius tecti torpeſcunt. Cæſar igitur Cleopatræ obitu doluit, generoſam eius indolẽ admiratus,eámq; magnificè regalitérque cum Antonio ſepeliri iuſſit. Sunt & ancillæ iuſſu illius honorificam ſepulturã aſſecutæ. obiit Cleopatra annos vnde X L nata, è quibus I I & X X regnauit,amplius X I I I I cum Antonio imperauit. Antonium verò alij I I I,alij V I, & L vixiſſe annos tradunt. Eius ex Fuluia filium Antyllum, & Cleopatræ filiũ Cæſarionẽ, Cæſar interfecit. Cleopatra atque Antonio ad hunc modũ ſublatis, Alexandri regis corpus vidit & attrectauit. Ptolemæorum etiã Alexãdrinis oſtendere volẽtibus,recuſauit: ſe enim regem videre cupiuiſſe, nõ cadauera neq; Apidẽ auide voluit:quòd deos, non boues adorare cõſueuiſſet. Ægyptum tributariam fecit, & pecuniam omnem,quam ibi maximam reperit, ſecum auexit. Rebus in Ægypto ſuo arbitratu ordinatis,per Syriam in Aſiã abiit, ibíq; hybernauit. Romani verò & tum,& prius etiam,Actiacam victoriam adepto plurimos honores decreuerunt. Sub æſtatem in Græciam & Italiã traiecit. Eo Romam ingreſſo, populus ſacrificauit, & cõſul bouem immolauit:quod nulli prius acciderat. Triumphum per triduum egit, pompæ omnes illuſtres fuerunt:tantúmque manubiarum adfuit, vt iis omnibus ſufficerent. Eſt & Cleopatræ ſtatua in lecto traducta, eius brachio aſpide inhærente. Inter alios captiuos, eius quoque liberi:Alexander,qui & Sol:& Cleopatra, quæ & Luna dicebatur, in triumpho ducti ſunt. Poſt omnia Cæſar inuectus,ſpectacula per multos dies edidit. Sub hæc tempora M. Craſſus in Macedoniam,Thraciam & Græciam miſſus, & cum multis gentibus bella gerens, alias vicit, alias in deditione accepit. Eæ gentes olim Myſi & Getæ vocabantur,omnem eum tractum qui intra Hæmum & Iſtrum eſt,incolentes. Progreſſu temporis autem,quædam earum aliis nominibus ſunt appellatæ. Deinde omnia ea quæ Sauus fluuius in Iſtrum influens, ſupra Dalmatiam,Macedoniam & Thraciam à Pannonia diſterminat, Myſiæ appellationẽ ſubierunt. Inter

*Pſylli.*

*Cæſaris Ægypto ſubacta triumphus.*

*Myſi & Getæ à M. Craſſo ſubacti.*

eos, præter alias multas gentes ſunt Triballi & Dardanij. Hæc igitur Romani ſub regib. ac in libera republica, & à potentibus oppreſſa, annis x x v & D C C & geſſerunt, & pertulerunt. Deinceps haud dubiè ſub vnius poteſtatẽ reciderunt.

*Cæſar Mecœnate autore imperium retinet, atq; à S. P. Q. R. retinere cogitur ſcilicet.*

Nam quum Cæſar in animo haberet, armis poſitis, imperium Senatui populóq; reſtituere, ídque cõſiliũ Agrippæ & Mecœnati, quibus arcana ſua credebat, aperuiſſet: Agrippa deponendæ poteſtatis autor ei fuit, Mecœnas contrariũ omnino ſuaſit. Nam cũ longo iam tẽpore rerum potitus eſſet, aut poteſtatem ei retinendam, aut ea poſita pereundũ eſſe affirmabat: quòd qui ſemel imperarint, tutò vitam priuatã agere nullo modo poſſent. longáque oratione monuit, quibus rationibus tutò & iuſtè, atque etiã citra ciuiũ moleſtiã imperare poſſet, hac addita clauſula: Si ea, quæ alio imperante tibi fieri velles, ipſe vltrò feceris aliis, neque peccabis quicquam, & omnia feliciter adminiſtrabis, & ſuauiſſimè nullóque cũ periculo ætatem deges. His cõſiliis auditis, vtroque probato & collaudato, Mecœnatis ſententiã eſt ſecutus: & monarchia nõ depoſita, cognomentũ Imperatoris ſibi aſciuit, non illud quod antiquitùs ob victoriam tribui ſolebat, ſed id quo regia poteſtas ſignificabatur. Anno ſequenti ſextùm cõſul factus, Agrippa collega, quem inſignì honore proſequebatur, deſponſa etiã ſorore Octauia, & princeps ſenatus cognominatus eſt, vt in liberrima ciuitate receptũ fuerat.

*Imperatoris cognomentũ*

In honorẽ Romæ & ciuium tùm alia fecit, tum multos ad egeſtatẽ redactos liberaliter donauit: tum veteres tabulas eorum qui in ærarios relati fuerãt, exuſſit: tum quæ ſub Antonio & Lepido per iniuriã acta fuerãt, vno decreto aboleuit omnia. Quas ob res cum laudibus in cœlũ efferretur, maioris etiã honoris deſiderio imperiũ à volẽtibus accipere deſiderauit, ac ne inuitis imperare videretur, ſubornatis intimis ſuis, ſeptimùm conſul in curia deprecatus eſt imperiũ: & ſumma rerũ optimatib. demãdata, eos rogauit, vt æquo animo ſe priuatam vitã agere paterentur. At ſenatores eius ſententiã partim ſcientes, partim ſuſpicantes, alij arguere nolebãt, alij timebãt. Cum igitur ei credere alij ſingerẽt, alij neceſſe haberent, imperiũ retinere coactus eſt ſcilicet. Quo ad hunc modum à Senatu populóque firmato, omnem Reip. curã in ſe ſuſcepit. Prouincias infirmiores, vt pacatas & imbelles, attribuit ſenatui: firmiores, vt periculoſas & parũ tutas, ipſe retinuit. Id eò pertinebat, vt ſenatus pulcherrimis imperij partib. frui, ipſe labores ſuſtinere videretur: cũ id eius conſiliũ eſſet, vt illi inermes & imbelles eſſẽt, ipſe arma teneret, & milites aleret. Ac ne quid regium præ ſe ferret, in prouincias ſibi attributas imperium ad decẽnium accepit, quãto tẽpore ſe illas pacaturũ pollicebatur.

*Decẽnij celebritas.*

Sed ea nimirum verba erãt. Finito enim decẽnio, quinquẽnniũ: deinde alterũ quinquẽnium, poſt decenniũ: mox alia quinquennia ei decreta ſunt, vt decenniorũ ſucceſſione per omnem ætatem ſolus rerũ potiretur. Vnde factũ eſt, vt imperatores qui illũ ſecuti ſunt, cũ in omnem ætatem crearentur, tamen decimũ quemq; annum feſtũ agerent, imperiũ quaſi renouantes. Tum prẹter multos alios honores, etiã Auguſtus eſt cognominatus. Nã cum Romulus dici cuperet, & tamen ſuſpicionem regni cõcupiti vitaret (Romani enim cũ ipſum regnũ paterentur, nomen regni auerſabãtur) ea quidem appellatione abſtinuit: Auguſtum autẽ ſe appellari noluit, vt humana cõditione maiorẽ. ſic enim ſanctiſſima quæque & ſummæ venerationis dicuntur.

*Auguſti cognomentum, & adminiſtrandi imperij ratio.*

Imperatorũ domiciliũ Palatiũ vocatur, quòd in monte Palatino Cæſar, vt & Fauſtulus Romuli nutricius, habitabat, ibíque prætoriũ habebat. Quamobrem etſi Imperator alibi diuerterit, tamẽ eius hoſpitiũ id nomen obtinet. Omnis autem poteſtas, quẹ Coſs. tribunorũ plebis, cenſorũ, cæterorũ denique omniũ olim fuerat, in Imperatores eſt trãſlata. atque illud etiam eis datũ, vt legibus ſoluti eſſent, nec vllo præſcripto tenerẽtur.

*Poteſtas imperatoris.*

*Exundatio Tiberis.*

Quo die Cæſar Auguſtus cognominatus eſt, noctu magnum prodigiũ extitit. Tiberis enim omnia Romanæ vrbis plana loca ſic inundauit, vt nauigarentur. Quo vates portendi affirmarũt, fore vt vrbẽ amplificaret, & totam in poteſtate ſua haberet. Is verò cùm alia ad Imperiũ pertinẽtia, vt qui volẽtibus imperaret, alacrius adminiſtrauit: tum leges ſanxit, nec tamen ſuapte autoritate omnes, ſed quaſdam ad populũ tulit, vt quæ diſplicerẽt, ea corrigeret: hortãs omnes, vt ſi quid melius ſcirent, monerent. Conſules item & è cæteris magiſtratibus ſingulos, & è ſenatorũ numero x v ad ſemeſtre in cõſiliũ adhibuit, vt per eos omnib. eã cõmunicaret, quæ deliberanda eſſent, interdũ etiã ius cum eis dixit. Nam Senatus etiã per ſe ſuffragia ferebat: legatis quoq; & caduceatoribus reſpondit. Populus quamuis ad Comitia cõueniret, nihil tamẽ gerebatur, quod illi diſpliceret. Magiſtratus partim ipſe deſignauit, partim arbitrio populi deſignãdos permiſit: in id intentus, ne inepti, néve per ambitũ & largitiones aliqui crearẽtur, gẽtes quaſdã per ſemetipſum, partim per alios Romano imperio ſubiecit. At Ægypti prẹtor Ælius Gallus expeditione in Arabiam felicẽ ſuſcepta, etſi ei reſiſtebat nemo, nõ tamen citra ærumnã eſt progreſſus. Nã & ſolitudine, & ſolis ardore, & aqua inſalubri milites grauiter ſunt afflicti, vt maxima pars exercitus ex morbo quo capita exiccabantur, interiret. Is multos ſtatim perimebat. Si qui verò euadebãt, in eorũ pedes, toto reliquo corpore incolumi, deſidebat, cóſque vexabat: nec vllũ erat remediũ aliud, niſi vt oleo vino tẽperato inungerentur. Id verò perpaucis ſuppetebat. nã ea regio neutrũ gignit, neque illi magnã copiã præpararant. In ea lue Barbari quoque, receptis locis quæ amiſerãt, eorum reliquias regione expulerunt.

*Auguſti morbus.*

Auguſtus verò vndecimo cõſulatu ſine vlla ſpe ſalutis ægrotans, vt moriturus teſtamentũ fecit, nec Imperij ſucceſſore vllo relicto. libellũ in quo legiones & publicos reditus perſcripſerat, Piſoni tradidit, Agrippæ anulũ porrexit.

*Anto. Muſa medicus.*

Sed ab Antonio Muſa lotionib. & potionibus frigidis eſt recreatus. qua de cauſa medicus & ab illo & à Senatu pecuniã, & ius aurei anuli, quãuis libertinus, accepit: immunitate & ipſi & medicis omnib. & tũ & in poſterũ data. Ita conſeruatus, teſtamentum in cõciliũ illatum recitari iuſſit, vt oſtenderet, ſe nullũ ſucceſſorem ſcripſiſſe: ſed id à nemine lectum eſt. Anno ſequenti cum peſte & fame per totam Italiam laboraretur, Romani opinantes non aliam eorum



eorum malorum eſſe cauſam, quàm quòd Auguſtus tum quoque conſul non creatus eſſet, Dictatorem eum dicere voluerunt: & Senatum in curia concluſum hoc decernere coegerunt, cúmque orarunt, vt & dictatorem & rei frumentariæ procuratorem ſe dici pateretur. Is verò annonæ curationem ſuſcepit, dictaturam repudiauit: & cum neque diſſuadendo, neque rogãdo quicquá proficeret, veſtem ſuam lacerauit, rectè prudentérque vitato inuiſo & odióſo nomine, cum dignitatem & poteſtatem dictatura ſuperiorẽ obtineret. Quidam, qui inſidias ei compararant, indicta cauſa exilio mulctati, nec multo pòſt vnà cum coniuratis interfecti ſunt.

*Agrippa præfectus vrbis & Iuliæ nuptiæ.*

Deinde cum in Sicilia abeſſet, in comitiis conſularibus ſeditio orta eſt: vt vel ex eo perſpicuum eſſet, Romanos libera repub. incolumes eſſe non poſſe. Ita enim tumultuati ſunt, ita turbarunt omnia, vt Auguſtus à prudentioribus accerſeretur. Id iniquo ferens animo cum neq; Romẹ ſemper vacare poſſet, neque vrbem ſine magiſtratu relinquere auderet: de aliquo, cui ſummam rerum mandaret, deligẽdo deliberauit. Quam ad rem cum aptiſs. Agrippa videretur, & quo maiori eſſet autoritate, dignitatem illius augere vellet: eum coegit, relicta vxore, Iuliam filiam ducere, ac ſtatim Romam & ad nuptias contrahẽdas, & ad magiſtratum ineundum (cùm aliis de cauſis, tum quòd Mecœnas dixerat, eum tantum eſſe factum ab ipſo Cæſare, vt aut generum deligi, aut occidi oporteret) ablegauit.

*Auguſtus prouincias ordinat.*

Agrippa igitur rem Romanam fluctuantem compoſuit, Auguſtus Sicilia ordinata in Græciam traiecit: qua conſtituta, Samum nauigauit. ibíq; hyeme exacta, verno tempore in Aſiam profectus, cum eam prouinciam & Bythiniam ordinaſſet, Cyzicenos in ſeruitutem redegit, quòd Romanos ciues flagris cæſos occiderant. Eodem modo Tyrios & Sydonios, cum in Syriam veniſſet, tractauit.

*Caius Agrippæ & Iuliæ filius.*

Interea Iulia Caium peperit: Auguſtus, vbi certos homines prouinciis præfecit, denuò Sami hybernauit, ibíque multis negociis & plurimis legationibus audiendis occupatus fuit.

*Indi. Tigrides.*

Tum Indi amicitiam cũ eo fecerunt, tigridibus dono datis: quas Romani tum primùm viderunt. Romæ autem denuò tumultuatum eſt ob comitia conſularia, & cædes factæ. Quo cognito Cæſar, quia nullum mali finem fore prouidebat, Romam properè contendit, & ipſe conſulẽ deſignauit. & quia ſe omnes vt procederent obuiam parabant, noctu ingreſſus eſt. atque id tam in egreſſu quàm ingreſſu vrbis ſẹpius fecit, ne cuiquam eſſet grauis. Deinde precibus ab eo impetratum eſt, vt morum magiſtrum & cenſorem in quinquenniũ ſe creari pateretur: conſularem verò dignitatem in omnem ætatem accepit. Cum quidam ob inſidias, quas & ipſi & Agrippæ feciſſent, accuſati eſſent, alios quoſdam ſupplicio affecit: Lepidum autem cùm aliis de cauſis, tum ob inſidias à filio illius ſibi factas inuiſum, non occidit, ſed aliàs aliter ludibrio & cõtemptui habuit.

*Leges de matrimoniis.*

Præter leges alias, illam quoque tulit, vt qui in comitiis ſuffragia corrupiſſent, magiſtratibus quinquennium excluderẽtur. Vitæ cœlibi tam virorum quàm mulierum pœnas, cõiugio & procreationi liberûm præmia propoſuit. & quia plures erant patricij mares quàm fœmellæ, permiſit etiam libertinas ducere ſi qui vellent, ſenatoribus exceptis, corúmque progeniem legitimam eſſe iuſſit. Iam quia nonnulli infantibus ſibi deſponſis, cũ fraudem legi facerent, præmiis coniugum fruebantur: ſanxit, ne qua ſponſalia rata eſſent, niſi poſt biennium nuptiæ celebrarentur: hoc eſt, vt puellæ non minores x annis deſponderentur, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur.

*Caius et Lucius Agrippæ filij ab Auguſto adoptantur.*

Agrippa filium alterum ex Iulia ſuſcepit, Lucium, quem vnà cum Caio Auguſtus adoptatos ſtatim imperij ſucceſſores deſignauit, vt minus inſidiis appeteretur. Cum aliquando Pollionis, hominis locupletis, ſed ſæui & crudelis, cõuiua eſſet, & is pincernam ob calicem cryſtallinum fractum murænis, quas in piſcinis alebat ad deuorandos homines aſſuefactas, obiici iuſſiſſet (id enim ſupplicium ſeruis, quos occidebat, conſtituerat) pœnam pincernæ Cæſar deprecatus eſt. cũ nihil impetraſſet, Pollionem etiã alia eiuſdem materiæ pocula, & ſi qua præterea precioſa haberet, vt eis vteretur, afferri iuſſit, allata cõfregit: Ne propterea, inquit, homines occidantur.

*Pollionis cryſtallina.*

Sic Pollio propter multitudinem confractorum ab Auguſto calicum, vnius oblitus, cum pincernam punire non poſſet, vel inuitus homini pepercit.

*Agrippæ obitus & elogium.*

Agrippa in Campania ex morbo defuncto, Cæſar eò profectus, corpus eius Romam aduexit. eóque in forum allato, orationem recitauit: factóque magnifico funere, oſſa in ſuum monumentum intulit. Agrippæ mors publicum Romanis luctũ attulit. Nam cùm cætera vir ſuæ ætatis optimus fuit, tum Auguſti amicitia ad ipſius & Reipublicæ vtilitatem vſus eſt, ſuámque prudentiam & fortitudinem omnem in res Cæſari vtiliſſimas contulit, omni potentia & honore, quibus ab illo ornatus erat, ad beneficentiam cõuerſa. Quare nec Auguſto grauis, nec cẹteris inuidioſus fuit.

*Tiberius Agrippæ ſuccedit.*

Eo defuncto, cum rerum gerendarum ſocio carere non poſſet, Tiberium vel inuitus aſciuit (nam Agrippæ filij, nepotes ipſius, pueri adhuc erant) ereptáque vxore, Agrippæ ex alia coniuge filia, Iuliam ei deſpõdit. Deinde per eum, & Druſum, & Lucium Piſonem, multas nationes ſubegit. Pecunia à ſenatu & populo ad eius imagines faciendas collata: ſui nullam imaginem erexit, Sed publicæ Salutis, Concordiæ & pacis ſtatuas fecit.

*Statuæ Salutis Concordiæ, Pacis.*

*Strenæ Calend. Ianuarij.*

Primo anni die eum adibant homines, atque alij plus, alij minus offerebant: quibus ipſe duplum aut amplius reddebat, non ſenatoribus duntaxat, ſed aliis etiam.

*Octauiæ obitus.*

Octauiam ſororem tum mortuam publicè propoſuit, & funebrem de ea orationem habuit. Druſus & ſenatus veſtes lugubres induerunt, vt in luctu publico.

*Druſi ſpectrum & obitus.*

Anno ſequẽti Druſus conſul factus, gẽtibus quibuſdam bellum intulit: & cum nonnullis ſubactis vlterius progredi ſtatuiſſet, mulier ei natura humana maior obuia, dicere viſa eſt: Quónã properas Druſe inſatiabilis? Non in fatis eſt, vt iſta omnia videas. Verùm abito: iam enim & vitæ & operum tibi finis inſtat. Inde rediens in morbum incidit, ex quo deceſſit. Eius morbo imperator audito, Tiberium feſtinanter ad eum miſit: qui & ægrotantẽ illum vidit, & mortuum Romã aduectũ in foro propoſuit, atq; in defuncti laudẽ & Auguſtus

*Auguſti moderatio.*

ſtus & Tiberius orationes habuerũt. Inde ad leges ferendas conuerſus, eas ſenatoribus legẽdas dedit,vt ſi quid vel improbarent,vel melius noſſent,dicerent. Adeò enim popularem ſe præbebat,vt cum ex commilitonibus quidam eum aduocatum oraſſet,ipſe verò propter occupationes amicum ſuo loco miſiſſet, idque ille moleſtè ferẽs,dixiſſet: » At ego,quoties tibi auxilio fuit opus, » nõ alium pro me miſi, ſed ipſe pro te diſcrimen » adij: in forum venit, & ipſe ei patrocinatus eſt. Cum quidam,vt per ambitũ & corruptelas » magiſtratus adepti,arguerẽtur: rem neque explora» uit,& diſſimulauit,quòd ea de cauſa neque mulctare quenquam, neque conuictis veniam dare volebat. Principatum, etſi depoſiturum præ ſe ferebat: tamen altero decennio elapſo,inuitus ſcilicet,denuò ſuſcepit,vt Gallis bellum inferret. Cæterùm ipſe domi manſit, & Tiberium contra illos miſit:reuerſum,Imperatorem declarauit,& conſulẽ fecit,& triumpho ornauit. Menſem Sextilem de ſuo nomine Auguſtum appellauit: Mecœnatis obitũ ægrè tulit, qui cùm aliis in rebus ei fuit vtilis,tum ira efferueſcentem placare ſolitus,& ad moderationẽ traducere. Cuius illud argumẽtum eſt. Cum aliquando pro tribunali multos capitis condemnaſſet,Mecœnas per turbã populi ad eum penetrare fruſtra conatus, chartulæ inſcripſit, SVRGE CARNIFEX: eámque in gremium eius coniecit.qua lecta,ſurrexit Cæſar,& ſententias abrogauit,quas tũ pronunciarat.Nam ſe ab amicis caſtigari, adeò non ægrè ferebat,vt gauderet. Mecœnatis porrò virtutem illud declarat maximè,quòd cum cupiditatibus Auguſti refragaretur,nihilominus ei charus erat, & cæteris omnibus placebat. & quamuis tanta eius eſſet autoritas, vt multis honores & magiſtratus largiretur,ipſe in ordine equeſtri omnem ætatem æquo animo exegit. Auguſtus cum Caium & Lucium nepotes, eoſdémq; filios adoptiuos, non ſuos imitari mores videret (nec enim luxurioſius duntaxat,ſed ferocius etiam ſe gerebant) eóſque vt priuatos, modeſtiores reddere ſtatuiſſet: tribunitiam poteſtatem in quinquennium Tiberio decreuit, & Armeniam poſt Tigranis obitum alienatam attribuit. Verùm ea re nihil profecit. nam & pueri cũ ſe negligi putarent,ei ſuccenſebant:& Tiberius illorum iram veritus,in Armeniam nõ abiit, ſed Rhodum eſt profectus. Auguſtus verò anno ſequenti duodecimùm conſul, Caium toga virili data in curiam adductum, principem iuuentutis deſignauit, & præfectum tribus eſſe iuſſit,annóque poſt Lucio eius fratri eoſdem honores dedit. Populo congregato,& quædam corrigi poſtulãte,ea de cauſa tribunis ad Auguſtum miſſis,ipſe venit:& quę petebant, vnà cum eis conſiderauit. qua re omnes ſunt delectati. Iuliam filiam, laſciuiam eius ægerrimè ferẽs, in inſulam relegauit:cum eaque mater Scribonia vltrò in exilium abiit. Ex amatoribus eius Iuliũ Antonium, & alios claros viros vt regnum affectantes interfecit, cæteros in inſulas relegauit.Cum Armenij defeciſſent, & à Parthis iuuarentur:ea re dolens,quid ageret ambigebat.Nec enim ipſe propter ſenectutem bellum gerere poterat: & Tiberius, vt dictum eſt, iam ſeceſſerat, nec alium ex potentioribus mit-

*Tiberius Imperator deſignatur.*

*Sextilis Auguſtus.*

*Mecœnatis obitus et laudes.*

*Armenia Tiberio & tribunatus datus.*

*C. et Lucius principes iuuentutis.*

*Iuliæ relegatio.*

tere audebat. Caius verò & Lucius adoleſcentes, & rerum imperij erant. Verùm vrgente neceſſitate, Caium delegit, poteſtate proconſulari & vxore data,vt ea quoque re dignitas eius augeretur,& conſiliariis adiunctis.Is iter ingreſſus, ab omnibus vt Imperatoris nepos, ac potiùs filius, honorificè exceptus eſt. Tiberius etiam Chium traiecit,& adoleſcentem coluit, purgando ſuſpiciones,& ſummiſſe humiliterq; ſe gerẽdo. Cum in Syriam veniſſet,& nihil præclari geſſiſſet,vulnus accepit. Addo enim, qui Artagira tenebat, eum ad mœnia pellectum, tanquam arcani aliquid dicturus,vulnerauit. ac is quidẽ vrbe expugnata captus eſt.Caius autem,& iam alioqui parum firma valetudine,& diſſolutiore ingenio,ex vulnere ægrotauit:& multo hebetior factus,poſtulauit, vt priuatam ſibi vitam liceret agere. Id Auguſtus ægerrimè ferens,eum hortatus eſt, vt in Italiam reuerſus, quod vellet ageret.Ille verò naue oneraria in Lyciam aduectus obiit, Lucio fratre eius repentino morbo prius extincto. Vnde Liuia & Tiberius non multo ante Rhodo reuerſus ſuſpitione non caruerunt. Nam cum & ipſe diuinationis ex ſideribus peritiſſimus eſſet, & Thraſyllum virum in aſtrologia ſummum ſecum haberet: quid & ſibi & illis euenturum eſſet,præſciebat.Illud certè quidem fertur: cũ aliquando Rhodi Thraſyllum de muro præcipitare in animo haberet, vt ſolum cogitationũ ſuarum conſcium, & eum triſtem vidiſſet, triſtitiæ cauſam rogaſſe.qui cum reſpondiſſet, magnum ſibi periculum imminere: Tiberium admiratione ſcientiæ,& propter ſpem principatus apud ſe retinuiſſe. Sed hæc hactenus. Auguſtus verò quũ domini appellationem à populo Romano ſibi tributam,edicto repudiaſſet:& indigentibus decies quinquies centena millia drachmarum ſine vſura in triennium mutuaſſet: ab omnibus laudabatur & celebrabatur. Valent autem apud Romanos quindenæ drachmæ vnum aureum nummum:apud Græcos autem vicenis drachmis aureum nummũ permutari,ſcribit Dion. Poſt hæc Gallico bello orto,cũ ob corpus & ſenio & morbo feſſum,ipſe ducere exercitum non poſſet,Tiberium partim ipſis rebus vrgentibus,partim Iuliæ impulſu (iam enim ab exilio reuocata erat) adoptatum,contra Gallos miſit. Veritus autem, ne is per ſuperbiam noui aliquid moliretur, etiã Germanicũ Druſi filium adoptauit.Hæc agenti, alij,tum Cn. Cornelius Pompeij Magni ex filia nepos,ſunt inſidiati. Quos cum nec occidere vellet (neque enim ſecuritati ſuæ interitu illorum quicquam conſuli videbat) nec abſoluere auderet,ne plurium ea lenitate contra ſe audacia confirmaretur:neque interdiu ſecurus, neq; noctu quietus eſſe poterat. Quæ cùm Liuia videret, rogabat,qua de cauſa noctu non dormiret? Cui ille:Quiſnam,inquit,mulier, inter tot hoſtes vel « minimam capiat quietem, & in tam frequenti« bus inſidiis? Tum illa, multis ea de re verbis fa« ctis, denique conſuluit: ne quem inſidiatorem « occideret, ſed alio quouis modo eos caſtigaret, « ne quid eiuſmodi deinceps conarentur,venia in « primis & benefaciendo. Nunquàm enim, in« quit, gladius cuiquàm ſui amorẽ perſuadere, aut « extorquere potuit:ſed eũ qui punitur perdit,cæterorum

*Caij & Lucij obitus.*

*Thraſyllus Tiberij aſtrologus.*

*XV,aut XX drachmæ vnum aureum nummũ conficiunt.*

*Tiberij & Druſi adoptio.*

*Inſidiatores clementia et liberalitate victi.*



» terorum animos ab eo qui pœnas ſumit,alienat. » Neq; enim profectò ob aliorum ſupplicia ama» re incipiunt, ſed oderunt magis ob metum ſibi » quoque impendentem.Hæc & id genus alia diſſerenti Liuiæ obtemperauit Auguſtus, & reos omnes verbis caſtigatos dimiſit:Corneliũ etiam conſulem deſignauit. Cum ſuperſtiti ex Iulia filia & Agrippa nepoti,quem Agrippam nominauit, togam virilem dediſſet: Tiberius rem bellicam adminiſtrans, Romam crebrò venit, metuens, ne ſibi Auguſtus per abſentiam ſuam aliũ anteferret.ſed Dacis,Sauromatis, aliiſque Pannonicis gentibus concitatis, ex Galliis ad eas rediit: eodémque Auguſtus Germanicum miſit, quum fortaſſe Tiberius eas celeriter vincere poſſet,ac tẽpus de induſtria tereret, vt propter bellum in armis eſſet. Miſit autem Germanicum, quòd Agrippa propter pertinacem morum improbitatem abdicato, eius pecunia in ærarium relata militare, ipſe in inſulam relegatus erat. Eas gentes Romani poſt multas clades illatas, nec pauciores acceptas, tandem partim ad deditionem compulerunt, partim acie vicerunt. Tiberius Romam reuerſus ab Auguſto in Dalmatiam contra quoſdam tumultuantes miſſus eſt: quos ægrè ille quidem,& cum periculo,ſed vicit tamen. vicit Germanicus alios. Bello ſic confecto,nuncius ex Germania alatus,obſtitit quo minus triumpharetur.Nam in Gallia nõnullas eius partes Romani occuparant,non eodem ſitas loco, ſed ſparſim pro tempore ſubactas.Erant in ea legiones,& vrbes condebantur,& barbari ad Romanos mores & ciuilitatem traducebantur. Qui dum paulatim & ratione quadam à patriis inſtitutis auocabantur, vitæ mutationem haud iniquis animis patiebantur. Sed quum Quintilius Varus Germaniæ præpoſitus, eos ſubitò ac penitus ab inueterata conſuetudine auellere aggrederetur, ſuperbèque & auarè vt mãcipiis imperitaret,ferre non potuerunt:ſed eum receptũ, tanquam imperata facturi, data fide ſe citra milites vltrò ſeruituros:longè à Rheno abduxerũt. Qui cum eis crederet,neque milites, vt in hoſtili agro,coniunctos haberet,& alios aliò dimiſiſſet:ſecuro illo, nec vllum periculum metuente, conſurgunt,& occiſis qui apud ipſos erant militibus,illum cum ſuis legionibus in denſis & impeditis ſyluis verſantem,ex improuiſo pro notitia locorũ,quà minimè patebat exitus, circumuenerunt, ac ſæpiſſimè Romanos plurimum afflixerũt.Qui cum tandem multos ſuorum amiſiſſent,barbaris verò ſubinde ex popularibus nouæ vires accederẽt: facilius circundati cædebantur. Itaque Varus & præcipui quique vulnerati, metuentes ne viui in hoſtium poteſtatem venirent, vltrò ſibi necem conſciuerunt. Quo cæteri cognito,partim ducem imitati ſunt,partim abiectis armis cuiuis ſe iugulandos præbuerunt. Eos igitur Barbari impunè occiderunt: & munitionibus omnibus, vna excepta, ſunt potiti.quam dum oppugnant, neque Rhenum traiecerunt, neque in Galliam impreſſionem fecerunt, ac ne caſtellum quidem illud expugnare potuerunt ex obſidionum imperitia, & ſagittariorum quibus Romani vtebantur,multitudine:à quibus repellebantur,& plurimi occidebantur. Deinde cum

*Agrippa filius Agrippæ relegatus*

*Quintilij Vari clades in Germania.*

præſidiis Rhenum teneri,& Tiberium cum magnis copiis aduentare audiuiſſent, plerique à caſtello receſſerũt.Reliqui, ne ſubitis hoſtium excurſionibus infeſtarentur, longius digreſſi, vias obſederunt, vt penuria commeatus eos expugnarent.Romani verò dum cibaria ſuppetebãt, expectatione auxilij,obſidionem tolerabãt. Sed cum nemo opem ferret,& fame vrgerẽtur,tempeſtuoſa nocte captata egreſſi (erant autem pauci milites, multi inermes) primas ac ſecundas barbarorum excubias fefellerunt: apud tertias demum deprehenſi, omnes aut cæſi aut capti eſſent,niſi barbari ad direptionem prædæ conuerſi eſſent, & tubicines incitato clangore opinionem illis attuliſſent, quaſi auxilia veniſſent obſeſſis, quæ tandem reuera aduenerunt. Tiberius autem Rhenum ſibi tranſeundum non cenſuit, ſed quietus ſe continuit,obſeruans,an id barbari facturi eſſent. Verùm nec illi, præſentia eius cognita, tranſire auſi fuerunt. Poſt hæc ipſe & Germanicus in Celticã impreſſione facta, quaſdam eius partes incurſarunt: neque tamen vel prælio vicerunt, vel gentem aliquam ſubegerũt, propterea quòd nemo ad manus veniebat: nec ipſi à Rheno longè proceſſerũt, veriti ne denuò cladem acciperent, ſed ibi vſque in autumnum commorati, domum redierunt. Auguſtus verò cum in Imperio admodum ſenuiſſet: Germanicum ante præturam conſulatu functum ſenatui, ſenatum Tiberio commandauit.Ludis Circenſibus,natali eius,homo quidam inſanus ſellam Iulio Cæſari dedicatam occupauit, illiúſque coronam ſuo capiti impoſuit.Id turbauit omnes, Auguſto ſiniſtri aliquid portendi exiſtimantes. Eòdem prodigia complura acceſſerunt.Nam & ſol totus defecit,& cælum latè ardere viſum,& ſtellæ crinitæ ſanguineo colore apparuerunt. Indictóque propter morbum eius ſenatu,vt pro ſalute eius vota nuncuparentur,curia clauſa eſt inuenta:& fulmen in ſtatuam eius delatum, primã literam nominis Cæſaris deleuit. Hæc eo adhuc ſuperſtite acciderunt.Ipſe verò Nolæ ex morbo deceſſit,decimoquarto calẽd. Septemb. LXX & ſexto ætatis anno, diebus IIII & XXX minus: imperij poſt Actiacam victoriam IIII & LX. De eius morte ſuſpecta fuit Liuia, quòd Auguſtus ad Agrippam in inſulam, in qua cum matre Iulia exulabat,clàm traiecerat. Verita enim, ne reconciliata gratia, eum ab exilio reuocatum Imperatorem deſignaret: ficus quaſdam adhuc in arboribus pendentes,vnde eas ipſe decerpere ſolebat, infeciſſe dicitur: ac ſalubres ipſa ediſſe, venenatas illi reliquiſſe. Siue igitur ea, ſiue alia de cauſa morbo affectus, amicos conuocauit, « & quæ voluerat collocutus, denique dixit: Vr« bem latericiam reperi, marmoream vobis re« linquo. quibus verbis ſtabilitum eſſe à ſe Impe« rium innuebat. Mortem eius Liuia non ſtatim aperuit, verita, ne quid abſente in Dalmatia Tiberio nouaretur, ſed in eius vſque reditum celauit. Cadauere Romam perlato, Druſus teſtamentum eius à Veſtalibus virginibus, quæ id aſſeruabant,acceptum in curiam attulit. id ſigillis ab iis qui ea impreſſerant recognitis, audiente ſenatu recitatũ eſt. Sunt & quatuor eius libelli in curiam allati:quorum vnus ſepulturæ rationem præſc

*Prodigia, quæ obitum Auguſti conſecutus eſt.*

*Liuia veneficij ſuſpecta.*

præſcribebat,alter acta eius continebat. In tertio milites,reditus & impenſas publicas perſcripſerat, & pecuniæ numerum quæ in theſauris eſſet. Quartus mandata ad Tiberium & populum continebat.His lectis,funus elatum eſt,orationes funebres à Druſo & Tiberio habitæ. Deinde corpus eius crematum eſt : ac tum non multi pòſt omnes luxerunt,recordati, eum omnibus acceſſu facilem, multis pecuniam ſuppeditaſſe,amicis ſummum honorem habuiſſe, gratias egiſſe iis à quibus ipſius errata corrigerentur:vt & Athenodoro viro ſapiēti, tali de cauſa.

*Athenodorus Auguſtum ab adulteriis deterret.*

Pronus erat in Venerem, & mulieres ad eum quas volebat,in tectis lecticis allatæ, in eius thalamum adducebantur,quibus ad libidinem abutebatur.Igitur aliquādo mulierem, cuius amore captus erat, accerſiuit.cuius maritum Athenodorus pro familiaritate inuiſurus, cum & ipſum & vxorem indignantes inueniſſet (nec enim reſiſtere poterant) mœroris cauſa cognita,eos tranquillo animo eſſe iuſſit. Se enim ipſum Auguſtū acceſſurum,& eius impetum repreſſurum. Allata lectica,Athenodorus gladio accepto pro muliere,inſcendit.eáque diligenter tegi iuſſa,ad Auguſti thalamum eſt perlatus.Qui cum illam aperuiſſet,ille ſtricto gladio exiliēs:Itáne,inquit,nō times,ne te aliquis ſic ingreſſus occidat? Id factū Auguſtus non modò non ægrè tulit, nec Athenodorū obiurgauit:ſed & gratias ei egit, & modeſtior factus eſt.Eum igitur, cùm ob hæc, tum ob alia plura, & quòd Tiberiū ſucceſſorem eius, alium ſunt experti, deſiderarunt.

### *QVANDO NOSTER DOMINVS Ieſus Chriſtus carnem aſſumpſerit.*

*Chriſtus anno Auguſti vel XXIX, vel XLII natus.*

ANno Imperij Auguſti XLII, homo factus & natus eſt Dominus noſter & Deus Ieſus Chriſtus,autore Euſebio Pamphilo, qui eum in Eccleſiaſtica hiſtoria LVII annos ſolum rerum potitum eſſe refert, cum alij XLIIII duntaxat numerent. Verùm diſſenſio inde exiſtit, quòd alij ab Actiaca demum victoria numerare incipiunt, quo tempore verè imperare cœpit, Romanorum legionum ſolus factus dominus. Euſebius verò id quoque tempus annumerat, quo cum Antonio geſſit imperium: quòd tum quoque, illo in Ægypto ocium agente,& amoribus Cleopatræ ſeruiēte,quæ illi cauſa interitus fuit,æquè fecerit quæ voluerit.Sic igitur anno XLII imperij Cæſaris, narrauit Euſebius, Chriſtum ſecundum carnem eſſe natum. Nam ſi imperij eius annos XLIIII ſtatuamus, aduentus & natiuitas Domini & Seruatoris noſtri, non in annum XLII, ſed in nonum & XX cadit.Vt enim D.Lucas Euangeliſta narrat,Ioannes Chriſtum annò XV imperij Tiberij baptizauit:quo tempore annos,eodem autore,Chriſtus XXX natus fuit. vt iam XV anni de XXX ex imperio Tiberij,XV reliqui de XLIIII annis Auguſti ſumantur. Vnde conſtat, de iis reſtare annos XXIX. Proinde anno vigeſimonono confirmati imperij Cæſaris Auguſti, ſecundum carnem,ex ſemper virgine, & ſancta Maria Deipara natum eſſe Dominum deprehenditur.

### Imperium Tiberij.

*Tiberij ſubdolum ingenium.*

AVguſto ad hūc modum, quo expoſitum eſt, defuncto, imperium Tiberius ſuſcepit, ex gente patricia, literis eruditus, ſed ingenio perquàm vario, aliud loqui aliud ſentire ſolitus,pectore à lingua diſſentiente : cum nō iraſcebatur, iram ſimulans : cum commotus erat, lenitatem præ ſe ferens:inimiciſſimum ita intuens vt amiciſſimum:& amiciſſimum,vt alieniſſimum. Neque enim principis animum aliis eſſe cognitum oportere arbitrabatur.Proinde ſiue aduerſarere, ſiue aſſentirere illius orationi,odium incurreres. Ac ad legiones & omnes gentes ſtatim vt Imperator legatos miſit,diſſimulato Imperatoris nomine, quod vnà cum cæteris ſibi decretum repudiauit. & cum totum imperium adminiſtraret, nihil ſibi opus eſſe dixit imperio : eóque ſeceſſurum eſſe,tum propter ætatem (annos enim VI & L natus erat) tum propter aciem oculorū obtuſiorem, iactauit.Nam in tenebris plurimū, in luce minimum cernebat.Deinde ſocios & collegas imperij poſtulauit.Hæc,quamuis neutrum in animo haberet, partim propter occultum ingenium, partim ob Germanicas & Pannonicas legiones quas ſuſpectas habebat, & Germanici metu faciebat,qui tum Germanię præſes,charus erat militibus. His igitur de cauſis, nihil apertè pro imperio faciebat, ſed & morbum ſimulans domi ſe continebat,& moras nectebat,vt nouarum rerum cupidi, ſperantes eum vltrò depoſiturum imperium,quieſcerent, donec principatū ab omni parte firmaſſet. Tum verò Agrippam Auguſti ex Iulia nepotem,Agrippæ filium,occidi iuſſit. Germanicum verò admodum timuit.

*Pannonicarum & Germanicarū legionum tumultus.*

Sunt & Pannonicæ legiones cōtra ſuum ducem tumultuatæ. Sed audacioribus & ſeditionis primis autoribus ſupplicio affectis, cæteri quieuerunt.Germanicæ verò legiones Tiberio maledixerunt,& Germanicum imperatorem ſalutarūt. Qui cum gladium ſtrinxiſſet, quaſi ſeipſum occiſurus,miles quidam ſuo enſe ſublato:Hunc,inquit,cape tuo acutiorem.Itaque à ſui cæde abſtinuit, ne magis tumultuarentur:ſed confictis ſub Tiberij nomine literis, quibus illis munera & alia quædam promittebantur, tum ſeditionem compeſcuit.Deinde legatis à Tiberio miſſis,Germanici artificio cognito, ſuſpicati illos adeſſe vt eius promiſſa tollerent : denuò tumultuati ſunt, & contra legatos concitati, & Germanici vxorē Agrippinam,Agrippæ & Iuliæ filiam, & filium eius Caium comprehenderunt : ac vxorem prægnantem ei reſtituerunt,filio retento.Verùm cū nihil proficerent,& ipſi quieuerunt. Sic ille imperium cum occupare poſſet,aſpernatus eſt. qua de cauſa palàm eum Tiberius apud ſenatum laudabat:ſed apud ſeſe admodum ſuſpectum habebat,& vt munitum legionibus metuebat. Cæterùm cum nullæ amplius turbæ nunciarentur, omiſſa diſſimulatione, principatum admiſit.

*Tiberij moderatio viuēte Germanico.*

Ac quandiu Germanicus ſuperſtes fuit, nihil ſuapte autoritate egit,ſed ad ſenatum retulit omnia,neque ab vllo niſi à militibus Imperatorem ſe appellari voluit. Cæſar tantum & Germanicus, & princeps ſenatus nominabatur : & vt tantiſper & viueret & imperaret optabat, dum prodeſſet Reipublicæ.In rebus omnibus popularis eſſe ſtudebat:



debat : & pauciſſima in ſemetipſum inſumens, magnos ſumptus publicè faciebat.Ruinoſa ædificia inſtaurabat & adornabat,primorum conditorum nominibus inſcriptis,ciuitatibus & priuatis hominibus opem ferebat, & multos ordinis ſenatorij ad egeſtatem redactos locupletabat: eæque largitiones ſtatim ipſo vidente numerabantur,ne quid inde,vt ſub Auguſto factum meminerat, per diſpenſatores ſubtraheretur. Pecuniæ cauſa neminem occidebat,neque bona tum cuiuſquam publicabat, neque vltra conſtitutum quicquam exigebat.Æmylio certè,qui plus pecuniæ quàm ordinatum erat, miſerat, reſcripſit, ſe oues ſuas tonderi velle,nō deglubi.Erat & aditu facilis, & affabilis:magiſtratus tanquam in libera ciuitate colebat,Conſulibus aſſurgebat : amicorum conſuetudine, æquè vt priuatus fecerat, vtebatur: ægrotantes inuiſebat, nullo ſatellitum comitatu.& quodam ex eis defuncto,funebrem orationē ipſe recitauit. matrē Liuiā erga omnes eodem ſe gerere modo iuſſit. Illa verò magnum faſtum præ ſe ferens, in Tiberij epiſtolis ad tempus aſſcribebatur,atque adeò pro imperio ſe gerebat,vt non ex eo cum illo imperare,ſed meliore cōditione eſſe vellet:ſe illum feciſſe Imperatorem glorians.quòd Tiberius principiò ægrè tulit,deinde eam à reipub. adminiſtrationib. remotā,domeſtica negocia curare ſiuit.Vt verò in iis etiā moleſta erat,peregrè abiit, vt ab ea abeſſet.Ad tēpus modeſtiſſimè vixit, & aliorum immodeſtiā pœnis cohercuit.Druſum quoque filiū ex priore vxore Agrippina ſuſceptum, ob crudelitatem & laſciuiam obiurgauit, & odio habuit. cui aliquando dixit:Me viuo neque per vim,neq; per contumeliā quicquam feceris.Sin feceris,ne defuncto quidem me facturus es.Hæc& his ſimilia,quādiu Germanicus in viuis fuit,egit.Poſt illius obitū multa ex his immutauit.

*Nuncius ad inferos miſſus.*

Nam quū populo Auguſti legata nondum data eſſent,& quidam mortuo qui per forum ferebatur in aurem aliquid inſuſurraſſet,ac rogatus quid dixiſſet, reſpondiſſet:ſe ei mādaſſe vt Auguſto diceret,

*Luctus ſuperuacaneus.*

populum Romanum nōdum quicquam accepiſſe: occidit hominem.hoc addito ioco, vt id ipſe illi nunciaret:cæteris verò legata diſtribuit. Nepote ex Druſo filio mortuo, nulla re conſueta abſtinuit, negans propter mortuos viuentium officia eſſe deſerenda.

*Clemēs Pſeudagrippa.*

Clemens quidam, qui Agrippæ ſeruus fuerat,hero ſimilis,ſe Agrippam eſſe ſimulans,in Gallia & Italia multos ſibi aſciuit:ac tandem Romam contendit, ad auitum imperiū recipiendum. Quem cum per quoſdā ſe illius eſſe factionis ſimulantes ſubegiſſet,ac quæſtiones de eo habuiſſet,vt conſcios proderet:illo neminem nominante,rogauit,quo pacto Agrippa factus eſſet?reſpondit homo,Eodem planè modo quo tu Cæſar.

*Iuliæ interitus.*

Vxorem Iuliam à patre Auguſto ob laſciuiam in exiliū miſſam,adeò non reuocauit, vt etiam incluſerit,vt præ ærumna & fame interiret. Quibuſdam poſtulantibus vt menſem Nouembrē,cuius die XVI natus eſſet,à ſe Tiberiū appellaret:Et quid,inquit,facietis,ſi XIII Cęſares fuerint?

*Germanici obitus.*

Interea Germanicus obiit Antiochiæ incantamentis & veneficio Piſonis. Nam & oſſa mortuorum,in quibus habitabat ædibus,defoſſa reperta ſunt:& plumbeæ laminæ, in quibus deuotiones cum nomine eius inſcriptæ erant. Veneno autem ſublatum eſſe, corpus eius oſtendit in forum perlatum,& populo oſtenſum. Eius obitu Tiberius & Liuia gauiſi ſunt, alij vehementiſſimè doluerunt. Nam & corpore pulcherrimo,& animo optimo præditus fuit,& eruditione & militari fortitudine inſignis: humaniſſimū ſubditis ſuis ſe præbuit. & cum eius, vt Cæſaris, magnæ opes eſſent, temperantia infimos æquauit.Neque contra Druſum inuidioſe,neque contra Tiberium inſidioſe quicquam fecit.Imperiū à militibus & ſenatu populóque vltrò delatum non accepit,

*Piſonis interitus.*

Piſo verò aliquanto pòſt Romam reuerſus, & ab ipſo Tiberio, ſuſpicionem necis Germanici abolere cupiente, in ſenatum adductus,mora petita,ſemetipſum interfecit.

*Germanici III filij.*

Germanicus tres reliquit filios, quos Auguſtus in teſtamento ſuo Cæſares appellauit. Eorum natu maximus Nero, tum virilem togam ſumpſit. Ac ad hoc vſque tempus Tiberius plurima rectè fecit, in paucis deliquit.

*Tiberius ex commodo fit crudelis.*

Germanico verò è medio ſublato, paulatim mores immutauit. Nam cùm cætera aſperè imperauit, tum eos à quibus vel ipſe vel Liuia, vel Auguſtus ſiue dicto ſiue facto violati eſſent, tanquam impietatis reos crudeliter tractauit:contra inſidiarum ſuſpectos inexorabilis. Tandem oſtendens aliquibus ſe velle mori aliquos,illorum opera hos occidebat, idq; non diſſimulanter faciebat.

*Geniture potentium indagatæ.*

Potentum omnium diem & horam natalem inquirebat, itáque fata cuiuſque indagabat. proinde Galbæ, qui pòſt imperauit,obuiam factus,dixit : Et tu olim principatu deguſtabis. Pepercit autem ei, quia dicebat,eum in ſenectute,& longè poſt ſuum obitū imperaturum.

*Druſus à Seiano veneno ſublatus.*

Deinde cum Druſo conſulatum geſſit, vnde multi Druſi interitum diuinarunt. Nemo enim Tiberij in conſulatu collega violentam mortem euitarat. pòſt enim veneno periit. Nam Seianus quidam, homo apud Tiberiū potens & ſuperbus, cum Druſo aliquando alapam dediſſet,eáque de cauſa & ipſum & Tiberiū metueret,ſimúlque ſperaret,Druſo ſublato Tiberiū ſibi magis opportunum fore:per quoſdam miniſtros & vxorem,ſiue Iuliam ſiue Liuiā(nam ſcriptores in nomine variant) ſtupro ſibi cognitam, venenum ei propinauit. Eius ſic necati mortem Tiberius in curia deplorauit,& Neronē ac Druſum Germanici liberos ſenatui cōmēdauit. Druſum, cadauere eius pro roſtris propoſito, Nero gener laudauit. Cæterùm eius interitus, multis cauſa fuit interitus,quòd eius nece lætati eſſe viderentur.

*Agrippinæ interitus.*

Nam præter alios multos,etiam Agrippina cum liberis,filio natu minimo excepto, interiit:Tiberio contra ipſam vehementer irritato à Seiano,qui illa cum liberis ſublata, ſpem coniugij Liuiæ,viduæ Druſi,quam adamabat,& imperij alebat,cum Tiberius nullū ſucceſſorem haberet.Nam nepotem ex filio,vt adulterinum oderat: & alios multos aliis atque aliis de cauſis, ſed pleriſque cōfictis,vel in exilium mittebat,vel occidebat.Quendam,qui Cæſaris & Auguſti res geſtas, neque quicquā tamē cōtra eos ſcripſerat, ſupplicio affecit:& ipſum ſcriptum,vbicūque reperire potuit,exuſſit,quòd illos nō ornaſſet.Pleroſq; quaſi ſibi maledixiſſent,interfecit.

*Sabini canis*

& Sabinus quidā ob huiuſmodi crimen in carcerē cōie-

purpurei coloris, multo auro, multis Indicis gemmis ornatã, gladio accinctus: ſumptóque clypeo, & querna corona redimitus, feſtinãter in vrbem quaſi cõtra hoſtes cũ maximo equitũ & peditũ armatorũ numero introiuit: & aliis id genus reb. pro cõcione gloriando, Dariũ & Xerxẽ deriſit, ꝙ ipſe lõgè maius quã illi ſpaciũ maris põte occupaſſet. Is quoq; pons multis cauſa mortis extitit. Nam pecunia in eũ inſumpta innumerabili, longè pluribus propter diuitias eſt inſidiatus. Itaque Iunio Priſco pretore aliis quidem criminibus accuſato, ſed pro diuite interfecto: Caius vbi didicit, nihil eum morte dignum poſſidere: Decepit me, inquit, fuſtráque periit, cum viuere potuiſſet. Domitius verò Afer periculo proximus, mirabiliter euaſit. Nam cum Caius in curia longã contra eum orationem recitaret (omnes enim oratores ſe vincere putabat, & Domitium virum eloquentiſſ. ſuperare conabatur) neque quicquam contra dixit, neque ſe defendit, ſed eloquentiam hominis ſe mirari, eáque obſtupeſcere ſimulans, orabat & ſupplicabat, ſéque oratorem magis timere quàm Cæſarẽ profitebatur. Quibus rebus ille delectatus, & Domitium à ſe dicendi vi ſuperatum credens, iraſci deſiit. Deinde in Galliam ad motus Celtarũ ſupprimendos profectus, hoſtibus quidẽ nihil nocuit, ſed ſubditos & ſocios & ciues plurimùm afflixit. & cum aliquando in luſu aleæ ſibi deeſſe pecuniã ſenſiſſet, Gallorum deſcriptiones poſtulauit, ac ditiſſimis interfici iuſſis, ad colluſores reuerſus: Vt vos, inquit, de paucis drachmis laboratis! Ego verò interea centies quinquagies millies mille coegi. Adeò temerè faciebat omnia, & Lepidum illum, amatorem, amaſium, Druſillæ maritum, quem ſummis affecit honoribus, quẽ ſe imperij ſucceſſorẽ relicturum promiſit, interfecit: & ſorores ſuas: vt ab illo corruptas, in Pontias inſulas relegauit, & alia huiuſmodi fecit. Deinde Paulina, cum eum ſatietas mulieris cepiſſet, per cauſam ſterilitatis eiecta, Miloniam Cæſoniam duxit: quam prius ſtupro cognitam, tum verò quia vterum ferebat vxorem habere voluit, vt ſibi puer x x x dierũ naſceretur. Romani igitur tum his rebus, tum crebris ob amicitiam cum ſororibus eius & interfectis accuſationibus turbati, ſæuitiam eius & libidines auctũ iri expectabant, ſi diutius imperaret. Quibus ſic affectis, ille Ptolemæum Iubæ filiũ accerſitũ, vt diuitẽ interfecit. In hac vitæ ratione fieri non poterat, quin appeteretur inſidiis, caſq; deprehẽdit: Niciũ Cerealẽ, & filiũ eius S. Papiniũ, cõprehenſos torſit. Cũ nihil effaretur Papinius, ſalute & impunitate promiſſa ei perſuaſit, vt aliquos ſeu verè ſeu falſo nominaret. eũque ſtatim, & cæteros in cõſpectu eius interfecit. & cuiuſdã occidẽdi patrẽ, cædi filij intereſſe coegit: qui cũ rogaret, an oculos claudere liceret? ipſum quoque mactari iuſſit. Is verò in periculo cõſtitutus, ſe ex inſidiatorib. vnũ eſſe ſimulauit, & cæteros omnes indicaturum pollicitus, amicos Caij miniſtróſque libidinum eius & ſæuitiæ nominauit. ac multis exitio fuiſſet, niſi & præfectos, & Calliſtũ & Cæſoniã quoque criminato fides abrogata eſſet. Ac is quidem periit, ſed illud ipſum factũ Caio quoque perniciẽ attulit. Nam præfectis & Calliſto ſeorſim accerſitis: Vnus, inquit, ego ſum, vos tres eſtis: ego nudus, vos armati. Quòd ſi me odiſtis, & occidere vultis, occidite. Ab eo tempore ſe inuiſum illis facta ſua ægrè ferentibus eſſe ratus, gladium etiam in vrbe geſtauit: & homines ſuſpectos inter ſe cõmiſit, ne conſentirent, cum vnoquoque tanquam fidiſſimo de cæteris colloquens, donec eius conſilio perſpecto, eum inſidiatoribus condonarunt. Cum ſenatores ob quoſdam non cõdemnatos in metu eſſent: Protogenes quidam, ſæuiſſimorum Caij mandatorũ miniſter, duos circumferre libellos ſolitus, quorũ alterum enſem, alterũ pugionem vocabat, curiam ingreſſus: cum omnes ei dexteras porrigerent ſcilicet, toruo vultu Scribonium Proclum intuitus: Et tu me, inquit, ſalutare audes, Imperatori tam infenſus? Quo cæteri audito, ſenatorem illum diſcerpſerunt. Ea re delectatus Caius, ſe reconciliatum eſſe ſenatui dixit. Omnibus ei aſſentantibus, & aliis Heroem, aliis Deũ appellãtibus, in magnam incidit inſaniam. Nam prius etiam humana conditione maior haberi volebat, & ſe Iouem eſſe, & cum Luna rem habere iactabat, eáque de cauſa potiſſimũ ſe conſuetudine ſororum vti profitebatur, & deorum dearúmq; omniũ perſonas agebat. Fiebat Iuno, Diana, Venus, & pro nominum mutatione habitũ quoque mutabat. Proinde aliàs effœminatus cernebatur, craterẽ & thyrſum geſtans: aliàs virilis, claua & leonina pelle ornatus: aliàs imberbis, aliàs barbatus, & tridentem ſuſtinebat, & fulmen vibrabat, & virginem venatricẽ referebat. atque iterum muliebrem habitum omnibus aſciticiis & appoſiticiis rebus exquiſitè repræſentabat, ac quiduis potius quàm homo imperator videri mallebat. Cum igitur aliquando Iouis habitu in ſublimi ſella ius diceret: Gallus quidam eo viſo riſit. & à Caio rogatus, Quis ei eſſe videretur? reſpondit, magnum delyramentum, nihil graue paſſus. Nã cùm ſutor eſſet, negligebatur. Salutauit paucos. cæteris, etiã ſenatoribus, manum aut pedem porrexit adorandum. Cum omnes ei adularentur, aliquando ad L. Vitellium, virum nobilem & cordatum, dixit, ſe cum Luna rem habere: cúmque rogauit, an deæ cõgreſſum vidiſſet? Is verò humum intuens inſtar admirantis, exigua & tremula voce: Vobis, inquit, diuis duntaxat domine, inuicem intueri fas eſt. In eam porrò inſaniam Caius venit, vt ab Aſianis Mileti templum ſibi iuberet extrui. Sunt & Romæ duo ei templa condita: quorum alterum ipſe in palatio ſibi extruxit, alterum à Senatu ei & decretum eſt, & ædificatum. Cum Ioue expoſtulabat, quòd Capitolium præoccupaſſet. Imagines ſuas quóuis terrarum miſſas adorari iuſſit. Templum Hieroſolymitanum in ſuam ædem commutauit, vt Caij noui illuſtris Iouis appellaretur: quãuis hoc Ioſephus in ſuis Antiquitatibus diſſimularit. eáque res Iudaicæ defectionis initiũ fuit. Sacerdotes ſibi multos legit, & ipſe ſibi immolauit. Machinis quibuſdam tonitribus tonitrua, fulguribus fulgura regeſſit. contra fulmina lapides eſt eiaculatus, illud Homericũ ſubinde vſurpãs: Tollito me, vel ego te. Sub hoc Cæſare Pilatus, vt Euſebius ex Olympiadũ ſcriptoribus refert, in tãtas calamitates incidit, vt diuina vindicta vrgente, manus ſibi afferre cogeretur. Poſtquam igitur omni

*Iunij Priſci cædes.*

*Domitius Afer tyranni ſæuitiam eludit.*

*Decies quinquies millies mile aurei ad luſum aleæ.*

*Lepidi cædes.*

*Cæſonia.*

*Inſidiatorũ cædes.*

*Protogenis gladius & pugio.*

*Caius in omnes mutatur deos.*

*Galli ſutoris libertas.*

*L. Vitellij prudens ſimulatio.*

*Caij noui illuſtris Iouis templum.*

*Caius Salmoneum imitatur.*

*Caſſius Chærea & Cornelius Sabinus Caium tollunt.*



omni furoris genere fuit percitus (nam enumerari ſingula ſine magnis nugis magnáque moleſtia non queũt) inſidiati ei ſunt Caſſius Chærea, & Cornelius Sabinus. plures verò in eum coniurarunt, & quid ageretur etiam familiares eius non ignorabant: & qui non coniurarant, rem intellectam nec prodiderunt, & eum inſidiis appeti haud moleſtè tulerunt. Eſt autem, dum ſpectaculũ ederet, appetitus. nam Chærea & Sabinus, quamuis flagitia illa ægrè ferrent, tamen quinque adhuc dies ſe continuerunt. Vt verò ipſe Caius & ſaltare & tragœdiam agere voluit, eáque de cauſa alterum triduum denũciauit: obſeruarunt, dum theatro egrederetur, & in angiportu quodam circumuentum occiderunt. Cum cecidiſſet, nemo qui aderat ſibi temperauit, quo minus etiam mortuum conuulneraret. Etiam vxor eius & filia ſtatim ſunt occiſæ. Hæc cum tribus annis, menſibus nouem, & diebus octo egiſſet, re ipſa cognouit, ſe non Deum. Mors eius nunciata paucis luctum, omnibus læticiam attulit, dicti eius recordantibus, quod aliquando iratus protulerat: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Tum igitur populus Romanus dixit: At tu vnam ceruicem habes, nos verò manus multas. Paucis autem diſcurſantibus, & per tumultum vociferantibus, Quis Caium occidiſſet? Valerius Aſiaticus vir conſularis, tumulo conſcenſo exclamauit: Vtinam ego eum occidiſſem. Qua voce illi perculſi, tumultuari deſtiterunt.

Imperium Claudij.

CAio interfecto, ſenatúq; in Capitolio coacto, dum alij popularem rempublicam, alij regium imperium laudant, & ex his alij aliũ præferũt: interea milites aliquot impetu in palatium facto, vt aliquid raperent, Claudium in obſcuro angulo latitantẽ repererũt. Nam cum Caio theatro exierat, tumultúque territus ſe occultarat. Eum igitur protraxerũt, ignari quis eſſet: agnitũ, Imperatorem ſalutarũt. In caſtra perducto citra vllam dubitationem omnes detulerunt imperiũ, quòd & Cæſarei generis eſſet, & clemens haberetur. Etſi enim recuſabat & refragabatur: tamen quantum ille renitebatur, ſéque opponebat, tantum milites contendebant, ne ab aliis imperatorem acciperẽt, ſed ipſi omnibus darẽt. Itaque inuitus tandem, vt præ ſe ferebat, illis ceſſit. Conſules verò & ſenatores vbi iam præoccupatum eſſe imperium didicerunt, ipſi quoque renunciationi eius ſunt aſſenſi. Ita Tiberius Claudius Nero Germanicus, Liuiæ ex Druſo nepos, imperium eſt adeptus, anno ætatis quinquageſimo. Ingenio fuit non contemnendo, & diſciplinis ita eruditus, vt quædam conſcripſerit. Cæterùm valetudine parum firma, mulieribus & ſeruis parêre ſolitus, vt iam inde à pueritia in morbis & magno metu educatus. Vnde ſimpliciorem & diſſolutioribus moribus ſe eſſe finxit, quàm reuera fuit, quod & ipſe in Senatu confeſſus eſt: vitáque longo tempore cum auia Liuia & Antonia matre ac libertis acta, nihil ingenuo dignum præ ſe tulit. Sunt ei & mulieres & liberti in compotationibus & re Venerea inſidiati, quibus vtriſque ſatiari non poterat. Ad hæc timidus fuit. Quamuis autem (vt rem paucis complectar) talis eſſet: tamen multa opportunè fecit, quoties vitiis iſtis euitatis, ſui iuris fuit. In curiam non ſtatim, ſed trigeſimo die pòſt venit, tum Caij interitu territus, tum quòd aliqui ipſo ad imperium aptiores à Senatu nominati erant. Cùm cęteris in rebus accuratè ſe cuſtodiit, tum omnes à quibus adiretur, excuti iuſſit, ne ſicas ferrent: & milites ad conuiuia ſecum adduxit. quod deinceps quoque factũ. Sicarum verò inquiſitio per Veſpaſianum ſublata eſt. Chæream & aliquot alios occidit, non vt Caij necem vlciſceretur, ſed vt ſecuritati ſuæ conſultum eſſet. Sabinus vltrò ſibi manus attulit, indignum ratus, ſi Chærea interfecto ſuperſtes eſſet. Caij ſorores Agrippinam & Iuliam reuocauit, bonis reſtitutis. Eodem modo cæteros quoque exules tractauit. Eos qui in carcere vincti erant, accurratè explorauit: per calumniam delatos, dimiſit, ſontes ſupplicio affecit. Venena, quorum magna copia in Caij ſcriniis eſt reperta, & libellos Protogenis, quem etiam occidit, cremauit. Scripta, quæ Caius ſe cremaſſe affirmarat, reperta, Senatui oſtendit, legendáque tam iis à quibus, quàm iis contra quos ſcripta erant, exhibuit: poſtea exuſſit. Senatui Caium ignominia notaturo, reſtitit, quo minus id decretum fieret. Ipſe verò noctu ſtatuas eius omnes ſuſtulit, & quę vel ab ipſo, vel ab aliis propter ipſum perperam acta erant, aboleuit. Statuas decretas recuſauit, ſibíque ſacrificari aut effigiem ſuam adorari vetuit. Fecit & alia multa id genus moderatè, iudicio, non ſimulatione. Filiã certè quidem vnam L. Iunio Sillano, alterã Cn. Pompeio Magno deſpondit, nullo immodico apparatu. nam & ipſe diebus illis ius dixit, & Senatus conuenit. Præterea cum Coſſ. in curia conſurrexiſſent, vt eum alloquerentur, aſſurrexit & ipſe, & viciſſim eis obuium iuit. Priuato & græco more plerunque cum ſuis vixit. In pecunia mirabilem ſe præbuit. Vetuit enim offerri ſibi argentum, quod & ſub Auguſto fiebat. Vetuit, ne ab vllo qui cognatos haberet, hæres inſtitueretur. Bona quæ ſub Tiberio & Caio publicata fuerant, aut ipſis poſſeſſoribus, ſi ſuperſtites erant, aut eorum liberis reddidit. Multis principatus & prouincias à Caio ereptas reſtituit: & hoc genus alia fecit, ob quæ laudatus eſt. Verùm ab eius libertis & vxore Valeria Meſſalina alia acta ſunt, his minimè conſentanea. Cum ingenti annonæ penuria laboraretur, non illi duntaxat tempori, ſed in futurum etiam proſpexit. Nam cum Romani frumẽto ferè tantum aliunde importato vtantur, regio quæ ad hoſtia Tiberis eſt, eiuſmodi, vt neque tutò appelli poſſit, neque portus commodos haberet, efficiebat, vt eis maris imperium parum prodeſſet. Hyberno enim tempore nihil importari poterat. Ea re conſiderata, portus ædificauit: opúſque perfecit magnitudine & animi & imperij Romani dignum. Ac modeſtus in rebus omnibus, nato ſibi filio, qui tum Claudius Tiberius Germanicus, pòſt etiam Britannicus eſt cognominatus, nec vllo alio ſplendore vſus eſt: nec eum Auguſtum, aut Meſſalinam Auguſtam appellari ſiuit. Ludis gladiatoriis impenſe delectabatur: quos cum crebrò ederet, multi mortales variis criminibus condemnati peribant. Ad

*Claudius à militibus imperator ſalutatur.*

*Claudij ingenium, & mores.*

*Chæreæ & Sabini interitus.*

*Clemẽtia & æquitas initio principatus.*

*Claudius alienus ab auaritia.*

*Portus Hoſtienſis.*

*Claudius ſpectaculis gladiatorum fit ad cædes propenſior.*

hunc modum ſanguini & cædibus aſſuefactus, facilius etiam ad alios occidendos eſt impulſus. In cauſa autem fuerunt Cæſarei & Meſſalina: qui ſi quem ſublatum volebant, terrore ei incuſſo poteſtatem accipiebant faciendi quod vellent. Sæpè ex improuiſo conſternatus, cum in ſubito terrore aliquos occidi iuſſiſſet: poſtea ſibi redditus, & ſanitate mentis recuperata, facti pœnitens doluit. Quæ cum faceret, Romaníque ſpem de eo parum bonam haberent: cùm ab aliis, tum ab Annio Viniciano inſidiæ ei comparatæ ſunt: qui Furio Camillo Scriboniano Dalmatiæ præfecto autor defectionis fuit. Sed is cum milites dicto audientes non haberet, ſeipſum interfecit: Claudius verò quanquam ita territus, vt vltrò illi cedere imperio in animo haberet: illius interitu cognito, recepit animum, & milites tum aliis rebus, tum pecunia remuneratus, inſidiatores quãplurimos indagatos ſuppliciis affecit. Vinicianus & alij complures ipſi manus ſibi attulerunt. Nam Meſſalina & Narciſſus vnà cum aliis eius libertis, eam nacti occaſionem, nullo ſummæ crudelitatis genere abſtinuerunt. Itaque & viri & mulieres multi cæſi, quidam etiam ex nocentiſſimis vel pecunia vel gratia abſoluti.

*Annij Viniciani & F. Camilli Scriboniani, contra Claudiũ coniuratio.*

*Galæſus.*

Galæſus verò Camilli libertus à Narciſſo in curia rogatus, quid facturus fuiſſet, ſi Camillus factus eſſet imperator? reſpondit, ſe tacitum à tergo eius ſtaturum fuiſſe.

*Arria.*

Arria Cæcinnæ conſulis vxor, Meſſalinæ admodum familiaris, marito ſuperſtes eſſe recuſauit, eúmque mortem reformidantem confirmauit, eodem gladio quo ſe ipſam percuſſerat illi porrecto, dixitque: Ecce feri, ego non doleo. Ob quod factum hi laudati ſunt. Claudius verò ad ſupplicia tam propenſus euaſit, vt militibus iſtum verſum ſubinde pro teſſera daret:

Pœna luenda viro, ſi quis prior intulit arma.

Porrò Meſſalina & liberti eius, ita rempub. expeditiones, præfecturas, magiſtratus cæteráque omnia vendebant & auctionabantur, vt in omnium rerum venalium penuria Claudius ipſe pro tribunali precia conſtituere cogeretur.

*Britannia domita.*

Cum Aulus Plancius cum exercitu in Britanniam profectus, clades alias accepiſſet, alias intuliſſet, ac ſtatum rerum Claudio ſignificaſſet: Lucio Vitellio collegæ in cõſulatu ſuo, ſumma rerũ mandata, per Oceanum cum maioribus copiis & elephantis in inſulã vectus, cum cæteris legionibus Barbaros aggreſſus eſt: iiſque victis, regiáq; illorum capta, Romam rediit, Magno & Sillano generis victoriæ nunciis præmiſſis. Qua cognita, Senatus & ipſi & filio eius Britannici cognomentũ, & alios multos honores decreuit.

*Meſſalinæ adulteria.*

Meſſalina ſaltatorẽ quendam Mneſterẽ nomine, cuius amore capta erat, cum nec pollicitationibus, nec minis ad cõcubitum perpellere potuiſſet, curauit vt is à Claudio ipſi parêre in omnibus iuberetur, quaſi ad alias res eius opera vſura eſſet. Sic ille cum ea rem habuit, quaſi id quoq; ab imperatore iuſſus eſſet. Idem cum aliis quoque multis auſa, adulteris ſui copiã fecit, quaſi conſcio marito, & ad laſciuiã ipſius conniuente. Viniciũ verò ob ſtuprum recuſatũ veneno ſuſtulit. Eam illius ſub muliere & libertis ſeruitutem Romani indignè ferebant. Anno ſequenti, qui fuit ab vrbe condita octingenteſimus, quartùm conſul factus Claudius, Gallum quendam ſenatoriæ dignitatis virum, qui Carthaginem migrarat, properè accerſiuit, eúmque ſe aureis cõpedibus alligaturũ profeſſus, dignitate tributa effecit, ne loco ſe moueret. Cum aliquãdo inſidiæ ei detectæ eſſent, eum qui delatus erat, contempſit: nec vlla eius ratione habita dixit, Pulicem non eodem modo quo belluam, eſſe vlciſcendum. Alios verò multos ob Meſſalinæ criminationes, Aſiaticum item & generum Magnum interfecit: illũ propter diuitias, hunc ob genus & gloriam, licet ob alia crimina damnati fuerint.

*Lex de ſeruis*

Cum multi ſerui ægrotantes, planè à dominis neglecti, ædibus eiicerentur: eos omnes qui ſanitatem recuperaſſent, liberos eſſe lege lata iuſſit. Nepoti ex Antonia filia & Cornelio Fauſto Sylla nato, cui poſt Magni cædem nupſerat, nihil decerni paſſus eſt. Verùm quò ipſe maderatius, eò ſe Meſſalina & liberti eius inſolentius geſſerunt. quorum tres potiſſimum poteſtatem inter ſeſe partiti erant: Calliſtrus ſupplicium libellcrum magiſter: Narciſſus ab epiſtolis, qua de cauſa * pugione accinctus erat, & Pallas fiſci præfectus.

*Calliſtrus. Narciſſus. Pallas.*

** pugillares geſtabat.*

Meſſalina verò adulteriis non contenta, maritos quoque multos habere cõcupiuit. ac omnibus ſuis amatorib. nupſiſſet, tabulis conſcriptis, niſi in primis nuptiis deprehenſa periiſſet.

*Meſſalinæ interitus.*

Nam dum Cæſarei omnes cum ea conſentiebãt, nihil non de cõmuni ſententia gerebatur. Poſtquam verò Polybiũ, quamuis eius etiam cõſuetudine vteretur, per calumniam interfecerat, nemine iam ei fidem habente, ab eorum beneuolentia deſerta periit. Nã cum C. Silium, Silij à Tiberio interfecti filium, maritum ſibi aſcripſiſſet: nuptias magnificis epulis celebrauit, & ædes illi regias donauit, in quas precioſiſſima quæque Claudij ornamenta congeſſerat: tandem etiam Conſulem illum deſignauit. Quæ cum nota eſſent cæteris, Claudium latebant. Sed Narciſſus aliquãdo peregrè abſenti, ab eáque remoto per cõcubinas omnia ſignificauit. Itaq; Romã reuerſus, & alios multos, & Mneſterẽ ſaltatorẽ interfecit. Deinde ipſa quoque Meſſalina interfecta, Agrippinã fratris filiã, libertorũ impulſu duxit, quòd filiũ Domitiũ iam penè puberẽ haberet, quẽ in ſpem regni alerẽt, ne Britannico necem matris, ipſorũ opera interfectæ, vlturo pœnas darent.

*Agrippina Domitius.*

Decreto iam coniugio, Sillanum timentes, qui à Claudio vt vir bonus honorabatur, necnon Octauiam filiam eius Syllano deſponſam, Agrippinæ filio Domitio iam antè deſtinantes: Claudio perſuadent, vt Sillanum pro inſidiatore occidat. Quo facto, Vitellius in ſenatu propoſuit, eſſe è Republica, vt Claudius vxorem ducat: & Agrippinam ei fore idoneam pronunciauit, vtque ad eas nuptias adigeretur autor fuit. Ita ſenatores properè ad Claudium abierunt, eúmque coegerunt ſcilicet, vt matrimonium contraheret: facto Senatuſconſulto, vt fratrum & ſororum filias ducere liceret, quod antè vetitum erat. Peractis nuptiis, mulier ingenij callidiſſimi, Claudium planè in ſua quaſi verba iurare coegit: amicos eius, partim metu, partim beneficiis ſibi conciliauit. Denique Britannicum priuignum plebeio more educari fecit



ri fecit (nam alter obierat) Domitium autem tum generum Claudij deſignauit, pòſt etiã adoptandum curauit: quo facto, eundem ad imperium ſub prçceptore Seneca erudiit.

*Domitij adoptio & nuptiæ.*

*Agrippinæ Crudelitas & auaritia.*

Diuitias coegit ineffabiles, ne leuiſſima quidem pecuniæ faciẽdæ occaſione prætermiſſa, multis etiam pecuniæ cauſa occiſis. Interfecit etiam mulieres nonnullas ex zelotypia, vt Lolliam Paulinam: cuius caput ad ſe allatum cum nõ agnoſceret, ſuis manibus eius os aperuit, vt dentes aſpiceret, quorũ peculiaris erat ſeries. Poſt hæc Auguſtam appellauit Agrippinam Claudius: & filium eius adoptatum, Tiberium, Claudiũ, Neronem, Druſum Germanicum Cæſarem nominauit, nihil turbatus, quòd eo die cœlum ardere viſum eſt.

*Prodigia inauſpicati Neronis imperij.*

Deinde filiam Octauiam in aliam familiam adoptatam, ne fratrem & ſororem copulare videretur, ei deſpondit. Agrippina Calphurniam quoque principem matronam vel in exilium egit, vel vt fertur, etiam occidit: quod Claudius eius formã admiratus eſſet, ac laudaſſet. Quo die Nero (hoc enim nomen ferè vſurpatur) virilẽ togã ſumpſit, terra latè concuſſa eſt, & noctu omnibus ex æquo terror incuſſus. Creſcentibus Neronis opibus. Britannicus ſine vllo honore penitus negligebatur, miniſtris eius ab Agrippina partim fugatis, partim occiſis. Soſicius autẽ, cui educatio & inſtitutio illius mandata erat, quaſi Neroni inſidiatus eſſet, interfectus eſt. Britannicum verò iis commiſſum quos ipſe probabat, nec cum patre viuere, nec prodire in publicum paſſa eſt. Poterat autem omnia, cum Claudio dominaretur, & Narciſſum ac Pallãtem amicos haberet. Nam Calliſtus, potẽtiam maximam adeptus, obierat.

*Aſtrologi pulſi.*

*Carataci dictum.*

Aſtrologi tum tota Italia pulſi ſunt, & qui eos conſulebant, mulctati. Caratacus quidam Barbarorum princeps captus, & Romam ductus, veniam à Claudio impetrauit. Cum dimiſſus eſſet, & Romæ ſplendorem atque amplitudinem perluſtraſſet, Itáne, inquit, cum hæc & huiuſmodi habeatis, noſtra tuguriola concupiſcitis? Iulium Gallicum Caius cauſam dicentem, in Tiberim iratus præcipitari iuſſit.

*Domitij Afri iocus.*

in quem Domitius Afer, optimus illius ætatis patronus, facetè admodum iocatus eſt. Nam cum quidam à Gallico deſtitutus, eius auxilium imploraſſet. „Quis tibi, inquit, „narrauit, me natatorem illo meliorem eſſe? „Poſt hæc Claudio ægrotante, Nero curiam ingreſſus, ludos Circenſes nuncupauit, ſi coluiſſet. Agrippina enim quiduis tẽtabat, vt Nero populi gratiam colligeret, & vnus imperij ſucceſſor fore putaretur. Itaque & ludos Circenſes, quibus maximè Romani ſtudebant, à Nerone ob ſalutem Claudij, quam maximè deprecabatur, promittendos curauit: & tumultu ob panis venditionẽ ſubornato, Claudio perſuaſit, vt populo per publicum edictum, ſenatui per literas ſignificaret. & ſi ipſe moreretur, Neronem iam ad Rempublicam adminiſtrandam eſſe idoneum. Is igitur ex eo magnus fuit, & celeber: Britannicum verò viuere plerique ignorabant, cæteri ex rumoribus à nouerca ſparſis, væcordem & lunaticum eſſe putabant. Cum Claudius conualuiſſet, Nero ludos magnificè fecit, & ſub idem tempus Octauiam duxit, vt ex eo quoque iam vir eſſe videretur. Quamuis autem Agrippinæ & ea quæ Liuia habuerat, omnia conceſſa, & plura etiam decreta eſſent: nihil tamen ei ſatis erat, ni manifeſtè ex æquo cũ Claudio imperatrix nominaretur: & magno incendio vrbem peruagante, vnà cum eo ad opem ferendam in publicum prodiit. Claudius igitur offenſus iis quæ hactenus acta eſſe cognouerat, nec ferenda illa, & mulierem cohercendã eſſe ratus, Britannicum data virili toga imperij ſucceſſorem deſignare in animo habuit.

*Agrippina Claudiũ boleto tollit è medio.*

Quo Agrippina cognito, veneno eũ anteuertere priuſquam ea perficeret, inſtituit. quod cum ob merũ affatim ſemper à Claudio hauriri ſolitum, & victus rationem, qua omnes principes tuendæ ſalutis ergò vti ſolent, fuiſſet inefficax: Locuſtam, veneficam celebrem, ob idipſum crimen nuper † captam accerſiuit, cuius opera boletos aliquot veneno lethifero infecit: ac ipſa de cæteris edit, & illum vt venenato qui maximus & pulcherrimus veſceretur, impulit.

*† Damnatam.*

Ad hunc modum fraude circumuentus, tanquam crapula & ebrietate, vt aliàs ſæpius factum erat, oppreſſus eſſet, è conuiuio elatus, & à veneno per noctem confectus, interiit, & linguæ & aurium vſu ſtatim adẽpto. Vixit annos L X I I I, menſes I I, dies X I I I, Imperauit annos X I I I, menſes V I I I, dies X X. Hęc Agrippina fecit, Narciſſo in Campaniam ad calidas aquas prodagræ leniendæ cauſa ablegato.

*Narciſſi liberti interitus.*

Nam illo præſente, nihil huiuſmodi cõficere potuiſſet. Tam accuratus erat domini cuſtos. Sed Claudio defuncto, & ipſe ſtatim interiit, cum ſummam potentiam tenuiſſet. Antequam autem occideretur, egregium facinus edidit. Nam literas Claudij arcanas cõtra Agrippinam & alios ſcriptas cremauit, quas, vt qui illi eſſet ab epiſtolis, omnes habebat. Eſt autem iuxta Meſſalinæ ſepulchrum interfectus: quod fortuitò factum, in illius vltionẽ accidiſſe viſum eſt. Cometa longiſſimo tempore apparuit, & vexillum ſatellitũ guttis ſanguineis infectum, & de cælo tactum. Contigerunt & id genus alia, quæ ſigna interitus Claudij putabantur.

*Theudas.*

Sub hoc principe Theudas extitit, cuius D. Lucas in Actis meminit: & Ioſephus Antiquitatum libro X I X refert, eum fuiſſe impoſtorem, qui multos ſeduxerit, donec Fadus Iudeę procurator, miſſis equitibus multos eius ſectatores occiderit, multos ceperit, atque ipſi Theudæ caput amputarit.

*Simon magus.*

Simon quoq; magus hoc imperante Romæ verſatus, multos præſtigiis deceptos in ſuam ſectã pertraxit: id quod Iuſtinus Philoſophus & martyr in defenſionẽ religionis noſtræ ad Antoninum declarat, his verbis: Poſt Domini in cœlum aſſumptionem, „dæmones quoſdam homines ſubornarunt, qui „ſe Deos eſſe dicerent: qui adeò à vobis pulſi non „ſunt, vt eis honorem habueritis. quorum è numero „fuit Simon Samaritanus, è pago Gittano. qui „cũ ſub Claudio Cęſare dęmonũ opera miracula „edidiſſet, in vrbe veſtra imperatrice Roma, Deus „eſt habitus: decretáque ei ſtatua in Tiberi fluuio „inter duos pontes, cui Romanis literis inſcriptũ „eſt, Simoni Deo ſancto. „Petrus quoq; ſub Claudio Romæ ſalutaris preconij ſemina ſparſit, cui multi ex Romanis fidem habuerunt: itaque doctrina principis Apoſtolorum capti ſunt, vt ſolis eius verbis non contenti, Marcum Apoſtolum, Petri comitem, exorarent, vt conciones ſummi

*D. Petrus Apoſtolus. M. Euangeliſta.*

viri ſcriptis mandaret: atque in cauſa eſſent, vt Marci Euangelium conſcriberetur, quemadmo dum refert Euſebius.

### Imperium Neronis.

CLaudio ad hunc modum, vt expoſitum eſt, rebus humanis exempto, Nero adoptiuus eius filius Agrippinæ matris opera ſibi vendicauit imperium, Claudij teſtamento abolito, & Britãnico amoto, qui germanus defuncti filius, pueritiæ annos nondum exceſſerat. Nerone à Senatu & militibus imperatore & Auguſto declarato, Agrippina imperium ſub illius nomine adminiſtrans, venalia habuit omnia: ſed tempore procedente Seneca præfectus ſatellitum, & Burrus magiſter Neronis, illa ſubmota, imperium quàm diu licuit, optimè fecerunt.

*Seneca. Burrus.*

*Neronis adoleſcentia.*

Nero enim cũ rerum potiretur, admodum adoleſcens (annos enim tum XVII habebat) & ocij quàm negocij amantior, indulgebat genio, amabat, comeſſabatur, potabat, ludis gladiatoriis & Circẽſibus vacabat, nõ anguſti animi homo, ſed ſũptuoſus, potius prodigus. cuius vel illud argumentum eſt, quod vni ex ſodalibus bis millies & quingenties mille drachmas argenti ſimul dari iuſſit.

*Profuſio Neronis & rapacitas.*

Cum verò Agrippina pecuniã coactam ei proponendam curaſſet, vt tãta ſumma viſa mutaret conſilium: ille re intellecta rogauit, quantum eſſet id? cum didiciſſet: Ignorabam, inquit, me tam parũ donaſſe, ac ſummam duplicari iuſſit. Eo pacto fiſco celeriter exhauſto, celeriter nouis faciendę pecuniæ rationibus fuit opus. Itaque inſolita vectigalia vbiuis exegit. Agrippina verò vt erat auariſſima, vehementer indignante, corradandę ſibi pecuniæ ademptam occaſionem, & comminata, ſe Britannicum imperatorem facturam:

*Britannici interitus.*

Nero territus, illum veneno ſuſtulit. qui cum ſtatim diriguiſſet, & pro epileptico afferretur, cum liuores ex veneno in corpore apparerent, gypſo inunctus per forum geſtabatur. Id adhuc liquidum, ingens pluuia prorſus deterſit, vt facinus nõ tantum audiretur, ſed etiam oculis cerneretur.

*Agrippinæ & Sabinæ interitus.*

Poſt etiam matrem Aggrippinam per libertum Anicetum ſuſtulit: quæ cum cædis miniſtrum adeſſe intellexiſſet, lacerata veſte, nudatóque ventre: Hunc hunc, inquit, Anicete feri, quòd Neronem peperit. Ea interfecta, Nero ipſe intueri facinus voluit, eámque omnem nudatam perluſtrauit, & vulnera numerauit. Noctu autem ita turbabatur, vt ex lecto exiliret pręterroribus: & Romę multis in locis à quibuſdam clàm ſcribebatur, Tres matricidæ, Oreſtes, Alcmeon, Nero.

*Octauiæ interitus.*

Auguſtam Octauiam Claudij filiam, vxorem ſuam, repudiauit. nam Sabinam adamatam, vxoris loco habere voluit: quæ verita ne illa reuocaretur, calumniatores ſubornauit, à quibus & adulterij & veneficij accuſaretur. ac primò relegandam, deinde occidendam curauit. Pòſt ipſa etiam Sabina à Nerone interfecta eſt, cum in eam prægnantem calcibus inſiliiſſet. Quam quidem longo tempore luxit: ac tantopere deſiderauit, vt principiò mulierẽ illi ſimilẽ eius loco teneret:

*Sporus Neronis, Nero Pythagoræ vxor, conduplicatis eodẽ tempore nuptys.*

Deinde puerum libertinum, nomine Sporum, exectis virilibus vxorem duceret, quòd is quoque Sabinæ eſſet ſimilis: quanquam ipſe Nero Pythagoræ liberto nupſiſſet. Hi duo igitur vnà rem habebant cum Nerone Pythagaras vt vir, Sporus vt mulier. Publicè cithara cecinit, quamuis exigua & obſcura voce prędi tus. In Circo aurigauit.

*Scenicæ exercitationes.*

Traiecit in Græciam, non vt maiores ſui, ſed ſaltandi citharæ pulſandę præconij faciendi, agendæque tragœdiæ cauſa. Nec enim ei Roma ſatis ampla erat: ſed expeditione erat opus, vt Periodonices, hoc eſt, paſſim victor, vt aiebat euaderet. Sed quis ſingula eius facta enumeret? Nã vno verbo, quicquid viles hiſtriones repreſentãt, ea omnia ipſe & dicebat & faciebat & tolerabat, niſi quod aureis cathenis vinciebatur: nã ferreæ Romanorũ Imperatorem haud decuiſſent. Aliquando igitur miles vinctum conſpicatus, præ indignatione accurrit, cúmque ſoluit. Alius interrogatus, quid ageret Imperator? reſpondit, eũ parturire. Partum enim tum repreſentabat.

*Iſimi perfoſio.*

Cœpit etiam Iſthmum perfodere: à quo cum homines abhorrerent, ſumpto ligone ipſe fodere cœpit, idémque ſuo exemplo facere cæteros coegit. Fertur autem ſanguis ebuliiſſe, cũ terra primùm tãgeretur, & gemitus & mugitus exauditus eſſe, & ſpectra multa apparuiſſe. Hic perſecutionis Chriſtianorum princeps, Petrum & Paulum principes Apoſtolorum interfecit, eodem tempore, vt Euſebius ex antiquorum teſtimoniis aſſcrit.

*Petri & Pauli ſupplicium.*

Nam alij eodem quidem die vtrumque cõſummatum eſſe tradunt, ſed anno diuerſo. †Poſt Petrum, primus pontifex Linus fuit.

*†Linus primus Romanorum põtifex à Petro.*

Nero adhuc in Gręcia degens, Veſpaſianum contra Iudæos, qui iam apertè defecerant, miſit. Britanni quoq; & Galli exactionibus grauari ſe, iniquis & exulceratis animis patiebantur.

*C. Iulius vindex.*

Itaque C. Iulius Vindex ſenatorij ordinis, vt & pater fuerat, populares ſuos iam ante ad defectionem propenſos, magis etiam concionibus inſtigauit, iureiurando adactos, ſe pro ſenatu populóque Romano facturos eſſe omnia: & ipſum ſi quid ſecus feciſſet, occiſuros.

*Seruilius Sulpicius Galba Imperator deſignatur.*

Imperatorem verò Seruilium Sulpicium Galbam deſignauit, virum patricium, tum Hiſpaniæ prætorem: ac is principatum quidem ſuſcepit, ſed imperij cognomenta tum aſſumere noluit. Cum autem defectio lentè procederet, Vindex præ dolore propter occiſos milites ſuos ſibi ipſi manus attulit, fortunæ iratus quòd tam præclarum facinus occidendi Neronis & populi Romani liberandi ad exitum perducere non potuiſſet. Quod tanta alacritate ab eo ſuſceptum fuit, vt cum Nero bis millies & quingenties mille drachmas ei promitteret, qui ſibi Vindicis caput attuliſſet, dixerit, ſe ei qui Neronis interfecti ſibi caput attuliſſet, ſuum caput viciſſim daturũ eſſe.

*Petronius.*

Nero verò cum Petronium quoque, contra ſeditioſos cum maiori parte copiarum præmiſſum, ad Galbam defeciſſe cognouiſſet: ſpe armorum abiecta, in animo habuit ſenatu occiſo, & vrbe incenſa, nauigare Alexandriam. atque adiecit: Et ſi imperio exciderimus, tamẽ illic ars nos alet.

*Neronis fuga & interitus.*

Quæ dum agitaret, Senatus eius præſidio auocato, caſtra ingreſſus, Neronem hoſtem iudicauit, & Galbam eius loco Imperatorem creauit. Nero vbi ſe à ſatellitibus deſtitutũ eſſe vidit, vili veſte induta, & ſimili equo conſcenſo, tecta facie ne agnoſceretur, noctu cum Epaphrodito & Sporo fugit. Agnitus, & ab obuio quodam imperator ſalutatus, via declinata, in culmis ſe occultauit. Populus Romanus, cum diluxiſſet, gaudio



gaudio exultans, vrbẽ coronis impleuit: quidam etiam, vt in libertatem aſſerti, pileati in publicũ prodierunt. Senatus, ea quæ Imperatorem decent, Galbæ decreuit. Plebs Neronem & ſalibus inceſſit, & multos qui apud eum potentes fuerant, interemptos per viam traxit. Milites & alij Neronem quæritãtes, cum latebras indagaſſent, equites contra eum miſerunt. Quos cum aduentare ſenſiſſet, comites iuſſit & ipſum & ſemetipſos occidere. Quibus non obſecutis, ingemuit. Deinde Sporum irrito conatu occidere aggreſſus: Ego ſolus, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum. Cum iam in proximo eſſent equites, ictu ſibi illato: Proh Iuppiter, inquit, quantus artifex pereo? Moribundum, & ęgrè ſpiritum trahẽtem, Epaphroditus planè confecit. Periit mẽſe Iulio, Vixit annos triginta, menſes quinque, dies viginti. imperauit annos tredecim, menſes octo, biduo minus. Octauo eius imperij anno, primus poſt Marcum Apoſtolum & Euangeliſtam Alexandriæ Epiſcopus factus eſt Anianus.

*Anianus Alexãdrinus.*

### Imperium Galbæ.

GAlba poſt Neronis interitum, decreto ſibi à Senatu principatu, etiam Rufi copiis auctus, recepit animum: ſed Cęſaris appellationem non admiſit, nec Imperatoris nomen in vllis literis vſurpauit prius, quàm legati à Senatu adueniſſent. Eos qui ſub Nerone alios calumniati erant, aut falſis teſtimoniis oppreſſerant, ſupplicio affecit. Serui qui dominos dictis factíſve læſerant, eis ad pœnam dediti: pecuniæ & poſſeſſiones, quas Nero donarat, repetitæ ſunt. Ab eodem ob crimen læſæ Maieſtatis in exilium miſſos, reuocauit: oſſa eorum qui ex imperatorio genere occiſi erant, in Auguſti monumentum intulit, eorúmque ſtatuas repoſuit.

*A. Vitellius.*

*L. Piſo.*

Cęterùm cum A. Vitellium à Germanicis legionibus Imperatorem ſalutatum eſſe audiuiſſet: L. Piſonem, adoleſcẽtem nobilem, modeſtum, prudẽtem, adoptatum Cæſarem dixit.

*M. Saluius. Otho.*

Id M. Saluius Otho ægrè ferens, quòd ipſe adoptatus non eſſet, ſeditionem mouit, XXX duntaxat militibus fretus. Nam cum Galbæ immolanti ſolus ex Senatoribus aſtans, aruſpicem inſidias ei portendi dicere audiſſet, ac monere vt domi maneret, nec vſquam progrederetur: ſtatim quaſi per aliam cauſam in caſtra decurrit, & à cõiuratis militibus in munitionem receptus, cæteris quoque perſuaſis, aut vt rectius dicam, magnis pollicitationibus emptis, Imperator ſtatim ſalutatus eſt. Quo Galba cognito, quoſdam in caſtra miſit, qui milites à ſententia dimouerẽt.

*Galbæ cædes*

Interea verò miles quidam cum gladio cruento eum acceſſit, ac, Bono animo es, inquit, Imperator, Othonem enim occidi. Quod Galba credens, cum in Capitolium ad rem diuinam faciendam properaret, in medio foro, peditum & equitum occurſu, ſenex, conſul, pontifex, Cæſar, Imperator, multis inſpectantibus eſt trucidatus: caput eius conto pręfixum. Cum occideretur, nihil aliud locutus eſt, niſi: Ecquid mali feci? Periit etiam Piſo, & alij multi. his peractis, milites capita illorum in caſtra ad Othonem & in curiam attulerunt. Quibus conſternati patres, lætitia ſimulata, Othoni omnia quæ ad imperiũ pertinent, decreuerunt. Neque verò obſcurum erat, eum Senatui vim feciſſe, & petulantius atq; acerbius ipſo Nerone imperaturum eſſe. Galba annos ſeptuagintaduos, dies tres & viginti natus, imperij menſe nono, & die decimotertio, hunc exitum habuit.

### Imperium Othonis.

OThonem, cum exta ſacrificanti parum fauſta eſſent, aliáq; ſigna apparuiſſent, perpetrati facinoris pœnituit: ſed imperio, quod ſemel ſuſceptũ deponere nõ licebat, retẽto, pœnas dedit.

*Pſeudonero.*

Interea quidã ob lineamẽtorũ corporis ſimilitudinẽ ſe Neronẽ eſſe profeſſus, totã penè Græciã conturbauit: & manu ſicariorũ cõparata, ad Syriacas legiones properauit. Sed eum Calphurnius in traiectu Cydni amnis comprehenſum interfecit.

*Otho reconciliatione Vitellij deſperata, ſeipſum interſicit.*

At Otho clàm multos ad Vitellium reconciliandum, cum nihil impetraſſet, apertè legatos miſit. Quos cum Vitellius nullo reſponſo dignatus eſſet, atque etiam retinuiſſet: copiis terra maríque miſſis, non ex imbecillitate, ſed propter ducum multitudinem victus, ipſe Roma cũ primoribus egreſſus eſt: & parte militum Proclo data, receſſit, ſe pugnam ciuium inter ſe videre poſſe negans. Itaque milites & duces ignauiam eius pertæſi, re malè geſta, ad Vitellianos defecerunt. Quod cum eques quidam Othoni nunciaſſet, atque is non crederet: Vtinam, inquit, Cæſar hæc falſa eſſent. ſéque ſtatim interfecit. Deinde cum omnes de pugnæ euentu non amplius dubitantes, denuò Martis aleam experiri parati eſſent (nam & ſatellites multi, & alij non pauci aberant) eúmque rogarent, ne ſemetipſum & ipſos deſtitueret: ſe enim omnes libenter pro eo morituros.

*Otho vitam flagitioſam morte honeſta claudit.*

Otho, multo æquius eſſe dixit, vnum pro omnibus, quàm multos pro vno perire: neq; ſe commiſſurum, vt ob vnum virum populi Romani ſeditio oriretur, & tanta hominum multitudo interiret. His dictis, in conclaue ingreſſus, cum nonnulla ad ſuos, & ad Vitellium de ſuis ſcripſiſſet, literis ad ſe cõtra illum ſcriptis crematis, ne cui periculum inde crearetur, ſingulos ſalutauit, & pecunia donauit. Interea militum tumultu orto exiit: eóque ſopito, nõ prius diceſſit, quàm alios aliò in loca tuta miſiſſet. ac ita demũ, cum tranquilla eſſent omnia, ſeipſum interfecit. Milites cadauer eius ſepeliuerunt, multi quoque ſuper eo ſe iugularunt. Hic Othonis fuit exitus, cum annos XXXVII vixiſſet, dies LXXXX imperaſſet, quo ætatem ſuperiorem impiè & ſceleratè actam obumbrauit, & vitam omnium flagitioſiſſimã morte honeſtiſſima decorauit. Poſt eius obitum, milites ſtatim tumultuati ſunt: & multis inuicem cæſis, gratia reconciliata ſe ad victores contulerunt.

### Vitellij imperium.

ROmani cognito Othonis interitu (nam, vt antè dictum eſt, vrbe aberat) Vitellium Imperatorem deſignarunt. Cui mors Othonis in Gallis verſanti nunciata eſt, vbi eum vxor cum filiolo ſex annos nato cõuenit, quem pro ſuggeſto Germanicum & Cæſarem deſignauit. Iam cũ diuinationibus deditus eſſet, nec ſine iis vel minima ſuſciperet, tum aſtronomos, pòſt etiam ariolos pepulit, certo die præfinito, intra quem tota Italia excederẽt.

*Aſtrologi Vitellio diem dicunt.*

Qui noctu viciſſim ſchedis propoſitis ei denunciarunt, vt intra eum diem è vita excederet, quo exceſſit. Cum autem luxui & laſciuiæ

*Intemperantia Vitellij.*

laſciuiæ deditus, & à prima ætate in cauponis, foro aleatorio, ſaltationibus & aurigationibus verſatus eſſet, & infinita in eas res pecunia inſumpta, multum æris alieni feciſſet, tum aucto luxu inſolentius ſe geſſit, maioréſque ſumptus fecit. Maximam diei partem, & noctu quoque, ſe citra vllam ſatietatem ingurgitando, & ſubinde quæ ingeſſerat, reuomendo, vt ſolo cibariorum tranſitu ali videretur: quæ res efficiebat, vt perpetuam crapulam tolerare poſſet, cum eius compotores peſſimè haberent. E quo numero cum quidam propter morbum per aliquot dies à ſodalitate abfuiſſet, ſe omnino periturum fuiſſe dixit, niſi ægrotaſſet. Nec totum tempus imperij eius quicquam aliud fuit, niſi ebrietas & comeſſationes. Quis autem ſingula commemoret? cum inter omnes conſtet, eum imperij ſui tempore bis millies, centies, quinquagies centena millia drachmarum in cœnas inſumpſiſſe. Sæpè etiam apud alios conuiuatus eſt: eodémque die alius ei ientaculum, alius prandium, alius cœnã, alius bellaria poſt cœnã, ad leniendã crapulam præbuerunt. Inter hæc vitia virtutes ei nõ defuerunt.

*Vitellij virtutes.*

Monetam enim ſub Nerone, Galba, Othone percuſſam retinuit, imaginibus eorum nihil offenſus. & quæ aliquibus donata fuerant, omnia rata habuit, neque cuiquam quicquam eripuit: neque ea quæ ex contributionibus debebantur exegit, neque cuiuſquam bona publicauit: paucis dũtaxat Othonianæ factionis occiſis, neque tamen eorum bona cognatis eripuit. Eorum item cognatis, qui prius occiſi fuerant, ea reſtituit omnia, quæ adhuc in publico reperiebantur. Neque teſtamenta aduerſariorum, qui in bello ceciderant, reprehendit. Vetuit, ne ſenatores & equites in arena pugnarẽt, aut in orcheſtra ſe ſpectandos præberent: atque ob hæc laudabatur.

*Prodigia.*

Nũciato motu Iudaico, in magno terrore fuit, cùm ob alia prodigia, tum quòd luna bis defeciſſe præter ſolitum videbatur, & quarto & ſeptimo die obſcurata. Simul etiam duo ſoles viſi, alter ab occaſu, alter ab oriente: ille infirmus & pallidus, hic robuſtus. Motus illius hæc ratio fuit.

*Veſpaſianus imperium capeſſit.*

Veſpaſianus in Iudęa degẽs, quò eum à Nerone propter Iudæorũ defectionẽ miſſum fuiſſe iam diximus, filium Titum ad Galbam ſalutandum miſit. Tito autem reuerſo (nam in via ſeditionem Othonis & Vitellij didicerat) & ipſe (vt Dion refert) regnũ affectauit. Ioſepho verò autore, in excidio Iudaico, milites eius cum audiſſent, à Gallis Europæis Galbam per ſeditionem Imperatorem eſſe creatum, à Germanicis legionibus Vitellium, à Romanis Othonem: ipſi quoque ſuo duci imperium decreuerunt: atque aliis alios concitantibus, Veſpaſianum Imperatorem ſalutarunt; hortati, vt periclitanti Reipublicæ ſubueniret, refraganti, tribuni inſtiterunt: & milites ſtrictis enſibus circumſtantes, mortem ſunt minati. Paret igitur: & primùm ad Ægypti prætorem ſcribit, quo loco res ſuæ ſint: à quo ſtatim ſalutatus eſt Imperator. Deinde Mutianum Syriæ prætorem in Italiam contra Vitellium mittit. Quo tempore Ioſephum Hebræum, quem viuente adhuc Nerone, Imperatorem ſe appellare auſum, captiuum adhuc vinculis tenebat, ob eam diuinationem ſolui iuſſit. Tito verò hortante, vt ei vnà cum ferro etiam ignominia demeretur (quod fiebat, cum vincula non ſoluebantur, ſed diſſecabantur: atque in eos vſurpabatur, qui per iniuriam vincti eſſent) approbante Veſpaſiano, quidam ſecuri cathenã diſſecuit.

*Oraculum Ioſephi, ad Veſpaſianũ accommodatum.*

Ioſephus enim (vt ipſe narrat) quum in ſacris literis oraculum reperiſſet, fore vt quidam ex Iudæa orbi terrarũ imperaret: id oraculum, ob Romanorum ſeditiones, & Imperatorum frequentes mutationes, ad Veſpaſianum retulit, eíque vaticinatus eſt imperium. Eius oraculi meminit etiam Appianus hiſtoriæ Romanæ libro XXII. Rectius autem ac veriſſimè id oraculum de ſeruatore humani generis, Domino Ieſu Chriſto, intelligetur. Neque enim toti terrarum orbi Veſpaſianus imperauit: ſed Romanis prouinciis duntaxat, extra quas multa alia regna fuerunt. At Dominus toti orbi dominatus eſt, & dominatur. cui à patre dictum eſt: Petito à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ. Veſpaſiano Alexandriam profecto, Romā nuncij venerunt de cæde Vitellij: & vt ipſe à Senatu populóq; Romano Imperator declaratus, & filius Domitianus principatum in eius aduentum tenere iuſſus eſſet. Vitellius autem hoc modo periit.

*Vitellii interitus.*

Veſpaſiani milites, cũ prope Romam, atque in ipſam vrbem veniſſent, nullo violentiæ genere abſtinuerunt. Cum autem vrbs vaſtaretur, Vitellius ſibi metuens, induta ſibi pannoſa tunicula, in obſcurã domumculam, vbi canes alligati erant ſe abdidit, noctu Tarracinas ad fratrem confugere cogitans. Milites verò eum repertum, illuuie & ſanguine plenum (nam à canibus morſus fuerat) lacerata veſte, manibus poſt tergum reuinctis, & laqueo collo iniecto, partim colaphis ceciderunt, partim barbam euellerunt: omnes verò luxum ei opprobrarunt. Ob quę verecundantem, & humum intuẽtem, cultellis ſub mẽto pupugerunt, vt vel inuitus vultum attolleret. Verùm † Celetus quidam, eius miſertus: Ego tibi, inquit, quantum vnus poſſum, operam ferã. eóq; vulnerato, ſeipſum iugulauit.

*† Gallus.*

Sed Vitellius ex eo vulnere non mortuus, cum in carcerẽ traheretur, ex verberum & contumeliarum impatientia: At ego, inquit, veſter Imperator fui. Quo dicto irritati milites, eo diſſecto, caput amputatum per totam vrbem circumtulerunt. Vixit annos LIIII, & dies LXXXIX. imperauit annum vnum, x diebus demptis.

*Mutianus. Domitianus*

His peractis, Mutianus aduenit, vnáque cum Domitiano Rempub. capeſſit. Veſpaſianus à ſenatu Imperator ſalutatus: duo eius filij Cæſares cognominati ſunt. Mutianus verò frater à Veſpaſiano vocabatur, accepta poteſtate quiduis & agendi & decernendi, tantũ Imperatoris nomine præſcripto: eáque de cauſa miſſum ſibi annulum geſtabat, vt mandata Imperatorio annulo ſignarentur. Igitur ipſe & Domitianus magiſtratus & præfecturas multis dederunt, & alios atque alios præſides & Conſules deſignarunt, non ſecus ac ſi ipſi rerum potirentur. Vnde Veſpaſianus Domitiano ſcripſit, ſe illi habere gratiam, quòd ſe imperare pateretur, necdum imperio pepuliſſet.

*Veſpaſianus pecuniam colligit.*

Alexandriam autem cum veniſſet, magnam pecuniam coegit, nullo queſtu prætermiſſo, vectigalibus quibuſdam obſoletis reſtitutis, vſitatis exaggeratis, & nouis excogitatis.



cogitatis. quod deinde in aliis quoq; prouinciis, in Italia & Romæ fecit. Ægypto paruo tempore conſtituta, magnam inde frumenti copiam Romam miſit. Filium Titum ad oppugnanda Hieroſolyma reliquit, vt vnà cum eo in vrbem reuerteretur. Sed cum obſidio diu traheretur, ſine illo naue oneraria in Lyciam venit. Inde partim terra, partim mari Brunduſium appulit. Romam ingreſſus, militibus & populo munera dedit.

*Ædificia, & humanitas.*

Templa publicáque opera ruinoſa refecit. ædificia, quorum fundamenta iacta erant, perfecit: nõ ſuo, ſed eorum qui inchoarãt, nominibus inſcriptis. Bona aduerſariorum, qui in præliis ceciderant, eorum liberis aut cognatis reliquit, publicis etiam æris alieni tabulis abolitis. Publicè magnificus, priuatim tenuiſſimè viuebat: neque vllos ſumptus, niſi neceſſarios faciebat, genere ortus neque nobili, neque locuplete. Ab omnibus adiri ſe patiebatur. Cum amicis ante auroram in lectulo recubans, colloquebatur. Palatij fores per totum diem patebant, ſine vllo cuſtode. Vt paucis abſoluam, curatione Reipublicę princeps agnoſcebatur: comitate, victu, cultúque à cæteris nihil differebat. Hieroſolymis expugnatis, cũ Tito filio triumphum duxit: cui Domitianus quoque Conſul equo ſingulari interfuit. Poſtea magiſtros & Latinarum & Græcarum diſciplinarum Romæ conſtituit, decretis ex ærario ſtipendiis. Sed Mutianus philoſophis acriter accuſatis, effecit, vt vno Muſonio excepto, eoſdem vrbe pelleret.

*Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.*

Auaritiæ crimen ex eo ſubiit, quòd decreta ſibi à quibuſdam ſtatua precio CCL millium drachmarum, manu extenta, pecuniam ſibi dari iuſſit: nam baſim paratã eſſe. Tito filio ob inſtitutum vectigal quoddã ſuccenſenti, aureos inde comparatos oſtendit, ac periculum facere iuſſit an olerent?

*Inſidiatores.*

Alcinus & Marcellus inſidiatores eius deprehenſi ſunt: ac Alcinus Titi iuſſu in palatio interfectus, Marcellus iudicio damnatus, nouacula ſibi gulam præcidit.

*Obitus.*

Veſpaſianus ex febre deceſſit, vel vt alij de Tito mentiuntur, veneno in conuiuio hauſto. Obiurgatus à medicis, quòd in morbo omnia munia obiret: Imperatorem, reſpondit, ſtantem mori oportere. Extinctus eſt anno ętatis nono & LX menſe, & die octauo, Imperij anno decimo, VI diebus minus.

## Imperium Titi.

HVic defuncto Titus ſucceſſit: qui tempore imperij, neque crudeliter, neque libidinoſe quicquam fecit, ſiue ob mutatos mores, ſiue ob exiguum tempus quo imperauit. Nam rerum potitus, biennium duntaxat, menſes V, & dies XXV vixit. vitæ autem eius ſpacium fuit annorum XXXIX, menſium V, dierum XXV.

*Titus Auguſto comparatur.*

Quare cum longæuitate Auguſti comparatur, quod nec iis adamatus eſſet, ſi pauciores annos vixiſſet: nec hic, ſi plures. quòd ille principio propter bella & ſeditiones aſperior, longo illo ſpacio beneficentia inclaruit: hic moderatè geſto imperio, in ipſo gloriæ faſtigio deceſſit, quòd ſi diu vixiſſet, crimini dari fortè potuiſſet, eum maiori fortuna quàm virtute vſum fuiſſe. In principatu ſuo nullum ſenatorem occidit: priuilegia à ſuperioribus imperatoribus conceſſa, literis publicè propoſitis confirmauit. Pecuniam accuratè conſeruauit, nec temerè conſumpſit, neque tamẽ quenquam ex auaritia ſupplicio affecit.

*Pſeudonero.*

Sub eo Pſeudonero extitit homo Aſianus, nomine Terentius Maximus, Neroni & facie & voce ſimilis. nam ad citharam quoque canebat. Is comparata in Aſia factione, & ad Euphratem progreſſus, manu longè maiore facta, deniq; ad Arthabanum Parthorum regem confugit. Qui Tito iratus, illum receptum, Romam reducere inſtituit.

*Veſuuij incendium.*

Primo anno principatus Titi, ſub autumnum ſubitò ingens in Cãpania incendiũ extitit. Veſuuius enim mõs iuxta Neapolim, copioſos ignis fontes continẽs, in medio duntaxat ardet, exteriora carent igni. Proinde cacumina in circuitu veterem altitudinem obtinẽt, medietate exuſta & depreſſa. Vnde noctu flamma, interdiu fumus, aliàs maior, aliàs minor erumpit: aliquando etiam ſubitò dehiſcens, cineres & ſaxa vi ventorum impulſa eiaculatur: & cum murmure reſonat, ob ſpiracula non denſa, ſed rata & libera. Ac talis eſt Veſuuius. tum autem immani tumultu, quaſi montes inter ſe colliderentur, ſubitò exaudito, primùm ingentia ſaxa exilierunt, deinde magnus ignis & fumus immenſus, vt ſol occultaretur, & lux in tenebras conuerteretur. Eſt & cineris vis ineffabilis effuſa, quo in aere, terra & mari diſſipato, piſces & volucres perierunt: & duo oppida Herculanium & Pompei, populo in theatro conſidente, ſunt oppreſſa. Tantum porrò cineris fuit, vt aliquãtum etiam in Africam, in Ægyptum & Syriam, ipſamque Romam perferretur. Vnde peſtilentia conſecuta eſt.

*Tibi benignitas.*

Titus verò Campanis colonos miſit & pecunias donauit, eorum præſertim qui ſine hæredibus deceſſerant: ipſe à nemine quicquam, & ſi multi offerrent, accepit. Multa publica ædificia de ſuo extruxit: ludos mirabiles fecit, in quibus globulos ligneos deiiciebat, in quorum aliis eſculenti aliquid, aliis veſtis, aliis aurum, equi, iumẽta, pecudes, mancipia inſcripta erant. quæ qui rapuerant, cum ad diſpenſatores pertuliſſent, ea accipiebant, quæ inſcripta erant. Huius eſt etiam celebrata illa vox, cum dixit. Hodie non imperaui, quia nemini benefeci. Primo eius anno Linus, primus Romanorum Epiſcopus, moriens thronum † Anacleto reliquit.

*† Anacletus II. Romanus Epiſcopus.*

Anno ſequenti deceſſit Titus, vel inſidiis fratris, vel ex morbo. A Domitiano certè quidem ſpirans adhuc, cum diutius forſitan viuere poſſet, in ciſtam niue plenam eſt coniectus, quaſi morbus refrigerationem poſtularet.

*Titi obitus.*

Moriturus ſe vnum quiddam peccaſſe dixit, quod quale eſſet, nõ explicauit. Quidam id ad Domitiam fratris vxorẽ, quam duxerat, referunt: alij ad Domitianum, quem apertè ſibi inſidiantem, non peremiſſet: à quo & ipſe interiit, & Romanum imperium tali viro tradidit.

## Imperium Domitiani.

IS Tito adhuc ſpirante Romam equitauit: caſtráque ingreſſus, & cognomentum & poteſtatem imperatoris accepit: homo audax, iracundus, inſidiator, occulti ingenij, mortalium neminem ex animo diligens, præter mulieres quaſdã:

*Domitiani elogia.*

ſummum erga eos quos maximè perditos cupiebat, amorem ſimulans: infidus iis qui ipſi gratificabantur, & in rebus atrociſſimis operam nauabant. Nam qui maximam ei pecuniam procurabant,

bant,aut multos calumniabãtur, eos occidebat, vt ab illis duntaxat iniuriæ proficiſci viderentur. Patris & fratris amicos,vt homo peſſimus, partim ignominioſe tractabat, partim occidebat. Vxorem Domitiam per cauſam adulterij repudiauit, Paride ſaltatore in media via illius cauſa occiſo. Cum filia fratris Iulia, tanquam vxore, haud diſſimulanter rem habebat. Deinde à populo exoratus, in gratiam cum Domitia rediit: ſed Iuliæ conſuetudine nihilo ſecius vſus eſt. In Galliam profectus,& trans Rhenum, agros eorum cum quibus pax intercedebat, populatus, quaſi re præclarè geſta ſuperbiebat,aucto militibus ſtipendio ob victoriam ſcilicet. Nam cum eis ſeptuagenæ quinæ drachmę ſoluerentur:centenas dari iuſſit.Cuius largitionis cum pœnituiſſet,ſtipendiis non imminutis, ſed numero militum contracto,vtraque re Reip.multum incommodauit:quod nec ſatis erant qui eam defenderent,& magna ſtipendia accipiebant. Eos à quibus obſeruabatur, & à quibus negligebatur, ex æquo oderat:alteros vt adulatores,alteros vt cõtemptores. Falſis victoriis iactandis Conſulatũ in decennium,cenſuram per omnem ætatem accepit. Multi prouinciales ob violentas exactiones defecerunt, vt Naſamones:qui & quæſtores occiderunt, & Numidiæ prætorem Flaccum ita vicerunt, vt caſtris eius potirẽtur.in quibus cum præter alia cibaria,vini quoque copiam reperiſſent, inebriati obdormiuerunt. quo Flaccus cognito,eos aggreſſus internecione deleuit,ac ne* imbelli quidem ętati pepercit.Quo ſucceſſu elatus Domitianus, ad Senatum dixit, ſe Naſamonib.vita interdixiſſe. Iam enim Deum ſe perhiberi volebat, & Deum ac dominum nominari ſummopere lætabatur. Atque hæc non tantum dicebantur,ſed etiam pingebantur. Cum in ſpectaculo magna pluuia & tempeſtas ſubitò erupiſſet, neminem diſcedere aut alias veſtes induere paſſus,ipſe penulas ſubinde mutauit. Vnde multi læſa valetudine perierunt. Eos quos ſuppliciis affecit, nemo numerare queat: ac inter cæteros ob adulterij crimen multi locupletes & viri & mulieres,quarum aliquas ipſe conſtuprarat,pœnas dederũt.Sunt & aliis de cauſis multi & mulctati,& interfecti.Nam mulier quædam quod ſe ante illius ſtatuam exuiſſet,occiſa eſt:alius,vt cũ aſtrologis collocutus. Metium quendam, quem rerum potiturum eſſe fama erat,relegatum occidit, per eam cauſam, quod orbem terrarum in cubiculi ſui parietibus pictum haberet. Rhetorẽ quendam,quòd exercendi ingenij cauſa contra tyrãnos declamaſſet,capite mulctauit. Multi ob philoſophiæ ſtudium perierunt, pulſis reliquis. Ad hunc modum graſſanti inſidiæ ſtructæ ſunt à Parthenio & Sigero cubiculi cuſtodibus & ab Entello qui à libellis erat Reip.& à Stephano liberto. Earum inſidiarum & Domitia vxor, & Norbanus præfectus, & collega Petronius conſcij fuerunt.Nã Domitia,quæ ſe inuiſam illi eſſe ſciret,cædem metuebat, cæteris non amplius eũ diligentibus. Fertur autem eos omnes ob ſuſpicionem occidere in animo habuiſſe, eorúmque nomina pugillaribus inſcripta, ſub ceruicali ſuo poſuiſſe. Eam deſcriptionem puſio quidam abſtulit, quid ferret ignarus:qua Domitia forte fortuna lecta,& cæteris indicata,effecit, vt inſidiæ maturarentur. Interitus ei multis ſignis eſt prænunciatus.Nam Proclus quidam Larginus,quod in Germanica prædixerat, certo die Domitianũ obiturum eſſe:comprehẽſus, eáq; de cauſa Romam miſſus,& ab ipſo rogatus,idem affirmauit: & capitis dãnatus,& aſſeruatus, vt poſt eum diẽ quo Domitianum periturum eſſe dixerat,occideretur,eo die illo interfecto,euaſit. Alius, qui ei tempus & modum interitus prædixerat,interrogatus ab eo,quo ipſe mortis genere obiturus eſſet?Reſpondit,ſe à canibus eſſe lacerandũ.Damnatus igitur vt viuus cremaretur,& in ignem cõiectus eſt.Sed ingenti pluuia rogo extincto, ille reuinctis poſt tergum manibus à canibus eſt diſcerptus. Cæterùm Parthenius Stephanum vt robuſtiorem contra Domitianum meridiantem miſit,qui ictu,ſed nõ lethali,proſtrato incubuit, donec aliis adiutantibus tyrannum planè confecit. Occiſo Domitiano, Stephanus etiam concurſu eorum qui coniurationis expertes erant, periit. Apollonius verò Tyaneus, Pythagoricus philoſophus, & magus inſignis, tum Epheſi ad populum verba faciens ea hora qua Domitianus cædebatur (vt pòſt ex iis quæ vtrobique acciderunt,certò compertum eſt)cum aliquandiu attonitus ſteriſſet,tandem exclamauit, Euge Stephane, rectè Stephane, feri ſceleratum:percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti. Hoc Philoſtratus Lennius in Apollonij vita refert. Vixit Domitianus annos XLIIII,menſes XI,dies VI & XX. Imperauit annos XV, & dies V. Quartò anno imperij eius,Alexandrinæ eccleſiæ primo poſt Marcum apoſtolum pontifici defuncto, Abilius ſucceſſit, ſecundus Alexandriæ pontifex. Decimo anno principatus eius defuncto Anencleto, Clemens pontificatum Romanum ſuſcepit,tertius, Euſebio autore, vrbis Epiſcopus. Hic odioſiſſimus Imperator perſecutionem Chriſtianorum poſt Neronem redintegrauit, illius in oppugnando numine audaciam imitatus:& Ioannem apoſtolum,eundémque Euangeliſtam, ob præconium in inſulam Patmon relegauit,Dauidiſque poſteros tolli iuſſit.quam rem Euſebius Egeſippi verbis ad hunc exponit modum: Adhuc ſuperſtites erant nepotes Iudæ, qui frater Domini ſecundũ carnem dicitur,quos vt Dauidis poſteros quidã detulerunt.Eos Domitianus ad ſe adductos percontatus eſt,an Dauidici eſſent? Illis affirmantibus,interrogare perrexit, quot fundos poſſiderent,& quantum pecuniæ haberent?Cui illi reſponderunt,IX millia denariorum tantum ſe habere: eáque non in pecunia, ſed in æſtimatione fundorum,vnde & ipſi labore ſuarum manuum victitarent, & tributa penderent. & manuum callos pro laboris argumento oſtenderunt. Interrogati etiam de Chriſti regno, cuiuſmodi id eſſet?& vbi, & quando reuelandum? id non eſſe mundanum,dixerunt,neque terrenum,ſed cœleſte,& in conſummatione ſeculorum reuelandũ. His auditis Domitianus, eos ob villitatem contempſit,& liberos dimiſit, & perſecutionem edicto inhibuit. Vt autem peſſimus fuit,ita vitam violenter abrupit:quod vtinam ante ſuſceptum imperium factum eſſet.

*Stipendia militum aucta.* — *Naſamonũ excidium.* — *Inſidiæ ſtructæ Domitiano.* — *Signa interitus Domitiani.* — *Proclus Larginus.* — *Aſcletario mathematicus.* — *Domitiani cædes.* — *Apollonius Tyaneus.* — *Abilius II Alexandrinus epiſcopus.* — *Clemẽs III Romanus epiſcopus.* — *D. Ioannes in Patmo.* — *Dauidicæ familiæ extirpandæ conſilium.*

## Imperium Neruæ.

Qui autem



Qvi autẽ Domitiano inſidiabãtur,id facinus nõ prius aggreſſi, quã certũ ſucceſſorẽ nacti eſſent,principatũ Neruę optimo & nobiliſſimo viro detulerunt,qui ob prædictum ab aſtrologis imperiũ penè periiſſet. Domitianus enim omniũ principũ nataliciis diebus & horis indagatis:ea quoq; de cauſa nõ paucos, qui potentes fore putabantur,ſuſtulit.occidiſſet & hũc,niſi aſtrologus quidam illi bene cupiens,eũ intra paucos dies eſſe moriturũ dixiſſet. Quod cũ verum eſſe crederet,cæde eius abſtinuit,quem iã ab ipſa natura quaſi capitis dãnatũ eſſe putabat. Nerua autẽ ob eã prędictionem facilius perſuaderi ſibi paſſus eſt,vt Domitiano interfecto, ſtatim ſuſciperet imperium. Cuius prima cura fuit,vt ab illo actos in exilium,decreto reuocaret, bonis etiam reſtitutis. Patres verò conſcripti honores Domitiano decretos ſenatuſcõſulto abrogarunt. Tum etiam magnus Apoſtolus Ioãnes è Patmico exilio Epheſum rediſſe fertur. Nerua & iuſticiæ amans,& alienus ab auaritia fuit.Nã cum Atticus, Herodis rhetoris pater (vt Philoſtratus in libro quem de Rhetorum vita inſcripſit, refert) domi ſuæ ingentem theſaurum reperiſſet, ne quid ex eo periculi ſibi crearetur timens,Neruæ ſcripſit, Theſaurus à me inuentus eſt. Quid ergo iubes? ei reſcripſit Nerua,Vtere inuẽto.Cum ille nondum ſecurus denuò ſcripſiſſet,At cõditionẽ meã inuentum ſuperat:reſpõdit Imperator,Etiã abutere. Hoc imperante, ſecũdus Alexandrinus epiſcopus Abilius diẽ ſuum obiit, & Cerdo eius eccleſiæ gubernationem ſuſcepit. Antiochenæ eccleſiæ Ignatius tũ pręfuit,vir Deo plenus, ſecundus & ipſe eius loci epiſcopus poſt Euodium. Similiter Hieroſolymitanæ quoque fideliũ Eccleſiæ Symeon præfuit,alter & hic à cognato Iacobo qui frater domini dicitur,epiſcopatũ ſortitus. Hic Imperator cõpoſitiones gladiatorũ interdixit. Nihil egit niſi de ſententia principum ſenatorum. Legem tulit,ne quis in Romano imperio caſtretur, néve fratrũ aut ſororũ filias ducere liceat. Cũ à Calpurnio Craſſo,& aliis inſidias ſibi fieri deprehẽdiſſet, eis in ſpectaculo quodã proximè ſe collocatis,enſes in manus tradidit,ignaris adhuc indicij, vt viderent ſcilicet an affabrè facti atq; acuti eſſent,cũ reuera innueret, mortẽ à ſe cõtemni. Aiebat autẽ ſe ita imperaſſe, vt etiã depoſito imperio vitam priuatã tuto poſſet agere. Sed cũ ob morũ lenitatẽ & ętatẽ cõtẽneretur, Capitolio cõſcenſo exclamauit:Quod felix fauſtúmq; ſit ſenatui populóq; M.Vlpiũ Neruã Traianũ adopto. Dein Cæſarẽ quoq; eũ appellauit, eíq; ſua manu Germaniã tum obtinenti ſcripſit: *Sentiat ob lachrymas noſtras tua ſpicula Graius.*

Obijt ex morbo: imperauit annum vnum, & menſes III, Traiano Imperatore deſignato.

*Nerua ab aſtrologo ſeruatus.* — *Attici theſaurus.* — *Epiſcopi.* — *Gladiatorij ludi.* — *Coniugia.* — *Inſidiæ comparatæ.*

## Imperium Traiani.

Traianus genus ex Hiſpania ducens,anno ætatis XLII imperio potitus eſt, in ipſo animi corporíſque vigore,& à iuuenali audacia,& à ſenili ſocordia alienus. Bonis honorem habebat: bene affectus erga omnes, neminem timebat, neminem oderat: delatores contemnebat, non procliuis erat ad iracũdiam: aliena pecunia æquè ac cædibus iniuſtis abſtinebat: quamuis magno animo,magnóque ingenio pręditus,in vias portus,operáque publica magnos ſumptus faceret. Cum circum equeſtrem collapſum inſtauraſſet, maiorémque & pulchriorem feciſſet, inſcripſit, ſe feciſſe tantum,vt populus Romanus ſatis ſpacij haberet. Magis gauiſus eſt ſe amari quàm honorari:ſubditis charus,hoſtib. terribilis eſſe voluit. Quamuis diſciplina literarum eruditus non eſſet: rem ipſam tamen & nouit & exercuit:vini fuit auidior,ſed citra ebrietatẽ:puerorũ magnus amator,ſed citra cuiuſquam moleſtiam. Cum vir bellicoſus eſſet, & res magnas geſſiſſet:ea diſciplina milites continebat, ne eos efferri animis pateretur. Vxorẽ Plotinam habuit. Bello aggreſſus eſt Dacas,ſeu Dacos,ſecundum Iones,vt Appianus ait XXIII Romanę hiſtoriæ libro:quod & annua tributa pendere recuſabat, & eorum facta vlciſci cupiebat. Cuius aduentum Decebalus gentis eius princeps timuit: nõ ignarus,Traianum virum eſſe rei bellicæ peritiſſimũ. Pugna commiſſa, Romani multos hoſtes occiderunt, nec pauciores ex ipſis vulnerati ſunt: quorum tãta multitudo fuit, vt cum faſciæ deeſſent, Traianus ne ſuæ quidem veſti pepercerit. Cum arcibus magno labore expugnatis, ipſi regiæ appropinquaret: Decebalus per legatos pollicitus, ſe arma,machinas & fabros traditurum,& quicquid præterea à ſe poſtularetur facturum:ipſe ad Imperatorem venit, eúmque humi proſtratus adorauit. Deinde Traianus in Italiam reuerſus, legatos Decebali ſecum adduxit: qui in ſenatum introducti, poſitis armis, manibúſque captiuorum inſtar coniunctis, multis verbis ſupplicarunt: & pace impetrata,arma receperunt. Traianus triumpho acto, Dacicus cognominatus eſt. Neque verò propter rei militaris ſtudium cætera neglexit, ſed multis in locis & ſæpe ius pro tribunali dixit. Cum Decebalus pactis & conuentis violatis, res nouas moliri nunciaretur, denuò contra illum duxit exercitum: qui quia viribus impar erat,dolo Imperatorem vincere ſtudebat.quem cum acceſſu eſſe facilem, & quemuis ad colloquium admittere ſciret, tranſfugas ſubornauit, qui eum, ſi poſſent, occiderent. Sed vnus eorum ob ſuſpicionem comprehenſus, in quæſtionibus arcanum affatus eſt. Imperator autem ponte per Iſtrum facto,quod opus omnem admirationem & commemorationem ſuperat,traductóque exercitu,vix ille quidem & cum periculo,ſed vicit tamen Dacos. Decebalus præ deſperatione ſeipſum interfecit: ex eóque gens Dacorum, eorúmque prouincia Romanis parẽre cœpit. Reperit & theſauros Decebali, quamuis difficilis eorum eſſet inuentio. Barbaris enim fluuio, qui regiam præterfluebat, aliò traducto,in alueo foueam præaltam excauarat,quam magna auri,maiore argenti,aliarúmq; rerum quibus humiditas non nocet, copia iniecta,lapideis tabulis obſtruxerat,aggeſtáque terra,fluuium in veterem alueum reduxerat. Multa etiam in ſpeluncis abdiderat. Hæc nemine præſente,niſi captiuis faciebat:quos abſoluto opere, & rebus occultatis, interficiendos curabat, ne arcanum proderent. Vnus tamen familiaris eius, gnarus vbi theſauri eſſent, indicium fecit. Cum Licinium Suram, virum diuitem, quem

*Traiani elogia.* — *Decebalus Dacorum rex ſubactus.* — *Decebali rebellio,interitus,& theſauri.* — *Pons Iſtri.* — *Licinius Sura.*

mutuo amabat, quidam vt inſidiatorem criminati eſſent: inuocatus cœnatum ad eum abiit, & ſatellitibus ablegatis, Suræ medico oculos curandos, eius tonſori barbam radendam præbuit. Deinde lauit, & cœnauit. Poſtridie calumniatoribus dixit: Si me occidere Sura voluiſſet, nihil ei obſtitiſſet, quo minus id heri feciſſet.

*Enſis præfecti prætorio.*

Cum præfectum prætorio deſignaret, eíque enſem porrigeret, quo is accingi debebat: Cape hunc, inquit, & ſi bene impero, pro me, ſin malè, contra me illo vtitor. Inſtruxit etiã Bibliothecas.

*Parthica & Armeniaca expeditio.*

Pòſt, contra Parthos & Armenios duxit exercitum: quòd Armenius diadema non à ſe, ſed à Parthorum rege accepiſſet. Ea cauſa prætexebatur bello, cum tota res ab ambitione & gloriæ cupiditate proficiſceretur. Armenia ſubacta, multa ei à ſenatu decreta ſunt: & præter cætera,

*Optimi cognomentum.*

Optimi, pòſt etiam Parthici cognomentum tributum. ſed Optimi appellatione, quòd mores ſuos exprimeret, magis eſt delectatus.

*Antiochenus terræmotus.*

Maximo terræmotu ſub eius imperio cùm aliæ vrbes quaſſatæ ſunt, tum præter cæteras Anthiochia ad Orontẽ, vbi Traianus quoque penè periiſſet, ruina ædificij in quo degebat ictus. In iis ruinis innumera multitudo periit. alij grauitate molis oppreſſi: alij, qui fortuito ædificiorum caſu in cauis locis incluſi perfringere non poterant, illa concuſſione per dies complures durante, fame perierunt. Tandem ſedata calamitate, quidam ruinas conſcendere auſus, mulierem infrà vociferantem audiuit: quam remota materia, eduxerunt. Ferebat autem illa puerum in vlnis: quem, vt & ſemetipſam, vberibus ſuis aluerat. Deinde ruinis etiam cæteris remotis, nullos viuentes præter vnum puerum repererunt: qui autem fame perierant, multos.

*Traianus reb. in Oriẽte vtcũque geſtis, in Cilicia decedit.*

Sub vernum tempus Traianus denuò contra Parthos profectus, tota Adiabene potitus eſt. Ea pars eſt Syriæ iuxta Ninum & Gaugamela & Arbela, vbi Darium Alexander vicit: & ad ipſam vſque Babylonem progreſſus, Tigri traiecto, Cteſiphontem eſt ingreſſus. Cupiebat etiã Erythræum mare luſtrare, quæ Oceani pars eſt, à rege eius loci quodam nomẽ adepta. etiam Indos animos agitabat: dicebátque, ſi iunior eſſet, ſe illos quoque petiturum. Dum verò ad Oceanum tendit, atque inde reuertitur, ij quos dudum ſubegerat, ad defectionem ſpectabant. Veritus igitur, ne Parthi quoque idem facerent, regem eis ſuæ gentis præfecit, eíque ipſe diadema impoſuit. Deinde Arabes etiam ſub iugum reducturus, re infecta penè vulneratus eſſet, atq; ægrotans inde diſceſſit.

*Iudæorum graſſationes.*

Defecerunt etiam Cyrenenſes Iudæi, & Romanis & Græcis trucidatis. Idem & Ægyptiaci & Cyprij imitati ſunt. Sed hos miſſo exercitu domuit. Huius Iudaicæ defectionis etiam Euſebius meminit, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro I I I I. Cum in Meſopotamiam ire cuperet, morbo oppreſſus, curſum Italiam verſus intendit, P. Ælio Adriano Syriacis legionib. præpoſito. Sed cum Selinuntem Ciliciæ vrbem, quæ etiam Traianopolis dicitur, veniſſet, vita functus eſt, vt ipſe putabat, veneno hauſto: vt alij dicunt, ob ſuppreſſum ſanguinem, quem quotannis per aluum excernere ſolebat. Acceſſit apoplexia, conſecuta reſolutione corporis ex parte. Verùm aqua intercus omnino mortis ei cauſa fuit. Imperauit annos X I X, cum ſemeſtri.

*Epiſcoporũ ſucceſſiones.*

Eo imperante Symeon Clopæ filius, ſecundus Hieroſolymorum poſt D. Iacobum pontifex, martyrium ſubiit. Poſt dierum complurium cruciatus eſt ad crucem damnatus, anno ætatis vigeſimo & centeſimo. Poſt eum Iuſtus ex circumciſione tertius Hieroſolymorum pontifex eſt delectus. Alios quoque multos tum pluribus in locis martyrium obiiſſe refert Euſebius:

*Perſecutio à Traiano nonnihil lenita.*

Deinde Imperatorem cognita eorum qui occiderentur multitudine, qui nihil impium agerẽt, niſi quod matutino tẽpore Chriſtũ pro Deo celebrarẽt, & tantũ ſimulachris immolare recuſarent: edixiſſe, ne inquirerentur Chriſtiani, ſed oblati punirentur: ita perſecutionẽ factã eſſe mitiorẽ.

*D. Ignatius.*

Tum etiã D. Ignatius alter Antiochiæ Cœleſyriæ põtifex, vinctus Romam miſſus eſt: vbi cum beſtiis decertando, martyrium abſoluit. Ei ſucceſſit Heros in põtificatu. Tertio anno imperij Traiani, Clemente tertio Romano pontifice defuncto, poſt Eccleſiam fidelium nouem annis gubernatam, quartus in eius locũ ſuffectus eſt Euariſtus: qui annis V I I I ſacerdotio functus, deceſſit Alexandro ſucceſſore, qui Romanorum V fuit põtifex. Alexandrinus quoque epiſcopus ordine tertius, Cerdo, hac vita relicta, Primũ habuit ſucceſſorẽ.

## P. Ælij Adriani imperium.

TRaiano ſine liberis defuncto, Adrianũ Traiani cognatũ, cuius neptẽ in matrimonio habebat, Plotina Traiani cõiunx ex amorũ illecebris, & Tatianus eius procurator, Cæſarẽ & Imperatorẽ deſignarunt, Antiochiæ Syriæ, cui præerat, tum agentem.

*Eruditio & ambitio Adriani.*

Fuit filius Afri Adriani, vir eruditus: libros & verſu & ſoluta oratione cõſcriptos reliquit, tã immẽſę ambitionis, vt omnia affectaret, ſéque nihil ignorare profiteretur. Itaq; multos aliqua arte celebres dignitate priuauit: multos perdidit, vt ipſe in omnib. excellere videretur. Quare in eo nimia ſubtilitas, curioſitas, & morũ varietas reprehendebatur. Sed hæc vitia, prouidẽtia, diligẽtia, magnificẽtia, & dexteritas ingenij pẽſabant.

*Adriani clementia & ratio adminiſtrãdi imperij.*

Ad hæc nullũ bellũ incipiebat, cœpta ſedabat, opes nemini per iniuriam eripiebat: ſed potius multis, vltrò præſertim non rogatus, donabat. Vrbibus omnibus, ſiue ſociis ſiue vectigalibus opem ferebat: aliis aqua introducenda, aliis portubus extruẽdis, aliis frumẽto,* muneribus, pecunia, honoribus dãdis. Aduerſus populum Romanum non ſubmiſſe, ſed pro autoritate ſe gerebat: cui aliquid aliquando audacius poſtulanti non ceſſit, ſed præconem edicere iuſſit, Tacete. Qui cum nihil locutus, extenta tantum manu ſilentiũ feciſſet: non modò non ſuccenſuit homini, quaſi dicto minus audiens fuiſſet, ſed & honorẽ habuit, quod id effeciſſet, quod voluerat, diſſimulata imperij aſperitate. Neque enim ægrè ferebat, ſi quid ab aliquo contra ſuã ſentẽtiam fiebat, modò ad vtilitatẽ ſuam ſpectaret. Præteriens aliquãdo, cũ mulieri interpellanti ſibi nõ eſſe ociũ dixiſſet, atque illa exclamaret, Ergo imperare noli: ſtatim conuerſus, eã audiuit. Omnes res magnas & neceſſarias non priuato conſilio, ſed ſenatoribus adhibitis egit. Cum primoribus ius pro tribunali dixit, vt acta publicarẽtur. Conſulibus in cõcilio affuit. Semper optimates apud ſe habuit, & cum principibus atq;



bus atque optimis cõcœnauit. Cõuiuia eius plena erant ſermonũ omnis generis. Amicos grauiter ęgrotantes inuiſebat, familiariũ ſuorũ feſtiuitatibus intereſſe ſolebat. Romam vbi venit, quicquid fiſco imperatorio & ærario Romano debebatur, aboleuit. Prouincias & vrbes inuiſit, & omnia in melius prouexit. Non exercitus duntaxat, ſed etiã ſingulorũ militum negocia per ſe luſtrabat atq; excutiebat: & quos ad molliciẽ declinaſſe videbat, quid agendum eſſet edoctos, ad militarẽ frugalitatẽ reducebat, alios honorabat, alios caſtigabat. Aſperius & ipſe viuebat, vt ſuo exẽplo milites ad eandẽ victus rationẽ aſſuefaceret. Eo pacto milites tales effecit, vt turma equitũ Iſtrũ in armis facilè tranaret. Quo ſpectaculo attoniti Barbari, ei arbitriũ deferebãt controuerſiarũ, ob quas bella inter ſe gerebãt.

*Adrianus venator.*

Fuit etiã venationi deditus, in qua mẽbra aliquot fregit: & in Miſia vrbem condidit, quã Adriani venationes appellauit.

*Pompeij ſepulchrum.*

Cũ in Ægypto Pompeij Magni ſepulchrũ collapſum vidiſſet, defuncto vt heroi immolauit: & hoc verſu pronunciato,

*Templa cui ſuperant, adeóne carere ſepulchro?*

monumentum inſtaurauit.

*Ælia Capitolina.*

Vrbem in Palæſtina pro euerſis Hieroſolymis conditam, Æliam Capitolinã nominauit: & quo in loco Dei templũ olim fuerat, eo in loco pòſt Iouis lucum condidit.

*Iudæorum ſeditio & internecio.*

Iudæi verò cum ſuam metropolim à Græcis alienigenis incoli, & pereginos in ea deos coli, ferre non poſſent: dum Adrianus circa Ægyptũ & Syriam verſabatur, metu quieſcebant. Sed cũ inde diſceſſiſſet, opportunis regionis locis occupatis, quò ſe in tutum reciperent, multa Romanis detrimenta & clàm & apertè intulerũt. Nam & Iudæi ex omnibus prouinciis eò confluebant: & alienigenæ multi, ſpe lucri eis opitulabantur. Adrianus igitur duces clariſſimos contra illos miſit, quibus Seuerus Iulius præfuit: qui cum hoſtibus, ob multitudinem eorum, & deſperationem, non decernendum eſſe ratus, prohibendo commeatu, obſidendo, & cõtra partes illorũ pugnando, gentẽ eam tardius ille quidẽ, ſed minori cum periculo attriuit & afflixit, vt pauciſſimi ſupereſſent. Nã caſtella eorũ L firmiſſima ſunt expugnata, pagi eorum D C C C C & L X X X V celeberrimi euerſi, virorũ D & L X X X millia in incurſionibus & præliis interfecta. Eorũ multitudo, qui morbó, fame, incendio perierunt, nec inquiſita, nec comperta eſt. Tota quidam Iudæa ferè vaſtata eſt.

*Prodigia.*

Quam calamitatem Deus prodigiis denunciauit. Nam Salomonis ſepulchrum nulla euidenti de cauſa diſſiliit & cõcidit: lupi & hyænæ multas vrbes eorum cum vlulatu intrarunt. Cæterùm Romani quoque multi perierunt. Itaque Adrianus cum ad ſenatum ſcriberet, vſitato exordio non eſt vſus, quod erat huiuſmodi: Si vos liberíque veſtri valetis, bene eſt: ego & exercitus valemus. Et hic belli Iudaici fuit exitus.

*Albanicum bellum.*

Albanicũ verò bellũ (Albani Dione autore Maſſagetæ ſunt) à Pharaſmano eſt commotum, * qui Mediam admodũ afflixit, Armeniã verò & Cappadociã attigit. Sed Albanis partim muneribus delinitis, partim metu auerſis, maleficio abſtinuit.

*Æquitas Adriani.*

Romã reuerſus Adrianus, populo ſeruum aurigantem, vt in libertatẽ aſſereretur, flagitanti, reſtitit, his verbis: Neq; me alienũ ſeruum libertate donare, neque vos domino eius vim afferre decet. Cũ ex profluuio ſanguinis per nares ſine ſpe ſalutis ægrotaret, Lucium Cõmodũ Cæſarẽ Romanorum deſignauit: Seueriano & Fuſco nepote, qui id ægrè ferebãt, occiſis. Erat autẽ Seuerianus annos L X X X X natus. Qui cum occidendus eſſet, igni poſtulato, ſuffitúque facta, dixit:

*Seueriani imprecatio cõtra Adrianum.*

Vos, ô dij immortales, noſtis me inſontem eſſe. Illud autẽ precor, vt Adrianus mori cupiat, nec poſſit. Ac Adrianus diuturnitatẽ morbi pertęſus, ſæpe mortem optauit, ſæpe manus ſibi ipſi afferre voluit. Ac Seuerianum & ipſe imperio dignum iudicauit. Nã cum amicos aliquando ſibi X viros imperio dignos nominare iuſſiſſet, paulo pòſt ſe nouẽ duntaxat velle dixit, vnum enim Seuerianum ſibi notum eſſe. Fuerunt & Turbo, & Similis inter optimos clariſſimi.

*Turbo.*

Ac Turbo, vt rei militaris peritiſſimus, cũ præfectus prætorio factus eſſet, vt vnus è populo vitam exegit: nec vnquam ob perpetuã cum Imperatore conſuetudinem, domi, licet ægrotans, interdiu viſus eſt. A quo aliquãdo aduerſa valetudine admonitus, vt quieti ſe daret, reſpondit, præfectum prætorio ſtantẽ mori oportere.

*Similis.*

Similis autẽ illo natu grãdior & ordine prior, cum ſub Traiano centurio ante præfectos ab illo vocatus eſſet, ingreſſus dixit: Turpe eſt, Cæſar, præfectis foris ſtantibus, te cum centurione colloqui. Deinde prætorio præfectus, dignitatem illã & inuitus accepit: & vltro ea repudiata, ruri V I I annis exactis mortuus, ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit: Similis hic ſitus eſt, qui in vita fuit tot annis: vixit annos ſeptẽ.

*M. Aurelius Antoninus Imperator deſignatur.*

Adrianus verò ex vehemẽti ſanguinis fluxu, & tabe & aqua intercute laborãs, cum Cæſar L. Comodus lõgo tẽpore ſanguinẽ vomere ſolitus, immodica egeſtione ſubitò extinctus eſſet, principibus ſenatorib. conuocatis dixit: Lucium nobis fortuna eripuit. Verùm reperi vobis Imperatorem nobilem, clementẽ, facilem, prudentem: qui neque præ adoleſcentia temerè, neque præ ſenio quicquam ſegniter eſt facturus, Aurelium Antoninum.

*M. Anninus Verus Aurelio adoptatur.*

Quo ſic Imperatore creato, quia is quoque filio carebat, de ſecuturis Imperatoribus ſolicitus, Commodum Commodi filium ei adoptandum dedit: qui cum antè Catilius diceretur, ab auo Annino Vero, ter Conſule & tribuno, M. Annini Veri nomen accepit. Adrianus verò, cum per magiam & præſtigias quaſdam aliquãdo noxios humores exhauſiſſet, nec multo pòſt aliis affluentibus indies peius haberet, mortem optauit: ſed voti compos fieri nõ potuit, cum nemo ei enſem aut venenum pręberet, deniq; cũ ſeipſum occidere nõ poſſet, omiſſa curioſiore victus ratione, cibis & potionibus ei morbo alienis vtendo, mortem accerſiuit. Vixit annos L X I I, menſes V, dies X I X. Imperauit annos X X I, menſe vno dempto.

*Epiſcoporũ catalogi.*

Sub eius principatu Alexander pontificatu vrbis Romæ X annis functus, in vitam ſenectutis expertem migrauit: cui ſucceſſit Xyſtus. Primus Alexandrinus, duodecimo epiſcopatus anno defunctus, Iuſtum habuit ſucceſſorem. Hieroſolymitanos epiſcopos vſq; ad Iudaicam ſub Adriano defectionem fuiſſe X V, omnes ex Iudaiſmo Chriſtianiſmũ amplexos, cõmemorat Euſebius: quos non diu vixiſſe apparet. Eorum primus fuit Ia-

cobus, qui frater Domini dicitur: alter Symeon: tertius Iuſtus: quartus Zachęus: quintus Tobias: ſextus Beniamin: ſeptimus Ioãnes: octauus Matthias: nonus Philippus: decimus Seneca: alter Iuſtus vndecimus, Leuis duodecim⁹, Ephres x i i i, Ioſephus x i i i i, Iudas x v. Xyſto poſt decenniũ defuncto, Romæ ſucceſſit Teleſphorus, ordine ſeptimus. Alexãdrinæ Eccleſiæ gubernationem Eumenes, numero ſextus eſt ſortitus: Iuſto poſt annũ vndecimũ defuncto. Hic Imperator propter ſeditiones iam cõmemoratas, poſt inſignẽ illũ populi interitum, Iudæis ingreſſu Hieroſolymorũ & totius prouinciæ interdixit. Deinde cũ vrbs à gentilib. incoleretur, & de nomine Adriani Ælia vocaretur: primus eius pontifex poſt circumciſos fuit.

*Hæretici.*

Marcus Tũ etiã Saturninus Antiochenus, Baſilides Alexandrinus, & Carpocrates, diuerſarũ ſectarum autores naſcebantur: & Hegeſippus Apoſtolici præconij traditionẽ quinq; libris cõſcripſiſſe fertur: & Iuſtinus philoſophus poſt etiam martyr, à Græcis diſciplinis ad Dei cultum tranſiit.

*Reſcriptum de Chriſtianis.*

Is narrat Herennium Granianũ Aſiæ proconſulem ſcripſiſſe Adriano, non eſſe æquum, Chriſtianos ob vllum facinus plecti, cũ verò reſpõdiſſe, Neminem niſi criminis alicuius iudicio damnatum, occidendum eſſe.

## *IMPERIVM M. AVRELII Antonini Pij.*

*Funus Adriani.*

ANtonino rerũ potito, quẽ Adrianus adoptatũ & Cæſarẽ & Imperatorem deſignarat Senatus Adriano diuinos honores, ob clariſſimos viros interfectos, decernere noluit. Qua de cauſa Antoninus alia plura cũ lachrymis diſſeruit, & ſe illis imperaturum eſſe negauit. Sic enim omnia eius acta, inter quæ & ſua deſignatio eſſet, vt hominis inimiciſſimi & peſſimi, abrogatũ iri. Senatus igitur cùm ex verecũdia Antonini, tum militum metu, honores defuncto decreuit.

*Pij cognomentum.*

Pius autẽ hic Antoninus appellatus eſt, quod recens ſuſcepto imperio, multis accuſatis, nõnullis etiã nominatim ad cædẽ poſtulatis, de nullo pœnas ſumpſit. negauit enim à talibus operib. imperiũ ſibi eſſe auſpicandũ,

*Antonini mores.*

& per omne tẽpus iuſtus & clemẽs permanſit. & ſubditis omnib. atque adeò Chriſtianis etiã minimè grauis: quos adeò nõ malè tractabat, vt etiã venerarętur. Fertur autẽ ad rẽ attentus fuiſſe, ac ne minima quidẽ neglexiſſe: qua de cauſa vt ſordidus eſt deriſus. nec tamẽ à ſubditis pecuniã exegit. Nã cũ aliquãdo bellis vrgẽtibus pecunia egeret: nec vectigal nouũ excogitauit, nec à quoquã poſtulare pecúniã voluit, ſed omnibus regię ornamẽtis & vxoris ſuæ mundo muliebri in foro vænũ expoſitis, pecuniã coactã militibus dedit. Victis autẽ in hoſtibus longè maiore parta, per præconẽ edici iuſſit, qui imperatoria inſtrumenta reſtituere vellent, iis preciũ redditũ iri. ac nõnulli id fecerũt: ſed eorum qui recuſarunt, qui plures fuere, neminem coegit.

*Lex de hæreditatibus.*

Huius lex eſſe fertur, vt parẽtes liberorum, qui inteſtati decedant, hæredes ſint: & qui teſtamento facto orbi decedant, neceſſariò legitimam partem parentibus relinquant. Eo imperante horribili terræmotu cõplures Bythiniæ & Helleſponti vrbes conciderunt.

*Cyzicenum templum.*

Sed Cyzicus in primis eſt afflicta: in qua etiam celebre illud templũ corruit, cuius columnæ ex vnico ſaxo quatuor orgyas craſſæ, in altitudinem L cubitorum aſſurrexiſſe perhibentur: quod ſi cui incredibile videbitur, is cætera etiam eius operis omnia mirabilia fuiſſe cogitet. In hoc Imperatore illud etiã celebratur, quòd Senatuſconſultum Iulij Cæſaris iuſſu factum cremauit, quo edicebatur, ne cui teſtamẽti factio eſſet, niſi certã partem ærario legaret. Vnde moris eſt ad hoc vſque tẽpus inſcribi teſtamentis, Hoc Imperatorio fiſco relinquo. Deceſſit Antoninus Pius ſenex, morte ſomno leniſſimo haud abſimili, anno Imperij x x i i i i.

*Epiſcoporũ ſucceſſiones.*

Huius primo anno Teleſphorus Romæ Epiſcopus, vndecimo anno miniſterij ſui, martyrij corona inſignitus, vt Irenæus narrat, felicem exitum ſortitus eſt, Hygino in Romanam ſedem collocato, ſub quo Valentinianus hæreticus extitit, & Cerdo ſectæ Marcionis autor.

*Valentinianus. Cerdo. Marcion.*

Hygino poſt quartum pontificatus annum defuncto, Pius Romanæ eccleſiæ, Alexandrinæ Marcus eſt præfectus, poſt Eumenem pontificatu annis x i i i fructum. Marco etiam poſt decennium mortuo, Celadius miniſterium ſuſcepit. Pio Romæ poſt annos x v epiſcopatus defuncto ſucceſſit Anicetus: quo tempore Iuſtinus etiam martyr & philoſophus, veræ doctrinę aſſertor, floruit.

*Iuſtinus martyr.*

Is & librum contra Marcionem edidit, & ad Antoninũ Pium defenſionem Chriſtianorum ſcripſit: qua Imperator impulſus, decreto ad ciuitates Aſianas miſſo cauit, ne quis Chriſtianos propter religionem ſupplicio afficeret. quòd ſi quis eo nomine accuſaretur, reum abſoluẽdum, accuſatorem mulctandum eſſe.

## *M. AVRELII ANTONINI PHILOſophi imperium.*

HÆc ſub Pio geſta ſunt. poſt cuius obitum M. Aurelius Antoninus, à Pio, vt dictum eſt, adoptatus, imperio ſuſcepto, Statim L. Commodum Verum, L. Commodi filium, collegã ſumpſit. Erat enim Marcus & imbecilli corpore, & diſciplinis ita deditus, vt etiam Imperatorem factum ſcholas frequentare non puderet. Cum Sexto igitur Bœotio philoſophabatur, & Hermogeni rhetori operam dabat, ſed Stoicis magis addictus erat: Lucius verò, vtpote iunior, & laborum tolerans, & ad rem militarem natus erat. Itaque Marcus ei, Lucia filia deſponſa, bellũ Parthicũ mandauit, cũ Vologeſus multos Romanos ſagittis cõfeciſſet, ac totũ exercitũ peremiſſet, ſéque Romanorum hoſtẽ declaraſſet, & Syriacas vrbes magno cum terrore inuaderet. Lucius igitur Antiochiam profectus, Caſſio legiones dedit, qui Vologeſum victum Seleuciam vſque perſecutus, vrbem cremauit, & eius regiã Cteſiphontem euertit. Quo ſucceſſu Lucius elatus, ſocero & Imperatori deinde ſtruxit inſidias: ſed eæ priuſquam ad rem cõferrentur, veneno periit. Inde Caſſius vniuerſæ Aſiæ procurator eſt deſignatus.

*Marcus in Pãnonia cũ Iazygibus & Marcomannis bellũ gerit.*

Imperator verò cum Barbaris, qui circa Iſtrum incolunt, Iazygibus, Marcomannis, & aliàs aliis longo tempore in Pannonia bellum geſſit. Galli Tranſrhenani vſque ad Italiam ſunt progreſſi: inter quorũ cadauera, etiam muliebria corpora armata ſunt

inuenta



inuenta. In tantis autem bellis ea prudentia & grauitate imperauit, vt militibus neq; vllo verbo adularetur, neq; metu eorũ quicquã faceret. Cũ à bellis ocium erat, ius dicebat: & Oratoribus ad aquam verba facientibus plus infundi iubebat, vt ab omni parte æquitatem indagare poſſet. Adeò laborioſus, ídque in tenui valetudine, vt noctu etiam pro tribunali ſederet: atque obiter nihil neque diceret, neque ſcriberet, neque faceret. neque enim decere putabat, vt Imperator vel minimũ perfunctoria opera adminiſtraret. Marcomannos & Iazygas multis magnis præliis & periculis ſubegit. Contra Quados grauiſſimo bello ſuſcepto, admirabilem victoriam diuinitùs eſt adeptus. Qui cum Romanos vndiq; circumdediſſent, hi verò teſtudine facta fortiter ſe defenderent: Barbari omiſſa pugna, circumiecta loca omnia obſepſerunt, necubi aquari poſſent: rati, ſe eos ſiti & æſtu afflictos facilius ſuperaturos.

*Chriſtianorum precibus Romanæ legiones Quados ſuperãt.*

Romanis autem labore, æſtu, ſiti, vulneribus cõfectis: aëre ſubitis nubibus denſato vehementer pluit, non, vt Dion ſcribit, propter Ægyptij magi præſtigias, Mercurium obteſtati: ſed Deo Chriſtianorum precibus exorato, & ipſi & vniuerſus exercitus, per miraculum ſunt conſeruati. Nam cum in Romanis caſtris Chriſtiana legio eſſet, prętorio pręfectus Imperatori ęſtuãti, & de toto exercitu ſolicito dixiſſe fertur, populũ Chriſtianorũ nihil non poſſe, eſſe autẽ in exercitu integram ex eo hominum genere legionem. Quo ille audito, eos rogarit, vt ſuum Deum imploraret. quo facto, fulmina in hoſtes ſint illata, imber in Romanos. Quare obſtupefactus Marcus, Chriſtianos decreto honorauit, & fulminatricem legionem illã appellauit. Ac ſic fuiſſe appellatam Dion & cæteri conſentiunt, ſed cauſam non addunt. Miraculi huius etiam Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria meminit. Cæterum Diõ ait imbre facto, Romanos bibendo occupatos, ſubita incurſione Barbarorum penè periiſſe, niſi vehementi grandine & multis fulminibus hoſtes petiti eſſent.

*Caſſij defectio & interitus.*

At Caſſius in Syria agens, nouas res molitus eſt, homo Syrus, ſed vir optimus, & qualis Imperator exoptari queat. Eſt autem nuncio de Marci interitu ad defectionem impulſus, quem cum paulo pòſt falſum eſſe comperiſſet: à re ſemel cœpta deſiſtere noluit, ita ſe parans, vt qui imperiũ vi occupare vellet. Marco verò milites pro cõcione ad rẽ ſtrenuè gerendã cohortato, & ad bellũ ſe paranti, victoriæ plurimæ contra diuerſos Barbaros nunciatæ ſunt, & Caſſij cædes: quem centurio quidã in itinere aggreſſus, ſubitò vulnerauit, non tamen lethaliter, ſed cædem eius decurio abſoluit. Sic ille per tres menſes & dies ſex imperio ſomniato periit. Eſt & filius eius alibi occiſus. Imperator verò nullum qui cum eo fecerat, occidit: ſed clementer tractauit omnes. Ad ſenatũ etiã ſcripſit, neminẽ ex Caſſij adiutoribus eſſe occidẽdũ. Abſit enim, inquit, ne quiſquam veſtrûm propter me, vel meo vel veſtro ſuffragio perimatur. Quod niſi impetro, quamprimum moriar. Adeò in reb. omnibus & pius & clemens fuit. Poſtea lex lata eſt, ne quis ei prouinciæ præeſſet, è qua natus eſſet: propterea quòd Caſſius Syriæ prætor, in qua patriam habebat, regnũ affectarat. Athenas profectus Marcus, ciuibus honorem habuit, & omnium diſciplinarum magiſtros ordinauit, annuis ſtipendiis è publico decretis. Cum Romam veniſſet, omnibus qui ærario aut fiſco debebãt, æs alienum cõdonauit, ciuitatibus pecuniam dedit, & Smyrnã terræmotu afflictã inſtaurari iuſſit. Scythicis gentibus denuò tumultuantibus, filio maturius quã ſtatuerat, Criſpina vxore data, expeditionem ſuſcepit, pecunia ex ærario petita. Omnia enim ſenatus populíque eſſe dicebat. Barbaris debellatis, decimùm Imperator eſt appellatus. quod ſi vixiſſet diutius, loca illa omnia ſubegiſſet.

*M. Veri Antonini obitus.*

ſed obiit, à medicis, vt aiũt, in Cõmodi gratiã cõfectus: quẽ tamẽ iam moriturus militib. cõmendauit, ne ab eo interfici videretur. Tribuno teſſerã poſtulanti ad Orientẽ (inquit) ito: ego enim iam occido. Obiit annos L I X natus, diebus x x x v i i i minus imperio annos x i x & dies x i optimè præfuit. Nam cum natura vir bonus eſſet, doctrina longè melior euaſit: neque tamen felicitas virtuti eius reſpondit. quo magis admirandus eſt, quòd in aſperrimis & difficilimis rebus & ſemetipſum & imperium conſeruauit. Eò imperante, D. Polycarpus Smyrnæus pontifex martyrij corona redimitus eſt.

*Epiſcoporũ ſucceſſiones.*

& eloquentia magnus, confeſſione maior, Iuſtinus certamen obiit, cuius multa ſcripta etiamnum extant. Octauo anno imperij huius M. Antonini Veri, Anicetus obit, Eccleſia Romana per annos x i gubernata. Ei ſucceſſit Soter. Celadione poſt annos x i i i i vita functo, Alexandrinus Epiſcopatus Agrippino eſt traditus. Cornelio Heronis ſucceſſori, ordine quarto, ſucceſſit quintus Eros. illi Theophilus ſextus qui ſcriptis contra Marcionẽ pugnauit. Ei ſucceſſit Maximinus v i i. Sotere Romanorum pontifice rebus terrenis exempto, in eius throno collocatus eſt Eleuterus.

## Imperium Commodi.

COmmodus verò M. Antonini filius, optimè à patre educatus & inſtitutus: diſciplinæ, qua eruditus erat, non reſpondit. Sed cum ſimplex eſſet, ac minimè callidus, & timidus, paruit familiaribus ſuis: corruptíſque moribus, ab iis ad luxum & cædes eſt impulſus x i x annos natus cum imperio potiretur,

*Commodus diſſolutus & ſanguinarius.*

principum ſenatorum, quos ei pater curatores dederat, conſiliis repudiatis, pace facta cum Barbaris, tædio laborum & diſſolutæ vitæ amore Romã reuertitur. Quibus de cauſis crebris inſidiis appetitus, plurimos non viros tantum, ſed etiam mulieres, & ferè omnes illius ætatis claros homines, Pompeiano, Pertinace & Victorino exceptis, interfecit, vt qui res illas ſcripſerunt, dubitent, quo pacto illi cædem effugerint.

*Pompeianus*

Theatrum venatorium ingredienti inſidiatus eſt Claudius Pompeianus, & in aditus anguſtiis ſtricto enſe dixit: Hunc tibi ſenatus mi[ſ]it. Ei Pompeiano filia Lucillę ſororis Commodi nupta erat, ſed & ipſa Lucilla eius conſuetudine vtebatur, fratre nihilo humanior aut modeſtior. eáque de cauſa Põpeiano perſuaſo, vt Commodum aggrederetur, & ipſum & ſemetipſam perdidit.

*Lucilla.*

*Criſpina.*

Suſtulit & Criſpinam vxorem Commodus, ob adulterij crimen. Quod ſi quis eos omnes quos vel ob falſas criminationes, vel propter inanes ſuſpiciones, vel

propter magnas diuitias, vel generis ſplēdorem, vel eruditionem excellentem, vel gloriam virtutis interfecit, exquirere ſtudeat, nę is magnam lectoribus moleſtiam pariet. Bella quoq; ſub eius imperio geſta ſunt aduerſus Barbaros qui ſupra Daciam incolunt, & Britannicum, omnium maximum: ad quod Vlpium Marcellum miſit, virū & continentis & militaris vitæ, abſtinentiſſimū, nec tam natura quàm ex ſobrietate vigilantiſſimum. Nam vt nec pane ſatiaretur, eo minimè recenti, ſed ante multos dies cocto veſcebatur: vt nihil vltrà poſſet edere, quàm ſumma neceſſitas poſtularet. Qui cum Britannos grauiter afflixiſſet, parum abfuit quin ob virtutem à Cōmodo necaretur. Perennius verò prætorio præfectus Imperatore aurigationibus & luxui vacante, & Remp. & rem militarem adminiſtrare cogebatur. Ac ſi quid militibus aduerſi accidebat, id illi iracundè imputabant. qui igitur in Britannia militabant, ob motam ſeditionem obiurgati mille quingentos ſui ordinis in Italiam miſerunt, quibus Romæ appropinquantibus Commodus obuiam profectus: Qua de cauſa venitis, inquit commilitones? Qui cum reſpondiſſent, eò ſe adeſſe, quòd Perennius ei inſidiaretur: credidit ille, virūmque illis dedidit: à quibus excruciatus interiit, cum magiſtratū modeſtiſſimè & integerrimè geſſiſſet. Quo amoto Cæſariani, quorum dux & autor erat Cleander, nullo facinore abſtinuerunt: impunè omnia vendentes, & nihil non audentes, quod ſuperbia & libido ſuaſiſſet. Cleāder verò à fortuna in altum ſublatus, & donauit & vendidit ſenatum, expeditiones, præfecturas, prouincias, omnia denique. ac nonnulli omnibus ſuis bonis ordinem ſenatorium redemerunt: vt de Iulio Solone homine obſcuriſſimo diceretur, eum bonis ademptis in curiam relegatum eſſe. Conſules in vnum annum XXV deſignauit, quòd nec antè nec pòſt vnquam factum eſt. Itaque pecunia vndique colligēda magnas opes eſt adeptus, de quibus plurima Commodo & eius cōcubinis donabat. Nihiloſecius tamen in tanto fortunæ faſtigio ignominoſè periit. Nam cum annonæ penuria Romæ laboraretur, Dionyſius Papyrius rei frumentariæ præfectus, eam magis coarctauit: vt Cleander, tanquam ob furta malorum autor & inuiſus populo, facilius interiret. Ludis igitur Circenſib. cum equi iam excurſuri eſſent, multitudo puerorum in circum accurrit, quos magna quædam virgo toruo vultu ducebat, quæ dea poſtmodum credita eſt: ortóque à pueris clamore, populus etiā vociferans ad Commodum in ſuburbio agētem contendit, ac illi bene precatus, Cleandro diras eſt imprecatus. Imperator verò ſatellites contra eos miſit. qui cum nonnullis vulneratis, nonnullis occiſis, populum repellere non poſſent: multitudine & robore militum fretus ipſe prodiit. Sed cum turbam appropinquantem vidiſſet, homo ignauiſſimus ita pertimuit, vt Cleandrum & filium eius ſtatim occidi iuberet. Puer igitur limini illiſus periit. Cleandri verò corpus Romani excarnificatum traxerunt, & caput eius haſtæ affixum circumtulerunt. Sunt & aliquot alij palatini proceres interfecti. Commodus verò ad cædes incitatus, viros illuſtres occidebat: & in omnes Romanos ſæuiſſimus, ea ſibi tribui cogebat, quæ patri eius vltrò ex beneuolentia delata fuerant. Igitur præter alia plurima, ſtatua aurea mille pondo librarum ei decreta eſt, & omnes menſes de ſe nominari iuſſit, qui hoc ordine numerabantur: Amazonius, Inuictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculanus, Romanus, Excellens. Nam hæc ſibi nomina omnia vendicabat. itaque ad ſenatum ſcribebat: Imperator Cæſar Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Felix, Pius, Inuictus, Romanus, Hercules, Pontifex, Tribunitiæ poteſtatis XVIII, Imperator VIII, Conſul VII, pater patriæ: Conſulibus, prætoribus, tribunis, ſenatui Commodiano felici ſalutem. Multas ei quoque ſtatuas Herculis habitu erexerunt. Eſt & decretum, vt eius ſeculum ab eo aureū ſeculum diceretur. Nam prçter alia nomina etiam aureus & Deus vocabatur. Cum autem ſumptibus immodicis fiſcum exhauſiſſet, viros & mulieres criminando, alios occidit, alios ſalutem ſuam omnibus bonis redimere paſſus eſt. Aurigabat domi. nam id in publico facere verebatur. Pugnabat domi vſque ad cædes: in theatro verò, ſine ferro & ſanguine humano. Domi quoque capillis quorundam radendis, aliis naſos præcidebat, aliis aures, aliis aliud membrum. Theatrum Mercurij habitu ingrediebatur, aureum caduceū manu verſans. Magnæ ſibi laudi ducebat, quod ſcæua eſſet. Certando feſſus potabat, ſenatu & equeſtri ordine acclamantibus: Viuas, Dominus es, primus es, victoriis omniū fauſtiſſimis potieris. Item, Amazonie vincis, ſubinde clamare iubebantur. Aliquando pedib. mutilatos, aut ex morbo alióve caſu claudos coegit, & Draconum formis ad eorum genua annexis, miſeros tanquam Hercules pro gigantibus claua occidit. Denuò cum gladiatoribus pugnaturus, equitibus & ſenatui mandauit, vt habitu equeſtri & penulati theatrum ingrederentur, quod non niſi mortuo Imperatore fieri ſolebat: & galea eius extremo die ludorum per eam portam eſt elata, qua mortui efferebantur. Quæ omnibus liberationem ab eius tyrannide breui portendere videbantur, ídque paulo pòſt accidit. Nam Æmylius Lętus præfectus, & Electus cubicularius, cum eum factus illis offenſi, monuiſſent vt deſiſteret: iracundiam & minas illius metuentes, in bubulis carnibus venenum ei præbuerunt. Quod cum, vt parum efficax, euomuiſſet: ac quid actum eſſet, ſuſpicatus, minas ſpiraret: lauantem à Narciſſo quodam occidendum curauerunt, annos XII, menſes IX, dies XIIII rerum potitum: natum annos XXXI, & menſes IIII, in quo germana Aureliorum familia imperare deſiit. Primo anno eius imperij Iuliano Alexandrinus epiſcopatus, eſt traditus, Agrippino XII gubernationis anno defuncto. Tum quoque Clemens contextor floruit, & Pantænus philoſophus arcanorum noſtrorum ſectator & preco. De Hieroſolymis ſuprà narrauimus, illam Eccleſiam poſt circumciſos à Marco eſſe gubernatam, vrbe ab Adriano inſtaurata, & à gentilibus habitata. Ei ſucceſſit Caſſianus, huic Publius, Publio Iulianus, Iuliano Caius, Caio Symmachus, Symmacho alter Caius, Caio alter Iulianus

*Vlpius Marcellus.* *Perennij cædes.* *Cleander in altum tollitur, vt lapſu mox grauiore ruat.* *Seditio contra Cleandrum.* *Decreta vi extorta.* *Menſes & tituli Commodiani.* *Commodi ludi parum commodi.* *Omnia interitus.* *Commodus ab Æmylio Læto, Electo & Narciſſo occiſus.* *Epiſcoporū catalogus.* *Clemens Stromateus.* *Pantænus.*



ter Iulianus, Iuliano Capito, Capitoni Valens, Valenti Dolichianus: poſt quos omnes Narciſſus trigeſimus ab Apoſtolis Hieroſolymorum epiſcopus fuit. Decimo anno imperij Commodi Eleuthero, Romani epiſcopatus anno decimotertio, defuncto, Victor cœtui fidelium præfuit. Iuliano poſt decimum annum epiſcopatus Alexandrini mortuo, id munus Demetrio eſt commiſſum. In Antiochena Eccleſia Serapio poſt Maximinum Chriſtianorum paſtor fuit, octauus ab Apoſtolis pontifex. Tunc Apollonius philoſophus inclyta doctrinæ fama, ſenatus Romani decreto condemnatus, per martyrium in æterna tabernacula migrauit.

*Apollonius philoſophus.*

## Imperium Pertinacis.

COmmodus imperio ad hunc modum perdito, vt expoſitum eſt, ipſe quoque periit. Electus verò & Lætus, ad pertinacem, ob virtutem & dignitatem viri, principatum detulerunt. qui explorata Commodi morte, ſuſcepto imperio in caſtra venit, militúmque fauore & Læti præſentia & magnis pollicitationibus cōciliato, curiam ingreſſus, ſe à legionibus appellatum eſſe Imperatorem, ſed propter ętatem, & imbecillitatem, & rerum difficultatem cedere imperio dixit. cum verò à ſenatu quoque laudaretur, & probaretur, Imperator declaratus eſt: Commodus vero hoſtis iudicatus, & a ſenatu populóque contumeliis affectus eſt. Ac reuulſis eius ſtatuis, in animo habebant cadauer etiam per vicos raptare: ſed cum id Pertinax iam ſepultum eſſe dixiſſet, ea re omiſſa, Commodum nefarium, tyrannum, aurigam, gladiatorem, & pluribus aliis nominibus appellarūt. Pertinax Afer ex Alba Pompeia, patre haud nobili, natus, tribunus equitum fuit, aditu facilis, haud grauatim audiebat, & reſpondebat quæ videbantur. Potitus imperio, præter alios titulos etiam princeps ſenatus veteri more dictus eſt. Praua inſtituta, ſua cura & prouidentia correxit, atque in melius mutauit: per iniuriā cæſos ignominia exemit. Cum autem pecuniæ tanta inopia in palatio eſſet, vt in fiſco non amplius CCL millia drachmarum inuenirentur: ægrè ex ſtatuis, armis, domeſtico inſtrumento & deliciis Commodi tantum coegit, vt militi ſolueret quæ promiſerat, & populo centenas drachmas diſtribueret. Ea enim omnia quibus Commodus ad delicias, compoſitiones gladiatorum, & aurigationes vſus fuerat, Pertinax in foro vendidit. Lætus verò & Pertinacem laudabat, & Commodum proſcindebat: & Barbaros aliquot ex via reuocatos, qui magnam pecuniam à Commodo ſeruandæ pacis ergò acceperant, erepto auro ſuis popularibus nūciare iuſſit: Pertinacem imperare, cuius illi nomen ſuis cladibus didicerant. Hæc & alia traducendi Commodi cauſa Lætus fecit, ſed Pertinaci fidem non diu ſeruauit. Cum enim votorum non cōpos fieret, milites rapinis aſſuetos, & Pertinaci quòd iis prohiberętur infenſos, ad inſidias ei faciēdas impulit. Itaque Falconem conſulem, virū & genere & opibus illuſtrem, Imperatorē deſignare ſtatuerunt. Quo Pertinax cognito, qui annonæ parandæ cauſa ad mare agebat, properè in vrbem profectus, & curiam ingreſſus, orationem habuit, ſenatúque Falconem damnaturo, exclamauit: Abſit vt me imperante vllus ſenator vel iure condemnetur. Lætus verò militibus aliquot quaſi ab Imperatore iuſſus, occiſis, effecit, vt cæteri ſibi metuentes tumultuarentur, & CC audaciſſimi ſtrictis enſibus ad palatium contenderēt. Quos cum vxor adeſſe Pertinaci nunciaſſet, ille quamuis reſiſtere, eóſque per nocturnas excubias & equites occidere poſſet, tamen nec hoc fecit, nec ſe occultare aut effugere voluit. Sed ſpe forſitan concepta, ſe conſpectu ſuo illos territurum, & oratione ſedaturum, accedentibus obuiam iuit. Illi verò primū verecundia ducti, gladios vaginis condiderunt. Deinde cum vnus ſtricto gladio proſiluiſſet, eúmque percuſſiſſet, cum gladiū illi à militibus miſſum eſſe dicens: etiam cæteri concitati, & ipſum Imperatorē & Electū occiderunt. Deinde Pertinacis caput haſtæ affixum, quaſi re bene geſta, circuntulerunt. Vixit hic vir annos LXVII, quatuor menſibus demptis. dies non amplius LXXXVII imperauit.

*Pertinax Læti inſidiis perit.* *Falco.* *Pertinacis interitus.*

## Didij Iuliani Imperium.

NVnciata Pertinacis cæde, Sulpicianus ab illo in caſtra, tumultus ſedandi cauſa, miſſus, ibi manſit: operámque dedit, vt Imperator crearetur. Interea Didus Iulianus, homo inexplebilis auaritiæ, nouis rebus ſubinde ſtudens, eáque de cauſa Mediolanum in patriam ſuam à Cōmodo relegatus, Pertinacis obitu cognito, feſtināter in caſtra venit. Ibi ad portam, hoc extrà Sulpiciano intrà ſtante, quibuſdam Romā & imperiū emendum eſſe affirmantibus, & vtrique dicētibus, hic tātum dat, ille tantū: Quantū tu addis? Iulianus, quamuis ab altero magna pecunia promiſſa, eſt prælatus, timentibus militibus, ne Sulpicianus Pertinacis ſoceri necē vlciſceretur. Iulianus verò in caſtra receptus, & Imperator ſalutatus, inde ad forum & curiam maximo ſatellitū comitatu contendit, vt per illos ſenatui populóque Romano terrorem incuteret, ac ſenatui dixit: Vobis principe opus eſt: & ego præ cæteris omnibus ſum principatu digniſſimus. Quamuis igitur & ob orationis inſolentiam, & circundatos curiæ milites, inuiſus eſſet: tamen ex metu à ſenatu etiam imperio confirmato in palatium aſcendit. Poſtridie ſenatores eum conuenerunt, ne ſuum in illum odium animaduerteretur. Sed populus vniuerſus mœſtitia haud diſſimulata, Imperatorem curiam ingreſſurum, quaſi ex compoſito cum magnis clamoribus paricidam & raptorē Imperij appellauit. Illo verò iram diſſimulante, & pecuniam pollicente, indignati, quaſi largitionibus corrumperentur, vniuerſi exclamarunt, Non volumus, non accipimus. Cum Iulianus eos qui iſta dicerent, occidi iuſſiſſet, populus magis etiam concitatus, mentione Pertinacis facta, Iulianum deriſit: & quamuis multi paſſim per vrbem & vulnerarentur & occiderentur, tamen non cedebant: ac ſumptis armis in curiam equeſtrem concurſu facto, noctem & diem ibi ſine cibo durarunt: reliquos milites inclamantes, Peſcennium Nigrum in primis, & Syriacas eius legiones. Deinde fame & vigiliis fatigati, domum quiſque ſe receperunt. Iulianus verò vt imperium rapuerat, ſic illiberaliter eo vſus eſt, Senatui & iis qui aliquid poterant, aſſentando, ac partim donando, partim pollicendo.

*Didius Iulianus Sulpiciano repulſo Imperator creatur.* *Seditio contra Iulianū.*

*Seuerus Albinū decipit, Peſcennium Nigrum anteuertit.*

Quamuis autē nihil non ad cultū potentiorum faceret,tamen nemini fidem faciebat.Quæ dum Romæ aguntur, tres exercituum duces, Seuerus Pannoniæ,Niger Syriæ, Albinus Britanniæ, cognitis Iuliani rebus, ad eum opprimendum properarunt. Cæterùm Seuerus cæteris callidior, cum proſpiceret, euerſo Iuliano reliquos tres inter ſe de principatu dimicaturos eſſe, vnū ſibi conciliandum eſſe ſtatuit. ſed quia Niger longius aberat, elatóque animo eſſe videbatur, propterea quòd populus,vt dictum eſt,eum nominatim imploraſſet : ad Albinum inclinauit, eíque clàm ſcripſit, ſe eum Cæſarem facturum eſſe.Eo autem Seueri collegam ſe fore ſperante, eodémque loco manente, Romam contendit.

*Iulianus poſt irritos defenſionis conatus occiditur*

Quo cognito, Iulianus Seuerum à ſenatu hoſtem iudicandum curauit,ſéque ad bellum parauit: palatio carceribus & robuſtis portis munito. Nam quia putabat milites Pertinacem non facile occiſuros fuiſſe, ſi ſe incluſiſſet : ſe incolumen euaſurum credebat,ſi victus intra clauſtra ſe contineret. Lætum quoque occidit, & complures emiſit, qui Seuerum dolo occiderent. qui cum in Italiam irrupiſſet, & Rauennam occupaſſet, & qui contra eum mittebantur,ad eum ſe conferrent, & ſatellites ob illius aduentū trepidarent:conuocato ſenatu, Seuerum collegam imperij decerni iuſſit.Sed cum is militibus impunitatem promiſiſſet,ſi Pertinacis percuſſores dederent:obtemperarunt. iíſque comprehenſis, Silio Meſſalæ conſuli rem indicarunt. Is verò ſenatu in ædem Mineruæ conuocato,quæ ab inſtructione adoleſcentiæ ita vocabatur:quæ à militibus accepiſſet, expoſuit. Senatus igitur Iuliano capitis damnato, Seuerum ſtatim Imperatorem dixit. Iulianus verò cum occideretur: Quid, inquit, mali feci ? aut quem occidi? Vixit annos LX, menſes IIII, & dies totidem : imperauit dies LX.

## Imperium Seueri.

SEuerus rerum potitus, Pertinacis percuſſores ſupplicio affecit. Cæteros milites acerrimè inſectatus,& armis equíſque priuatos,Roma expulit. Hoc peracto, pedes vrbem ingreſſus, armato exercitu ſequente, plateis floribus coronis & laureis paſſim exornatis, à populo candidato lætis vocibus exceptus eſt, properantibus omnibus eum & videre & audire. Ille verò ſtatim veterum bonorum Imperatorum more, ſe neminem ſenatorem occiſurum eſſe iureiurando affirmauit, ídque communi decreto confirmari iuſſit : ſed id iuriſiurandum non diu ſeruauit, ipſo Iulio Solone, qui id decretum de illius ſententia ſcripſerat, non multo pòſt occiſo, atque aliis multis ſublatis : eáque fecit, quæ Senatui minimè cordi eſſent. Iam cum moris eſſet, ſatellites ex Italia, cæteríſque gentibus, quarum & vultus humaniores, & mores ſimpliciores eſſent, deligi : ille præter ſolitum, vrbem militibus & aſpectu ſæuiſſimis, & auditu horrendis, & à ciuilitate morum alieniſſimis impleuit. Imperium ei ſignis quibuſdam præſignificatum eſt. Nam aliquando ſe lupá ſugere, vt de Romulo proditū eſt,ſomniauit:ex eóq; dormiente aqua,tanquam è fonte ſcaturiit,& in ſomnis à ſenatu populóq; Romano ſalutari ſibi viſus eſt.Acceſſit aliud quoque ſomniū. putabat Pertinacem per forum equitantem,ab equo excuti,qui ſibi tergum vltro conſcendendum præberet.Adoleſcens in ſella Imperatoria non de induſtria, ſed ignorans conſedit. Imperium adeptus,Pertinaci plurimos honores habuit,& ſumptuoſiſſimum funus quamuis pridem defuncto fecit.Deinde contra Nigrum eſt profectus, hominem Italum, ex equeſtri ordine,non admodū clarum.quem variis præliis cōmiſſis,denique Iſſi Ciliciæ ad portas, quæ ab anguſtia loci hoc nomen accepere(hinc enim prærupti montes aſſurgunt:inde ingētia præcipitia ad mare deſcendūt) acri pugna ſuperatus,maxima copiarū parte cæſa,captus in fuga & interfectus eſt:caput eius Byzantiū miſſum,& cruci affixum,vt eo Byzantini cōſpecto,deditionem facerent. Cum Seuerus de Nigri ſtudioſis pœnas ſumeret, Senator quidam Caſſius Clemens reus actus, dicere non dubitauit:Ego neque te, neque Nigrū agnoui : ſed in illius partibus deprehenſus, non te oppugnare,ſed Iulianum expugnare ſtudui. Cum igitur idem mihi quod tibi propoſitum fuerit,non peccaui : ac ne in eo quidem, quòd poſtea non ad te tranſij. Nam tu quoque noluiſſes quenquam ex amicis tuis ad illum deficere. Inquirito igitur non in perſonas noſtras, aut nomina, ſed in res ipſas.Nam vtcunque nos damnaris,tu amicíque tui in eodem crimine futuri eſtis. Seuerus hominis libertatem admiratus, ſemiſſem bonorum ei reliquit.At Byzantini & viuente & mortuo Nigro, multa fecerunt admiratione digna, cum trienniū obſiderentur.Naues enim aliquot prætereuntes,& triremes in hoſtium ſtationibus ceperunt,ancoris earum per vrinatores,reſectis: quas clauis in fundos earum impactis, annexíſque funibus ita attrahebant,vt vltro accedere viderentur. Rebus omnibus conſumptis, nihilominus perſeuerantes,tignis ædium ad naues,detonſis mulierum capillis ad funes plectendos vtebantur.Cum mœnia oppugnabantur,& marmoreas & æneas ſtatuas tam equorum quàm hominum in hoſtes iaculabantur. Cibariis omnibus vſitatis deſtituti, coria macerata comederunt. iis quoque abſumptis, carnibus humanis guſtatis,alij alios deuorarunt. Sed cum tandem vel inuiti deditionem feciſſent, Romani & milites & magiſtratus omnes occiderunt : & Seuerus ea expugnatione mirificè lætatus, vrbem libertate & dignitate ciuili adempta, tributariam fecit : & publicatis ciuium bonis, ipſam & agros eorum Perinthis donauit. Mœnibus autem robuſtiſſimis euerſis, non tam illos maiore moleſtia affecit, aut gloria fortitudinis priuauit, quàm Romanorum arcem munitiſſimam contra Barbaros Ponticos & Aſianos ac tutiſſimum aſylum deſtruxit.Iam cum inſano gloriæ ſtudio teneretur,Barbaris Oſroenis, Adiabenis, & Arabibus bellum intulit. ac Niſibim profectus, miſſis ducibus & legionibus, illarum gentium agros vaſtauit, & vrbes expugnauit. Sed quia Albino Imperatoriam maieſtatem flagitanti, vel Cæſaris honorē negabat: iterum ciuile bellum cum totius orbis motu eſt exortum, & magna populi Romani multitudo

*Seuerus imperium à periurio & cædibus auſpicatur.*

*Satellites Barbari.*

*Auguria imperij Seueri.*

*Peſcēnij Nigri in Cilicia interitus*

*Caſſij Clementis defenſio.*

*Byzantij expugnatio.*

*Seueri orientalis expeditio.*

*Albini interitus.*





in circo equeſtri apertiſſimè fortunas ſuas eſt miſerata.Quouſque tandem iſta feremus?quandiu oppugnabimur? & alia id genus quaſi numine afflatus vociferans.Nam alioqui fieri quî potuiſſet, vt tot hominum milia, ea que dicebant, tanquam chori magiſtro præeunte, citra errorem pronunciarent ? id bellum magna varietate & ancipiti Marte geſtum : ſed Albinus tandem victus, Romanis vtrinque penè innumerabilibus cæſis, ſibiipſi manus attulit.cuius cadaueri Seuerus inſolentibus & attrocibus verbis inſultauit:trūcóque abiecto,caput Romā miſſum,cruci affigi iuſſit:ſenatores multos occidit, nonnullos etiam dimiſit.Poſt hæc contra Parthos eſt profectus,qui Meſopotamiam occuparant:& nauibus in Euphrate ædificatis, Seleuciam & Babylonem deſertas cepit. Creſiphontem expugnatam militibus diripiēdam dedit:ac multis interfectis, plures viuos cepit. Sed neque Vologæſum Parthorum principem domū reuerſum fugauit, neque Creſiphontem retinuit: ita inde profectus, quaſi expeditionem direptionis cauſa duntaxat ſuſcepiſſet. Huius belli tempore, duos claros viros interfecit,Iulium Criſpum tribunum militū, belli vexationes ægrè ferentem, & neſcio quid locutum, milite à quo accuſatus fuerat, in eius locum ſuffecto : Lætum ob animi magnitudinē & gratiam apud milites,qui ſe non niſi illo duce militaturos affirmabant,& crimen cædis eius in milites tranſtulit,quòd eo ex inuidia interfecto, cauſam dicere non poterat. Deinde Atra vrbem Arabiæ Soli dicatam oppugnauit, in qua præter alias magnas opes, etiam Solis donaria repoſita erant.ſed quamuis exteriori muro capto,re infecta multis militibus amiſſis in Palæſtinam diſceſſit,atque in Ægyptū,quam totam perluſtrauit,arcanis quoque rebus indagatis. Eo enim erat ingenio,vt neque diuinum,neque humanum quicquàm imperueſtigatum relinqueret. Libros arcanarum rerum quos quidem inuenire poterat,ex omnibus adytis ſuſtulit.Atque hæc hactenus.Nunc obiter illa quoque referam,quæ apud Dionem de Nilo memoriæ prodita ſunt:vnde is oriatur,cur æſtiuo tempore aſcendat.Narrat autē eum ex Athlante oriri,mōte Macennitidis, ad ipſum occidentalem Oceanum, omnium montium altiſſimo:qua de cauſa cœli columna à poetis appelletur : Neque enim quenquam eius cacumen aſcendiſſe,neque faſtigia vidiſſe, ſemper oppleta niuibus. Vnde æſtiuo tempore magna aquarum copia defluente, Nilus exundet:& hęc Romanos ex inferioris Mauritaniæ hominibus Macennitidi finitimis comperiſſe, ac multos Romanos exercitus ad ipſum Atlantem peruenifſe. Hæc de Nilo Dion refert, etſi alij diuerſa eadem de re tradiderunt. Cæterùm Plautianus præfectus, imperij penè cum Seuero particeps, & ſumma poteſtate ſubnixus : multos claros viros & pari dignitate præditos interfecit : & præ inſatiabili auaritia ab omnibus aliquid flagitans,neque gentē neque vrbem vllam prætermiſit, quam non ſpoliaret. Vnde omnes ei plura quàm ipſi Seuero dabant. Idem C nobiles Romanos, non pueros duntaxat & adoleſcentes,ſed maritos etiam caſtrauit, vt iidem & viri & eunuchi,& patres inteſtabiles (vt Comici verbo vtar) & caſtrati barbatíque conſpicerentur. Verùm ante id facinus ingens cetus in Auguſti portum delatus eſt, & captus : cuius ſimulacrum in venationem perlatum,vrſos L abſcondiſſe fertur. Plautianus verò filiæ Platillæ à Seuero Antonino filio deſponſæ, tantum dedit, quantum reginis pluribus ſatis fuiſſet. qui cum ampliſſimus euaſiſſet, adeóque Seuerum ipſum potentia ſuperaret, inſidiis Antonini generi occiſus, & ex ſuperiore loco in viam proiectus eſt. Quo tanquam pædagogo amoto, Seueri filij Antoninus & Geta, nullo flagitio abſtinuerunt. Eo tempore Bulla Felix, homo Italus, DC latronibus coactis, Italiam per biennium infeſtauit.& quamuis multi eum comprehendere ſtuderent, tamen variis ſubinde rationibus magnáque ſolertia perſequentes eludens,non capiebatur. cuius hoc ſpecimen eſto. Centurionem Seueri iuſſu ſibi inſidiantem, ipſe quaſi alius eſſet,acceſſit,latronem ei ſe traditurum, ſi ſequeretur,pollicens: & hominem verum id eſſe putantem, in locum inſidiarum perductum, facilè cepit. Deinde pro tribunali ſedens, vt dux latronum centurionem capite raſo cum his verbis dimiſit: Nuncia domino tuo. ita ſeruos veſtros alendos eſſe,ne latrocinentur. Multi enim Cæſariani ſe ad eum contulerant. Pòſt tamen captus, & beſtiis obiectus eſt. Seuerus autem expeditionem in Britanniam ſuſcepit, ne & filij luxu corrumperentur, & legiones ocio remolleſcerent. Sunt autem duæ gentes Britannicæ maximæ. Calydonij & Mæatæ, vtrique aſperos montes & campos incultos ac paluſtres incolentes,neque vrbes habent,neque terram colūt: ſed ex paſtu,venatione, fructibus arborū victitant. Piſcibus enim, quamuis abundet inſula, non veſcuntur: in tabernaculis habitant, nudi & ſine calceis degunt, mulieribus promiſcuè vtuntur,infantes omnes educant. Republica populari vtuntur, & latrocinantur, in curribus militant, equos habent paruos & celeres : ipſi quoque celerrimè curſitant. Arma ſunt, clypeus, breuis haſta, & pugio. ærumnas famis, frigoris, aliáſque vexationes tolerant.Paludes ſubeunt,& in iis per dies complures morantur, ſolis capitibus ex aquis eminentes, & in ſyluis, radicibus & corticibus ſe ſuſtentant. Parant etiam quoddam edulij genus, de quo ſi fabæ magnitudine guſtarint,neque ſitiunt,neque eſuriunt. Talis igitur inſula Britannia erat : & quatenus eam Romani non tenebant, à talibus hominibus incolebatur. Nam partē eius Romani, ſemiſſe haud multo minorem,obtinebant. Longitudo eius ad VII millia CXXXII extendi, in latitudinem bis mille CCC ferè ſtadia patêre dicitur. alicubi etiam anguſtior. Seuerus igitur totius inſulæ potiri cupiens, in Calydoniam impreſſione facta,occupatus fuit nō pugnādo(neque enim hoſtilem aciē vidit) ſed ſuccidendis ſyluis, & montibus complanandis. Eius verò milites palantes,per inſidias occidebantur, eóque pacto multa millia perierunt. Ac Britannos quidem ad deditionem compulit. Antonini autem filij luxus & immodeſtia, ſe fratrem, ſi poſſet, occiſurum haud diſſimulantis, ſolicitudinem ei attulit. quin patri etiam inſidians,bis deprehenſus, grauiores

*Parthica expeditio.*

*Iulij Criſpi & Læti cædes.*

*Atra Arabiæ vrbs.*

*Nili ortus, & incrementa.*

*Plautiani auaritia, crudelitas, & interitus.*

*Cetus.*

*Bulla Felix latro.*

*Britannia. Calydonij. Mæatæ.*

*Seueri in Britannia obitus.*

*Antonini improbitas.*

**Papiniano*

pœnas non dedit. Nam pater ei * Pappiano & Caſtore præſentibus (erat autem Caſtor ſeruus eius, vir optimus & integerrimus) enſe in medium poſito, illud duntaxat dixit: Si me occiſurus es, hîc me conficito, non inſpectantibus omnibus. ſin tuis manibus me occidere dubitas, Pappianum præfectũ prætorio id facere iubeto. Neque enim tibi, cũ ſis imperator, non parebit. Cum Britãni defeciſſent, in ipſo belli apparatu ex morbo in inſula deceſſit, morte (vt aiunt) ab Antonino accelerata. Sed priuſquã expiraret, filiis mandaſſe fertur, vt cõcordes eſſent, milites ditarent, cæteros non negligerẽt. Imperauit annos XVI, menſes VIII, dies III. Vixit annos LXV, menſes IX, dies XX.

*Seueri vitæ ratio.*

Eius vitæ ratio huiuſmodi fuit. In pace, noctu agebat aliquid ſub diluculum. Deinde ambulando ea mandabat, & audiebat, quæ ad imperium pertinebãt: atque ita ius dicebat vſque ad meridiem, niſi magnum feſtum eſſet, aſſeſſoribus ſententiæ liberè dicendæ poteſtate data. Poſthæc equitabat. Deinde lauabat prandebat, meridiabat. Experrectus reliqua negocia peragebat, & inter deambulandum græcis & latinis diſciplinis vacabat. Veſperi denuò lauabat & cœnabat. Diebus ſummè neceſſariis conuiuia publica frequentabat. Mota ſub eius imperio perſecutione contra pios, multi fortiter obito certamine, martyrij coronam meruerunt.

*Leonides. Origenes.*

Tum etiam Leonides, Origenis pater, captus, & poſt alia ſupplicia obtruncatus, filiũ admodũ paruum reliquit. qui puer adhuc martyrij cupidus fuiſſe perhibetur. Mater igitur cum eum verbis fruſtra à ſentẽtia deducere conaretur, veſtib. omnibus occultatis, effecit vt vel inuitus maneret domi. Cum autem egredi non poſſet, patrem per literas ad martyrium eſt cohortatus, inter cætera his etiam verbis poſitis: Perſeuerato, neque noſtri cauſa mutaris ſententiam. In pueritia ſacrarũ literarum ſtudium patris iuſſu cum liberalibus diſciplinis coniunxit: neque diuina oracula obiter legit, ſed ad reconditã doctrinam penetrare ſtuduit, patri frequẽtibus interrogationibus moleſtus. qui cũ eius curioſitatem verbis obiurgaret, reuera ingenium mirabatur: & pueri dormientis pectus nudatum, vt ſancti ſpiritus habitationem, ſæpe deoſculabatur, ſibique talem filium gratulabatur. Poſt martyrium patris inopia laborans, à clariſſima & locuplete quadam Alexandrina Matrona ſuſceptus eſt,

*Paulus Antiochenus hæreticus.*

quæ Antiochenum Paulum ex hæreticis Alexandrinis vnum ſibi adoptarat. ad quẽ cum ob eloquentiæ opinionem indies turba conflueret, Origenes neceſſario illi familiaris, nunquam precanti aſtitiſſe fertur, peruerſam hominis opinionẽ abominatus. Annos XVIII natus, inſtituendis Chriſtianæ religionis tironibus præfuit: & martyres cum ad mortem raperentur comitans, atque ad certamen fortiter obeundum cohortãs, carnifices ſæpius contra ſe concitatos diuina ope effugit. Neque verò doctrina duntaxat excelluit, ſed & vitam philoſopho dignam, doctrinæque conſentaneam egit. Neque enim duas habuiſſe tunicas, neque calceis pluribus annis vſus eſſe, & vino abſtinuiſſe, neque cibum niſi neceſſarium cæpiſſe fertur. Ac, vt narrat Euſebius, caſtitatis amore genitales ſibi partes ipſe præcidit. Verùm alij non præciſas illas, ſed adhibita herba ita emarcuiſſe ferunt, vt mortuæ eſſe viderentur.

*Origenis Hexapla & Tetrapla.*

Zephirino pontifice Romam profectus eſt. inde Alexandriam reuerſus, Hebraico ſermone cognito, ſcripta Hebræorum enarrauit: eáque literis Hebraicis exarata, adiunctis interpretationibus, videlicet ſeptuagintaduorũ, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & duorum, aliorum interpretum, quorum nomina ignorantur, commentariáque Hexapla, quaſi Sextuplicia dicas, elaborauit. In Pſalmis verò etiam ſeptimæ interpretationis meminit, Hierichunte repertæ. Aquilæ verò, Symmachi & Theodotionis editione rectiſſimè cum ſeptuaginta duorum interpretatione comparata, Commentaria Tetrapla, hoc eſt, quadruplicia compoſuit.

*Epiſcoporũ cathalogus.*

Demetrio, quem ſuprà eccleſiæ Alexandrinæ præfuiſſe memini, defuncto, Heraclas Origenis auditor pontifex eſt delectus. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfuit Narciſſus, vir miraculis clarus, & vitæ ſolitariæ amans: qui cum ob falſam criminationem clàm profugiſſet, atque in deſertis latêret, in eius locum Dius introducitur. Poſt eum deſignatur Germanio. inde Gordius: ſub quo Narciſſus in vrbem reuerſus cum Eccleſiæ miniſteria, ad quã gubernandam à fidelibus vocabatur, obire præ ſenio non poſſet, Alexander pridem confeſſione Chriſti inclytus, tum verò in Cappadocia epiſcopus, ex reuelatione à fidelibus Hieroſolymitanis accerſitus eſt, vt vnà cum Narciſſo Eccleſiam adminiſtraret. Serapione defuncto, Antiochenæ Eccleſiæ factus eſt Aſclepiades epiſcopus, cuius commẽtarios extare narrat Euſebius. Atque hæc hactenus.

## Antonini Caracallæ Imperium.

*Annonini graſſationes & fratricidium.*

ANtoninus etſi poteſtatem cum fratre Geta communicare videbatur, tamen reuera ſolus dominabatur: & cum Britannis hoſtibus ſtatim pace facta, agris & caſtellis cedens: Papiniano præfecto prætorio magiſtratum abrogauit, alios occidit: atque inter cæteros Euodum qui & Caſtor dicebatur, nutriciũ ſuum: & vxorẽ Platillã eiúſque fratrẽ Plautiũ. Denique fratrẽ quoque Getam. quẽ cum iampridem inſidiis appetitum, propter cuſtodiam militum & plurium aliorum occidere non potuiſſet, tandem matri perſuaſit, vt ipſos ſolos reconciliandæ gratiæ cauſa accerſeret. Quod Geta verum eſſe ratus, cum Antonino conclaue ingreſſus eſt. Tum centuriones ab Antonino ſubornati per vim ſubſecuti, Getam collo mamillis & pectori matris inhærẽtem occiderũt, vt ſanguine ſinus illius impleretur, manu quoque vulnerata. Sed ea præ timore vulnus non ſenſit, nec lugere filium auſa eſt, adeò miſerabiliter & immatura ætate interfectum (natus enim tum erat annos XXII & IX menſes) verita ne & ipſa occideretur. Antoninus autem properè caſtra ingreſſus: Gaudete, inquit, cõmilitones. nunc enim mihi vobis benefacere licet. quoniam vnus è vobis ſum, & vobiſcum & per vos viuere volo: vt multa in vos beneficia cõferam. Quod ſi non potero, mori vobiſcũ opto. Poſtridie poſt longã orationem apud ſenatum habitam, dixit. Audite me, vt totus orbis terrarum gaudeat, omnes exules redeunto. Ex Cæſarianis autem & Getę militibus ad XX millia occidit: Roma multis viris fortibus



fortibus ſpoliata, enſem quo frater occiſus eſt conſecrauit. à cædibus ad ludos deſcendit, ac ne eos quidem incruentos. in milites liberaliſſimus: cæteros mortales, Senatorij prę̨ſertim ordinis vexare, ſpoliare, deglubere ſtudio habuit. Sic autem per omne tempus imperij illius, omnes populi Romani prouinciæ vaſtatæ ſunt, vt cum aliquando Iulia dixiſſet, Nullus nobis neque iuſtus neque iniuſtus quæſtus relinquitur, ſtricto enſe reſponderit: Bono animo es ô mater. dum enim hunc tenuerimus, nihil nobis deerit.

*Antonini perfidia.*

Ad omnia cætera flagitia, etiam perfidus fuit. Nam Oſroenes regem Abgarum per amicitiæ ſpeciem ad ſe vocatum, in vincula coniecit: itáque regno illius potitus eſt. Armeniorũ quoque regem cum filiis ſuis rixantem, amicis literis tanquam compoſiturus controuerſiam, accerſitũ, eodem modo quo Abgarum tractauit, ſed Armenios non ſubegit. Hi enim ad arma deſcenderũt, neque quiſquam ei amplius fidem habuit. Verùm in neceſſitatibus & expeditionibus quæ moram non ferebant, tenuis & frugalis fuit. cum militibus vnà & ambulauit & curſitauit: non lauit, non veſtem mutauit, ſed quoduis opus vnà aggreſſus eſt, eodémque cum illis victu vſus. hoſtes inſigniores aliquando ad ſingulare certamẽ prouocauit.

*Furiæ Antonini.*

Sed ducis munia parùm commodè obiit. omnéſque res eius adulterinæ fuerunt, atque adeò ipſum nomiſma. Laborauit & manifeſtis & occultis morbis, ac ſæpè & patrem & fratrem ſtrictis enſibus in ſe irruere putauit. Quare patris, Commodi & aliorum manes elicuiſſe fertur, ſed ſolus ei Commodus reſpondiſſe: Pœna parata tibi eſt. Sub obitum in occultis locis malum inſanabile habuit. Delatores & ſpeculatores aluit, per quos etiam minutiſſima quæque ad eum referebantur. Iudicia & alias publicas actiones manè denunciabat: ſed vltra meridiem, aut in ipſam veſperam differebat, ſenatorũ cœtu nec in veſtibulum admiſſo. ſpretíſque multis ſalubribus matris ſuæ monitis, cædibus, iniuriis, pecuniæ profuſionibus ſe oblectauit. Fuit & magorum & præſtigiatorum amator. Bello Parthis illato, cum Antiochiæ luxui & ludis gladiatoriis vacaret: non ſecus querebatur, ac ſi magnis in laboribus & periculis verſaretur, & Senatui ignauiam opprobrabat. Denique ad eum ſcripſit, Scire ſe acta ſua illi non placere: ſed hac de cauſa milites & arma habere, ne curaret nugatores.

*Antonini graſſationes in Parthis.*

Denuò expeditione contra Parthos ſuſcepta, quòd Artabanus filiam ei deſponſam non dediſſet (norat enim eum per ſpeciem nuptiarum de vendicãdo ſibi regno cogitare) agros paſſim vaſtauit, Arbela ſubegit, reuulſíſque Parthorum regum ſepulchris, oſſa diſiecit: cum ipſa autem gente acie non depugnauit. In re militari multa contra morem maiorum egit, & peculiarem quandam veſtem barbarico more in penulæ modum inciſam & confectam, crebrò induit, eadémque milites vti iuſſit.

*Caracallæ cognomentum. Antonini cædes.*

vnde Caracalla cognominatus eſt. Tamẽ à militibus eſt occiſus. Nam Macrinus prætorio præfectus, cui vates quidã imperiũ prædixerat, veritus ne ea de cauſa ab Antonino tolleretur, nihil cunctatus, per duos tribunos militũ inſidias ei ſtruxit. Nam cum Edeſſa Carras proficiſcens, exonerandi ventris cauſa equo deſcendiſſet: miles quidam à tribunis ſubmiſſus, tanquã dicturus aliquid, eum pugione percuſſit. Sic ille vixit & periit, anno ætatis XXIX. Imperij VI, cum duobus menſibus & diebus aliquot. Fertur, cum poſtremò Antiochię eſſet, ſomniaſſe, patrem ſtricto enſe aſtantem ſibi dicere: Vt tu fratrem occidiſti, ſic ego te occidam. Eſt & à vatibus monitus, vt diem illum caueret. Memorãtur alia quoque ſigna, eius interitum præceſſiſſe.

## Imperium Macrini.

*Macrini natales, virtutes & vitia.*

ANtonino, qui & Caracalla, vt dictum eſt, & Taras de gladiatoris cuiuſdam turpiſſimi & crudeliſſimi nomine vocabatur, interempto: Macrinus quarto die pòſt à militibus accepit imperium, natione Maurus Sicilienſis, parentibus ortus obſcuriſſimis: vnde Maurorum more alteram aurem perforatam habuit, ſed vir moderatus, & legum cuſtos fideliſſimus. qui præfectus prætorio, magiſtratum eum optimè adminiſtrarat, ſed imperium non per omnia rectè geſſit. Nam magiſtratus indignis largiebatur, quæ maxima pars eſt imperatorij muneris: & ratione victus delicatiore vtebatur, & faſtum quẽdam præ ſe ferebat.

*Iuliæ Antonini matris interitus.*

Iulia verò Antonini mater, Antiochiæ degens, cæde Antonini cognita, ſibi ipſi manus afferre ſtatuit, non propter filium, ſed priuatæ vitæ metu. Sed cum res eius non immutarentur, miniſteriis & ſatellitibus retentis, in vita manere maluit. Pòſt cum Macrinus audiuiſſet, eã ſibi maledicere, & imperiũ affectare: relicta Antiochia, quo vellet abire iuſſa, tum demum ſibi necem conſciuit.

*Macrinus pacem ab Artabano mercatur.*

Macrinus verò ab Artabano magnis copiis Romanos inuadente, circa Niſibim bis acie victus, pacem magna pecunia redimere coactus eſt.

*Eutychianus Auitũ Pſeudantoninum imperatorem creat.*

Parthico bello ſedato, ciuile bellum inter Romanos exarſit. Nam Eutychianus quidam Cæſarianus, militum odiis in Macrinum perſpectis, quòd ad largiendum Antonino reſtrictior eſſet, vatúmq; prædictionibus incitatus, cõtra Macrinum inſurrexit. Cum autem Mæſa Iuliæ imperatricis ſoror, duas haberet filias, Soæmidem & Mammæam, totidémque nepotes ex eis: horum alterum Eutychianus adulterinum eſſe Caracallæ filium mentitus, noctu in caſtra perduxit, ac milites iam antè ſeditionis occaſionem captantes, ad ſtudium nouarũ rerum impulit: qui eum, nomine Antonini facto, ſtatim imperatorem conſalutarunt, quamuis puerum: eóque aſſumpto, contra Macrinum Antiochiæ agentem ſunt profecti, ab eóque in loco quodã procul ab Antiochia diſſito victi ſunt.

*Macrini cædes.*

Sed Macrinus cum eos reparare aciem videret, in fugam verſus, Antiochiam pro victore ſe cõtulit: ne vrbe excluderetur, filio ad Artabanum miſſo. Eius autem clade nunciata, cum multæ cædes fierent, raſo capite & barda, pullam veſtem indutus, ne agnoſceretur, noctu aufugit: nec multo pòſt Ægas Ciliciæ, atque inde per Cappadociam, Galatiam & Bithyniam, vſque ad Eribolum nauale eregionè Nicomediæ ſitum profectus, Chalcedonem traiecit. ac per miniſtros petita à procuratore quodam pecunia, agnitus, ab iis qui cum Pſeudantodino faciebant, comprehenſus, & ad Cappadociam vſque reductus eſt: vbi captiuitate filij cognita, è vehiculo ſe deiecit, confractóque humero, non multo pòſt occiſus eſt, anno ætatis quarto

quarto & quinquageſimo, imperij primo, cum duobus menſibus, triduo dempto, à puerulo euerſus. id quod his ei verſibus prædictum fuerat:

*Sors Homerica.*

Heu tua vis reſoluta ſenex cadit, ægra ſenectus
Te domat, & iuuenis carpit tua robora miles.

Imperium Auiti Pſeudantonini.

AVitus verò Pſeudantoninus, ſiue Aſſyrius & Sardanapalus, vbi Romam venit, vnam rem fecit bono imperatore dignam. Nam cum multis contumeliis priuatim & publicè à Romanis affectus eſſet, ob Macrini literas contra ſe ſcriptas: de nemine pœnas ſumpſit, cæterà flagitioſiſſimus, iniuſtiſſimus, & ſæuiſſimus carnifex. Eurychianus verò prætorianis militibus prefectus, bis ac tertiùm conſulatum geſſit. alij verò illuſtres viri, quà cauſis confictis, quà ſine cauſis occidebantur, quòd eius facinora non probarēt. Neque enim ad ſenatum id ſcribere eum puduit. Agebat autem & virum & mulierē, & vtraque & faciebat & patiebatur impudiciſſimè: nec alios duntaxat, ſed ex amiciſſimis nonnullos ad vitæ modeſtiam adhortantes, occidebat. Peregrinum quendam deum Heliogabalū, Romam introductum, Ioui opt. Max. prætulit: vnde ipſi quoque cognomentum Heliogabali factum. Pudēda ſua circuncidit, ſuillis carnibus abſtinuit: veſte barbarica in publicum prodiit, quali Syriaci ſacerdotes vtuntur, vnde Aſſyrius appellatus eſt.

*Heliogabalus.*

Præter cæteras virginem veſtalem vxorem duxit, patria religione per ſummam impudentiam violata: quam ideò ſe accepiſſe ferebat, vt ex ſacrificula & ſe ſacrificulo Heliogabali, pueri diuini gignerentur. Neque verò barbaricas duntaxat cantilenas, cum matre & auia peregrino Deo cantabat, & nefandas hoſtias immolabat, pueros ſacrificando & præſtigiis vtendo, & ſexcenta amuleta ſubinde appendendo: ſed vxorem etiam Deo illi ſuo tanquam liberis egenti deſpōdit, quam in palatio collocauit, dote à ſubditis exacta. Ipſius verò tam corrupta fuit vita, vt ſingula neque commemorari neque audiri ſine moleſtia ſumma poſſint. Pauca tamen delibabimus. Noctu cauponas ingrediebatur, capite appoſiticia coma redimito: & inter cauponias mulierculas, operas faciebat, famoſaque proſtibula frequentabat: & meretriculis expulſis, pro meretrice quibuſuis ſui copiam faciebat. In palatio quoque peculiare conclaue habuit, cuius pro foribus inſtar meretricularum nudus ſtans, & flammeum vibrans, effœminata, molli, fractáque voce prætereuntes ad coitū inuitabat, & pecuniam ab eis exigebat. Cum eiuſdē verò quæſtus ęmulis rixabatur, & ſe plures quàm illos amatores habere, maioremq́ue pecuniam colligere gloriabatur. Neque his flagitiis contentus, aurigabat, ſaltabat, nubere etiam volebat, vt vnum legitimum maritum haberet, quem Cæſarem deſignaret: ac dominæ & imperatricis nomine gaudebat, calanticam geſtans, & lanam tractans, & genas pingens. Semel quoque barbam abraſit, vt glabra & læui facie muliercula videretur, cuius mulierculæ maritus erat Caricum mancipium nomine Hierocles. Voluit & adulterij ſuſpectus eſſe, vt nequiſſimas fœminas imitaretur. & in ipſo ſtupro de induſtria deprehenſus, à marito obiurgabatur & vapulabat, vt liuore oculi ſuffunderentur. Aurelium quendam, cùm toto corpore elegantem, tum pudendis ingentibus præditum, comitatu magnifico ſtatim adducendum ad ſe curauit. qui cum ei dixiſſet, Salue domine imperator: ille muliebri mollicie collo inclinato, & oculis nonnihil cōniuentibus: Ne me dominum, inquit, dixeris, domina enim ſum. Cum autem vnà cum eo lotus famam non mentiri comperiſſet, in pectore eius recubuit, & in ſinu eius cœnauit, inſtar amicæ. Veritus igitur Hierocles, ne præ Aurelio negligeretur, eum præſtigiis aut veneficiis quibuſdam effœminauit & ſtupefecit, vt per totam noctem ignauus ad coitum iaceret. qua de cauſa & Palatio & Roma & tota Italia pulſus eſt. Tandem eò laſciuiæ venit, vt ingētibus præmiis propoſitis, à medicis poſtularet, vt per inciſiones vuluam ſibi facerent. His de cauſis omnibus inuiſus fuit, vt Sardanapalus, flagitia & molliciem eius non ferentibus.

*Impudicitia & vacordia Heliogabali.*

*Aurelius homo mutoniatus, deliciæ Heliogabali.*

Poſtea Baſſianum Mammeæ materteræ filium in curiam adductum adoptauit, & Alexandrum appellari iuſſit: nec multo pòſt, omnes ſuſpectos habere cœpit: cumq́ue illi pleroſque bene cupere didiciſſet, facti pœnitens, de eo perimendo cogitauit. Sed cum is à militibus diligenter cuſtodiretur, eaq́ue de cauſa magnus tumultus ſatellitum ortus eſſet: eius ſedandi cauſa cum Alexandro caſtra ingreſſus, animaduerſis inſidiis, quæ à militibus ſibi parabantur, effugere ſtuduit. ſed deprehenſus, in amplexu matris vnà cum ipſa iugulatus eſt, amborumq́ue corpora nuda per mediam vrbem tracta ſunt. Deinde Sardanapali cadauer in Tiberim abiectum, cognomentum ei præter reliqua Tiberini fecit. Occiſus eſt cum eo Hierocles quoque, & alij multi. imperauit annos I I I, menſes I X, & dies I I I I, ex quo Macrino acie victo rerum potitus fuit. Eo imperante, Zephyrinus Eccleſiæ Romanæ epiſcopus decimo octauo ſuæ gubernationis anno vitam cum morte commutauit. poſt quem cœtui fidelium præfuit Calliſtus, per quinquennium. Ei ſucceſſit Vrbanus.

*Baßiani Mammeæ filij adoptio.*

*Epiſcopi Romani.*

Imperium Alexandri Mammeæ filij.

PSeudantonino interfecto, Alexander Mammeæ filius, conſobrinus illius, imperium adeptus, ſtatim matrem Mammæam Auguſtam declarauit: quę rerum adminiſtratione ſuſcepta, viros eruditos ad filium accerſiuit, per quos mores eius formarentur. & optimum quenque ex ſenatu acciuit, cum quibus omnium actionum conſilia communicaret. Domitius Vlpianus prætorio præfectus, reipublicæ gerendæ cura ſuſcepta, multa Sardanapali acta reſcidit: qui Flauiano & Chreſto occiſis, vt eis ſuccederet, non multo pòſt & ipſe à militibus noctu occiſus eſt. Quo adhuc ſuperſtite, leui de cauſa inter milites & populum orta ſeditione, per triduum eſt dimicatum. Sed cum milites victi, ignem ædibus iniicerent, populus vel ingratis cum eis in gratiam rediit. Sunt & alij motus ſedati. Cæterùm Alexandri mater auara mulier, vndique pecuniam coegit. Vxorem filio deſpondit, quam nec Auguſtam appellari paſſa eſt: & aliquanto pòſt ab eo auulſam in Africam relegauit. quam etſi Alexander diligebat, tamen matri, in cuius poteſtate erat, refragari non audebat. Interim Artaxerxes Perſa, homo obſcuro & inglorio genere ortus,

*Mammeæ prudentia.*

*Domitij Vlpiani cædes.*

Parthorum



Parthorum regnū ad Perſas tranſlatum ſibi vendicauit: à quo Choſroæ genus deduci fertur. Nā poſt Alexandri Macedonis obitum, ſucceſſores illius Macedones, longiſſimo tempore Perſis & Parthis imperarunt, ſed tandem inteſtinis bellis alij alios euerterunt. Quorum fractis viribus, primus Arſacides Parthus ab eis deficere, & Parthis dominari cœpit, regno in ſucceſſores prorogato: quorum poſtremus fuit Artabanus, quem hic Artaxerxes tribus præliis victum & comprehenſum interfecit. Deinde bello Armeniæ illato, ab Armeniis & Medis atque Artabani filiis ſuperatus, & reparatis viribus, Meſopotamiæ Syriæq́ue occupandæ, cum maioribus copiis intentus, omnia ſe, vt quæ antiquitùs ad regnum Perſicum pertinerent, recuperaturū eſſe minabatur. Sed Cappadocia incurſata cum Niſibim obſideret, Alexander per legatos pacē ab eo petiit. Barbarus verò legatione repudiata, C C C C proceriſſimos viros precioſis veſtibus amictos, & ſplendidis armis exornatos, in equis eximiis ad Alexādrum miſit, ea ratione ſe Alexādro & Romanis terrorem incuſſurum putans. Qui cum in Imperatoris conſpectū veniſſent, dixerunt: Iubet Magnus rex Artaxerxes Romanos cedere Syria, & vniuerſa Aſia, quæ Europā ſpectat, & Perſis imperium vſque ad mare concedere. Hos Alexāder comprehenſos, & veſtibus atque armis exutos, ademptíſque ęquis, in plurimos pagos diſtributos, agros colere iuſſit. nam eos occidere nefas eſſe putabat: ac ſuis legionibus in tres partes diſtributis, trifariam Perſas eſt adortus, quorū multi ſunt occiſi. Perierunt Romani quoq; plurimi, non tam ab hoſtibus, quàm in reditu per Armeniæ montes. qui cum gelu rigeant, euntiū pedes, & quorūdam manus ſunt mutilatæ, frigore aduſtæ atque emortuæ. Qua de cauſa Romanis conquerentibus, Alexander ſiue ex mœrore ſiue ex aeris mutatione grauiter ægrotauit. Recuperata valetudine cōtra Germanos eſt profectus, eóſq; perferentarios & ſagittarios vexauit. Deinde pecunia oblata, ad pacem inuitauit. Quamobrem milites ei irati, defecerūt: & Maximinū quendā natione Thracem, qui à puero armentarius fuerat, poſtea miles factus eſt, inuitū ſcilicet, ad imperium pertraxerūt. Qui iis militibus aſſumptis, à quibus imperator appellatus fuerat, ſtatim ad Alexandri tentorium contendit. Quo is audito, milites quos ſecum habebat, ad ſui defenſionem hortatus eſt: qui cum operam ſuam pollicerētur, exercitum coegit, & cum Maximino decertare iuſſit. Cæterùm illi matri eius maledicentes, & eius auaritiam criminantes, ipſi quoq; vt timido inſultantes, eo relicto abierunt. Cum igitur ſe omni ope deſtitutum cerneret, in tentoriū regreſſus, & matrem amplexus, fortunam ſuā deplorauit. Maximinus verò per centurionem & ipſo & matre & familiaribus eorū occiſis, rerum potitus eſt. Māmæa Alexandri mater, virtutis honeſtæq; vitæ ſtudioſa, dum Antiochiæ cū filio degeret, Origene, fama hominis permota, Alexādria accerſito, ab eóque doctrina fidei erudita, Deū ſanctiſſimè coluit, vt Euſebius & alij memoriæ prodiderūt. Quo factum eſt, vt perſecutio Chriſtianorum eo tempore non modò conquieſceret, ſed & honos maximus Chriſti cultoribus haberetur. Sub Vrbano Romano epiſcopo etiā Hippolytus, vir ſanctiſſimus & doctiſſimus, Romani portus epiſcopus floruit, qui in multa ſacræ ſcripturæ opera commentarios conſcripſit. Tum Antiochiæ præfuit, & cœtum eius loci fidelium rexit Aſclepiades, Hieroſolymis Sardianus.

*Alexandri expeditio cōtra Artaxerxem Perſarum regem.*

*Alexandri Germanica expeditio, et interitus.*

*Mammæa ab Origene in Chriſtianiſmo inſtituta.*

*Hippolytus Hoſtienſis epiſcopus.*

Imperium Maximini Thracis.

ALexandro cum decennium Romanis imperaſſet, ad hunc modum interfecto, Maximinus ſtatim ſuſcepto imperio perſecutionē contra Chriſtianos mouit, & Eccleſiarum gubernatores, vt doctores Chriſtianorum arcanorum ac præcones, tolli iuſſit: ídque indignatione contra Alexandrum, qui Chriſtum coluiſſet, feciſſe perhibetur. Eius enim imperatoris inſano odio flagrabat: à quo dux delectus, & à Perſis turpiſſimè ſuperatus, iram illius expertus fuerat. Erat & altera perſecutionis cauſa, quòd in Alexandri familia multi Chriſtum Deum agnoſcebant. Quo tēpore Ambroſius etiam, vir eruditionis amans, qui Origenem ad ſacrarum literarū enarrationē impulit, ſumptibus abundè ſuppeditatis, & V I I expeditis notariis adhibitis, qui per vices ſcriberent, ac librariis non paucioribus, & virginibus eleganter ſcribere edoctis, martyrij corona cum Protocteto preſbytero redimitus eſſe perhibetur. Maximinus rerum potitus, Senatui ſtatim, vt à militibus Imperator appellatus eſſet, ſignificauit. Nec in Chriſtianos duntaxat ſæuus atq; immanis extitit, ſed in ſubditos æquè omnes. Nam & ſuperbus erat, & pecuniæ auidus, eáq; de cauſa iniuſtiſſimus & ſanguinarius, deniq; planè tyrannus, ad rapinas & cædes hominum ſine vlla probabili cauſa ruens: ad quas adeò propenſus fuit, vt nec vxoris ſuæ vitæ parceret. Occultandæ porrò ignobilitatis ſuę ſtudio patriciis deſpectis, hominum obſcurorum familiaritate vtebatur. Quibus de cauſis omnium odia ſuſcepit. Bello Germanis illato, prædas ex agris egit, Barbarorū nemine in conſpectū veniente. Deinde circa paludes & perpetuas ſyluas apparuerūt. Quò cum Romani irruiſſent, magnam eorū multitudinem occiderunt. Ita victor Maximinus, cum maxima captiuorum turba reuerſus eſt. Sed quia ſibi omnia ſubditorum bona vendicabat, nec vllam pecuniæ rapiendæ occaſionem negligebat, ac ne ſacris quidem ipſis abſtinebat, omnibus eos milites, à quibus imperator creatus eſſet, culpantibus: Africanæ legiones tum ea de cauſa, tum alia quadam re irritatæ defecerunt. Nam Africanarū prouinciarum procuratores, bona locupletum ſine vlla probabili ſpecie inuadebant: nec iis cōtenti, ipſos quoq; poſſeſſores trucidabāt. Quarū rerum indignitate ad ſeditionem concitati milites, virum ſenatorij ordinis Gordianum, hominem prouectæ ætatis vel inuitum rapiunt: impoſitóque diademate, datáq; purpura, Imperatorē & Auguſtū ſalutant. Qui Carthaginē profectus. & Maximini odio ab omnibus benignè ſuſceptus, literas legatóſq; de ſua deſignatione ad Senatum mittit. qui cum in nauigatione morati eſſent, Romani tyrannidis Maximini pertæſi defecerūt: & ſtatuis eius euerſis, conuicia in tyrannum iecerunt. Deinde cum temeritatis pœniteret, quòd Maximino incolumi nulla eis ſalutis

*Maximinus Chriſtianos perſequitur.*

*Ambroſius Origenis patronus.*

*Bellum Germanicum.*

*Gordianus.*

ſpes relinqueretur,duos ex ſenatu Maximum &
Albinum duces crearunt. Quidam etiam Cæſa-
res à ſenatu appellatos eſſe ferunt, deſignationẽ
*Maximus. Albinus.*
Gordiani adhuc ignorante.Quibus rebus Maxi-
minus cognitis, minas contra ſenatum ſpirans,
in Italiam contendit.Sed vbi Maximum,Albino
ad vrbis cuſtodiam relicto, contra ſe aduentare
didicit,Aquileiam,qua potiri in primis ſtudebat,
cum exercitu Maurorũ declinauit. Aquileia ve-
rò ea fuit,quæ nunc Venetiæ dicitur.Sed ciuibus
fortiter ſe defendentibus, ab vrbe repulſus,& à
Maximo acie victus, in ſuum tabernaculum re-
diit.ortóque inter ipſius ſatellites & milites tu-
multu,egreſſus,vt eos alloqueretur,impetu illo-
*Maximini cædes.*
rum vnà cum filio, quem ſecum adduxerat, eſt
occiſus: natus annos V & L X, vnde V I impera-
uit.Amborum capita amputata, Aquileienſibus
oſtentata,Románque miſſa ſunt.Romani verò
Maximini caput in foro palo affixerũt,vt omni-
*Maximi & Albini cædes.*
bus conſpicuum eſſet.Poſthæc Maximus Romã
reuerſus, Albino obuiam egreſſo, à Senatu po-
pulóq; cum lætis acclamationibus & plauſu eſt
ſuſceptus.Inde ambo vnà, & quidem benè im-
perarunt. Sed milites ægrè ferebant eos nõ à ſe,
ſed à Senatu populóque declaratos eſſe.Poſt ipſi
etiam Imperatores inter ſe diſſentientes, exitio
ſuo cauſam præbuerunt.Nam ea diſſenſione mi-
lites cognita,ambos vinculis conſtrictos per to-
tam vrbem,per ludibrium & contumeliam,nec
ſine verberibus, circumduxerunt.Deinde cũ au-
diuiſſent, Germanos eripere & conſeruare illos
velle:vtrunque occiderunt,quorũ Maximus an-
*Diſſenſio hiſtoricorũ de Imperatoribus Maximinũ ſecutis Pompeianus*
nos L X X I I I I,Albinus L X natus erat. Impera-
runt vel, vt nõnulli autores ſunt,dies X X I I, vel,
vt alij tradunt,nõ tres menſes integros.Poſt hos
quidam Pompeianum rerum potitum eſſe tra-
dunt: ſed imperio vix per ſomnium deguſtato,
celerrimè excidiſſe. Priuſquam enim duo men-
ſes elaberentur,vnà cum imperio vita etiam pri-
uatum eſſe:à quibus autem, & quibus de cauſis,
cum ſcriptũ non inuenerim,ſilentio & ipſe præ-
*P.Balbinus.*
terij.Ei P.Balbinum ſucceſſiſſe tradunt:qui,cum
per tres menſes imperij fructum breuem perce-
piſſet, in Gordiani deſignati Imperatoris (vt di-
ctum eſt) ex Africa aduentu occiſus fuerit. Gor-
dianum verò,cum Romam veniſſet, ægrotaſſe,
partim ob extremã ætatẽ (annos enim L X X I X
habebat) partim quòd ex longiore nauigationis
vexatione afflictus eſſet,obiiſſe, X X I I duntaxat
*Gordianus pater & filius.*
diebus in imperio exactis:filiúmque Gordianum
ſucceſſorem reliquiſſe. Atque alij hæc ita conſe-
cuta eſſe tradunt.alij ſcribunt,quoſdam Gordia-
no in Africa imperatori appellato, ſeditionem
mouiſſe, & Gordiani milites ſuccubuiſſe:multíſ-
que cæſis,atq; ipſo Gordiani filio,ſenem prę do-
loris impatientia,laqueo vitam finiuiſſe.Alij,qui
iuniori Gordiano poſt patris obitum ex morbo
imperium attribuunt, eum Perſis intuliſſe bellũ
ferunt:dúmq; in pugna equo incitato aciem cir-
cumuolitans,ſuos ad rem ſtrenuè gerendam co-
*Epiſcoporũ ſucceſſio.*
hortatur, ex equi lapſu femore fracto Romam
perlatum deceſſiſſe, cum ſex annos imperaſſet.
Vrbanus Romano pontificatu annis octo fun-
ctus,Maximino imperante obiit,Pontiano ſuc-
ceſſore.Antiochenæ Eccleſiæ poſt Philetum Ze-
binus præfuit.Sub Gordiano filio,Pontiano Ro-
mano pontifici,ſexto miniſterij anno defuncto,
ſucceſſit Anteros, ac paulo pòſt in aliam vitam
migrauit.Poſt quem Flauianus,diuino ſuffragio,
vt narrat Euſebius,epiſcopatum eſt adeptus.Fer-
tur enim,fidelibus deligendi põtificis cauſa con-
gregatis, Flauianum quoque recens ex agro ad-
ueniſſe, neque ab vllo mentionem eſſe factam,
quaſi is eccleſiæ præfuturus eſſet: ſed concilium
*Flauiani columba.*
curaſſe,quémnam ex aliis anteferret.Interea co-
lumbam aduolãtem, capiti illius inſediſſe. atque
inde omnes veluti ſigno dato vnà voce excla-
maſſe, eum dignum pontificatu: ac citra vllam
cunctationem in throno collocatum eſſe. Tum
Zebino quoque Antiochiæ defuncto, ſucceſſit
*Origenes.*
Babyla. Origenes verò ſub id tempus Cæſareæ
*Thaumaturgus.*
Paleſtinæ degens,præter alios qui vndique con-
fluxerant, etiam magnum Gregorium, mirificũ
*Athenodorus.*
illũ,auditorem habuit,& fratrẽ eius Athenodo-
*Africanus.*
rum.Tũ quoq; Africanus hiſtoricus noſcebatur.

Imperium I I I Gordiani.

*Niſibis & Caria recuperata.*
POſt Gordianum iuniorem, alius Gordianus,
defunctis,vt fertur, genere coniunctus, im-
perium ſuſcepit. Is Sapore Artaxerxis Perſarum
regis filio acie ſuperato, Niſibim & Cariam re-
cuperauit à Perſis,Maximino imperãte, Roma-
nis ereptas. Deinde Cteſiphontem profectus,
inſidiis Philippi præfecti prætorio periit. Nam
cum rerum potitus eſſet, Timeſoclem ſocerum
præfectum prætorio deſignauit:eóque ſuperſti-
te,res Imperij bene ſe habuerunt, proſperéque
ſucceſſerunt. Eo verò defuncto, Philippus præ-
fectus deſignatus, vt ſeditionem concitaret, ſti-
pendia militum minuiſſe dicitur, quaſi id iuſſiſ-
ſet imperator.alij frumentũ,quod in caſtra per-
ferẽdum eſſet,eum inhibuiſſe ferunt: itáque mi-
lites commeatus penuria laborantes,contra im-
peratorem tanquam famis cauſam inſurrexiſſe,
eúmque ſexto imperij anno occidiſſe, Philippũ
verò ſtatim ſummam rerum arripuiſſe. Nuncia-
*Marcus Philoſophus.*
ta Gordiani cæde,à ſenatu Marcũ quendam phi-
loſophum ſtatim Cæſarem renũciatum eſſe:qui
*Seuerus Stylianus.*
ante firmatum imperiũ,in palatio repentè obie-
rit.Eo mortuo, rerum potitum Seuerum Stylia-
num: qui & ipſe ferè priuſquam habenas impe-
rij capeſſeret, vena propter morbum inciſa, na-
turæ debitum perſoluerit.

Imperium Philippi.

PHilippus ab expeditione reuerſus, imperium
Romanum occupauit, Philippo filio in via
*Sapores.*
collega aſcito.Cum Sapore Perſarum rege pacẽ
fecit, Meſopotamia & Armenia conceſſis. Sed
cum Romanos earum prouinciarum iacturam
grauiter ferre intellexiſſet,paulo pòſt pace abro-
gata,eas defendendas ſuſcepit.Fuit autem Sapo-
res,vt ferunt,tanta mole corporis, quanta eo tẽ-
pore viſa nondum fuit. Philippus à bello Perſi-
*Philippus Chriſtianus.*
co reuerſus, erga Chriſtianos bene affectus fuit:
ac potius autores quidam ſunt, eum Chriſtianã
fidem amplexum, in Eccleſia cõmunia cũ Chri-
ſtianis vota feciſſe, & peccata ſua non grauatim
confeſſum eſſe. Nam cum à præpoſito Eccleſiæ
ad communionem non admitteretur,niſi confi-
teri vellet,& nomen ſuũ inter pœnitentes profi-
*Eugenia.*
teri haud recuſaſſe. Qui verò eum martyris Eu-
geniæ patrem eſſe tradũt, errant.nam is quidem
& ipſe præfectus fuiſſe narratur,ſed Ægypti,non
prætorio



prætorio:ac poſt Chriſtianam fidem,poſito ma-
giſtratu Chriſtum fortiter profeſſus, ac martyrij
corona ornatus eſt. Hic autem Philippus impe-
rator cum ſuſcepto aduerſus Scythas bello, Ro-
*Marinus.*
mam rediſſet,Marinus quidam ordinum ductor
à militibus in Myſia imperator eſt delectus.Qua
ſeditione turbatus cum apud Senatum verba fa-
ceret,cæteris tacentibus, de Marino ei nõ labo-
*Decius à militibus imperator ſalutatur.*
randum eſſe dixit Decius,quòd, vt homo regno
indignus,vltrò à militibus occidendus eſſet:ídq;,
vt ille prædixerat,paulò pòſt accidit.Qua de cau
ſa Philippus Decium admiratus,in Myſiam abi-
re,& ſeditionis autores punire iuſſit.Is verò eam
legationem, quòd nec ſibi,neque mittẽti futura
eſſet vtilis,deprecatus:tamen vrgente Philippo,
abiit inuitus,& à militibus ſtatim ſtrictis enſibus
accipere imperium, quantumuis recuſaret, coa-
ctus,Philippo ſcribit,ne turbetur. Se enim, vbi
Romam venerit, poſiturum eſſe inſignia impe-
*Philippi interitus.*
rij.Quod Philippus nõ credens, bellum ei intu-
lit:commiſſóque prælio, in prima acie dimicans
vnà cum filio Philippo cecidit.Quibus ſublatis,
vniuerſi ſe ad Decium cõtulerunt. Regnauit au-
tem,vt quidam tradũt,annos V:vt alij,V I,& to-
tidem menſes.Fuit autem Boſtris oriundus, vbi
regno potitus, Philippopolim de ſuo nomine
condidit.

Imperium Decij.

ENimuerò Decius omnibus legionibus acce-
ptis Romam profectus,imperium firmauit:
atque eius amplitudine,ac negociorum multitu-
*Valerianus.*
dine conſiderata,vt quidam aiunt, Valerianum
collegam aſciuit:& vterque alterum cohortatus,
perſecutionem atrociſſimam cõtra Chriſtianos
inſtituerunt.Sunt qui dicãt,Philippi odio,Chri-
ſtianorum cultoris,Decium noſtros perſecutum
*Deciana perſecutio.*
eſſe.Vt vt eſt,cõtra fideles profectò inſaniit.Eo
tẽpore Flauianus, eccleſiæ Romanæ epiſcopus,
martyrio vitã finiit. Item Babylas Antiochenus,
& Alexander Hieroſolymitanus epiſcopus, qui
nõ tum primùm pro Chriſtiana fide decertauit,
ſed prius etiam,vt iam expoſitum eſt: tum verò
in carcere obiit.Sed & magnus Cyprianus,Car-
*Epiſcoporũ ſucceſſiones.*
thaginenſis epiſcopus,pro Chriſtiana fide certa-
uit.His igitur pontificibus defunctis,Romæ Fla
uiano Cornelius, Antiocheno Babylæ Flauian[9],
Alexandriæ * Dionyſius,Hieroſolymis Alexan-
dro Mazabanes ſucceſſit.Sed & alij plurimi mar
*Origenicæ opiniones.*
tyrij dignitate ſunt ornati.Tunc etiam Origenes
ad tyrannicum tribunal vt Chriſti cultor addu-
ctus eſt:ſed honore martyrij caruit miſer, ei ne-
gato,vt opinor,à Deo, ob peruerſas opiniones.
Nam tormẽta iam expertus,tamen ordinem de-
ſeruit.Hic,vt antè dictũ eſt,cùm doctrina & elo-
quentia excelleret, ſuperbia & arrogãtia elatus,
veterum S.patrum decretis neglectis, nouarum
opinionum autor eſſe non dubitauit.& blaſphe-
mias in ſanctam Trinitatem,diuinámque inhu-
manationẽ ex improbo cordis ſui theſauro eru-
ctauit:nec vlla ferè ſecta eſt, cui nõ initium præ-
„ buerit. Nam & vnigenitum Dei filium cõditum
„ eſſe docuit,à paterna gloria & eſſentia alienum:
„ & ſpiritum ſanctum infra patris & filij dignita-
„ tem collocauit,affirmans, neque patrem à filio,
„ neque filium à ſpiritu ſancto poſſe cerni:vt nec
„ ſpiritum ab angelis, nec angelos ab hominibus.
Ac hæ ſunt Origenis in ſanctã & cõſubſtantialẽ
trinitatem blaſphemiæ. Circa Chriſti verò inhu- "
manationem,Chriſtum animatã carnem ex ſan- "
cta virgine aſſumpſiſſe impiè negat:ſed vnigeni- "
tum Dei filium ante mundum conditum menti "
vnitum fuiſſe fabulatur,& electum eſſe fingit,& "
* ramum qui aliquando non fuerit, cum eóque "
extremis temporibus inhumanatum eſſe,aſſum- "
pta carne abſque anima intelligente & ratione "
prædita:ac rurſus depoſuiſſe carnem Dominum, "
& finem habiturum eſſe eius regnum ſtatuit. & "
dæmones in integrum reſtituendos eſſe tradit: "
& ſupplicium finiti, non æterni fore temporis, "
purgationi delictorum omniũ deſtinatum: qua "
peracta omnes ad vnitatem redituros eſſe, tam "
homines quàm dæmones. Vnitatis autem illius "
rationem,ſeu nugas potius,cum ſine multis ver-
bis declarari haud poſſint,prætermiſimus, vt &
alias eius blaſphemias. Atque hæc de Origene,
*Nouatianæ ſectæ cõdemnatio.*
qui etiam Adamantius dicebatur.Tum Nouatus
quoque, Romanæ eccleſiæ preſbyter, hæreſiar-
ches extitit: corúmq; qui ſe Catharos ſeu puros
dicunt, princeps: iis qui perſecutione territi, ſi-
mulachris immolarunt, & pòſt agnito peccato,
ſe conuertunt,pœnitentiam negans,& ſupplices
ac delicti medicinam dolenter afflictóque ani-
mo requirentes, non admittens. Contra hunc
Romæ concilium eſt indictum, cui Cornelius
præfuit: in quo decretum eſt,tempore perſecu-
tionis lapſos recipiendos, ſi ſe conuerterint, &
pœnitentiæ medicina curandos eſſe. Nouatum
verò ſancti illi patres, concilij decreto non ac-
quieſcentem,Eccleſia pulſum, vt fratrũ hoſtem,
*Serapioni lapſo diuinitùs data venia.*
abdicarunt. Euſebius quoque hiſtoriam quandã
ex epiſtola Dionyſij Alexandrini epiſcopi, hu-
iuſmodi,iis verbis ab ipſo deſcripta,quæ ſequun
tur,refert. Fuit apud nos fidelis quidam ſenex "
Serapio,vita inculpatè acta, ſed in perſecutione "
lapſus,qui cum ſæpè opem imploraret,ac ob ſa- "
crificium ſimulachris factum à nemine audire- "
tur: ægrotus,per integrum triduũ mutus & ſen- "
ſus expers iacuit.Die quarta morbo nonnihil re- "
miſſo,per nepotem ſibi feſtinanter preſbyterum "
aliquem accerſi iuſſit,ac rurſus mutus iacuit.Ac- "
currit puer ad preſbyterum, qui cum ob morbũ "
venire non poſſet, ego autem eos qui è vita di- "
ſcederent, ſi peterent, præſertim ſi prius etiam "
ſupplicaſſent, abſolui iuſſiſſem,vt cum ſpe bona "
morerentur: parum de Euchariſtia dedit puero, "
ac iuſſit,vt madefaceret, ac ſeni in os inſtillaret. "
quam cum puer afferens appropinquaſſet,priuſ- "
quam ingrederetur, denuò recreatus Serapio: "
Ades,inquit,fili? etſi autem preſbyter venire nõ "
potuit,tu tamen quod mandatum eſt,exequere, "
méque abſoluito. Inſtillauit puer euchariſtiam "
in os ſenis: qui cum parum deglutiſſet, ſtatim "
expirauit. Nónne verò euidenter conſeruatus, "
eo vſque expectauit, dum ſolueretur? peccatóq; "
ſoluto,propter multa bona quæ fecerat * confi- "
*Decij interitus.*
teri poſſet? Hæc in epiſtola Dionyſij referuntur.
Decius verò ſic erga Chriſti cultores affectus,
nõdum integro biennio in imperio exacto, tur-
piſſimè periit. Nam cum Barbarorum,Boſpho-
rum populãtium,multos occidiſſet:híque in ar-
guſtias redacti, ſe omnem prædam reddituros
promitterent,ſi diſcedere ſinerentur:Decius ne-

gauit, & Gallum ſenatorem tranſitu eos prohibere iuſſit. At Gallus Decio inſidians, monuit Barbaros, vt iuxta profundam paludem aciem inſtruerent. quo illi facto, cum terga dediſſent: Decius eos perſequens cum filio & magna multitudine Romanorum, in paludem incidit, vbi omnes perierunt, vt nec corpora eorum inuenirentur, cœno obruta.

### *IMPERIVM GALLI ET Voluſiani.*

*Tributum Barbaris promiſſum.*

GAllus rerum potitus (quem ſcriptores quidam etiam Voluſianũ vocant, vt binominem: aliis aſſerentibus, filium, eundémque collegam eius, Voluſianum appellatum eſſe) pactus cum Barbaris, vt annuo tributo accepto, Romanis prouinciis abſtinerent, Romam abiit, ac filium Voluſianum Cæſarem declarauit. Fuit & hic Chriſtianis grauis, non minore quàm Decius perſecutione inchoata, multíſque interfectis. Sub hoc motus Perſarum recruduit, qui Armeniam occuparunt, Tiridate rege fuga elapſo, cuius filij ſe ad hoſtes contulerant. Scytharum quoque multitudo penè innumerabilis in Italiam impreſſionem fecit: iidémque Macedoniam, Theſſaliam & Græciam incurſarunt. Eorum quoque pars Mæotide palude ſuperata, per Boſporum, in pontum Euxinum irrupiſſe fertur, ac multas vaſtaſſe prouincias. Sunt & aliæ plures gentes contra ditiones Romanorum concitatæ. Peſtis quoque tum prouincias inuaſit: quæ ab Æthiopia orta, totúmque penè orientem & occidentem peruagata, multas vrbes ciuibus deſolauit, durauítque per annos quindecim. Scythæ verò annuo tributo ex pacto à Romanis petito, pauciora ſibi quàm promiſſa eſſent, dari queſti, minitabundi abierunt. Cæterùm Æmylianus, homo Afer, Myſiis legionibus præfectus, militibus ea omnia promiſit quæ Scythis penderentur, ſi cum illis pugnarent. qui Barbaros ex improuiſo aggreſſi, paucis exceptis, omnes occiderunt: & opimis ſpoliis partis, regionem eorum incurſarunt. Eo ſucceſſu elatus Æmylianus, à ſuis legionibus impetrauit, vt imperator ſalutaretur: coactíſque in vnum copiis, ad Italiam occupandam properauit. Quo Gallus cognito, & ipſe contrà ſe parauit: commiſſóque prælio victus, à ſuis militibus vnà cum filio occiſus eſt, cum biennium & menſes octo imperaſſet. Eius verò milites & ipſi Æmyliano coniuncti, imperium confirmarunt.

*Perſæ.* *Scythæ.* *Peſtilẽtia xv annorũ.* *Scythæ ab Æmyliano cæſi.* *Æmylianus imperator creatus.* *Galli & Voluſiani cædes*

### Imperium Æmyliani.

APpellatus imperator Æmylianus Senatui per literas promiſit, ſe Barbaros etiã Thracia pulſurum, & Perſis bellum illaturum: omniáque facturum & dimicaturũ, vt ducem eorum, imperio ipſis relicto. ſed priuſquam horum aliquid faceret, Valerianus tranſalpinarum legionum dux, rebus Æmyliani cognitis, & ipſe regnum affectauit: conductíſque in vnum ſuis copiis, Romam properauit. Quare ij qui ſub Æmyliano ſtipendia merebant, quia ſe Valeriano impares eſſe norant, & Romanos mutuis perire cædibus, ac inteſtina bella conflari nefas putabant. Eódem accedebat, quòd Æmylianum, vt inglorium & humilem, regno indignum iudicabant: Valerianum verò ad principatum aptiorem, vt qui maiori cum autoritate res adminiſtraturus eſſet. Æmyliano nõdum quatuor menſes imperio potito, annos verò quadraginta nato, interfecto, ad Valerianum tranſeunt, eíque citra dimicationem Romanorũ imperium tradunt. Flauiano ſub Decio martyrij corona ornato, Cornelius Romanus paſtor factus, munere ſuo per triennium præclarè obito, deceſſit. Lucio in pontificatus ſolium euecto, & ante expletum in eo octauum annum mortuo, Stephanus eſt ſurrogatus. Huius ſanctio eſt, ne Chriſtiani ab hæreticis ad Eccleſiam reuertentes, rebaptiſentur, ſed precatione per manuum impoſitionem luſtrentur. eáque de re epiſtola eius ad Cyprianum martyrem extat. Cum Stephanus poſt duos annos obdormiſſet: Xyſtus in pontifico Romæ ſolio cõſedit. Tum etiam Sabelliana hæreſis, Ptolemaide Pentapoleos vrbe mota eſt. Atque hæc de Romanis pontificibus.

*Æmyliani cædes.* *Epiſcoporũ cathalogus.* *Stephani papæ ſanctio.*

### Valeriani imperium.

VAlerianus autem, cum Galieno filio rerum potitus, & ipſe Chriſtianos vehementiſſimè perſecutus eſt: ac multi diuerſis in locis martyres facti ſunt, variis pro Chriſti fide certaminibus defuncti. Sub hoc quoque, propter exterarum gentium motus, malè ſe res Romana habuit. Nam Scythæ Iſtrum tranſgreſſi, Thraciam denuò populati, vrbem illuſtrem Theſſalonicam obſederunt illi quidem, ſed non expugnarunt. ac terrorem tantum intulerunt omnibus, vt Athenienſes ſua mœnia iam inde à Syllæ temporibus proſtrata, inſtaurarent. Peloponenſes verò, Iſthmum à mari ad mare ducto muro intercluderẽt. Perſæ quoque Sapore rege Syriam incurſarunt, & Edeſſam obſederunt: quos Valerianus prius non aggredi auſus, cum Edeſſenos milites eruptionibus faciendis multos Barbaros cædere, & plurimis potiri ſpoliis didiciſſet, recepto animo adortus eſt. Qui, vt longè plures, Romanos circundederũt, quibus maxima ex parte occiſis, nonnullis etiam elapſis, Valerianus cum ſuis ſatellitibus ab hoſtibus captus, atque ad Saporem abductus eſt. Is verò cum imperatorem teneret, omnia ſe iam viciſſe ratus, homo per ſe crudelis, multo deterior euaſit. Nonnulli ad hũc modum à Perſis Valerianum eſſe captum tradunt. Sunt & qui eum vltrò deditionem feciſſe narrent, quòd cum Edeſſæ ageret, milites fame laborantes, ſeditione mota, de interficiendo ipſo cogitarint. Eum verò ne à ſuis occideretur, ad Saporem profugum, hoſti ſe tradidiſſe, ac nihilo ſecius ipſas legiones: quæ quod ad ipſum attinet, ſanè periiſſent, milites tamen non perierunt, ſed proditione cognita, paucis occiſis, effugerunt. Enimuerò imperator ſiue in acie captus, ſiue vltrò profugus, ignominioſè à Sapore tractabatur. Perſæ verò ſine vllo metu vrbes adorti, Antiochiam ad Orontem, & clariſſimam Ciliciæ ciuitatem Tarſum, & Cappadociæ Cæſaream ceperunt, nec captiuorum multitudini cibi plus dederunt, quàm quantum ad tuẽdam vitam ſatis eſſet: imò nec aquam affatim bibere ſiti ſunt, ſed à cuſtodibus in die ſemel

*Scythæ.* *Valerianus à Perſis captus.* *Antiochia.* *Tarſus.* *Cæſarea.*



*Demoſthenes Cæſariẽſis.*

mel inſtar pecudum aquatum acti. Cæſaream verò Cappadociæ frequẽtiſſimam vrbem, (nam ad quadringenta hominum millia eam incoluiſſe traduntur) non prius hoſtes ceperunt, obſeſſis ſtrenuè ſe defendentibus, Demoſthene, viro forti & cordato, duce: quàm captiuus quidam medicus, excarnificationum hoſtilium impatiens, locum eis quendam demonſtrauit, per quem Perſæ noctu ingreſſi, omnes interfecerunt. Ciuium verò dux Demoſthenes, à multis Perſis circundatus, qui eum viuentem capere iuſſi erant, conſcenſo equo, & ſtricto enſe ſublato, in medios hoſtes ſe immiſit, & plurimis proſtratis vrbe elapſus, effugit. Hoc rerum ſtatu Perſæ, omnes Romanas in oriente prouincias peruagati, ſine vllo metu vaſtarunt. At Romani fuga, vt dictum eſt, elapſi, Calliſtum quẽdam ducem crearunt, qui cum Perſas palantes: ac omnis hoſtilis metus expertes, temerè prouincias incurſare videret: aggreſſione repentina maximam Barbarorum cædem edidit, & Saporis cõcubinas cum magnis opibus cepit. Qua clade ille dolens, feſtinanter domum abiit, abducto etiam Valeriano ſecum: qui in Perſia vitam inter captiuitatis opprobria & ludibria exegit. Neque verò Calliſtus duntaxat rem contra Perſas tum bene geſſit: ſed & Odenatus Palmyrenus, Romanorum ſocius, multos occidit, redeuntes iuxta Euphratem adortus, eáque de cauſa à Galieno imperatore, grati animi ergò, dux Orientis eſt creatus. Inter ſpoliandum cadauera Perſarum, dicuntur etiam mulieres habitu & armis virorum ornatæ repertæ, & tales aliquot viuæ à Romanis captæ eſſe. Sapores verò cum in reditu in profundam vallem incidiſſet, per quem iumentis tranſitus non patebat, captiuos interfici, & in vallem abiici iuſſiſſe: itáque complanata valle, per cadauera iumenta traduxiſſe fertur. Ac cum Valeriano ſic actum eſt. Romanam autem eccleſiam gubernauit Xyſtus: Antiochenam Demetrianus, Flauiani ſucceſſor: Hieroſolymitanam Mazabeno mortuo Hymenæus, Alexandrinam Dionyſius.

*Calliſtus Perſas cædit* *Odenatus.* *Mulieres milites.* *Vallis cadaueribus expleta.* *Epiſcoporũ ſucceſſio.*

### Imperium Galieni.

POſt Valerianum, Galienus illius filius, imperij Romani potitus eſt, à patre contra Perſas abeunte in Occidente relictus, vt iis qui Italiæ malè cogitarent, & Thraciam vaſtarent, reſiſteret. qui cum non amplius decem millia haberet, trecenta millia Alemannorum iuxta Mediolanum vicit. Deinde Herulos etiam, gentem Scythicam, & Gotthicam, profligauit. Geſſit & cum Francis bellum. Aureolus verò ex prouincia Getica (ſic enim Dacia quondam vocabatur) obſcuro genere ortus (paſtor enim fuit) cum à fortuna euehendus eſſet, militauit, atque induſtria cõſecutus eſt, vt equi imperatorij ſuæ fidei mandarentur. Quos quia præclarè tractabat, charus habebatur imperatori. Deinde cum Myſiæ legiones Ingenuum per ſeditionem Imperatorem dixiſſent, & Galienus pręter cęteros etiam Mauros (hos à Medis propagatos eſſe aiunt) contra eum ad Sirmium adduxiſſet: Aureolus magiſter equitum ſtrenuè dimicando, multis hoſtibus cæſis, reliquos, ipſúmque Ingenuum rebus deſperatis in fugam coniécit, in qua à ſuis ſatellitibus eſt occiſus. Hoc domito, Poſthumus contra imperatorem inſurgit tali de cauſa. Galienus filium Galienum, adoleſcentem ſolertem & formoſum, quem imperij ſucceſſorem deſtinabat, in vrbe Agrippina reliquerat: vt Gallis, quos Scythæ premebant, opem ferret, Albano cuidã propter ætatem cõmiſſum. Poſthumus verò ad cuſtodiam Rheni fluminis relictus, vt tranſrhenanos Barbaros Romanarum prouinciarũ incurſione prohiberet: tranſitu eorum non animaduerſo, in reditu præda onuſtos adortus, multis occiſis, prædam omnem receptam inter milites ſtatim diuiſit. Cum autẽ Albanus poſtularet, vt ea ad ſe & iuniorem Galienum afferretur: milites ea repetita ad ſeditionem impulſos, ad Agrippinæ mœnia adduxit, Albanúmque & iuniorem Galienũ à ciuibus ſibi deditos occidit. Galienus igitur bello contra Poſthumum ſuſcepto, primo congreſſu victus eſt. Deinde tyrannum in fugam coniectum, Aureolum perſequi iubet. qui cum eum aſſequi poſſet, diutiùs perſequi nolens, cauſatus eſt, ſe eum adipiſci non poſſe. Quare Poſthumum ſic elapſum, & copias reparantem, Galienus denuò adortus, in quoddam Galliæ oppidum cõpulſum obſedit: ſagittáq; in dorſo ictus, ob vulneris dolorẽ obſidionem ſoluit. Sed aliud quoque bellum à Macrino eſt exortum: qui cum duos filios haberet, Macrianum & Quintum, regnum affectauit. ac ipſe quidem ob alterum pedem mutilatum, veſtem imperatoriam non induit, ſed filios induere iuſſit: atque ab Aſianis cupidè ſuſceptus, cũ ad breue tempus aduerſus Perſas commoratus eſſet, contra Galienum ſe parabat: Baliſta, quem magiſtrum equitum crearat, contra Perſas relicto, adiuncto etiam Quinto filio. Quare imperator Aureolum cum aliis ducibus contra Macrinum & Macrianum miſit: qui hoſte circumuento nonnullos occiderunt (parcebant enim eis, vt popularibus ſuis) ſperantes, ęos vltrò ad imperatorem tranſituros. Sed cum non cederent, fortuitò accidit, vt omnes ad officium redirent. Nam dum tyrannorum milites erectis ſignis incedunt, quidam ex ſigniferis impeditus concidit: ſignóque vnà inclinato, reliqui ſigniferi cauſæ ignari, putãtes illum vltrò ſe imperatori ſubmiſiſſe, humi proſtrati omnes idem fecerũt, Galienum fauſtis ominibus proſequentes: neque vlli præter Pæones, apud Macrinum manſerũt. Qui cum & ipſi tranſituri eſſent, Macrino & filio, ipſorum rogatu, ne in hoſtium poteſtatem venirent, interfectis, imperatori ſe dediderunt. Galienus verò contra Quintum iuniorem Macrini filiũ, qui totum penè Oriẽtem ſubegerat, Odenatum Palamyrenorũ ducem miſit. Verùm Macrini & Macriani clade Pannonica nunciata, multæ vrbes à Quinto & Baliſta defecerũt. Quos Odenatus Emeſæ aggreſſus, vicit: ac Baliſtam ipſe occidit, Quintũ ciues. Qua de cauſa in rei fortiter geſtæ præmiũ dux totius Orientis ab imperatore deſignatus, fidelẽ ſe erga Romanos præbuit: magnáque parta gloria, varias gẽtes multis bellis deuicit, contra Perſas etiam re bene geſta. Sed tandem à fratris ſui filio eſt Occiſus. Qui cum in venatione belluam ſurgentem prior emiſſo iaculo deieciſſet, eáque de cauſa à patruo obiurgatus, iterum ac tertiò

*Galieni res in occidente geſta.* *Aureolus.* *Ingenuus.* *Poſthumus.* *Macrinus. Macrianus. Quintus.* *Quinti & Baliſtæ interitus.* *Odenati interitus.*

idem feciſſet: Odenatus iratus, equũ ei ademit, quæ magna ignominia habetur apud Barbaros: & hominem ea de cauſa minas ſpirãtem, in vincula cõiecit. Sed poſtea rogatu filij Odenati natu maiori ſolutus, ſtricto gladio ipſum Odenatũ, & eius filium liberatorem ſuum, in conuiuio interfecit, atque ipſe etiam ab aliis eſt occiſus.

*Aureoli defectio.*

Deinde Aureolus toti equitatui præfectus, homo potens, contra Galienum inſurrexit: & Mediolano occupato, ſe ad inuadendum imperatorem parauit. Sed ab eo, multis ſuorum amiſſis, & vulnere accepto, Mediolanum compulſus, ibíque obſeſſus eſt. Dum autem Galienus contra hoſtes excurſiones facit, imperatrix, quam ſecum adduxerat, in periculo fuit. Nam cum hoſtes vallum à paucis admodum militibus cuſtodiri animaduertiſſent, imperatoris tabernaculum inuaſerũt, imperatricis rapiendæ cauſa. Sed miles quidam gregarius, qui ante tabernaculum ſedẽs, calceum pede detractũ conſuebat: arrepto clypeo & pugione, in eos ferociter irruit. & vno atque altero percuſſo, cæteros illius audacia territos repulit, dum plurium cõcurſu coniunx imperatoris erepta eſt.

*Aurelianus.*

Quo Mediolanum adhuc obſidente, Aurelianus cum equitibus ad Galienum venit: cuius occidendi conſilium proceres cum Aureliano initum, dum Mediolanum caperetur, differre habebant in animo. Sed cum id eſſe proditum intellexiſſent, maturatis inſidiis, Galieno hoſtium aduentum nunciant:

*Galieni cædes.*

contra quos illi ſtatim ſub prandij tempus paucis comitantibus egredienti, occurrunt equites. qui cum non procul ab eo diſtantes, nec ex equis deſcenderẽt, nec vllum aliũ honorem imperatori debitum haberent: comites ſuos rogat, quid illi ſibi vellent? qui cum reſpondiſſent, eos imperium illi abrogaturos: ſtatim laxatis habenis in fugam conuerſus, inſidiatores equi celeritate effugiſſet, niſi is ad foſſam quandam territus ſubſtitiſſet. vbi perſequentibus eum aſſecutis, à quodã haſta ictus, decidit equo: nec multo pòſt ex ſanguinis profluuio deceſſit. Imperauit ſolus, & cũ patre, annos quindecim. Animo liberali fuit, atq; omnibus gratificari ſtuduit, neque quenquam voti impotem dimiſit: ne aduerſariis quidem ſuis, aut iis qui tyrãnos ſecuti fuerant, ſupplicio affectis. Ac alij ſic periiſſe Galienum, alij ab Heracliano præfecto cæſum eſſe tradunt.

*Heraclianus.*

Nam cum Aureolus, qui Gallicis legionibus præerat, mota ſeditione cũ exercitu in Italiam contenderet: Galienum cõtra eum abeuntem, dum noctu in tabernaculo dormit, ab Heracliano Aureoli cõiurato excitatum eſſe. qui cũ ei & Claudio viro bellicoſiſſimo, Aureolum iam cum magnis copiis aduentare nunciaſſet: Galienum ſubito nuncio perterritum, ac ſeminudum lecto exilientem, armáque petentem, ab illo cæſum eſſe.

*Epiſcoporũ ſucceſſio.*

Huius temporibus Xyſtus, vndecimo Romani epiſcopatus anno defunctus, Dioniſiũ ſucceſſorem habuit. Demetriano Antiocheno mortuo,

*Paulus Samoſatenus.*

Paulus Samoſatenus ſucceſſit: qui de Chriſto humiliter docuit, eũ hominem eſſe natura communi præditum, & non Deum. Contra hunc aliarum Eccleſiarum paſtores conciliũ indixerunt, cui etiam Gregorius Thaumaturgus, & frater eius Athenodorus interfuerunt: eúmq; vt perperam de Chriſto ſentientem, conuictũ, Eccleſia cedere iuſſerunt. Recuſantem, apud Aurelianum, qui tum imperabat, detulerũt orthodoxi. qui cum decreto iis Eccleſiã attribui iuſſiſſet, quibus Romani & Italici epiſcopi ſuffragarẽtur: Paulo per ignominiã pulſo, Domnus ſucceſſit.

## Imperium Claudij.

GAlieno interfecto, Claudius Cæſar eſt deſignatus: cui Aureolus armis poſitis ſe ſubmiſit. ſed cum denuò regnum affectaret, à militibus occiſus eſt.

*Aureoli cædes.*

Claudius verò vir bonus, & iuſtitiæ obſeruans, edicto vetuit, ne ab Imperatore res alienæ peterentur. Erat enim opinio, eas etiã ab Imperatore donari poſſe. *Vnde leges adhuc receptæ in republica initium habuerunt.

*Claudij æquitas.*

Itaq; mulier quædam, cuius prædium ipſe ante imperium ex dono imperatoris acceperat, acceſſit, à Claudio magiſtro equitũ iniuriam ſibi eſſe factã conquerens. tum ille: Quod, inquit, Claudius, dũ priuatus erat, nec leges curabat, abſtulit, hoc factus imperator reſtituit. Senatus Romanus, Galieni cæde cognita, fratrẽ illius & filiũ etiã occidit. Cũ autẽ Poſthumus adhuc tyrannidem obtineret, & Barbari Mæotide palude ſuperata, Aſiã Europámq; vaſtarent, ac vtrum bellũ prius conficiendum eſſet, deliberaretur: Claudius dixit, Bellum Poſthumicũ mea intereſt, Barbaricũ reipublicæ, cuius in primis habenda eſt ratio.

*Theſſalonica Emathia.*

Cæterùm Barbari multas prouincias incurſantes, Theſſalonicam, quæ, cum olim Emathia diceretur, à Philippi filia Caſſandro nupta hoc nomẽ accepiſſe fertur, obſederunt: ab eaq; repulſi, Athenas ceperũt.

*Scythæ libros Athenienſium nõ cremant.*

Vbi cũ omnes libros in vnũ aceruum congeſtos crematuri eſſent, vnus ex cordatioribus populares ſuos à propoſito reuocauit: quòd Græci, dum iis rebus occupati, rem militarem negligerẽt, facilè ſuperari poſſent.

*Cleodemus Scythas vincit.*

Enimuerò Cleodemus, vir Athenienſis, fugà elapſus, coactáq; multitudine, nauibus ex mari hoſtes adortus, tantam cædem edidit, vt reliqui etiam inde aufugerẽt.

*Claudij obitus.*

Claudius verò cũ eos in variis prouinciis diſperſos, partim naualibus, partim terreſtribus præliis ſuperaſſet, multis etiã tempeſtatũ vexationibus & fame cõſumptis, Sirmij ægrotans: cùm primoribus exercitus cõuocatis, de imperatore creando diſſereret, Aurelianũ imperio dignum eſſe dixit.

*Aurelianus.*

Sunt, qui eum ſtatim imperatorẽ ſalutatũ eſſe dicant.

*Quintilianus.*

Alij aſſerũt, Senatũ Claudij morte audita, Quintiliano fratri eius, ob ipſius deſiderium, detuliſſe imperiũ: qui vt homo ſimplex, & ad res gerẽdas parum idoneus, cũ Aurelianum à militibus imperatorem ſalutatũ eſſe audiuiſſet, inciſa manus vena ex profluuio ſanguinis vltrò necem ſibi cõſciuerit, per X V I I duntaxat dies quaſi ſomniato imperio. De ſpacio imperij Claudij, ſcriptores non cõſentiunt: quorũ alij, eum vnũ annum: alij, vt & Euſebius, biennium imperaſſe ferũt.

*Conſtãns Chlorus.*

Huius imperatoris Claudij ex filia nepos fuit Conſtãs Chlorus, magni Conſtantini pater.

## Imperium Aureliani.

AVrelianus principatu Romanorum potitus, magnates rogauit, quo pacto imperandum eſſet? Quorum vnus ei reſpondit: Si rempublicã ritè adminiſtrare volueris, auro & ferro te munitũ eſſe oportebit: ac ferro quidẽ contra hoſtes vti, tui verò obſeruantes auro remunerari.

*Ferrũ et aurum imperij nerui.*

Atque is primus ſui cõſilij tuliſſe fructũ fertur, nõ multo



*Aurelianus perſecutionẽ meditatus.*

to pòſt Aureliani ferrũ expertus. Qui principio imperij Chriſtianis clemẽtẽ ſe præbuit: ſed progreſſu tẽporis mutatus, perſecutionẽ & ipſe cõtra eos meditatus eſt. Verùm cũ iam decreta cõtra Chriſti cultores ſcriberentur, diuina vindicta improbitatem eius, vita adempta, cohercuit. Sed nondũ de eius obitu, donec res ſub eo geſtas expoſuerimus. Nam quũ rei militaris peritiſſimus eſſet, multa bella proſperè cõfecit. Palamyrenos ſubegit: eorúmq; reginã Zenobiã, Probo prætore capto, Ægypto potitã debellauit & ſubegit. quam alij Romã perductam viro claro nupſiſſe ferunt. alij in itinere præ animi ægritudine ob mutatã fortunã obiiſſe: defunctæ filiã vnã vxorem duxiſſe Aurelianũ, cęteras nobilibus Romanis deſpondiſſe. Hic Gallias etiã, plurimis annis à tyrannis occupatas, imperio Romano recuperauit: & magiſtratibus ibi ordinatis Romã reuerſus, quadrigis elephantorũ triumphauit. Gallos quoq;, tum res nouas molitos, deuicit.

*Aureliani cædes ex Erotis inſidiis.*

Sed cum expeditionem contra Scythas ſuſcepiſſet, iuxta Thraciæ Heracleã eſt occiſus. nam Eros quidam à reſponſis externis, aut vt alij tradunt, delator, imperatori ea quæ in eũ dicerentur, referre ſolitus: inſidias Aureliano, à quo per iracundiã obiurgatus erat, cõparauit: & manũ eius imitatus, literas compoſuit, quibus potentes quidã viri capitis damnarentur. iiſq; oſtenſis, eoſdem ad cædem imperatoris incitauit. qui vitæ ſuæ metuentes, Aurelianum ſuſtulerunt, V I annis imperio potitum, paucis menſibus demptis.

## Imperium Taciti.

EI ſucceſſit Tacitus, homo ſenex, qui annos L X X V natus imperium ſuſcepiſſe dicitur, & abſens in Campania declaratus eſſe à militibus. Vbi decreto accepto, priuato habitu Romã ingreſſus, de ſententia Senatus populíq; imperatoria inſignia ſumpſit.

*Scythæ profligati.*

Cum autẽ Scythæ, Mæotide palude & Phaſide amne ſuperato, Pontum Cappadociam, Galatiam & Ciliciã inuaſiſſent: Tacitus & Florianus præfectus multos occiderũt, reliqui fuga ſalutem quæſiuerũt.

*Taciti cædes.*

Cum verò Maximinum quendã, à Tacito cognato Syriæ ducem creatũ, milites poteſtate abutentem occidiſſent, ſuppliciũ eius facinoris metuẽtes, imperatorem quoque perſecuti, nondũ vel ſeptimo menſe, vel integro biennio in imperio exacto, trucidarunt.

## *IMPERIVM PROBI ET Floriani.*

TAcito ſublato, duo Imperatores eodẽ tẽpore ſunt declarati, Probus in Oriente à militibus, Romæ à Senatu Florianus. ac vterq; imperauit: Probus in Ægypto, Syria, Phœnicia & Paleſtina: Florianus à Cilicia vſque ad Italiam & Occidentẽ.

*Floriani cædes.*

Cæterùm hic nondum tertio mẽſe exacto, & vitã & imperiũ amiſit: à militibus, quos Probus ſubornaſſe ferebatur, interfectus. Quo ſic mortuo, Probus totius imperij habenas accepit, qui eruditiſſimus fuiſſe,

*Seditioſi interfecti.*

& de multis populis triumphaſſe fertur, & milites Aureliani & Probi percuſſores cõuocatos, cũ multis opprobriis occidiſſe. Saturnino Mauro, qui erat ipſi chariſſimus, regnum affectante, eius facinoris indicem mentiri putans, ſupplicio affecit: Saturninũ verò milites occiderunt. Cum alius quidam in Britanniis defectionẽ meditaretur, quem ipſe Probus, Victorini Mauri familiaris ſui cõmendatione adductus, ad magiſtratum euexerat: cum Victorino expoſtulauit. qui impetrata ad illũ abeundi poteſtate, ſe imperatorem fugere ſimulãs, amanter à tyranno ſuſceptus, noctu occiſo homine, ad Probum rediit, ob mãſuetudinem, placabilitatẽ & munificentiã charum omnibus. Cũ Germanis Romanas ciuitates vexantibus reſiſteret, bello diutius durante, ex penuria cõmeatus periclitatus eſt. Fertur autẽ maximo imbri in caſtra eius delato, multum quoq;

*Pluuia frumenti.*

frumenti (ſi cui credere libet) depluiſſe: quo milites collecto & famis periculũ effugerint, & hoſtes profligarint. Eſt & alia ſeditio contra Probum mota.

*Carus.*

Nam Carus, qui parti Europæ præerat, animaduertit ſuos milites de ſe Imperatore creando agitare: qua re Probo ſignificata, petiit vt inde reuocaretur. Sed cum is ei ſucceſſorẽ dare nollet, milites corona facta Carum vel inuitũ ſuſcipere imperium coegerunt, ſtatímque cũ eo in Italiam properarũt.

*Probi cædes.*

Quo Probus cognito, exercitum & ducem, qui illi reſiſterent, miſit. Cum autem à Caro propè abeſſent, ducem ſuũ in vincula coniunctum, ſéque vnà illi dediderunt. Probus verò, ea militum tranſitione cognita, à ſuis ſatellitibus eſt interfectus, non integris V I annis imperio functus.

## Imperium Cari.

*Carinꝰ, Numerianus.*

CArus rerum potitus, filiis ſuis Carino & Numeriano imperatorio diademate ornatis, ſtatim contra Perſas profectus, Numeriano filio comitante, Cteſiphontem & Seleuciam occupauit.

*Perſica expeditio.*

Sed Romani cum in cauo quodam loco caſtra haberent, penè vndis eſſent oppreſſi, fluuio præterfluẽte per foſſam à Perſis in eos emiſſo. Verùm Carus profligatis hoſtibus, re bene geſta cum magna captiuorum multitudine, opimáque præda Romam rediit.

*Samatæ domiti.*

Deinde Sarmatas tumultuantes acie vicit, & gentem ſubegit.

*Cari interitus.*

Fuit natione * Galata, ſed vir fortis, & rei militaris peritus.

** Gallus.*

De morte eius non eadem hiſtorici prodiderunt. Nam alij in expeditione Hunnica occiſum ferunt. alij, cum ad Tigrim fluuium caſtra haberet, vnà cum tabernaculo ſuo fulmine conflagraſſe. Quo ſiue hoc ſiue illo modo ſublato,

*Numeriani interitus.*

Numerianus filius eius, ſolus in exercitu relictus Imperator, ſtatim Perſis bellum intulit: cõmiſſóque prælio, cum Romani à Perſis ſuperati terga dediſſent, alij eum in fuga cõprehenſum, pelle toto corpore vtris inſtar detracta periiſſe memorant. alij, cum in reditu ex Perſia ex oculis laboraret, à ſocero ſuo prætorio præfecto cupiditate Imperij interfectum eſſe: quod tamen non ſit aſſecutus, Diocletiano à militibus delatum, eo bello Perſico multis fortibus facinoribus nobilitato.

*Carinus interitus.*

Cæterum alter Cari filius Carinus, cũ Romanis grauis eſſet, luxurioſus, crudelis, & vltor iniuriarum, à Diocletiano Romam ingreſſo occiſus eſt. Tempus imperij horum trium, trienniũ non expleuit.

*Manes hæreticus.*

His temporibus Manes, homo deteſtandus, ex Perſia in noſtrum orbem delatus, ſuum venenũ euomuit. vnde Manichæorũ nomen in hunc vſque diem durat. Is aliàs Paracletũ

& ſpiritum ſanctum ſe eſſe profitebatur, cũ ſpiritus improbitatis euidẽter in eo habitaret: aliàs Chriſtum ſe nominans, cùm dæmonibus ad ipſorum miniſterium vnctus eſſet. x I I diſcipulos ſui delyrij, ex multis ſectis iã deſitis coaſſeruati

*Epiſcoporũ ſucceßiones.*

ſocios & præcones circũducebat. Dionyſius cũ Romæ fideles I x annis pauiſſet, defunctus, Felicem ſucceſſorem habuit. Cui poſt quinquenniũ mortuo, Eutychianus ſucceſſit. Quo intra x menſes illũ conſecuto, paſtoris munus Caio eſt mandatum: qui cum annos circiter x v eccleſiæ præfuiſſet, Marcellinum habuit ſucceſſorem. Hi temporibus perſecutionũ fuerũt. In Antiochena eccleſia poſt Domnum epiſcopus fuit Timæus, Timæo ſucceſſit Cyrillus, Cyrillo Tyrannus: ſub quo eccleſiarum oppugnatio viguit, ac tyrannis facta eſt intolerabilis. Hieroſolymitanam eccleſiam poſt Hymenæum gubernauit Zabdas: quo paulo pòſt defuncto, thronũ eum Hermon ornauit. Alexandriæ Maximo, qui poſt Dionyſium x v I I I annis eccleſiam moderatus eſt, mortuo, Theon factus eſt epiſcopus: cui ſucceſſit Petrus, qui obtruncatus martyrij coronam ſuſcepit. Ac pontificum ſucceſſiones hæ fuerunt.

## Imperium Diocletiani.

*Diocletiani natales.*

IMperium autem Diocletianus eſt adeptus, natione Dalmata, obſcuris ortus parentibus, &, vt quidam tradunt, Anulini ſenatoris libertus, ex milite gregario Myſiæ dux euaſit. alij verò comitem domeſticorum fuiſſe tradũt, quos nonnulli

*Aper, Numeriani percuſſor.*

equites eſſe putant. Apud milites pro concione affirmauit, ſe cædis Numeriani non fuiſſe conſcium. ſimúlq; ad Aprum præfectũ militum conuerſus: Hic, inquit, illius percuſſor eſt. eúmq; enſe arrepto, interfecit. Romam cum veniſſet,

*Maximianus Herculius collega Diocletiani.*

rerum adminiſtrationẽ ſuſcepit: cõſideratáq; principatus amplitudine, ſiue quarto, ſiue, vt alij docent, ſecundo imperij anno, collegam Maximianum Herculium aſciſcit, tãtæ moli rerum ſe vnũ imparem eſſe ratus. Ambo igitur cõſentientibus

*Perſecutio.*

animis perſecutionem contra Chriſtianos inſtituerunt, ſuperioribus omnibus vehementiorem & immaniorem. Summo enim ſtudio, ac potius furore, Dei noſtri Ieſu Chriſti ſalutare nomẽ in omnibus delere terris ſunt conati. Quo tempore tanta eorum qui pro Chriſti confeſſione in omnibus ciuitatibus & prouinciis fortiter occumberent, multitudo fuit, vt eorum iniri numerus ægrè poſſit. Hanc enim carnificinam cæteris rebus omnibus anteuertendam eſſe putabant. Buſiridem verò & Coptũ vrbes, Thebis Ægyptiacis vicinas, cum defeciſſent, Diocletianus cepit

*Ægyptiaca ſeditio.*

atque euertit. Pòſt, Alexãdria quoq; & Ægyptus Achille quodam autore arma contra Romanos ſumpſerunt: ſed Diocletiano haud diu reſtiterũt, multíq; ſeditionis concitatores vnà cum Achylle pœnas dederunt. Diocletianus porrò & Maximianus, ſuũ vterq; generũ Cæſares declararunt:

*Maximinus Gallerius. Conſtans Chlorus.*

Diocletianus Maximinum Gallerium, cui filiam Valeriam deſponderat: Herculius Maximianus Conſtantem, qui à pallore Chlorus vocabatur, nepotem Claudij, qui paulo antè imperarat, vt iam expoſui, deſponſa filia Theodora. Quamuis autem ambo Cæſares vxores haberẽt, tamen repudiatis illis, imperatorum affinitatem prætulerunt.

*Seditiones,*

Maximianus in Gallias profectus, Amandi cuiuſdam motum repreſſit. Craſſum, qui Britanniam per triennium occuparat, præfectus Aſclepiodotus ſuſtulit. Quinque Gentianos qui Africam occuparant, Herculius debellauit.

*Gallica, Africana, Britannica, ſuppreſſæ.*

Conſtans Cæſar in Galliis aduerſus Alemannos bellũ gerens, eodem die & victus eſt, & vicit. Nam primùm cum Alemanni magno impetu in eius exercitum irruerent, terga omnes dederunt, quos

*Conſtantis Alemanica victoria.*

dum Conſtans fuga poſtremus conſequitur, parum abfuit quin portis iam clauſis caperetur. ac planè ab hoſtibus comprehenſus eſſet, in cũ capiendum intentis, niſi funibus ex muro demiſſis attractus eſſet. Ita cõſeruatus, atque in vrbem receptus, conuocato ſtatim exercitu, oratione habita, qua militũ animis alacritatem ad rem ſtrenuè gerendã attulit, ac fiduciam quandam quaſi inſpirauit, ſtatim duxit cõtra hoſtem. atq; illuſtri victoria potitus eſt, circiter L x millib. Alemãnorum cæſis.

*Gallerij Maximini Perſica victoria*

Apud Perſas autẽ regnauit Narſes, qui ſeptimus ab Artaxerxe numeratur: cuius ſuprà facta eſt mentio, vt regni Perſici inſtauratoris. Nam poſt hunc ſiue Artaxerxem, ſiue Artaxarem (vtroque enim nomine appellatur) Sapores Perſis imperauit. Hunc Hormiſdas, Hormiſdam Vararanes, Vararanẽ Vararaces ſecutus eſt. huic alius Vararanes ſucceſſit, & poſt hos Narſes regnauit. Cõtra hũc igitur Narſen, Syriam vaſtantem, Diocletianus per Ægyptum in Æthiopiam profectus, generum Galleriũ Maximinum, cum iuſtis copiis miſit: à Perſis victũ & profligatum, cũ maiore exercitu ablegauit. Denuò igitur hoſtes adortus, tam illuſtrem victoriã adeptus eſt, vt acceptæ cladis ignominiã aboleret. Perſarum certè quidem partem maiorem occidit, Narſem vulneratum vſq; ad interiorem Perſiam perſecutus, eius vxores, liberos & ſorores, ac multos illuſtres Perſas cepit, omníque pecunia à Narſe in militiã aduecta potitus eſt. Narſes verò ex vulnere recreatus, per legatos à Diocletiano & Gallerio, vt ſibi mulieres & liberi redderentur, & pacis fœdus feriretur, impetrauit, cũ Romanis, rebus omnibus quas volebant, ceſſiſſet. Aliis quoque multis bellis Diocletianus & Maximianus partim per ſe, partim per Cæſares & duces proſperè confectis, imperij fines amplificarũt.

*Diocletianus rebus ſecundis inſoleſcit.*

Quibus victoriis elatus Diocletianus, ſe nõ amplius, vt prius, à Senatu ſalutari, ſed adorari voluit: veſtes ſuas & calceos auro, gemmis, margaritis exornauit, & imperatoria inſignia maioribus ſumptibus decorauit. Superiores enim imperatores cõſulari duntaxat honore afficiebãtur, & imperij inſigne purpuram tantum geſtabant. Perſecutione gliſcente, viríſq; & mulieribus innumeris pro Chriſti confeſſione moriẽtibus, cum nihilominus magna fidelium multitudo ſupereſſet: hi tyrãni ſub annum x I x imperij Diocletiani, edicta quouis terrarum mittebant, quibus Eccleſiæ Chriſtianorũ dirui, libri cremari iubebantur, & ſacerdotes eorũ, vt doctores & præcones fidei, crudeliter interfici. Cæteros qui aut dignitatibus præditi, aut in militiã aſcripti eſſent, ignominioſe eiici atq; exautorari. Priuatæ verò conditionis homines, in ſeruitutem rapi.

*Diocletianus & Maximianus Herculius,*

x x anno imperij Diocletiani exacto, ambo imperatores conſentientibus animis imperio ſe abdicarunt, publicè profitẽtes, ſe moli negociorum ſuccumbere: ſed

apud



*Chriſtianos fruſtra perſecuti, ſe imperio abdicant.*

apud eos quibus arcana ſui pectoris credebant, id ex deſperatione facere ſe fatebantur. Quia enim nec Chriſtianos ſuperare, nec præconium Chriſtiani nominis extinguere poſſent, ſe nec imperio velle frui. Cum autem ambo eodem die imperio ſe ex compoſito abdicaſſent, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani: ille Salonis in Dalmatia, quas patriam habebat, hic in

*Perſicus triumphus.*

Lucania vitam egit. Prius tamẽ de Perſis Romæ triumpharunt, in quo triumpho Narſis vxores, liberos & ſorores, aliarúmq; gentium duces duxerunt, omnéſque diuitias ex Perſia apportatas.

*Etymologia triumphi.*

Haud verò abs re fuerit explicari, vnde triumphi nomen ſumptum ſit, ac id quidem à Thriis, quæ ficulna folia ſunt, factũ putant. Priuſquam enim perſonas ſcenici excogitaſſent, ficulnis foliis facies velati, dicteria verſibus iambicis proferebãt. Eandem & milites in victoriæ feſtiuitate licentiam eodem ornatu in victores vſurpabant, atq; hinc triumpho nomen eſſe factũ autumant. alij verò ex eo, quòd tribus cõſtet ordinibus, ſenatu, populo, & militibus, vnà incedẽtibus, literarum in Græco vocabulo θρίαμβος nonnulla mutatione facta. Ea igitur victoriæ feſtiuitate peracta, Imperatoriam poteſtatem in Cæſares tranſtulerũt. & partiti imperium, Orientalem partem vnà cum Illyrico Gallerio. Maximino aſſignarunt: Conſtanti Chloro prouincias occidentales, vnà cum Africa attribuerunt. His ita geſtis, milites prætoriani filium Herculij Maximiani Maxentiũ Ro-

*Conſtantis moderatio.*

mæ imperatorem declararunt. Ex his tribus igitur, Cõſtans in Britanniis, Cottiis alpibus & Galliis dominans, Chriſti cultores admodum clementer tractauit, atque adeò ſubditos ſuos omnes: & pecuniæ contemptor fuit.

*Maximini ſæuitia & libidines.*

Sed Maximinus Orientis Imperator tum Chriſtianos acerrimè perſecutus eſt, tum cæteris ſubditis grauiſſimus fuit. Nam cũ libidine arderet, ac ſummus adulter eſſet: non priuatæ cõditionis ſolum mulieres ad ſtupra rapiebat, ſed etiam illuſtrium virorum coniuges à maritis per vim auulſas, expleta libidine ſua domum remittebat: diuinationibus adeò deditus, vt nullam rem minimã iis incõſultis ſuſciperet, & arcanorum illorum patratoribus honorem haberet. Hic pios homines ad internecionem cõdemnauit, eorúmq; facultates publicauit, nullo alio crimine inſontib[9] obiecto, præterquam Dei cognitione & fide in Chriſtũ.

*Maxentij graſſationes.*

Maxentius verò Romæ nihilo clementior tyrãnus fuit, ſed æquè vt Maximinus, imperiũ adminiſtrauit, in proximos quoſque Chriſtianos inſaniendo, & omnibus ærumnis exagitando, ſummáque perfidia in omnes ſuos ſubditos graſſando. Nam & multos claros viros nullo iuſto iudicio occidebat, & nobiles matronas ac virgines indies per ſummam cõtumeliam cõſtuprabat, & locupletibus bona per iniuriã eripiebat, & ſubditos nouis, iiſque grauibus exactionibus atterebat.

*Pudicitia vita charior.*

Hic aliquãdo Romæ nobiliſſimæ caſtæque matronæ, quæ viro illuſtri nupta erat, immodeſto amore correptus, talium operũ miniſtros ad eam adducendam miſit. Quæ cum lenones ædibus ſuis aſtare videret, aduentúſq; cauſa cognita, citra vllam deprecationem ad tyrannum abeundum eſſe intelligeret (nam maritus mortis metu attonitus, ab illis abduci mulierẽ patiebatur) neque vllum aliunde auxilium expectaret: exiguam moram poſtulauit, vt ſe exornaret prius, quàm abiret. Colebat autem Chriſtum, & diuino myſterio initiata erat. Ingreſſa igitur cubiculum, remotis arbitris, ſibi necem conſciuit, vt contumeliæ expers modeſtiam conſeruaret, voluntariam mortẽ amplexa, cadauere lenonibus & nefario amatori relicto. His ita imperantibus Diocletianus & Maximianus in vita priuata obierunt: etſi de illorũ obitu ſcriptores non conſentiunt. nam

*Diocletiani obitus.*

Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. v I I I. Diocletianum mentis errore affectum, & diuturno morbo tabeſcẽtem, miſeram animam violenter eructaſſe ſcribit: Maximianum verò Herculium laqueo ſibi necem conſciuiſſe. Alij verò tradunt eos, cum depoſitæ poteſtatis pœniteret, in conatu recuperandi imperij deprehenſos, & ſenatuſconſulto interfectos eſſe.

*Herculij Maximiani interitus.*

Sunt etiam qui dicant, Herculium rurſus imperium deſiderantem, conſilium cum Diocletiano de eo recuperãdo communicaſſe: eóque conatum illum recuſante, curiam ingreſſum dixiſſe, filium ſuum reipublicæ gerendæ eſſe imparem. Militibus autem iis verbis ad iram concitatis, quaſi imperium ſibi vendicaret: periculo territum, negaſſe id ſe in animo habuiſſe, ſed militum animos vt erga filium ſuũ affecti eſſent, periclitari voluiſſe: itáq; ſedaſſe tumultum. Deinde in Gallias ad Conſtantinũ Magnum, qui Fauſtam filiam eius & ipſe in matrimonio haberet, abiiſſe, ac in regno eius per inſidias ſibi vendicando ibi quoque deprehenſum, eóque conatu deiectum, tum demum vitam laqueo finiuiſſe. Verùm iſti vno quopiam modo ex his, naturæ debitum perſoluerunt.

*Conſtantis obitus.*

Conſtans autẽ vndecimo anno in imperio exacto, ex quo Cæſar appellatus fuerat, poteſtate clementer & humaniter vſus, in Britannia extremum diẽ clauſit, cum luctu ſubditorum, bonitatem eius deſiderantium: filio natu maiore, Magno videlicet

*Conſtantin[9] Magnus.*

Conſtantino, ex priore coniuge, imperij ſucceſſõre declarato. Habuit enim ex ſecunda quoque Herculij filia Theodora alios filios, Conſtantinum, Anaballianum & Conſtantium.

*Cõſtantin[9]. Anaballianus. Cõſtantius.*

Sed Magnus Conſtantinus prælatus eſt, quòd hi patri ad imperium inepti eſſe videbantur. Imò totum negocium diuinæ prouidentiæ fuit, ſalutari præconio ac potius omnibus Romani imperij ſubditis conſulentis, vt per eum tyrannides deſtruerentur. Fertur enim Conſtanti ægrotanti, & ob cæterorum filiorum ineptam indolem mœſto,

*Angelus Cõſtanti viſus.*

angelus aſtitiſſe, qui iuberet, vt Conſtantino relinqueret imperium. Hunc igitur Conſtantinum pater, adoleſcentem etiamnum, Gallerio dediſſe obſidem memoratur, vt interim etiam in re militari exerceretur.

*Conſtantini adoleſcẽtia.*

qui cũ ei ob ingenij dexteritatem ex inuidia inſidias ſtrueret, in pugna Sarmatica mãdarit, vt barbarorũ ducem armis inſignẽ aggrederetur. Conſtantinũ verò paruiſſe, eúmq; correptũ viuentem ad Galleriũ portaſſe. Deinde leonem immanem & cruentam belluam iuſſiſſe ſubſiſtere: illũ verò id quoq; certamen, quamuis nõ ſine periculo, diuina tamẽ gratia incolumem obiiſſe. Vnde cũ Galleriũ inuidere ſibi atq; inſidiari intellexiſſet, noctu cũ iis quibus fidebat, fuga elapſum ad patrẽ rediiſſe: eóque pacto & periculum euaſiſſe, & paterno imperio potitũ eſſe.

Maxim

## Maximini imperium.

*Licinius.*

MAximinus Liciniũ,natione Dacũ,qui Conſtãtini Magni ſororem in matrimonio habebat, imperij collegam aſciturus, in Illyrico reliquit, vt Thracibus qui à barbaris vexabantur, opem ferret. Ipſe Romam profectus eſt, vt cum Maxentio pugnaret. Deinde quum ſuis militibus diffideret,metuẽs ne ad hoſtem tranſirent,omiſſo bello receſſit.ac Licinium,quia collegam eum aſciuiſſe pœnituerat, primùm clàm per inſidias,deinde aperto Marte adortus, in fugam vertitur, in qua ſeipſum interemit. Et hoc modo Maximinũ periiſſe, quidam tradunt. Alij autores ſunt, eum furore quodam contra Chriſtianos graſſantem, diuinæ vindictæ pœnas dediſſe, hulcere grauiſſimo circa bubonem & pudenda orto, quod inſtrumenta libidinis eius cõſumpſerit. nam ex ea putrefactione etiã vermes erupiſſe, & malũ fuiſſe immedicabile. Medicos autem, qui conatum faciendæ medicinæ ſtatim vetuerint,crudeliter eſſe iugulatos: qui verò curatione ſuſcepta nihil profecerint, immaniſſimè trucidatos,quòd ea præſtare nõ poſſent,quæ artis facultatem ſuperarent. Serò tandem ſuſpicatum tyrannum,ſe iniuſtarum cædium cultorum Chriſti dare pœnas,vbiq; edictis propoſitis perſecutionem Chriſtianorum inhiberi, atque illos viuere,ac Deũ ſuo arbitratu colere,& pro ipſius ſalute vota facere iuſſiſſe. Atque hic etiã duplex rumor ortus eſt.Nam alij tradunt, præter omnẽ ſpem eo morbo liberatũ, renouaſſe perſecutionem non mutatis moribus, donec poculi quod Dominus manu tenet, fecem exhauſerit:alij valetudinem recuperatam negãtes,ex eo malo impium deceſſiſſe tradunt, ac vermes etiam per os reieciſſe.Vno certo ex his modis vitam abrupit.

*Maximini interitus.*

*Epiſcoporũ ſucceßiones.*

Romæ cœtui fideliũ poſt Marcellinum, duobus annis ſacerdotio functum, Euſebius præfuit:cui poſt annum mortuo, ſucceſſit Miltiades.qui cũ fidelibus quadriennium præfuiſſet, Syluestrum ſucceſſorem reliquit. Antiochiæ poſt tyrannum x i i i annis epiſcopatu functũ, delectus eſt Vitalis.Huic poſt ſexennium ſucceſſit Philogenes. atque is quoq; annis v exactis, Paulinum habuit ſucceſſorem. Hieroſolymis poſt Zabdã, qui miniſterium ad decimum annum obiit, Hermon pontificiam ſedem eſt ſortitus. Alexandriæ poſt S.martyrem Petrum,qui pontificiam ſedem per annos x i ornarat, Alexander pontificatum obtinuit.Romæ Syluestro per annos x x v i i i epiſcopatu functo,Iulius eccleſię x v annis pręfuit. Poſt quem Liberius ſextũ abſoluit annum.eíque ſucceſſit Damaſus, qui x x v i i i annos fideles pauit. Hunc Siricius ſecutus, annis x v i miniſterium obiit.Deinde Innocẽtius eſt electus,qui populum Domini per annos x v erudiit. Quo mortuo, Zoſimus in eccleſiæ Romanæ ſolio eſt collocatus:cui duodecimo anno exacto ſucceſſit Cœleſtinus, qui annis decẽ in põtificatu claruit. Huius ſucceſſor fuit Xyſtus, qui v i i i annos durauit.Deinde Leo in eius locum ſuffectus eſt, qui veram doctrinam per annos x x i i i i defendit.Leone defuncto, Hilario in ſede collocatus eſt:qui v i annis expletis,electioni Simplicij locum fecit.qui & ipſe anno x i x miniſterij deceſſit.In eius locum introductus eſt Felix:qui nono anno defunctus, Gelaſio honorem reliquit per quinquennium fruendum. Poſt eum Anaſtaſius eſt electus:qui anno quarto elapſo, Symmachũ ſucceſſorem habuit.qui cùm annos x i i in pontificatu exegiſſet,Hormiſdas eſt electus. Sed hic quoque decimo anno miniſterij mortem obiit. Romanæ verò Eccleſiæ ſedes Ioannem in triennium ſuſcepit. Poſt quem Felix Romanis fidelibus præfuit, quatuor annos eo honore gauiſus. Deinde Bonifacius per biennium epiſcopatum gubernauit.Poſt hunc Agapetus deſignatus eſt, qui cum ſummi paſtoris Chriſti gregem Romanum duobus annis & ipſe pauiſſet, naturæ debitum perſoluit. Romæ autem põtifex electus eſt Syluerius:vnóque anno pontificatu functus,vitã exegit.Huius ſucceſſor Vigilius,cum x v i i i annis eccleſiæ prefuiſſet,in eius locum ſuffectus eſt Pelagius.qui quinq; annis obito miniſterio, deceſſit.Romana verò ſedes Ioannem in v i i i annos ſuſcepit, & poſt hunc Gregorium in annos x v.Poſt hunc perpetua ſedes eorum qui Romanæ Eccleſiæ præfuerunt,nõ reperitur.

*Antiocheni epiſcopi.*

Antiochiæ verò Cæleſyriæ Euſtathius Paulino,qui miniſterio quinquennium vacarat,ſucceſſit.Cum Euſtathius fideles annos x v i i i pauiſſet,Euphronius per annos v i i i miniſtrauit. Poſt quem Phlacitus x i i expleuit annos. Deinde Stephanus Arij ſectator,Eccleſiæ per triennium ſe ingeſſit. Poſt hunc introductus eſt Leontius, qui v i i i anno epiſcopatus mortem obiit.Poſt hunc Antiochenæ eccleſiæ Eudoxius alterum annum præfuit. Poſt Eudoxium Arrianus quartum annum fuit epiſcopus.Poſt hunc Meletius annos x x v.Poſt hunc Flauianus Chriſtianis annos x x v i præfuit.Deinde Theodotus miniſterium ſuſcepit,in eóque annos i i i i exegit.In huius locum Ioannes introductus,per annos x v i i i durauit. Pro Ioanne Domnus electus,annos v i i i poſtea vixit.Poſt quem in Antiochenæ eccleſiæ thronum Maximus introductus, in eo munere quadriennium vixit; ſucceſſore Martyrio, qui i x expleuit in magiſtratu annos. Deinde Iulianus in ea pontificia ſede, annos v i conſedit, & Petrum ſucceſſorem habuit. Cui triennio pòſt Stephanus ſucceſſit, totidem annos põtificatu functus. In Stephani locum Calaudio ſuffectus eſt. & huic poſt quadriennium alius Petrus ſucceſſit, qui eccleſiam per triennium gubernauit. Huius ſucceſſor extitit Palladius,decem annis in magiſtratu exactis. Deinde Flauianus creatus epiſcopus,x i i i annis. Poſt eum Seuerus v i i annis gubernata Eccleſia,Euphraſio ſacram ſedem reliquit. cui poſt annum quintum Ephraimus ſucceſſit,& in miniſterio annos x v i i i vixit.

SECVNDI TOMI FINIS.



# IOANNIS ZONARÆ MONACHI TOMVS HISTORIARVM TERTIVS,

## QVO CHRISTIANORVM IMPERATORVM RES geſtæ, à Conſtantino Magno vſque ad Alexij Comneni obitum deſcribuntur.

### *Imperium Conſtantini magni.*

SIC IGITVR, vt dictum eſt, Conſtantinus Magnus regni paterni ſucceſſor extitit,Imperator perpetua memoria dignus, & inter orthodoxos illuſtriſſimus. Eum ex beata Helena procreauit pater, de qua diſſentiunt hiſtorici. Nam alij legitimo coniugio nuptam fuiſſe Cõſtantio, ac dimiſſam,cùm Maximianus Herculius,vt antè dictum eſt, filia Theodora deſponſa,Cæſarem eum deſignaſſet. alij non matremfamiliâs, ſed concubinam,formæ gratia Conſtantio cõciliatam, Conſtantinum ei peperiſſe tradiderunt. [*Fuit autem ille ſtatura mediocri, latus humeros,ceruice craſſa: vnde & ceruicoſum nominabant. ruber fuit,capillo non denſo, neque criſpo: barba rara, & faciem paucis locis tegente: naſo aliquantum incuruo,oculis leoninis, gratioſus,ac vultu ſereniſsimo.Litteras mediocriter tenuit,cõtinentia ad frenandas ventris cupiditates perfectiſsima ornatus. Is anno, qui fuit à natali Chriſti* C C X C I.*ab exordio mundi* IↃↃIↃCCXCVII.] Suſcepto paterno regno,Britãniæ,Alpibus & Galliis imperauit, gẽtilium adhuc religioni addictus, & Chriſtianis infeſtus, Fauſta vxore ad ſimulacrorum cultum eum prouocante. Fuit autem Fauſta Maximiani filia. Nam ipſe & pater duas ſorores in matrimonio habuerunt. Cum verò tres eſſent Imperatores Conſtantinus,Licinius,& Maxentius:hic Romæ & in Italia rerum potiens, non regem agebat,ſed planè pro tyranno ſe gerebat,importunè & crudeliter in eos graſſando, quibus dominabatur:quemadmodum iam à me perſcriptũ eſt.quæ Romani haud ferenda rati, legatos ad Conſtantinum miſſitant,vt Maxentij tyrannide ſe liberet,ſupplicantes. Iis precibus ad pellendũ illum commotus, Romam verſus cum exercitu proficiſcitur.Maxentius verò,quũ diu intra mœnia ſe contineret,nec in aciem contra eos,à quibus obſidebatur,deſcenderet, ſalibus à nonnullis inceſſebatur. Sed tandem educit exercitum, præſtigiis quibuſdam vſus: & præter alia nefanda, ex infantium diſſectione captatis auguriis. Quibus Cõſtantino perterrito, & animo æſtuãti,figura crucis circa meridiẽ ſtellis informata in cœlo apparuit:& ſcriptura circa crucem,Romanis literis & ipſa per ſtellas expreſſa, IN HOC VINCE. Statim igitur cruce ex auro ad formã quam viderat,facta,& exercitui ſuo præferri iuſſa,commiſſo prælio Maxentium vincit, maiore copiarum illius parte cæſa,cæteris in fugam verſis. inter quos & ipſe Maxentius pontem Miluium tranſiturus,equo lapſo, in Tiberim præcipitatus,ſubmergitur. Et hic illius fuit exitus. Cuius tyrannide Romani liberati, portis apertis Conſtantinum ſplendidè exceperunt, vt liberatorem vrbis lætis acclamationibus celebrantes: [*In ſeptimo ſui imperij anno Roma potitus nihil antiquius habuit quam reliquias ſanctorũ martyrum honeſtè ſepelire & exules reuocare*] decreta porrò in foro ſtatua,illam ille ita fieri iuſſit, vt formam crucis manu teneret: edictóque vetuit, ne ob religionem, ij qui Chriſtum pro Deo colerent, plecterentur. Sic Italia, & ipſa Roma eius imperio adiuncta,cum Licinio, cui ſoror eius nupta erat, imperium tenuit. Is cum Maximini & filium & filiã occidiſſet,iam vterq; alteri ſuſpectus, ſublato altero, ſe ſolum imperio potiturum putabat, nemine alio id ſibi vendicaturo. Ac nonnulli ſic potitum eſſe Licinium parte Galerij aſſerunt,ſocium ab illo aſcitum,vt dictum eſt. Nonnulli, in Conſtantini gratiam, cum ſororem ei deſpõdiſſet,à militibus Cæſarem ſalutatũ,& ab ipſo contra Maximinum miſſum, eóque victo & profligato, regno illius donatum eſſe, ea conditione, vt ne Chriſtianos violaret:qua ille neglecta,non minus,ac potius magis, quàm deceſſores ſui, in Chriſtianos inſanierit,nullo extremæ crudelitatis genere prætermiſſo. Ad alias igitur diſſenſionis eorum cauſas,etiam hanc acceſſiſſe. Proinde Conſtantinus, ducto contra Licinium exercitu, & ſæpe commiſſa pugna, deniq; vincit. Sed propter ſororem reconciliatus, imperium ei certis conditionibus reſtituit. At ille, cum, vt homo perfidus, pactis non ſtetiſſet, à Conſtantino denuò

*Helena Conſtantini magni mater.*

*Cedrini verba.*

*Fauſta Conſtãtini vxor*

*Conſtantin⁹ à Romanis accerſitus. Maxentium tyrãnũ ſigno crucis præeũte vincit.*

*Licinio ſublato Conſtãtin⁹ ſolus imperat.*

nuò ſuperatus, Byzantio & Chryſopoli captis, Nicomediam fugit. Tum ſoror Conſtantinum rogat, vt marito reddat imperium. quo non impetrato, ſalutem illius à fratre exorat. Itaque Licinius plebeio habitu Imperatorē adit, ac Theſſalonicæ priuatam vitam agere iubetur. Id factū accuſabāt milites, quòd homini perfido, qui fœdera ſæpius rupiſſet, parceretur. Quare Imperator eam rem per literas ad ſenatus iudicium refert. A quo alij eum militibus, ipſorum arbitratu tractandum, eſſe deditum, ac Theſſalonicæ, aut prope Sarras, neſcio quò euntem, interfectum: alij, nec dum ibi degeret, quieuiſſe, ſed tyrannidē affectaſſe tradunt. Quo cognito, Imperator eum occidi iuſſerit. Ferunt Conſtantinum in præliis cum illo & Maxentio commiſſis, vidiſſe armatū equitem, ſignum crucis pro vexillo ante aciem ſuam præferentem: ac rurſus Adrianopoli, duos ei viſos adoleſcentes, qui hoſtium phalanges cæderent. Item circa Byzantiū noctu omnibus dormientibus, conſpectum ab eo ignem, qui fulguris inſtar, vallum exercitus ſui colluſtraret. Quibus oſtentis in eam ſententiam adducebatur, vt crederet, ſucceſſus illos rerum, & victorias ſibi diuinitùs offerri. Sic ſolus rerum potitus Conſtantinus, etiam Flauij ſibi prænomen aſciuit, & Romæ vitam egit: nondum quidem ſimulacrorum deſerto cultu, ſed Chriſtianæ religionis myſteria paulatim admittens atque addiſcens. Cum autem corpore eſſet morbido quòd è corruptione humorum plurimis ſcatebat puſtulis, adeò vt curatione deſperata, lepræ à medicis lues illa cōpararetur: Capitolini Iouis ſacerdotes reſponderunt, eum priſtinam valetudinem non aliter recuperaturum, quàm ſi in ſanguine infantium adhuc vaporante lauiſſet. Statim igitur ex omni Imperio collectis infantibus, cædis die conſtituta, Imperator dum in Capitolium, ſanguine puerorum loturus aſcendit, matres illorum lugubribus vocibus eiulantes audit, quæ ſit fletus cauſa rogat, eáque cognita, velut ab ebrietate experrectus: Facinoris, inquit, impietas eſt euidens, euentus incertus. Qui ſi vel exploratiſſimus eſſet, præſtaret tamen me conflictari morbi moleſtiis, quàm tot infantibus ad necem damnatis, gladio doloris matrum animos diuerberare. His dictis receſſit, & matribus ſuos reddi liberos iuſſit: addita pecunia, vt lætitia dolorem nō tātum æquaret, ſed duplo etiā vinceret: nō filiis tantum reſtitutis, ſed pecunia quoq; data. His peractis, noctu ci aſtare viſi ſunt duo viri, qui ſe Petrū & Paulū eſſe, Chriſti apoſtolos, profitentes, dicerent, ſi & corporis & animi ſanitatem cōſequi vellet, Syluestrum epiſcopum eſſe accerſendū, qui & luem corporis depulſurus eſſet, & vitā interitus expertē cōmunicaturus. Experrectus imperator, Epiſcopū reuerēter accerſi iubet, atque ad S. Syluestrū: Dic mihi, inquit, Epiſcope, an Deos colatis, qui Petrus & Paulus, nominantur? Reſpōdet ille: Vnus à nobis Deus agnoſcitur: Petrus autem & Paulus, ſunt eius famuli & miniſtri. Tum Imperator narrato ei ſomnio, arcanis noſtræ religionis inſtruitur, baptizatur, & è ſanctiſſimo illo balneo ſanus & integer aſcendit: Chriſtianis ſecuritatem per præcones denunciat: templa eorū aperiri, & noua condi permittit: ac viciſſim, fanis ficticiorum deorū clauſis, impunè Chriſtianiſmum quoſuis amplecti ſinit. Nam ſe vim quidem facturū eſſe nemini: qui verò vltrò ad Chriſtum ſe contuliſſent, eos ſe laudare profitebatur. Sic ille fidem Chriſtianam ſuſcepit, Euangelico præconio inualeſcente, [*Baptizato Cōſtantino, Deus per beatum Sylueſtrum magna edidit miracula: de quibus omnibus vnicum commemorabo. Ad fundamenta Capitolij Romæ, deſcenſu graduum* CCCLXV, *infernè habitabat draco quidam, cui Græci quotidie rem ſacram faciebant. abſque enim hoc eſſet, ſubitò irruens multos lædebat. Eò Sylueſter deſcendit, & inuenta exigua cella, quæ æreis apta erat foribus, has abdens in nomine Ieſu Chriſti, draconem interfecit. Nonum annum imperante Conſtantino, Metrophanes* IIII *epiſcopus Byzantij creatus eſt. Ac tunc quidem* DEI *beneficio, vexatio Chriſtianorū finita eſt.*] & Chriſtiani nominis hominibus ademptus eſt metus. [*Anno decimoquarto Conſtantinus, cum ad ipſum vnum omnis Imperij poteſtas deueniſſet, omnes ſuas cogitationes ad ſacras res conuertit, tēpla extruxit, ac magnificè ditauit.*

*Tulit etiam leges. Prima fuit, vt fana ſimulachris conſecrata, Chriſto dedicatis templis addicerentur. Secunda: Soli Chriſtiani militent, nationibusque & exercitibus imperent. Qui in cultu falſorum deorum perſeuerat, capite plectatur. Tertia: Per duas ſeptimanas, quarum altera antecedit, altera ſequitur Paſcha, feriæ ſunto. Menſuram quoque cubitorum adſcenſionis Nili, iuſſit in templum referri, non (vt ſolebant Græci facere) in fano Serapidis.*] Cæterum Iudæi matrem Imperatoris aggreſſi, deceptum eum eſſe aſſerunt, & pio facto facinus impium adiunxiſſe. ſimulacrorum deſtructionem, rem piam: fidem in Chriſtum, impiam nominātes. Solum enim eum verum eſſe Deum, quem ipſi colerent: Ieſum autē, nefarij illi, hominem maleficum, & præſtigiatorem vocitabant. Mater hæc ad Imperatorem refert. Is decreuit, vt Iudæi qui iſta aſſerant, ſe & delectis è ſenatu quibuſdam audientibus, cū Sylueſtro epiſcopo Romano & Chriſtianis diſputent, quo cognoſcat, quidnam à Iudæis afferatur. Diſputatū eſt, victoria ad Sylueſtrū inclinare viſa tū Iudæi diſſerēdi acumine ſuperiorem eſſe dicētes, ſignorum oſtentationem poſtulabāt. Atq; adeò quidā ex eis impoſtor, nomine Zambres, bouem afferri iubebat, in quo ſui Dei potentiā ſe demonſtraturum aſſerebat. Adducitur bos, accedit Zambres, inſuſurrat ei aliquid in aurē: ille magno & lamētabili mugitu edito, cum tremore & vertigine circum actus, cōcidit mortuus. Ea re gloriabantur Iudæi, Dei ſui nomen nō cæpiſſe aures illius, dicentes. Quid verò, inquit Sylueſter, qui id beſtiæ dicit in aurem, verba ſua non audit? cur & ipſe non moritur? Ibi Zambres: Iam nihil, inquit, opus eſt argutiis, & probabilitate verborum, ſed factis, epiſcope. Si ergo taurum iſtum à te neci datum, Sylueſter ait, ipſe Chriſti nomine in vitam reuocaro: nō maius quiddam præſtitiſſe, & magnam demonſtraſſe Chriſti potentiam videbor? Aſſentitur ille, & per ſalutem Imperatoris ſtatim iurat, ſi taurum reuixiſſe videret, ſe confeſſurum Chriſtum eſſe Deum. Sylueſter autem oculis in cœlum defixis, & Domino inuocato, prope taurum aſtat, ſublatáq; voce clamat: Si Deus verus eſt, quem ego annuncio Chriſtum, Surge taure, ac pedibus tuis inſiſtito.

*Oſtenta viſa Conſtantino.*

*Iupiter Capitolinus infanticidium Conſtantino ſuadet.*

*Sylueſter Romanus epiſcopus Conſtantini lepram curat, & Chriſtianiſmū ei tradit.*

*Draco à Sylueſtro necatus.*

*Leges ſacræ Cōſtantini.*

*Iudæorum et Chriſtianorum ſub Cōſtantino diſputatio Romana.*

*Sylueſter bouem à Zambre Iudæo necatum reſuſcitat.*





Statim taurus ſeſe commouens, exilit. Qui aderant, magnum eſſe Sylueſtri Deum, exclamare: Iudæi miraculo perculſi, ad pedes viri ſancti accidere, petere vt placaret ſibi Deum, & baptiſmū impertiretur. Inclyta verò Imperatoris mater, nondum inſtituta, erudiri ſe & baptizari flagitare: ac voti compos facta, vero Deo agnito, loca quæ formoſi Chriſti pedes, quippe pacem annunciare ſoliti, perambulaſſent, ſpectare cupere. Aſcito igitur D. Sylueſtro comite, Hieroſolyma proficiſcitur: & ſepulchro Domini adorato, & ſancta cruce inuenta, cui Deus noſter corpore ſuo affixus fuerat, & fanis magno ſumptu extructis, ad filium reuertitur. Suſcepit Imperator è Fauſta, filia Maximiani, tres filios, Conſtantinum, Conſtantium & Conſtantem: ac filiam Helenam, quæ Iuliano poſtea nupſit. Habuit & è concubina filium natu maximum Criſpum qui Liciniano bello multa fortiter fecerat. Eum Fauſta nouerca, inſano amore correpta, cum ad concubitum pellicere nequiuiſſet: apud patrem detulit, vt à quo adamaretur, ſua pudicitia ſæpe ſolicitata. Ob id crimen, capitis Criſpum damnat pater, coniugi obſecutus. Sed deinde veritate cognita, de ipſa quoque, cum ob impudicitiam, tum propter filij cædem, pœnas ſumit. Nā in balneum vehementer calefactum introducta, æſtu præfocatur. Cum autem Sarmatæ & Gotthi prouincias Romanas inuaſiſſent, & Thraciæ partes vaſtarent: Conſtantinus Maximus contra eos inſurgit. ac Thracia occupata, commiſſóque prælio victis Barbaris, ſplendidiſſimum triumphum conſequitur. Vrbem porrò ex oraculo de ſuo nomine conditurus, primùm in Sardica extruere in animo habuit, deinde in Sigæo promōtorio Troadis, vbi etiam fundamenta ieciſſe fertur. Denique Chalcedone opere inchoato, aquilas deuolaſſe memorant, fabrorúmque funiculos raptos, freto ſuperato, iuxta Bizantium deieciſſe. Quod ſæpius factū, & Imperatori nunciatum, cum non temerè eſſe, ſed à numine portēdi aliquid videretur: ipſe Byzantium ſe confert, locum contemplatur, probat, mutat conſilium, fabros Chalcedone illuc transfert, vrbem ſtudioſè condit, à ſe Conſtantinopolim vocat, & matri Dei conſecrat. Vrbe ad XI menſis Maij abſoluta, natalem eius ſeu dedicationē celebrat, anno ab orbe condito quinquies milleſimo, octingenteſimo, trigeſimo octauo: cum, vt quidam tradidere, Valentem, Mathematicorum eius ætatis principem, natalicium vrbis thema conſtituere iuſſit, vt cognoſceret, quot annos duratura eſſet. Reſpondet ille, ſexcētos nonaginta ſex. qui cum iam olim ſint elapſi, nimirum aut falſa putanda eſt Valentis prædictio, & ars erroris haud expers: aut illi anni intelligendi erunt, quibus inſtituta Reipublicæ ac ſtatus conſeruabantur, dū ſuus erat honos ſenatui, dum ciues ſub legitima Imperij poteſtate florebant, non autem manifeſta tyrannis dominorum, publica ſibi pro priuatis vendicabat, & ad ſuas voluptates conferebat, eáſque parum interdū honeſtas, publica quibuſuis donando, nec paſtorū inſtar ſubditos tractādo, lana ſuperuacua detondenda, & lacte parcè bibendo: ſed prædonum inſtar oues mactando, & carnes deuorando, aut ipſas medullas exugendo. Sic vrbs à pio illo Imperatore in veteris Byzantij ſolo condita eſt. Byzantium autē prius etiam vrbs fuit haud obſcura, neque ignobilis, ſed & frequētia ciuium florens, & opibus, & viris fortibus, & mœnibus permunitis, adeò vt ſub Seuero, qui vetere Roma imperabat, per triennium à Romanis obſideretur, ac multa tolerarent ciues, ſicut ſuprà in Seuero narrauimus. Dion item de Byzantiorum potentia, & murorum firmitate, in Seuero ad hūc ſcribit modum: Byzantium mœnia habuit robuſtiſſima. Nam frons eorum lapidibus quadratis craſſis cōſtructa erat, & laminis ferreis colligata: interiora & aggeribus & ædificiis munita erant, vt omnia vnus craſſus murus eſſe viderentur. Inerant & multæ magnæ turres foras prominentes, & crebris feneſtris adornatæ. Pars continenti obuerſa, ad magnam exurgebat altitudinem: quæ mare ſpectabat, humilior erat, & portus vterque intra mœnia catenis claudi poterat, corúmque brachia vtrinque turres multum eminentes ſuſtinebant. Nauigia verò habebant Byzantij quingenta, pleraque ſolitaria: quaſdam etiam biremes, quarum nonnullæ & in prora & in puppi gubernaculis & gubernatoribus exornatæ erāt, & duplis nautis, vt & accedere & recedere poſſent, nauibus nō cōuerſis, & hoſtes tam in receſſu quàm acceſſu vexarēt. Adiicit Dion, VII turres à Thracia porta ad mare pertinuiſſe, quarum ſi quis aliam attigiſſet, tacita fuerit: ſin in primā aliquid inclamaſſet, aut lapidem conieciſſet, eam per machinam quandam reſonuiſſe, & eundem ſonum proximę tradidiſſe, donec omnes peruaſiſſet: neque tamen aliam ab alia turbatam, ſed per vices ab omnibus vocem & ſonum exceptum. Ac talis olim Byzantina vrbs fuit: ſed inclytus Conſtantinus eam in immenſum auxit, templa inædificauit, & multis rebus adornauit: denique teretem illam columnam porphyreticam, Roma, vt ferunt, allatam, in foro lapideis tabellis inſtrato, vnde à Græcis Placoton nominatur, erexit: iuxtáque ſimulacrum æneum, tum artificio mirabili antiquæ manus penè viuētis inſtar expreſſum, tum magnitudine inſigni ſpectabile dedicauit. Eam ſtatuam Apollinis eſſe ferunt, Ilio Phrygiæ tranſlatam. Sed diuinus Imperator ille ſuum illi nomen indidit, clauis quibuſdam capiti inſertis, qui corpus Domini ſalutiferæ cruci affixerant. Ea ad noſtram quoque ætatem permāſit integra, columnæ inſiſtens, ſed ſub Alexio Comneno vehementis venti impetu deiecta cōcidit: nec ipſa ſolum comminuta eſt, ſed multos etiam, qui caſu illic erant, contriuit. Palladium item Troia in forum Placotum tranſtulit. Ita Conſtantinus Magnus cum aliis multis vrbem adornauit: tum Byzantium, quod prius Thraciæ Heracleæ epiſcopatus erat, à Seuero Perinthiis poſt captiuitatem ſubiectum, vt in Seuero expoſitum eſt, in patriarchatus dignitatem reſtituit: Romæ veteri ob ætatis prærogatiuam, & imperium inde huc tranſlatum, principatu relicto. Erat eo tempore Byzantij epiſcopus Metrophanes, vir ſanctiſſimus, filius Domitij (frater is fuit Probi Imperatoris) qui ob Chriſtianæ religionis profeſſionem, Roma Byzantium profectus, in Epiſcopatus ſpe-

*Helena Hieroſolymis ſanctam crucem reperit.*

*Fauſtæ & Criſpi priuigni eius interitus.*

*Sarmatæ & Gotthi profligati.*

*Conſtantinopolis ædificatio.*

*Valētis Mathematici præſagium de vrbe.*

*Querela de ſuorum temporum tyrānide.*

*Byzantij veteris ex Dione deſcriptio*

*Æpollinis ſtatua.*

*Conſtantinopolitanus patriarchatus.*

*Metrophanes. Domitius. Probus.*

culam eucctus eſt. Poſt quem Probus alter, filius huius, pontificium thronum conſcendit. ei Metrophanes frater ſucceſſit. Sub annis XVI, XVII, & XVIII. huius imperatoris, Arius Alexandrinæ eccleſiæ ſacerdos, celebrabatur, qui Dei filium & Verbum creaturam dicere non dubitauit: & alterius eſſe naturæ, nec patri coæternum. nec ipſe tamen autor huius ſectæ extitit, ſed Origenes: qui præter plurimas alias peruerſas opiniones, etiam vnigenitum Dei filium, conditum eſſe, & à natura paterna diuerſum, affirmauit: nec videre poſſe patrem, quemadmodũ nec ipſe videri poſſit à ſpiritu. quæ deliramenta ex improbo cordis ſui theſauro eructat. Verùm ea in ſolis chartis iacebant, tecta ſilentio, necdũ vulgata. Sed Arius in conſpectum protulit, & in tectis prædicauit, multis ad impietatẽ pertractis, & Eccleſiis tumultu ac diſſenſionibus impletis.

*Ariana hæreſis.*

*Origenes hæreſiarcha.*

*Nicenum conciliũ dãnat Arium.*

Qua re cognita religioſiſs. Imperator, (anno imperij ſui XX.) prouinciarum epiſcopos Niceæ Bithiniæ vrbe conuenire iuſſit. Congreſſis igitur CCCXVIII ſanctis patrib. inter quos & ſacerdotes nonnulli fuere, & diaconi, atque etiã monachi: quin & Magnus Athanaſius, adhuc in claſſe diaconorum conſtitutus, illic aderat: ipſe etiã Chriſtianiſs. Imperator Nicæã venit, & ſanctis patrib. aſſedit, & inquirere iuſſit, quid diceret Arius, ac diiudicare, nunquid a recta ſententia aberraret. Illi cum inquiſiuiſſent, & accuratè rem excuſſiſſent: filium eiuſdem cum patre naturæ, dignitatis & æternitatis eſſe decreuerunt. Arium verò cum ſuis ſectatoribus è cœtu orthodoxorum, publico præconio eiecerunt. Arij ſectam tum amplexabatur etiam Euſebius Pamphilus, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, qui pòſt deſciuiſſe dicitur ab Ariana opinione. Alij conſenſiſſe cum iis qui filium patri coæternum, eiuſdémque naturæ eſſe docent, ac à ſanctis patribus ad communionem receptum. In actis autem primi concilij, etiã acriter defendiſſe fideles traditur. Hæc ſic à nonnullis expoſita reperiuntur, quæ ipſe in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria magis ambigua facit. In quo ſcripto ſæpè cum Ario facere deprehenditur, ac ſtatim in libri principio, Dauidem citãs, Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt: ait, patrem & factorem, pro conditore ac duce vniuerſi haberi, qui regio nutu imperet. Sed ſecundum ab eo diuinum verbum patria exequi iuſſa. Poſt nonnulla item dicit: Huic, vt patris potentiæ & ſapientiæ, ſecundas partes regni & imperij in omnes eſſe creditas. Et paulo pòſt iterum: Ac eſſe naturam quandam, quæ ante mundum vixerit & ſubſtiterit, ac Deo & patri vniuerſi in rerum factarũ opificio miniſtrarit, & Solomon ſub perſona ſapientiæ Dei ait: Dominus cõdidit me principium viarum ſuarum, &c. Deinde poſt alia plura infert: Et ſuper hæc omnia, ſicut Dei verbum, quod antè fuit, & ante ſecula omnia factum eſt, venerabilem honorem à Deo patre adeptum, adorari tanquã Deum. Hæc & alia demonſtrant, Euſebium Ariana dogmata probaſſe. niſi quis dicat, id opus ante conuerſionem ab eo fuiſſe conſcriptũ. Illud igitur ſanctum concilium dogma de eadem natura & æternitate filij ſtatuit, & diuinũ fidei ſymbolum ſtatim edidit, de patris & filij diuinitate diſſerendo, nõ vltra illud progreſſum: CVIVS REGNI NON ERIT FINIS. atque in illo deſiit: Et in ſpiritum ſanctum. Nam Theologia de ſpiritu ſancto, pòſt in ſecundo concilio contra Macedoniũ congregato, ea quæſtione agitata, adiecta eſt.

*Euſebius Pamphilus vtrum fuerit Arianus.*

*Cæterùm miraculum in eo concilio factum, iure prætermitti ſilentio non poteſt. Nouitate decreti imperatoris moti, conuenerant ad concilium: philoſophi oratoréſque artis diſſerendi peritiſſimi. Inter eos quidam erat Græcus in omnium admiratione, & ad cuius diſputationes magna hominum accurreret multitudo. Neque enim eum confutare valebant Epiſcopi, cum & facillimè quibuſuis obiectionibus occurreret, & argutè diſſolueret propoſita, inſtárque anguillæ comprehendi nequiret: ſed cum maximè videretur conſtrictus, elaberetur, ac validiùs inſtaret aduerſario. tanta in eo erat ingenij vis verborúmque copia, & volubilitas linguæ. Deus tamen tunc oſtendit, regnum ſuum non verbis, ſed poteſtate niti. Quidam enim de ſanctis, nomine Spyridon, epiſcopus Trimithuntius, ſimpliciſſimo ingenio, ac diſſerendi rudis, petiit ſibi cum philoſopho iſto diſputandi locum concedi: nihilque moratus Patres, qui eius ruditatem & ſimplicitatem ſcientes prohibebant, aggreſſus eum: In nomine, inquit, Ieſu Chriſti, audi philoſophe veritatis decreta. Vnicus eſt Deus, qui cœlum & terram creauit, & hominem ex terra finxit, & reliqua omnia tam quæ viſum fugiunt, quàm quæ in oculos incurrũt, verbo ſpiritúque ſuo condidit. Huius verbum nos ſcimus Filium Dei eſſe: ideóque adoramus, credentes noſtræ ſalutis cauſa eum poſtremo tempore ex Virgine natum, ſupplicio morte atque in uitam reditu ſuo humanum genus liberaſſe: eundémque ſperamus rediturum, iuſtéque vniuerſos iudicaturum. Credíſne hæc philoſophe? Ille verò veluti ſi nunquam diſputare didiciſſet, muti inſtar obticuit: hoc vnum fatus, Mihi quoque ita res habere videtur. Tum ſenex Spyridum: Ergo, inquit, ſurge, & me ad templum ſequere, ibi teſſeram fidei huius accepturus. Philoſophus autem verſus ad diſcipulos ſuos: Audite, ait. Quandiu res verbis agebatur, dicta dictis oppoſui, artéque diſſerendi obiecta refutaui. Poſtquam pro verbis vis quædam ex ore huius ſenis exiuit, nihil aduerſus vim verba valuêre. non enim poteſt homo reſiſtere Deo. Itaque ſi quis veſtrũ ita poteſt intelligere uti ego, is in Chriſtum credat, mecúmque ſenem hunc ſequatur, cuius ore Deus eſt locutus. Hoc modo philoſophus Chriſtianam pietatem amplexus, ſe à ſene iſto victum gauiſus eſt.*

1. Cor. 4.

*Spyridon Sophiſtam refutat.*

*Interfuit ei Concilio etiam diuinus Paphnutius, mirificus homo, & confeſſor, cui Maximianus dextrũ eruerat oculum. Is, cum vellet Concilium decernere vt clerici nuptiis abſtinerent, eam ſentẽtiam vt duram refutauit. autórque fuit vt cœlibatus ſolis iniungeretur Epiſcopis.*

*Paphnutius cœlibatum clericorum improbat.*

At Imperator ſanctiſſimus, patrum concordia delectatus, dextram eis porrexit, & quorundam qui ob Chriſti cõfeſſionem notas in corporibus ſuis gerebant, mutilata illa membra & partes deoſculatus eſt, eóſq; ob mutilationes illas beatos pronunciauit. Libellos contra quoſdam Epiſcopos oblatos, neque legit, neque examinari paſſus eſt, ſed in cõſpectu omnium igni abſumpſit, cum his verbis: Etiam ſi ipſe Epiſcopum aliquem delinquẽtem viderem, purpura mea eum tegerem. Inde ſanctos patres in vrbem regiam à ſe conditam traduxit, vt eam fauſtis comprecationibus proſequerentur, & ſecundum patriarcham deligerent ſanctum Alexandrum. nam inclytus Metrophanes obierat. *Tunc Imperator etiam eos qui Iudæorum more paſcha celebrabant, opera * ſanctiſſimi Cordub. 6 Epiſcopi inhibuit.* Iis peractis, ad ſuam quemque parœciam dimiſit, honoribus & donis magnificis affectos.

*Conſtantini pietas erga Epiſcopos.*



*Is epiſcopus Oſius erat vt ex Euſebio & reliquis eccleſiaſticis ſcriptoribus liquet. Videndus eſt hac de re Socrat. lib. cap. 7. & 9 Sozom. lib. 1. cap. 16. Theodoritũ lib. 1.*

*Eo etiam tempore Conſtantinus ædem ſanctæ Sophoniæ (id eſt, Sapientiæ) & ſanctæ Irenæ (id eſt Pacis) & ſanctorum Apoſtolorum, tum beatorum Mocij & Agathonici, & copiarum præfecti in Anaplo, & Soſthenio extruxit: vbi etiam miraculosè audiuit diuinarum vocum omina, atque vidit. Iuſſit etiam Græcorum ſimulachris dedicata fana deſtrui, eorúmque reditus templis Chriſtianorum à ſe ædificatis addixit. Hoc imperatore, multi populi Chriſtianam religionem amplexi ſunt, Celtarum & Gallorum occidentalium: tum Indi interiores, Iberéſque, & Armenij, Teridate eius rei principe. Tunc enim Gregorius magnus, Armeniæ magnæ Epiſcopus, ex terribili iſto lacu eductus, ad regem Teridatẽ acceſſit, & vniuerſa Armenia in Chriſti fidem conceſſit: necnon Perſæ, Simeone epiſcopo eos docẽte. Sed & Vthaxadus eunuchus Saporis Perſarũ regis pædagogus, ob Chriſtianæ religionis confeſſionem capitali eſt affectus ſupplicio. Conſtantinus porrò, cùm ei philoſophi Græci exprobrarent, quòd religionem innouaſſet: quendam Philoſophorum ad diſputãdum de fide cum Alexandro Epiſcopo produxit. Erat is Alexander homo diuinus, cæterùm indoctus. Is cùm philoſophum videret garrientẽ: Impero, ait, tibi in nomine Ieſu Chriſti, veri Dei, vt ſileas, neque loquaris. Adhuc ea Alexãdro dicente, philoſophus obmutuit, verbúmque facere nequiuit. Ea tempeſtate in Campania vrbes XIII. terræmotu proſtratæ ſunt: tantúſque fuit ſolis defectus, vt meridie ſtellæ viderentur. Et in Melitena omnis generis angues extiterunt, qui ſe inuicem pugnando necauerunt, ex iiſque grauis in ea regione eſt obortus fœtor. Iudæos quoque rurſum tumultuantes, ac templum ædificare conantes, Conſtantinus vltus eſt, atque diſperſit. Aliquanto pòſt tẽpore, ſuaſu Conſtãtiæ filiæ ſuæ, Arriũ ab exilio domũ redire paſſus eſt, reſipuiſſe eum putans. Arrius reuerſus, ab Imperatore eſt interrogatus, An ne decreto & expoſitione concilij Nicæni ſtaret? ſtatímque hoc ille affirmauit. Quod admiratus Imperator, iuramento adactum, non diſſentire ab eo concilio, dimiſit, ita fatus: Siquidem recta eſt fides tua, bene iuraſti: ſin impia & peruerſa, celeriter in te Deus ſtatuat. Proinde Conſtantinus à magno etiam Athanaſio poſtulauit, vt eum veluti qui reſipuiſſet, reciperet: & cum id recuſaret, quippe Arrij peruerſitatem perſpiciens, fidem adhibens Arrianorum calumniis, quibus Athanaſium impetebant, Epiſcopatu eiecit. Neque id mirum fuit. Sæpe enim etiam diuini homines calumnias piis intentatas re nõ explorata admittentes, à vero aberrauerunt, pióſque iniuriis ac damnis affecerunt.*

*Gẽtes Chriſtianiſmum amplexæ.*

*Arrius reuocatus, & Athanaſius relegatus.*

*Calumniæ nõ credendũ.*

*Mortuo Antiocheæ Epiſcopo ſanctiſſimo Euſtathio, Flauianus magnus ſubrogatur. Iis temporibus Meſſalianorum hæreſis initium habuit: qui & Euchitæ à precibus & ab inſtinctu numinis Enthuſiaſtæ, ac præterea Lampetiani atque Bogomili nominantur. Principes ſectæ fuerunt Adelphius, Dadoa, Saba, & Simeon. De hac ſecta Flauianus multos monachos congregauit: cúmque ij ſe in ea eſſe hæreſi negarent, ita eos coarguit. Quendam magni inter ipſos nominis ſenem ſeorſim abductum aſtutè ſic compellauit: Nos, ô ſenex, qui diutius viximus, accuratius etiam humanam cognouimus naturam, & aduerſariorum dæmonum machinas præclarè comperimus: tum experientia didicimus gratiam ſpiritus ſuppeditari. Iſti autem adoleſcentes nihil horũ perfectè habentes cognitum, paulò ſpiritualiores ſermones audire non ſuſtinent. Ediſſere ergo mihi. Quomodo dicitis aduerſum Spiritum veſtris precibus atque exercitatione depelli, ſanctíque ſpiritus gratiam introduci? His verbis ſenex demulſus, occultum, ac animis lethale venenum omne euomuit. Nullam, inquit, à baptiſmo vtilitatem cenſemus conferri: ſolam ſeriam precationem facere, ad dæmonem qui in homine inhabitat, eiúſque ſubſtantiæ vnitus eſt, abigendum. Etenim quiuis homo à progenitore naturam, ita & dæmonum ſeruitutem trahit: quibus dæmonibus proba precatione profligatis, tum ſanctus ingruit ſpiritus, ita quidem vt & videri hoc & ſentiri poſſit. nam manifeſtiſſimè aduentum ſuum indicans, corpus motu qui ab animi perturbationibus proficiſcitur, prorſus liberat, animæ autem momentum ad deteriora omne eximit, vt porrò neque ieiunii opus ſit quo corpus ſubigatur, neque doctrina animam frenante, mentémque ab omni mala actione ac cogitatione inhibẽte. Neque verò homo animi modò & corporis ſoluitur turpiſſimis affectibus atque petulantia, ſed & futura perſpicuè prædicit, ſanctam Trinitatem oculis ſuis cernit, rerum diuinarum cognitione & ſacrorum myſteriorum donatur. Flauianus verò cùm hoc pacto diabolicã iſtam hæreſim eruiſſet, ita eſt impiiſſimum ſenem allocutus: Confecte malis diebus, arguit te impuriſſimum os tuum, non ego: teſtimoniúmque aduerſus te tulerunt perdita tua & immunda labia. Porrò diabolica illa hæreſi detecta, ſceleſtóque errore, eius profeſſores Syria expulſi, in Pãphyliam abiuerunt, eámque lue iſta impleuerunt, quæ nunc maiorem quoque Occidentis partem occupauit.*

*Flauianus. Meſſaliani ſeu Euchitæ hæretici.*

*Annum vigeſimumprimum imperante Conſtantino, Sapores Perſarum rex calumniis contra Chriſtianos exaſperatus, grauiter eos perſecutus eſt, & ſupra XVIII. millia eorum interfecit. Cauſa pacis inter Romanos & Perſas ruptæ hæc fuit. Metrodorus quidam Perſa, ſub prætextu philoſophandi in Indiam ſe ad Brachmanes cõtulit: magnáque vſus continentia, venerabilis eſt eis factus. Molas quoque aquaticas, & lauacra extruxit, ipſis hactenus ignotas res. Is Metrodorus, quòd pij hominis exiſtimationem ſibi paraſſet, in penetralia ſacrarij ingreſſus, multos lapides precioſos & margaritas ſuſtulit, accepit etiam à rege Indiæ, quæ dono Imperatori ferret. Inde Bizantium reuerſus, tanquam de ſuo ea Regi obtulit: mirantique, alia quoque terra ſe attuliſſe dixit, ſed ea ſibi à Perſis adempta. Itaque Conſtantinus ſeuerè Sapori ſcribit, mitti ſibi ea poſtulans: & accepta non remiſit. Ideo pax diſſiluit. His ex lapidibus opus confecit imperator, miſitq́; populis trans Danubium colentibus, munere ei qui cæteris præſtaret inſcripto. quæ inſcriptio barbaris exitioſa fuit. Ferunt eum primum omnium Imperatorum diademate vſum, margaritiſque & gemmis ſuperbius fuiſſe ornatũ. Quin & aurea euangeliorum volumina vnionibus & precioſis lapidibus ornata cõfecit, inque magno templo poſuit, digna admiratione. Eo tempore etiam ſancta atque beata Helena ad Dominum cõmigrauit, annos nata LXXX, ac prima omnium eſt in templo Apoſtolorum ſepulta. Ante obitum multa de pietate filio præceperat.*

*Chriſtiani patiuntur.*

*Anno XXII, Conſtantinus facta in Germanos, Sauromatas & Gotthos expeditione, Crucis vi magnam reportauit victoriam, eáſque gentes in ſeruitutem egit. Drepanam quoque apud Nicomediã in honorem Luciani, qui ibi capitali ſupplicio veritati teſtimonium perhibuerat, condidit; & à matre Helenopolin appellauit.*

*Annis XXIII, XXIIII, & XXV Antiocheæ templum octangulum ædificari cœptum eſt. Conſtantinus Danubio traiecto, ponte eum lapideo inſtrauit, Scy-*

*thas ſubegit. Forum quoque condidit cum binis amplis roſtris: eóque in foro columnam Roma allatã poſuit, vno ſolido lapide conſtantem, qui totus erat purpureus: atque eam æreis cingulis cinxit, inſcriptis. in eius ſummo ſtatuam ſibi collocauit, cum hac inſcriptione:* CONSTANTINVS. *ſplenduit ſolis inſtar, opus fuit Phidiæ, Athenis adductum. Ad baſin columnæ poſuit ſeptem corbes, ac duodecim ſportas Chriſti miraculis inſignes.*

*XXVI & XXVII annis, ſimulacris, eorúmque fanis euertendis operam dedit: reditus eorum Eccleſiis Dei tranſſcripſit. Tunc & baſilica Nicomediæ de cœlo tacta conflagrauit.*

Arrij fraus.

*Anno XXVIII, impius Arrius ficta reſipiſcentia ac fallacibus ſermonibus, poſt ſuam damnationem aures placidiſsimi imperatoris demulſit: ſumptíſque duobus libris, alterum qui peruerſam ipſius opinionem continẽs, ipſius manu ſcriptus erat, occultè ſecum habuit: alterum aliena manu ſcriptum de ſententia Nicæi concilij, Imperatori tradidit, iurauitque ſe ita ſentire de religione, quẽadmodum ſua manu ſcripſiſſet. Hac fraude Imperatorẽ ita decepit, vt Arriũ iuſſerit ſine mora ab Alexãdro Põtifice ſummo in Eccleſiam recipi. Verùm Alexãder anxius, vt par erat, animi, totam noctem ad Dominũ precibus fuſis, Arrium peſſundedit.*

*Eodem anno fames magna fuit in Oriente: quam penuriam Imperator ſubleuauit, multo frumẽto immiſſo. Sola Antiochæa annuos modios XXXVI mille accepit. Terræmotu porrò Salamin vrbs Cypri deiecta, multique mortales extincti ſunt.*

*Anno XXIX Dalmatius Cæſar deſignatus eſt. Is Tarſi Ciliciæ Kalokærum, qui in Cypro tyrannidem geſſerat, viuum combuſsit.*

*Anno ſui imperij XXIII*] Conſtantinus ſuſcepta contra Perſas expeditione, triremibus Soteropolim defertur, quæ nunc Pythia vocatur: & natura calidis illius loci aquis vſus, vbi etiam toxicum, à fratribus patre duntaxat eodem natis temperatum, hauſiſſe fertur. vnde Nicomediam profectus, diuturnitate morbi extinctus eſt, annos quinque & quinquaginta natus, cum duo & triginta imperaſſet. Ei filius Conſtantius, Antiochia profectus (nam ibi Perſis repugnabat) cum adhuc viuentem inueniſſet, magnificè parentauit, & in S. Apoſtolorum æde, peculiari tamen porticu ad id ædificata, ſepeliit. Memoratur autem inclytus hic imperator, pecuniam & citra delectum inſumpſiſſe, & minori cum delectu cõparaſſe: vnde eius in largiendo ſtudium magnificentiæ non tribuatur, ſed planè: verùm temperandum eſt calamo, ne quam diuino illi viro labem aſpergam. Enimuerò profanus ille Iulianus, in oratione Cæſariana, quaſi per deriſum impenſarum Imperatoris religioſiſſimi, fingit Mercurium cum eo colloquentẽ quærere, quænam ſit boni regis nota? Cui ille reſpondeat, Imperatori & habenda & inſumenda eſſe multa. Fertur nec à ſtudiis doctrinarum fuiſſe alienus, ſed his quoque non minorem impendiſſe operam, quàm armis. itaque & in diſſerendo acutũ extitiſſe, ac neſcio quam veluti magicam orationis illius vim aures hominum demulſiſſe. Scribitur & oſor improborum fuiſſe: ac dicere ſolitus, Imperatorem nemini omnium, ne ſuis quidem propriis membris, parcere debere, publicæ tranquillitatis conſeruandæ cauſa: & humanus erga eos, qui à malitia diſcederent. membrum enim ægrum ac putridum reſecandũ, ne ſana etiam inficeret: non autem id quod vel in integrum eſſet reſtitutum, vel certè conſaneſceret.

*Conſtantini Magni elogia.*

*Iuliani ſcõma.*

## IMPERIVM CONSTANTINI, Conſtantij & Conſtantis.

Imperatore illo beatiſſimo in æterna tabernacula tranſlato, Imperium Romanorũ inter tres illius filios eſt diuiſum, vel ab ipſo, vt quidam ſcribũt: vel eo defuncto, ex ipſorum conſenſu, ad hunc modum. Conſtanti attributã eſſe Italiam, & Romam ipſam, Aphricam, Siciliam, cũ reliquis inſulis, atque etiam Illyricum, Macedoniam, & cũ Achaia Peloponeſum. Conſtantino alpes Cottias, quæ nomen habere dicuntur à Cottio illius loci quondam rege, cum Galliis, & tractũ Pyrenæi vſque ad Mauritaniam, Oceani anguſto freto, diremptam ab Hiſpaniis. Cõſtantio ea obueniſſe, quæ in orientali parte Romanæ ditionis erant, & Thraciam cum vrbe paterna. Poſt hanc regnorum partitionem, Conſtantius in Orientẽ ſe contulit, ad Perſarum arma reprimenda. Nam eorum dux Sapores, audita Conſtantini Magni morte, Romanas prouincias cõtinentibus populationibus & direptionibus infeſtabat.

*Regnorum diuiſio inter tres fratres.*

*Alpes Cottiæ.*

*Conſtantij bellum cum Sapore Perſa.*

*Anno Conſtantij imperij ſecundo, Dalmatius Cæſar à militibus necatur: neque iubente id Conſtantio, neque vetante. Erant etiam vnà interfecturi Gallum & Iulianum, filios Conſtantij eius qui Conſtantino Magno frater fuit: ſed Gallum morbus neci ſubtraxit, Iulianũ ætas, octo tantùm annos natum.*

Tertio anno Imperij Conſtantij Conſtantinus cum Conſtante ob partitionem prouinciarum expoſtulat, petẽs, vt aut parte regni ſibi cedat, aut partitio de integro inſtituatur. Cum autem ille priore diuiſione niteretur, & quæ obuenerant tueretur, neque fratri vel minimum concederet: Conſtantinus armis arreptis, prouincias Conſtantis inuadit. Qui tum in Dacia agẽs, motu illo cognito, duces cum exercitu contra eum mittit, ipſe mox cũ maioribus copiis ſecuturus. Qui miſſi erãt, cum parum à Conſtantino abeſſent, inſidias locant: pugnáque inita, fugã ſimulant. quos, dum Conſtantini milites perſequuntur, qui in inſidiis collocati fuerant, à tergo inuadunt. Sic fugientibus etiam conuerſis, in medio duorum exercituum intercepti, magna ex parte cadunt, ipſo etiam Conſtantino interfecto. Nã equo vulnerato, & ex vulnere efferato, ſella excuſſus, multis vulneribus conficitur: neque voti compos factus, & quia iniuriæ fuerat autor, præter iacturã ſui imperij, vita etiã priuatus eſt. Sic occidentali regno ad vnum Conſtantem deuoluto, is etiam nefandis amoribus implicatus, & peruerſam vitæ rationẽ ſecutus, inſidiis Magnẽtij miſerabiliter periit: quem Magnentium è militum ſeditione, ſtrictis iam gladiis in necẽ eius ruentium, eripuerat. Dum hæc geruntur, Conſtantius in Oriente *Imperator Gallũ & Iulianum erudiendos tradidit in loco qui Macelium appellatur, & nõ procul abeſt à Cæſarea Cappadociæ. Hi duo fratres lectores (Anagnoſtas vocant) fuerunt, intẽderúntque templũ ſancto martyri Mamãti condere. Quæ autẽ pars Iuliano ædificanda obtigerat, ibi ſolũ materiam nõ recepit. Iulianus tonſo capillo, monaſticã vitam ſe degere velle ſimulauit. Conſtantius & Conſtãs legem tulerunt, Ne quis Iudæus ſeruũ emeret, emptum publicari iuſſerunt. Si quis circuncidere ſeruum auſus eſſet, gladio feriri, & bona eius publicari.*

*Conſtãtinus moto contra fratrem Cõſtantem bello occiditur.*

*Magnẽtius.*



*Annis IIII & V, Antiochæa triduum magno terræmotu periclitata eſt.*

*Sexto anno Conſtantinus de victis Aſſyriis triumphauit:* cum Sapore præterea Perſarũ rege Chriſtianos perſequẽte pugnat, filio Narſetis, verùm ex ignobili muliere procreato. Nam is è principe vxore tres filios ſuſceperat, Adanarſem, Hormiſdam, & tertium quendam. Defuncto Narſeti, Adanarſes natu maximus in imperio ſuccedit. Sed ex nimia crudelitate & inhumanitate odio Perſarũ ſuſcepto, regno excidit. Cuius atrocis ingenij ſpecimen quoddam eſt proferendũ. Aliquando patri eius tentorium Babylone allatum eſt, è variis illius loci pellibus confectum. Quod modò extenſum, dum Narſes contemplatur, rogat Adanarſem puerum adhuc, vt placeat? Tum ille. Vbi, inquit, regno potitus fuero, pulchrius tentorium ex humanis pellibus conficiam. Sic ab ipſa infantia immanitatem ſuã declarabat. Eo igitur pulſo, Sapori regnum eſt delatum: qui ſtatim fratrem alterum oculis priuat, Hormiſdam vinctum in cuſtodia tenet. Cæterùm mater, & vxor illius, cuſtodibus pecunia delinitis, ad viſendum eum admiſſæ, limam illi dederunt, qua ferrea vincula diſſecaret: & quid deinceps faciendum eſſet, monuerunt, paratis equis & fugæ comitibus. Deinde vxor eius cuſtodibus opiparã cœnam apponit. Illi & epulis diſtenti, & mero obruti, in profundũ ſomnum delabuntur. Quibus dormiẽtib. Hormiſdas & vincula rũpit, & caſtello elapſus, à Romanis honorificentiſſimè ſuſcipitur. At Sapores fuga eius lætari ſe oſtendebat, vt metu ab eo imminẽte liberatus. Nam exulem non modò dedi ſibi non poſtulauit, ſed vxorem etiã honorificè ad eum miſit. Erat autem Hormiſdas, & magni roboris, & iaculator adeò peritus, vt dum iaculũ vibrabat, prædiceret, qua parte hoſtem percuſſurus eſſet. Hic igitur Conſtantio cõtra populares ſuos nauat operam, multis equitum turmis præfectus. Verùm Conſtantius imperator, ſæpe cum Perſis congreſſus, inferior recedebat, multis ſuorum amiſſis: ceciderũt etiam Perſarum plurimi, Sapore ipſo vulnerato. Cognitis autem aduerſis Perſico bello Conſtantij rebus, Magnentius, patre Britanno natus, qui primùm inter protectores militarat, deinde Comes duarum Romanarum legionum appellatus fuerat, cum iampridem regni occupandi cupiditate æſtuaret, tunc magis etiam conſilium ſuum vrgebat, cum Perſico bello rem malè gerere Cõſtantium audiret, opportunitatem optata perficiendi dari ſibi ratus. Itaque per ſpeciẽ natalis ſui celebrandi in vrbe Auguſtali, primores ciuitatis ad epulas inuitat, quoſdam conſilij ſui conſcios, nonnullos ignorantes, quid animi haberet: productóque vſque ad veſperam cõuiuio, ſurgit, & properè cubiculum ingreſſus, paulo poſt habitu regio cum multis ſatellitibus progreditur. Ea res ignaros quid moliretur conſternauit: ſed oratione ad eos, qui aderant habita, alios verbis, alios vi in ſuas partes traducit. iíſque comitantibus regiam ingreditur, pecuniam dilargitur, portis vrbis cuſtodes adhibet: mandat, vt ingredi patiantur omnes, exire neminem, ne facinus ſuum publicetur. ſtatim mittit qui Conſtantem tollant, rei ignarum. Erat ille venatione tum occupatus, cuius inſano ſtudio tenebatur. ídque, cum articulari morbo perpetuo vexaretur, quem immoderatis ſibi voluptatibus vitæque intemperantia conciliarat: aut etiam per ſpeciem venationis in ſyluas ſeſe abdebat, cum pueris & adoleſcentulis, quos ob formam conquiſitos in deliciis habere dicebatur: qui exquiſitum in modũ culti, auidos eius oculos turpi libidinis flamma incendebant. Ea quoque de cauſa ſyluas magis frequentabat, vt modeſtorum virorum conſuetudinem euitaret. Milites à Magnentio miſſi, cũ ad Rhodanum fluuium veniſſent, Conſtantem à venatu dormientem occidunt, interfectis etiã ſatellitibus, quos paucos circum ſe habebat. Alij rem aliter narrant: eum ſeditionem contra ſe motam cognouiſſe, & à ſuis deſtitutum, depoſitis Imperij inſignib. in ſacellum quoddam confugiſſe, & inde extractum, occiſúmque eſſe, regni anno XVII. ætatis trigeſimo expleto. Ferunt patrem eius, iuſſiſſe Aſtrologos, infantis recèns editi thema natalitium conſtituere, qui præter cætera illi prædicta, illud etiam adiecerint, eum in ſinu auiæ interfectum iri. Id, illa mortua etſi Conſtans eluſit, nihilominus eſt euentu comprobatum, non fruſtrata aſtrologorum prædictione, quamuis obliqua. Nam in oppidulo cui de reginæ nomine factum erat nomen Helenæ, interfectus eſt, qui vt vitam petulantem egerat, ita miſerabilem eius exitum eſt ſortitus. Magnentius autem, cùm vſurpato imperio feliciter ſucceſſiſſet, eorum qui magiſtratus gerebant celeberrimum quemque è medio tollere ſtuduit, miſſis ad eos ſub nomine Conſtantis literis, quibus illos ad ſe accerſeret, eorúmque plurimos in itinere per inſidias interfecit, ne coniuratis quidem ſuis parcens. Illo hæc ad tyrannidem ſuam ſtabiliendam agitante, Cõſtantius morte fratris audita, anceps animi erat, vtrum Perſis Romanas prouincias vaſtantibus reſiſteret, an ea re in præſentia omiſſa, nouitium tyrannum inuaderet: tum fratris necem vlturus, tum occidentis imperium ſibi vendicaturus. Sed Conſtantio hac deliberatione ſuſpẽſo, Sapores, qui & ipſe Conſtantis caſum cognouerat, occaſionem vrget, & cum ingenti exercitu prouincias & vrbes Romanorum inuadit, longè latéque prædas agens, caſtellis etiam captis.

*Perſarum rex Narſes.*

*Adanarſes Narſetis filius.*

*Sapores rex Perſarum.*

*Hormiſdæ ad Romanos transfugiũ.*

*Magnentius tyrannidem inuadit.*

*Conſtans Magnentij inſidiis occiditur.*

*Aſtrologorũ de Conſtantis obitu prædictio.*

*Magnẽtius proceres tollit.*

*Conſtantij anceps cura.*

*Eo anno Didymus quidam, vir præclarus, oculis captus, innotuit. Ad hunc magnus ille Antonius Alexandriæ accedens: Non eſt, ait, cur ob iacturam oculorum perturberis. tales enim amiſiſti oculos quos etiam muſcæ ac culices damno afficere poſſunt. Gaude potius, quòd oculos habes qualibus angeli vident.*

*Didymus cæcus.*

*Septimo anno, ingenti terræmotu Neocæſarea mari abſorpta eſt: tantùm Epiſcopi ſede & Eccleſia ſuperſtitibus. Tunc etiam Paulus confeſſor Epiſcopus Conſtantinopolitanus deligitur.*

*Octauo anno, magno terræmotu Rhodus inſula proſtrata eſt.*

*Nono anno, Dyrrachium Dalmatiæ vrbs terræmotu periit, ac Roma etiam per triduum periculoſè tremuit: duodecim Campaniæ vrbes perierunt.*

*Decimo anno Conſtantius portum Seleuceæ Syriæ conſtruxit, montis magna parte exciſa, vrbémque refecit. Condidit etiam Antaradum in Phœnicia, & conſtantiam nominauit. Eodem anno defectus ſolis fuit, ſexta menſis Deſii die, hora diei tertia. Et Epiſcopi veram religionem tuentes, qui in exilium acti erant, cum Athanaſio Romam peruenerunt.*

*Vndecimo anno, iidem litteris Iulij papæ Romani freti, ſua ſolia recuperauerunt. Conſtantius autem Antiocheæ degens, inſtinctu Arrianorum eos abegit.*

*Duodecimo anno, terræmotus maiorem Beryti (vrbs eſt Phœniciæ) partem euertit.*

(*XIII. anno Sapores Perſa.*) Niſibin obſidet. Ea quondam ad Armeniæ regnum pertinuit, ſed ſub Mithridate Tigranis regis Armeniorum genero, qui tum illam dotalẽ tenebat, à Romanis capta fuit. Hanc igitur Sapores aggreſſus, omnes ad expugnandum machinas adhibuit, admotis ad muros arietibus, actíſque cuniculis. Sed qui obſidebantur, fortiter ad omnia reſiſtebãt. Cúmque fluuio, qui mediam vrbẽ perfluit, alio deriuato, vt oppidani ſiti coacti ſeſe dederent, ex puteis & fontibus abundè illis aqua ſuppetẽte, nihil profeciſſet: ad aliud cõuertitur. Regreſſus enim verſus caput eiuſdem amnis, quà in conuallibus anguſto alueo defluebat: loco illo obſepto, curſum inhibuit, & aquam ſtagnantem, remotis aggeribus confeſtim verſus vrbem emiſit: quę quia plurima collecta fuerat, magno impetu partem muri deiecit. Barbarus verò quum vrbem nõ ſtatim intraret, tum quia diei ſerum erat, tum quod iam expugnatam, poſtridie citra dimicationem ſe accepturum putabat. Oppidani etſi ad ruinam muri conſternati, tamen vt Perſas differre ingreſſum viderunt, noctem illam egêre inſomnem, & operarum multitudine nouo extructo muro locum illum muniuerunt. Quo Sapores mane conſpecto, caſum eum ſuæ negligentiæ aſcribens, nihilò ſecius oppugnationẽ vrget, multis aliis rationibus tentatis. Cùm autem ſuorum plurimos amiſiſſet (Nam ad viginti millia Perſarum ad Niſibim cecidiſſe dicuntur) cum dedecore diſcedit, quòd Maſſagetæ facta impreſſione Perſiam vaſtarent. Conſtantius Imperator, Niſibi munita, & ciuibus recreatis, Orienti à Perſis iam induciis datis, verſus Occidentem progreditur, cùm ei nunciatur Britãnio colludere cum Magnentio. Erat is Illyracarum legionum dux, cognitóque Magnentij motu, & cæde Conſtantis, Tyranno haud ceſſerat, ſed & ipſe alibi tyrannidem occuparat: etſi per literas ſe tyranno reſiſtere profitebatur, ipſúmque Conſtantium ad illum properé opprimendum euocabat. Britannio igitur & Magnentius certis conditionibus reconciliati, ambo communiter legatos ad Conſtantium mittunt, petentes, vt armis poſitis principem honorem obtineret. Hæc legati, Imperatorem circa Thraciæ Heracleam adepti renunciant, qui ob illa ſollicitus, noctu ſomnium huiuſmodi vidit. Patrem aſtare ſibi putabat, qui filium Conſtantem manu tenens, ita ſibi diceret: Conſtanti, En fratrem tuum Conſtantem, multis Regibus oriundum, qui à tyranno cæſus eſt. Eius necem te vlciſci oportebit, neque conniuere ad imperij dilacerationem & euerſionem Reipublicæ. Quare ad tyrannidem euertendam propera, neque inultum fratrem eſſe patere. Conſtantius è ſomno experrectus, legatos in cuſtodiam dat, ipſe ſtatim, nihil cunctatus, Sardicam peruenit. Britannio improuiſo imperatoris aduentu territus, Conſtantio vt domino procedit obuiam, relictis prioribus conciliis, & pactis quæ cum magnentio inierat reiectis. Eum Conſtantius ſyncerè admiſit, etiam menſæ ſuæ adhibitum. Nam regni inſignibus depoſitis Britannio, plebeio habitu pedes imperatoris amplexus fuerat. Is verò hominem amplexus patrem nominauit, porrectáque manu ſenem fulciens, cœnæ adhibuit, aſſignata ei Pruſa vrbe Bithyniæ in qua habitaret, & prædiis vnde viueret, attributis. Ibi ille ſex annis vitam molliter actam finiit Ac Britannionis huiuſmodi fuit exitus. Conſtantius autem imperator, contra Magnentium profectus eſt. Is Mediolani degens, fratrem Decentium, quem Cæſarem nominarat, ad Galliarum defenſionem miſit. Inter ea Sapores, impunitatem nactus, orientem vaſtat, & magna præda parta, multíſque captis domum reuertitur. Sic imperator curis hoſtilibus vtrinque circumuentus, anno ſui imperij XIIII Gal-Gallum patruelem ſuum, & nomine Cæſaris dignatus, & Conſtantia ſorore in matrimonium data, in Orientem ablegat. Ita Gallus Cæſar ſalutatus, vnà cum vxore Orientem petit, Conſtantius bellum contra Magnentium parat. Ne verò pugnis inteſtinis & mutuis cædibus Romani polluerentur, tyrannum ad pactiones prouocandum eſſe cenſet. Miſſis igitur ad eum viris illuſtribus, literis etiam exaratis, veniam illi pollicetur, ſi ab armis diſceſſerit, & Gallias concedit, vt eius regni finibus ſe contineat. Verùm ille nihil modicum animo agitans, non accepit ea quæ per ocium à Conſtantio accipere potuiſſet. Sed bellum pati prælatum, eò celerius aggreſſus eſt, quòd Syluanus quidam ex tribunis illius, ab ipſo ad imperatorem cum multis militibus defecerat. Cum propè ventum eſſet, caſtris vtrinque poſitis, & Conſtantius ſuos milites ad rem fortiter gerendam cohortatur, & Magnentius ſuos item, vt ſe viros fortes & fides præberent, multa pollicitus. Iam inſtructis ordinibus maximam diei partam ignauam tranſegere, neutris alteros aggreſſis. Magnentius etiam præſtigiis vſus eſt. Nam ſaga quædam eum monuit, vt virginem immolaret, eiúſque ſanguinem vino miſtum militibus guſtandum præberet, ipſa interim carmina quædam recitante, & dæmonum opem implorante. Sed die iam inclinante, exercitibus congreſſis, quum diu ancipiti Marte pugnatum eſſet, victoria tandem penes Conſtantium fuit, Magnentianis in multam noctam cæſis & profligatis. Tyrannus verò hac plaga accepta, fugam arripit, & ne agnoſcatur, plebeiam veſtem ſumit, & equum ſuum regiis inſignibus impoſitis, ſolutum dimittit: vt qui ſeſſore vacuum currentem viderent, ipſum interfectum exiſtimantes, non perſequerentur. Sic ille effugit. Mane Conſtantium, quum tumulo quodam conſcenſo ſubiectam planiciem, & præterfluentem amnem cadaueribus plena vidiſſet, in manifeſtas erupiſſe lachrymas ferunt, non tam victoria lætatum, quàm ob cæſorum interitum mœſtum. Nam cũ ad octoginta milia haberet, ad triginta milia cecidiſſe: de Magnentij triginta ſex millibus, quatuor & viginti periiſſe. Cæſos omnes ſtatim ſine diſcrimine, ſiue hoſtes ſiue amici eſſent, ſepeliri iuſſit, adhuc ſpirantes diligẽter haberi & curari à medicis. Magnentius, vt dictum eſt, elapſus, reliquias ſuorum conquirendo, & alios aſciſcendo, vires recolligere ſatagebat, miſſo ad Conſtantium ſenatorij ordinis legato, quem ille nomine legati, ad ſua exploranda veniſſe ratus, nõ admiſit. At Magnentius rurſus epiſcopis miſſis veniam impetrare ſtudet, vt pro milite Imperatori nauaret operam. Ad eam legationem nihil reſpondit Conſtantius, ſed legatis re infecta dimiſſis, moto exercitu pergit, multis qui ſub Magnentio militarant ad eũ confluentibus, ac ſemetipſos & caſtella fidei illius committentibus. At Magnentius venia deſperata, ſe ad bellum parat, & in Galliis copias colligit. Vt autem ſolicitum redderet imperatorem, & à ſeſe aliò aduerteret: familiariũ ſuorum quendam mittit Antiochiã, qui Gallum tollat. Is quò minus ſuſpectus eſſet, in anus cuiuſdam tugurio iuxta Orontem fluuium diuertit, qui, vt quidam tradunt, olim Ophites dictus, pòſt de nomine filij, Cambyſis Regis Perſarum, in eo ſubmerſi, ſic cognominatus eſt. Inſidiis iam Gallo comparatis, & multis legionariis ſibi conciliatis, veſperi cum quibuſdam rei conſciis in vetulæ tugurio concœnans, liberius de ſuis conſiliis colloquebatur, contempta anicula, vt minimè curioſa, & ob ſenium ne intellectura quidem quid diceretur. At illa, vt apparet, acriore prædita ingenio, vel audire ſe illa, diſſimulat, ſed memoriæ diligenter mandat omnia: cúmque hoſpes vino grauis, iam obdormiſſet, clàm egreſſa tugurio, vrbẽ intrat, & omnia Cæſari nunciat, à quo miſſi quidam inſidiatorum comprehẽdunt, qui quæſtionibus adhibitus, omnem fabulam recenſet. Sic Gallus euitatis inſidiis, de illo & conſciis ſupplicium ſumit. His ita geſtis, Magnentius denuò ad pugnam paratus, commiſſóq; prælio à Conſtantio victus, fugit. Sed milites fugæ illius ſocij, quũ nullam ſalutis ſpem reliquam viderent, ſuperuacaneum arbitrati pro homine deſperato pericula adire, eum Imperatori tradere decreuerunt. Itaque diuerſorium eius circunſtãtes, hominem ſatellitum ritu, cuſtodiunt, ne clàm elabatur. Magnentius ſententia illorum cognita, in anguſtias redactus ineuitabiles, per deſperationem, vt fertur, furioſi hominis facinora edidit, interfectis, quos circa ſe habuerat, cognatis & amicis omnibus, Deſiderio etiã fratri multis vulneribus inflictis, nullo tamen ex eis letali, denique ſeipſum ſuſtulit, ne à ſatellitibus Conſtantio Imperatori traditus pœna diuturniore afficeretur. Decẽtius Cæſar ab illo appellatus, quũ in Galliis ad opem fratri ferẽdam ſe pararet, illius interitu cognito, ſpe abiecta, vitam laqueo finit. Deſiderius autem ex vulneribus à fratre Magnentio acceptis recuperata valetudine, vltrò ſe Conſtantio dedit. Sic Magnentij tyrannide euerſa, quæcunque ille occuparat, ea etiam in Conſtantij poteſtatem venerunt, vt paterno imperio integro ſolus potiretur. Ex eo pacatus fuit Occidens, ſed orientales partes ſunt turbatæ. [*Atque etiam anno* XIIII. *Iudæi in Palæſtina rebellauerunt: multóſque Græcos, Samaritas, & alienigenas trucidauerunt. mox ipſi à Romanis occidione occiſi ſunt, vrbſq; eorũ Diocæſarea deleta. Eodem anno magnus Athanaſius à Conſtantio in Britanniam deportatur, eique Felix ſubſtituitur. Mediolani quoque Concilium Patrum congregatum, re infecta ſolutum eſt.*] Gallus rebus ſecundis elatus, quum Antiochiam veniſſet, ſubditos ſuos aſperè tractabat, ac multifariàm vexabat, quam ad rem à coniuge etiam extimulabatur. Veritus igitur Conſtantius, ne populo, ex malorum impatientia deficiente, bello ciuili conflictandũ eſſet. Domitianum ſenem illuſtrem, prætorio præfectũ, miſit Antiochiam, cum arcano mandato, vt Gallo arte perſuaderet, vt ad ſe veniret. Sed ille profectus Antiochiam, rem ſine vllo tractauit ingenio, apertè iuſſo Cæſare ad Imperatorem proficiſci, comminatus, ni pareret, ſe commeatus eorum, qui illi parerent, detenturum. His ille alioqui pronus in iram, commotus, præfectum detinet, & militibus cuſtodiẽdum tradit. Eam rem Montio quæſtore culpante, & manifeſtæ tyrannidis eſſe aſſerente, Cæſar denuo iratus, & magis etiam ab vxore inflammatus, quaſi contemneretur: & quæſtorem in vincula coniicit, & ambos militibus tradit, qui vtrũque per forum tractum & excruciatum, denique in flumen coniectum ſuffocarunt. His Conſtantius cognitis, miſit, qui Gallum ad ſeſe pertraherent. At ille præmiſit vxorem, fratrem placaturam, quæ in itinere ex morbo deceſſit. Cuius obitu cognito Cõſtantius, Gallum ſtatim dignitate priuatum relegat pòſt etiam percuſſores contra illum mittit, à ſuis incitatus, cuius rei quũ pœnituiſſet, per alios cædem eius auerti iubet. Iis Galli inimici, ac potius Euſebius Eunuchus, qui præpoſiti magiſtratum curabat, homo apud Conſtantium gratioſus, perſuaſit ne Galli percuſſoribus pœnitẽtiam Imperatoris indicarent prius quàm hominẽ cæſum eſſe cognouiſſent. Sic ille interfectus eſt. Quum autem Tranſrhenani Barbari Gallias infeſtarent, Syluanus, vir rei militaris peritiſſimus, & optimus Imperator, ad eorum impetũ retundendum mittitur. Sed Imperator, calumniis adductus (quibus ſanè pronas ſolebat aures præbere) atrocia contra illum clàm machinatur. Quo ille intellecto, ad defectionem impulſus Cæſaris habitum ſibi vſurpat. Verùm breuis ille motus fuit. Nam Vrſicinus à Conſtantio miſſus, quoſdam milites eius pecunia corrupit, quorum opera ſublato ſyluano, defectio ſopita eſt. Conſtantium ab occidente Byzantium reuerſurum, legati Perſarum à Sapore miſſi circa Sirmium cõueniunt, qui Meſopotamiam & Armeniam Perſis reſtitui poſtulabant, vt ad quos eæ prouinciæ à multis ſeculis pertinerent: quò tandem deſinerent bella gerere cum Romanis. Sinminus, Imperatori ſignificabant, Regem Marte iudice cauſam illam diſceptaturum. Ad ea reſcripſit Conſtantius: mirari ſe, oblitum illum eſſe quòd Perſæ Macedonibus ſeruierint, quibus per Romanos ſubactis, illorũ etiam ſerui Romanæ ditionis facti ſint. His Sapores inflammatus, bellum parat, Niſibin cõfeſtim obſidet, eáq; quum nihil proficeret, relicta, alias vrbes tentat: ab illis etiam repulſus, Amidam tandem capit. Conſtan

*Magnentij et Britãnionis legatio ad Conſtantium.*

*Cõſtãtij ſomnium & expeditio cõtra Magnentiũ.*

*Britannio ſe Conſtantio dedit.*

*Britannionis mors.*

*Decentius Magnentij frater.*

*Gallus Cæſar appellatus Antiochiam mittitur.*

*Magnentius repudiatis pacis conditionib⁹ profligatur.*

*Virginis immolatio.*

*Cruenta victoria.*

*Magnentius venia deſperata, fruſtra inſidias Gallo comparat.*

*Magnentij ſecunda clades & interitus.*

*Decentij interitus.*

*Iudæorum rebellio.*

*Athanaſius.*

*Gallus Cæſar ob inſolentiam & crudelitatem iuſſu Conſtãtij occiditur.*

*Domitiani ob importunitatem interitus.*

*Conſtantiæ obitus.*

*Euſebius eunuchus.*

*Syluani defectio & interitus.*

*Vrſicinus.*

tius autem cum tantum imperium, quod ab extremis terræ finibus, ferè in extremos protendebatur, ſolus gubernare non poſſet: Galli fratrem Iulianum Athenis accerſitum, (*eo enim Euſebia imperatoris vxor eum precibus liberatum miſerat*) Cæſarem appellat, ſorore Helena in matrimonium data. Ferunt matrem eius vterum ferentem, in ſomnis ſibi viſam eſſe Achillem parere. Experrecta, dum ſomnium marito narrat, illum parit, penè ſine doloribus, fœtu edito priuſquam ſe parituram ſenſiſſet. Hinc magna de illo ſpe concepta parentes, puerum Euſebio Nicomedię Epiſcopo, in ſacra ſcriptura erudiẽdum tradiderunt. Sed Conſtantius Imperator eum iam Cæſarem, cum paucis omnino militibus in Gallias ablegauit, vt inde ſuſpicio naſceretur, Iulianum non delectum eſſe Imperij collegam, ſed ad diſſimulandas inſidias, habitu Cæſareo ornatũ eſſe, vt paribus tanto bello copiis non inſtructus, ab hoſtibus cæderetur. Cæterum Iulianus *permiſſu Conſtantij Græciam peragrans, ariolos conſulebat, & fatidicos, an conſecuturus foret id quòd in animo habebat,*

*Iuliani impietas.*

*Incidit autem in quendam hominem impium, qui ſe talia prædicere profitebatur. Is eum in ſpeculis quendam ſuperſtitioni dedicatũ impiè abducit, impoſtoréſque dæmones aduocat: qui cum ſolita apparerent pompa, Iulianus metu compulſus frontem Crucis ſigno affecit: quo viſo dæmones illicò ex conſpectu abierunt. ſed impoſtor fugæ cognita cauſa, Iulianum reprehendit: nõ fugiſſe, vt ipſe putaret, ſed abominatos crucem abiiſſe eos dicẽs. Itaque Iulianum captiuum decipiens, initiauit impiis ſacris, eóque impietate impleuit, vt miſerrimum illum hominem cupiditas Imperij pietate nudarit*, ſecunda quippe fortuna vſus, hoſtes præter ſpem vincit, eoſdémque recuperatis viribus rebellantes, denuo fundit, ac trophæũ erigit, multis cæſis, multis item in amne præterfluente ſubmerſis, captis haud paucioribus. Eo prælio victis hoſtibus, vndecim millia Romanorum ſoluta vinculis captiuitatis feruntur. Poſt hæc contra Alemannos etiam re benè geſta, genti, petentibus illis, pacẽ dedit, captiuis receptis.

*Iulianus Cæſar, Auguſtũ ſe appellari patitur.*

His Cæſar Iulianus ad ſuperbiam elatus, aut, vt quidam autores ſunt, Cõſtantium ſucceſſibus ſuis inuidentem veritus, ne fratris Galli exemplo vita priuaretur: defectionẽ molitur, conciliatis ſibi tribunis aliquot, à quibus milites concitati, per conſpirationem eum Auguſtum ſalutant, & ſtrictis gladiis, imperii titulum repudiantem ſcilicet, circunſtantes, occiſuros minantur, niſi obtemperet. Sic igitur, inuitus forſitan, ad impetum multitudinis euitandum, accipit imperium. Quum autem diadema quæreretur, atque ille ſibi nullum eſſe iuraret: quibuſdam ornamenta muliebria petentibus, vt inde conficeretur, recuſante Iuliano, vt mali ominis, tribuni cuiuſdam torquem aureum, gemmis ornatum, capiti illius accommodant.

*Iuliani ad Conſtantiũ legatio.*

Tum ille Pentadium magiſtrum imperatoriarum legionum cum aliis ad Conſtantium mittit, additis literis quibus ſe purgabat, quòd imperij titulum non ſpontè admiſiſſet, ſed à militibus coactus, qui non ſub Cęſare, ſed ſub imperatore militare vellent, quò digna ſuis laboribus operæprecia flagitare poſſint. Petere, vt imperij communionem ex vſu Reipublicæ futuram æquo animo pateretur, polliceri, ſe curſores equos de more, ex Hiſpania, & delectos è Galliis viros, quotannis ei miſſurum. His literis, ſe non Imperatorem ſcripſit, ſed Cæſarem, ne eas, inſcriptione offenſus Conſtantius, abiiceret. Quas quum accepiſſet, præ iracundia nihil reſpondit, ſed expeditione Perſica militibus denunciata, Leonam quæſtorem ad Iulianum miſit, cum eo per literas expoſtulans, quòd ſuam ſententiam non expectaſſet: illi quàm ſibi turpius eſſe, quòd Auguſti titulum non ab eo cuius eſſet autoritas, ſed à confuſo militum tumultu accepiſſet: ſuadere, vt abſtineret, eo quòd non ritè conſecutus eſſet, & ad priſtinum habitum à ſe traditũ reuerteretur. Quæſtori porrò mandat, vt qui illic in magiſtratibus eſſent, iis adempta poteſtate, alios à ſe ad quęque magiſtratũ deſignatos, ſurrogaret. Quæſtor Iuliano mandata Imperatoris nunciat, quæ erant: meminiſſe eum oportere, quantum Conſtantio deberet, non tantum quòd Cæſarem appellaſſet, ſed etiam, quòd puerili ætate parentibus orbatum apud ſe aluiſſet.

*Iulianus aperto Marte Conſtantiũ inuaſurus.*

Ille verò quæſtori: Quis, inquit, ea ætate mihi orbitatis autor extitit? nónne parentum meorum interfector? An ignorat iſtis commemorandis, ſe refricare cicatricem, & vulnus reddere atrocius? Lectíſque literis, ad conſilium Imperatorij habitus deponẽdi, Cæſareíque reſumendi, quæſtori ait, ſe id facturum, ſed de cõſilio legionum. Tum quæſtor veritus, ne re cum exercitu communicata, ipſe à militari turba diſcerperetur, Iulianum orat, ne id faceret, mandatáque exequendi ſpe abiecta, cum tyranni literis, quibus Imperatorem, vt qui familiam ſuam multis iniuriis oneraſſet, impudenter proſcindebat, additis minis, ſe vltorem eorum fore, qui contra ius & fas occiſi eſſent, diſcedit. Tyrannus, quum ſe multos Conſtantij ſtudioſos, ſecum habere ſciret, iis pulſis omnibus, ad ciuile bellum ſeſe parat.

*Helenæ vxoris Iuliani obitus.*

Interea & vxor eius moritur, ſuis vt quidam aiunt, adhuc materfamilias eius, ſiue, vt alij, iam repudiata. Conuocatos igitur milites ad bellum inteſtinum concitat, ſuadens, vt Conſtantij aduentu non expectato, ipſi illum inuaderent.

*Iuliani ſimulatio.*

Quanquam autem Chriſtianiſmum iam obiurarat, tamen milites reformidans, quos ferè omnes Chriſtianos eſſe norat, tegendæ ſuæ nequitiæ cauſa, liberum cuique facit, quamuis religionem colere, natalíque Saluatoris die, in templo adorat, vt conſentire cũ militibus videatur. & mandatis Magiſtratibus iis quos ipſe probabat, ad bellum ciuile proficiſcẽs, ſe Conſtantium inuaſurum negat, ſed illud velle vt Orientales exercitus cum Occidentibus congreſſi, Imperatorem ſibi deligerent.

*Somnium Iuliani.*

Gloriabatur etiam ſe diem obitus Conſtantij ſomnio cognouiſſe, his verſibus:

*Iupiter Auguſtos vbi fines intrat Aquarij*
*Virgineóque ſinu viceſima quinta recepit*
*Portio Falciferum, Conſtantius induperator*
*Regnum Aſiæ triſti ſuperatus morte relinquet.*

*Sic itaque Iulianus impiiſſimus Imperium adeptus apertè iam inde atque impudenter pietati bellum fecit. atque adeo vt diuinum baptiſmum cruoribus abominandis eluerit. Principiò namque fontes, qui & intus & extra vrbem erant, infandis ſacrificiis polluit: vt quicunque aquæ fieret particeps, etiam flagitij eius cõſors fieri cogeretur. Deinde, quæ in foro venum exponebantur,*



*impietate ea impleuit: cum & panes, & carnes, & fructus, & olera, & omnia quæ eſui ſunt, conſpergerentur. Hæc videntes Chriſtiani, gemebant ſanè, &*

1. Corin. 10.

*deplorabant: tamen iis veſcebantur, Apoſtolicam tenẽtes legem, quæ iubet edere quicquid in macello venditur, neque conſcientiæ cauſa diſcrimen ſtatuere.*

*Monachus diabolũ precando impedit.*

*Cæterùm Iulianus in Perſidem ingreſſus, dæmonem in Occidentem miſit, qui ei inde celeriter reſponſũm perferret. Eum dæmonem quidam monachus, progreſſu per decem dies prohibuit, ita vt dæmon progredi non valẽs, ad Iulianum redierit. Iuliano cauſam moræ ſciſcitante: Non modò, inquit dæmon, tardè, ſed etiam re infecta redij. Expectabam enim dum Publius quidam monachus precandi finem faceret. qui cùm decem dies continenter precaretur, non potui iuſſum tuum exequi. Hoc audito, Iulianus graui indignatione concitus, minatus eſt ſe à reditu gentem monachorum deleturum. Hoc cùm quidã procerũm eius inaudiuiſſet, admiratione ductus, poſt reditum omnia ſua pauperibus diſtribuit: atque ad ſenẽ iſtum profectus, præclarus monachus euaſit, omnibus prædicans monachorum vim, qua aduerſus tenebriones dæmonas ſunt præditi.*

*Porrò Iulianus Carris, quæ vrbs eſt à Caro Imperatore condita, iter in Perſas faciens, ſpeluncam quandam ſubiit: ibique ſceleſtis ſacris operatus, fores ſeris occluſit, ac conſignauit, appoſita cuſtodia. Quibus foribus eo interfecto apertis, inuenta eſt muliercula capillis ſuſpenſa, extentis manibus: cuius crudelis ille ventre diſſecto, victoriam ſcilicet de Perſis ſuam ex iocinore didicerat.*

*Antiocheæ autẽ in regia multæ arculæ inuentæ ſunt humanis capitibus plenæ, multíque putei cadaueribus oppleti. Nam & innumeras grauidas mulieres Iulianus diſſecuerat, vt fœtuum iocinora contemplaretur: & multos infantes iugulatos, ad baſes ſimulachrorum defoderat, quibus impensè erat deditus. Magnum quoque alium gregem ratione præditorum animantium, diuerſarum ætatum, variis mortis generibus ſuſtulit, Neptuno eo & aliis dæmonibus, quorum ſe homo Deo inuiſus cultui addixerat, immolans. Quin & albis equis ſoli, rufis igni ac ventis ſacrificauit. nec non adſiduè canes, ſimias, coruos, atque omne propemodum genus quadrupedum, auium, natantiúmque mactabat, omníſque modi ſacra excogitabat, plura & deteriora iis quæ apud Græcos recepta ſunt. Ea enim re omnibus qui ante ipſum Græcam religionem ſectati fuiſſent, palmam præripere ſtudebat, propterea ſe in Deorum numerum relatum iri homo à Deo alienus ſperans.*

*Annum Conſtantio imperante XIX, die Pentecoſtæ, in cælo ſignum viuificæ crucis apparuit, lucidum, atque extentum à Golgotha (quo loco Chriſtus in crucem ſublatus fuit) vſque ad montem Olearum, vnde idem Chriſtus in cælum ſubiit. cingebatur per orbem circulo arcus cæleſtis ſimili. Eadem die etiam Conſtantio apparuit, Cyrillo Hieroſolymæ tum epiſcopo.*

*Anno XXII, Ariani Conſtantio perſuaſerunt, vt capitale ſupplicium Athanaſio decerneret. Sed tunc quoque is vitam fuga ſeruauit. Noctis hora tertia terræmotus Nicomediæ obortus, magnam hominum multitudinem, atque cum his epiſcopum Cecropiũ oppreſſit.*

*Anno XXIII Conſtantij, Flauianus Antiocheæ*

Pſalmodia.

*epiſcopus cantorum choros diuidens, primus inſtituit, vt Pſalmi Dauidici alternis cantarentur. Poſt hunc Petrus cognomento Cnaphens (id eſt fullo) per tyrannidẽ eo epiſcopatu occupato, primus autor fuit vnguenti in Eccleſia coram vniuerſo populo conſecrandi, ac vt in ſacris Theophaniis aquarum conſecratio veſperi fieret, ac ad ſingulas preces nominatim Dei genitrix citaretur: & in cœnæ myſticæ celebratione quauis, Symbolum fidei recitaretur, cùm id tantùm in Vigilia magna diceretur.*

*Conſtantij obitus. Pœnitentia trium rerũ.*

Mortuus autem eſt Conſtantius, relicto bello Perſico, quum hoſtis etiam domum rediſſet, tyrannum aggreſſurus. Sed curis multis æſtuans, febri corripitur, ac multa atra bile reiecta, ad Mopſi fontem (locus eſt ad Tauri radices) obit, trium, vt aiunt, ſe pœnitere profeſſus, cædis propinquorum. Nec enim Gallum duntaxat (vt diximus) ſed & patruos ſuos occiderat, collati in Iulianum tituli, & mutatæ religionis.

*Elogia.*

Fuit enim clemens erga ſubditos: æquitatis in iudicãdo ſeruans: in victu temperans: in mandandis imperiis & magiſtratibus decori obſeruans: neque in ſenatum quenquam admiſit niſi eruditum, & in dicendi facultate ita exercitatum, vt ſolutam ligatámque ſcriberet orationem.

*Arianiſmus.*

Cæterum in religione non fuit purus, neque patris ſecutus eſt pietatem, ſed Arianis ſtuduit Euſebij cubiculariorum principis impulſu, & D. Alexandrum, poſt Metrophanem Nouæ Romæ patriarcham electum, in ſocietatem recipere Arium, atque illo abnuente, concilium indici iuſſit, cuius dies cùm inſtaret,

*Arij interitus.*

Alexander veſperi ædem ingreſſus, pronus humi ſtratus, deprecatur Deum, ne lupũ (Arium intelligens) in mandram ſuam ingredi pateretur, aut ſe prius è vita tolleret. Hæc ingenti cum dolore & lachrymis precabatur. Mane, concilio primum inchoando, Arius elato animo prodit. Sed inter eundum, ventre conuulſo, ſecedit ad aluum exonerandum & vrinam reddẽdam, ibíque effuſis vnà inteſtinis miſerè perit.

*Alexander. Paulus Confeſſor.*

Alexander autem patriarcha annis III. & XX. ſacerdotio functus, vitam cum morte commutauit: in cuius locum ab orthodoxis ſuffectus eſt Paulus confeſſor. Sed Conſtantius Antiochia reuerſus, eum ſede Conſtantinopolitana pellit, ſuffecto in eius locum Euſebio Nicomediæ epiſcopo, Arianæ factionis.

*Euſebius Nicomedẽſis.*

At S. Paulus cùm ſe Romam contuliſſet, à Papa Iulio Conſtantinopolitanæ ſedi reſtitutus, denuo fugatur à Conſtantio & relegatus, ab Arianis occiditur.

*Macedonius pneumatomachos.*

Euſebio mortuo Macedonius, cui ab oppugnando ſpiritu Pneumatomachi cognomen erat, ab Arianis in nouæ Romæ ſedem introducitur, qui per ſuperbiam ſacroſanctum D. Conſtantini corpus è S. Apoſtolorum æde in S. Martyris Acatij diuinũ ſacellum intulit. Quo facto irritatus Cõſtantius, cum in patriam vrbem rediſſet, Macedonium, qui vnum annum in patriarchatu egerat, throno auulſum relegat,

*Eudoxius.*

Eudoxio Arianarum partium in eundem collocato, quem ille per decennium tenuit, & patris corpus in æde repoſuit.

*Is Eudoxius denuo templum S. Sapientiæ dedicauit, quia poſt primam abſolutionem ab Euſebio dedicatũ corruiſſet, eſſetq́; à Conſtãtio eodem inſtauratum. Huius Eudoxij qui Ennonij fuit diſcipulus tempore ſanctus Ephrenus Syrus fuit vir magnus dictis factíſque, & qui multa vtiliter conſcripta reliquit.*

*S. Apoſtolorum. S. Andreæ & Lucæ corpora.*

Idem Conſtãtius etiam S. Apoſtolorum, Andreæ & Lucæ ſacroſancta corpora, per Alexandriæ tum ducem, poſt illuſtrem Chriſti martyrem Artemium, in patriam vrbem tranſlata, in S. Apoſtolorum ædè intra Sacrarium condidit.

*Euſebia Cõſtãtij vxor.*

Vxorem habuit Euſebiam, forma celebrem illam quidem, ſed ob

maritum calamitoſam, cùm natura tum morbis mollem & ad Venerem ſegniorem. Vnde paulatim contabeſcens, ante Conſtantium deceſſit, nullo vnquam fœtu edito, & vt quidam dicunt, vteri doloribus alienata mente defecit. Conſtãtius & equitandi, & iaculandi peritus fuiſſe memoratur, & in literis ita eruditus, vt etiam verſus componeret.

*Conſtantij eruditio.*

## IMPERIVM IVLIANI APOſtatæ, ſeu Parabatæ.

*Iuliani moderatio poſt obitum Cõſtantij.*

OBitu Conſtantij nunciato, legiones Iulianum lætis acclamationibus Auguſtum cõſalutarunt. Verum ille regio habitu mutato, & lugubri ſumpto, triſtitiam præ ſe ferens, ob Imperatoris funus, de more publicum luctum indixit. Deinde Byzantium profectum, & ſenatus & populus obuiam progreſſi, fauſtis ominibus in regiã deduxerunt. Ita ſuſcepta Imperij adminiſtratione, cum Conſtantij corpus (conditum id eſt in æde S. Apoſtolorum) ab illius legionibus in curru Conſtantinopolim deduceretur, amoto diademate obuiam egreſſus idque proſecutus eſt. Multos aulicos ſuſtulit, multos relegauit, bonis eorum confiſcatis, ac cæteris Imperij curis, etiam iuris dicũdi munus adiunxit. Cum autem aliquando quodam peculatus reo, qui crimen negabat, pro tribunali ſederet, dicente accuſatore, Quis vllius criminis pœnas dabit, ſi reo inficias ire proderit? Reſpõdit, Et quis inſons erit, ſi accuſatori, crimine nõ probato, fides habeatur? Reſpondit & legatis, à variis gentibus ad Conſtantium miſſis, & legiones recenſuit, & magnam partem Imperatorij comitatus dimiſit. Cum tonſorem quæreret, & ad eum Conſtantij tonſor ſumptuoſo ornatu acceſſiſſet: tonſorem ſe quæſiuiſſe, non ſenatorem, dicens, dimiſit hominem. Coquum item Imperatorium in ſplendidiore veſte quàm pro miniſterio conſpicatus, ſuo coquo qui pro artis conditione ornatus erat, accerſito, eos qui aderant, rogat, vtrum coquo ſimilem iudicent? qui cum vilius cultum dixiſſent, alterum repudiauit. Hæc faciebat gloriolę cauſa, vt frugi homo & germanus philoſophus haberetur. Donatiuo militibus dato, bellum Perſicum apparabat. Rerum potitus firmatóque Imperio, ſtatim in euidentem paganiſmum erupit. Nam Chriſtianiſmum (vt ſuprà dictum eſt) iam antè abiurarat, neque tamen proferre in publicum impietatis partum auſus fuerat. Fertur enim, cum imperij cupiditatem tanquam ignem ſub cineribus aleret animo, vates & præſtigiatores conſuluiſſe, num eò potiturus eſſet? quorum corruptelis, ad gentilium impietatem eſt relapſus. Voti compos factus, ſtatim *trulla ſacri magni* DEO *dedicati templi, quæ fornicibus conſtabat, corruit, atque ambonem & ſoleas de lapide onychite confectas in puluerem redegit. Id templum cùm Iulianus poſtmodo vidiſſet, dixit: Iam templum habent Chriſtiani. Sed ego vbi à Perſico bello rediero, medium eius fœno reponendo, partes ab vtroque latere ſtabulum equorum parabo, vt videam vbinam ſuam ſpem collocent. primo eius imperij anno in Oriente Græci ſublatis animis, ſtatim Alexandreæ Georgium*

*Induſtria & frugalitas.*

*In calumniatores.*

*Chriſtianiſmi abnegatio.*

*epiſcopum raptatum interfecerunt. Athanaſius autẽ qui diu apud virginem quandam delituerat, in publicum progreſſus Concilium conuocauit, decretiſque Nicænis confirmatis eccleſias recuperauit. Ariani autem Georgio ſublato Lucium ſibi præfecerunt, in que communi domo conuentus egerunt. Græcæ autem religionis æmuli multos Chriſtianos in cruces ſuſtulerunt, atque iugularunt. Nam Gazæ & Aſcalone presbyteros, & qui virginitatem conſeruaſſent, interfecerunt, eorúmque viſcera aperta hordeo impleuerunt, & porcis obiecerunt. Phœnice Cyrilli diaconi necati iecur guſtauerunt. Qui autem diaconum iſtum diſſecuit, & iecur eius deguſtauit, is & linguam ſuam ipſius putredine cõfectam euomuit, & dentes amiſit, atque oculos, & diris tortus doloribus periit. Quid verò commemorem, quæ iſto tempore per vrbes & agros à Græcis perpetrata fuerint? cum ea neque verbis poſſint, neque ſcribendo vnquam æquari? Fuit tum Baſilius Magnus Cappadociæ eccleſiæ presbyter: & Libanius ſophiſta, Proclus Maximúſque philoſophi claruerunt.*

*Perſecutio Chriſtianorum.*

*Baſilius.*

Anno ſecundo Iulianus arcano Dei conſilio, multos martyres reddidit. Nam tãto furore fuit erga Chriſtianos percitus, vt eis græcas diſciplinas intercideret: neque enim decere, quas pro fabulis traducerent, ex eis vtilitatem capere, & armis inde petitis oppugnare. Cũ igitur nominis Chriſtiani pueri lectione Poëtarum prohiberentur, fertur Apollinaris pſalterij Paraphraſim aggreſſus, & Gregorius magnus theologus verſus cœpiſſe ſcribere, vt pueri pro græcis diſciplinis illa diſcentes, & græcæ linguæ & carminũ peritiam conſequerentur.

*Interdictum diſciplinarũ.*

*Apollinaris Pſalterium. Gregorij Magni poemata.*

*Cæterùm Iulianus veræ religionis deſertor, Chriſtianorum beneficentiam imitans, peregrinis & mendicis neceſſaria ſuppeditari iuſſit, ſimpliciores decipiens. Imaginibus ſuis Iouem, Martem & Mercurium, reliquóſque dæmones appingi iuſſit. de iis qui adorare ea diſtuliſſent, ſupplicium ſumi tanquam hoſtibus Imperatoris. Congiarium exercitui largiens, ignem poni mandauit, ac thus, ac adolere milites coegit.*

*Cæſareæ Philippi, quæ nunc Panais dicitur, mulier quam Chriſtus profluuio ſanguinis liberauerat, Domino Chriſto ſtatuam poſuerat, ſub cuius baſi herba enaſcebatur præſens quorumuis morborum remedium. Eius herbæ inuidia motus Iulianus, ſtatuam eam depoſuit, ac Iuliani imaginem ſculptam iſtius loco poſuit. Chriſtiani, ſtatuam Seruatoris ſublatam in templo collocauerunt: Iuliani ignis de cælo miſſus conſumſit.*

*Prodigioſa quædam.*

*Nicopoli Palæſtinæ, quæ & Emmaus dicitur, fons erat omnis generis morbos hominum brutorúmque ſanãs. Eo enim fonte ferunt Chriſtum ex itinere pedes abluiſſe. Hermopoli, quæ eſt vrbs Thebaidis, Perſica arbor fuit, cuius folium aut cortex cuiuis morbo mederetur. Eam ferunt arborem ſeſe inclinaſſe, & Chriſtum adoraſſe, in Aegyptum fugientem, eique vmbram præbuiſſe. Eum fontem inuidia ſtimulante Iulianus ingeſta materia obſtruxit, arborémque illam excîdit. Idem aperto Præcurſoris Chriſti monumento, reliquias eius cremauit, ciueréſque diſſipauit.*

*Græcis etiam inſtigantibus, magnum Athanaſium Eccleſia expulit. Qui abiens, Chriſtianos ſuper ipſo flentes bono eſſe animo iuſſit. nubeculam enim hanc breui tranſituram.*

Tertio imperij ſui anno idem Iulianus Iudæis Hieroſolymitani templi inſtaurandi poteſtatem dedit, qui cum multo ſtudio & magnis ſumptibus

*Hieroſolymitani templi ædificatio diuinitus impedita.*



bus ædificationem aggreſſi, ad fundamenta iacienda terram effoderent: copioſus ignis è foſſis erupiſſe perhibetur, & operarios combuſiſſe, vt à ſtructura deſiſtere cogerẽtur. Euſebium eunuchum, vt Galli fratris perimendi autorem occidit, reliquos omnes palatio exegit. Cum aliquando iuxta Chalcedonem ambularet, vrbis illius epiſcopus Maris, hominem peſtilentem & Chriſti deſertorem, eum vocauit. At ille patientiam ſimulans: Abi, inquit, miſer, & oculorum tuorum cladem deplorato. Nam lippitudine laborabat. Tum Maris, Gratias, inquit, ago, ſeruatori meo Chriſto, quòd eam mei rationem habuit, vt ne tuam impiam & impudentiſſimam faciem intuerer. Perſis bellum illaturum Tarſi illuſtri vrbe Ciliciæ conuenit Artemius ſacerdos Æſculapij, cuius templum Ægis erat, celebri & ipſa eiuſdem prouinciæ vrbe, columnas ab eo petens, quas Chriſtianorum primarius ſacerdos ex ea æde abſtuliſſet, ac ſuam ædem illis inædificaſſet, eodem reſtitui. Id deſertor ille, ſtatim ſumptibus epiſcopi fieri iubet. Pagani, cum magnis ſumptibus & laboribus vnam columnam demoliti eſſent, & vſque ad limen ianuæ Eccleſiæ cum machinis pertraxiſſent, ac longo tempore vlterius promouere non poſſent: ea relicta diſceſſerunt: quam Epiſcopus poſt Iuliani interitum facilimè leuatam, in priſtinum locum repoſuit. Iulianus cum Antiochiæ Daphnen frequentaret, in qua ſimulacrum Apollinis mirificæ artis dedicatum erat, crebróque ſacrificaret: Antiocheni ſacrificulum, non Imperatorem ad ſe veniſſe per iocum dicebant. & quia promiſſam alebat barbam, hircum nominabant, & ad nectendos funes aptam eſſe dicebant. Ille viciſſim eorum ſtultitiam, mollitiem & delicias perſtringens: Nolim, inquit, Antiochenis barbam meam ad funes nectendos præbere, ne manus illorum eius aſperitate atterantur: edita etiam contra illos oratione, quæ Antiochica, ſeu Miſopogon, à barbæ odio, inſcribitur. At Daphnæ Apollini integras hecatombas, oraculi impetrandi ergò, immolabat. Vt autem mutum erat ſimulacrum: æditui ſilentij cauſa quæſita, reſpondent, ob cadauera illic ſita tacere ſtatuam. Erant enim illic cùm aliorum martyrum, tum S. Babylæ reliquię conditæ. Omnes igitur inde remoueri cum iuſſiſſet, noctu & ædes & ſtatua, daphne de cælo tacta conflagrarunt. Eam calamitatem Chriſtianorum inſidiis acceptam ferens homo peſtilẽs, per furorem Eccleſias eorum claudi iubet, Magnum Artemium pro Chriſtiano, ſupplicio afficit, quamuis ei Galli cædes crimini daretur. Item presbyteri Eugenius & Macarius martyrij coronas ab illo acceperunt. Nec non Legati è Perſia ad eum miſſi Manuel, Sabel, Iſmael, & alij multi.

*Euſebius eunuchus.*

*Maris libertas.*

*Aeſculapij columnæ immobiles.*

*Antiochenorum ſcommata in Iulianum.*

*Daphnæ Apollinis conflagratio.*

*Iuliani ſæuitia in Chriſtianos.*

*Scripſit etiam impius ille Euangeliorum deprauationem: quæ magnus Cyrillus Alexandriæ epiſcopus, aliique Chriſtiani correxerunt. omnes autem ſacras litteras Iulianus, eiúſque ſimiles, corrupêre: quorum adulterinam ſcripturam pij deleuerunt.*

*Eo tempore in cælo lucida crux apparuit, cincta lucida corona, à Golgatha vſque ad montem olearum pertinens, ſplendidior quàm ſub Conſtantio. Porrò autem crucis ſignum in altarium mappis, libris, ac veſtimentis: tum in veſtibus non Chriſtianorum modò, ſed & Iudæorum, extiterunt crucis ſigna: neque Hieroſolymæ tãtum, ſed Antiocheæ etiam, atque aliis in vrbibus. & quem impudenter negabant Iudæi atque Græci, eum ſignatum in ſuis veſtibus reperiebant. Cruces iſtæ apud quoſdam fuerunt nigræ.*

Interim moto cõtra Perſas exercitu principiò rem benè gerit, & quibuſdam vrbibus expugnatis, multis interfectis, multis captis, magnáque præda parta, Cteſiphontem obſidet. Tum ſubitò conuerſa in deterius fortuna, & ipſe & maxima pars exercitus perit. Nã Perſæ quidem, deſperata ſalute, ruere in manifeſtum interitum deſtinarant, vt cladem aliquam Romanis inferrẽt. Itaque duo pro transfugis ad Imperatorem ſe conferunt, victoriam Perſarum pollicentes, ſi omiſſo fluuio, & triremibus, cæteríſque nauibus onerariis, quas adduxiſſet incenſis, ne hoſtibus vſui eſſent, ipſos ſequeretur. Nam per alias vias exercitum traducturos, vt ſine diſcrimine & cõpendiò in Perſidis intima penetraret, eáque facilè potiretur. His ſceleſtus ille væſano animo perſuaſus, quamuis multi, atque ipſe Hormiſda dolum ſubeſſe dicerent: ignem iniicit nauibus, omnes, duodecim exceptis, cremat, quum triremes ſeptingentæ, onerariæ quadringentæ eſſent. Iis etiam in cineres redactis, quum multi ex tribunis aſſeuerarent, illa dolo dici à transfugis: vix tandem conſenſit, vt quæſtio de iis haberetur, qui in tormentis arcanum confeſſi ſunt. Quidã igitur ſic deceptum eſſe ferunt Iulianum. Alij dicunt deſperata Cteſiphontis ob munitiones expugnatione, cùm exercitus etiam penuria commeatus laboraret, reditum adornaſſe: abeuntes, Perſas à tergo inuaſiſſe, & extremum agmẽ turbaſſe. Gallos autem qui in ſubſidiis eſſent, fortiter reſtitiſſe hoſtibus, & multos eorum cæcidiſſe, nec plebeios dũtaxat, ſed proceres etiam. Sed quia Romani commeatus inopia vehementer premerentur, Iulianum inopem conſilij, quid agendum, & quà redeundum eſſet, tandem per montana iter intẽdiſſe. Quo Perſas animaduerſo, coactis in vnum copiis Romanos inuaſiſſe, qui in ſiniſtro cornu ſuperiores, in dextro vincerentur. Iulianum igitur ſuis laborantibus opem laturum, in confertos hoſtes irruiſſe, & thorace cum ob pondus, tum ob æſtiui ſolis ardorẽ exuto, haſta in latere percuſſum. Fertur autem, vehementi orto turbine, aërẽ illic denſa caligine fuiſſe oppletum, ingentíque puluere à tantis exercitibus excitato, ſciuiſſe neminem neque vbi eſſet, neque quid ageret: ambiguum & illud fuiſſe, vnde haſta quæ Iulianum icerat, veniſſet, ab aliquóve ſuorum, an ab hoſte, an diuinitus emiſſa. Nam & hæc celebrantur. Quare aiunt, eum manantẽ ex vulnere ſanguinem manu exceptum, in aërẽ
ſparſiſſe, cum hoc dicto, Satiare Nazarene. Ita il- «
le, quemadmodum impiè vixerat, ſic animã vio- «
lenter eructauit, cum biennium imperaſſet. Ca- «
dauer eius milites Tarſum perlatum, in ſuburbio humarunt, cuius monumento hoc epigramma inſcriptum fuit.

*Res in Perſia geſtæ.*

*Transfugarum dolus.*

*Controuerſia de Iuliani clade.*

*Rex bonus, & ſæuis bellator fortis in armis*
*Iulianus iacet hîc: ad Cydni fluminis vndas:*
*Dum ferus Euphrates & Perſica tela cruenti*
*Martis opus cœptóſque negant inire triumphos.*

Pòſt in Reginam vrbium tranſlatum eſt, glo-

*Iuliani elogia.*

riæ cupiditate inflammatus fuit, leuibus etiam è rebus laudis captator: errantem admoneri ſe ab amicis ęquo ferebat animo: omnis generis diſciplinis eruditus, præſertim vulgò minus cognitis. In victu ita temperans, vt & naturalia illa, ructús inquam & ſputa ferè euitaret. Dicebat enim, Philoſopho, ſi fieri poſſet, ne reſpirandum quidē eſſe. Aiunt eum in ſomnis Antiochiæ vidiſſe iuuenem quendam flauo capillo, qui diceret, ei in Phrygia moriendum eſſe. Ictum igitur, iis qui aderant, rogatis, quomodo locus ille vocaretur? vt appellari Phrygiam audierit, exclamaſſe, O Sol Iulianum perdidiſti. Præterea ferunt, obitum eius, eodem quo periit die, Antiochiæ fuiſſe cognitum. Nam quendam paganum, eiuſdémque cum deſertore religionis, ex ordine iudicum illius loci, cum iuxta prætorium excubaret, congeriem ſtellarum in cælo vidiſſe, quæ literas informaret in hanc ſententiam: Hodie Iulianus in Perſia occiditur. Notato tempore poſtea cognitum eſt, eodem die fuiſſe interfectum. Vita exceſſit anno ætatis trigeſimo primo. Is verò cui per aſtra eius obitus ſignificatus fuerat, viſionis illius occaſione, veram religionē eſt amplexus.

*Præſagia mortis.*

## IMPERIVM IOVIANI.

IVliano mortuo, conſenſu omnium Iouiano defertur imperium, qui tū tribunus militum erat, vir pius, Varroniani Comitis filius: quod cum recuſaret, cauſam rogatus, ſe Chriſtianum eſſe exclamat, neque imperare poſſe Pagano exercitui. Tum omnes conſentientibus vocibus, quaſi ex compoſito reclamant, ſe eſſe Chriſtianos. Sic ille accepto Imperio, cum Perſis pacē fecit, neceſſariam magis quàm decoram. Nam Niſibi & Singara vrbibus illuſtribus eis ceſſit, ciuibus aliò tranſlatis, à quibus plorantibus citra verecundiā maledictis inceſſebatur. Prouincias item multas & iura antiquitus ad Romanos pertinentia, eis cōceſſit. Datis vtrinque obſidibus firmata pace, Romani inde diſcedentes, penuria rerum neceſſariarum conflictati ſunt, adeò vt aqua etiam deficerētur. Iouianus cum ægrè Antiochiam Cœleſyriæ perueniſſet, quotquot Chriſtiani ſub Cōſtantio & Iuliano Eccleſiis pulſi fuerant, eos reſtituit, ac prę cæteris Athanaſium Magnum Alexandrum reuocauit. Antiochia Tarſum profectus, ornato Iuliani ſepulchro, Ancyram Galatię vrbem ſe contulit, inde iter vnius diei progreſſus, Dadaſtanis repente obiit, cum (vt alij ſcribunt) recentes fungos venenatos comediſſet (vili enim victu vſus eſt) vt alij, hyberno tempore in conclaui tectorio recens inducto obdormiſſet. Nam cum ob frigoris acrimoniam carbonibus intus accenſis magnus vapor è calce æſtuante extitiſſet, eo dormiens ſine ſenſu mortis ſuffocatus eſt, vino grauis. Multò enim mero vſus eſſe fertur. Neque vxor, eius obitum anteuertit, etſi ei obuiam cū regio comitatu & filio Varroniano progreſſa. Iouiani morte conſternati milites, Nicæam occupant, de Imperatore creando deliberantes. Aliis autem alios nominantibus, plures in Salluſtium prætorio præfectum conſenſerunt. Verùm ille excuſata ætate renuit. Cū eius filium poſtularent, non conceſſit, tanto Imperio cum ob ætatem tùm ob ſimplicitátem ingenij ratus imparem. Sed vnà cum cæteris Valentinianum, tum abſentem, Imperatorem nominat. Iouianus de religione rectè ſenſit, benefica voluntate præditus, quamuis vini & libidinum intemperantia vinceretur. ſtatura corporis fuit excelſa, literarum non rudis. Cum aliquando Iulianum accliuem locum aſcendentem vt tribunus comitaretur, fimbriā purpuræ eius calcauit. Tum ille, ſiue ex hoc coniiciens, cum Imperij fore ſucceſſorem, ſiue oraculo quodam edoctus, dixit:

*Perſica pax.* *Iouiani obitus.* *Valentinianus Salluſtij ſuffragio creatur Imperator.* *Iouiani Elogium.* *Augurium Imperij.*

* Vtinam verò, licet ſis homo. Imperauit non integros menſes octo. Corpus eius Byzantium perlatum in S. Apoſtolorum æde ſepultum eſt, vbi pòſt vxor etiā eius Charito eſt ſepulta. Obiit annos natus I I I & X X X.

*Huius reſpō ſi verba pleniora ſunt apud Cedrinum hoc modo, Eſto dūmodo homo ſit.*

## IMPERIVM VALENTINIANI.

VAlentinianus igitur, hoc modo (vt dictū eſt) creatus Imperator, cū adductus & proclamatus eſſet, regium ornatum ſumpſit. A quo cum Salluſtius eam pro nauata in electione opera gratiā repeteret, vt præfecturæ moleſtiis liberaretur: Eóne, inquit Imperator, tantam mihi rerum molem impoſuiſti, vt eam tu ne attingeres quidem? Oriundus erat ex Pannonia Valētinianus. Cum autem vir pius eſſet, à Iuliano relegatus fuerat, & deinde reuocatus, ac tribunus numeri * factus. Hic & robore multum valuit, & ſummus iuſtitiæ cultor fuit. Itaque multos tum Magiſtratibus præditos vt iniurios mulctauit, cū diceret, à principe in primis iuſtitiæ flagitari curam. Valentem fratrem Imperij conſortem aſcitum, Orienti præpoſuit, ipſe in occidente degens ſæpius de Barbaris triūphauit. primo anno ſui imperij. Filium Gratianū ante Imperium è Seuera ſuſceptum, Imperatorē appellauit. Priore vxore adhuc ſuperſtite, alterā duxit Iuſtinam, è qua Valentinianum iuniorem genuit, & filias Iuſtam, Gratam, & Gallam.

*Valentiniani dictum in Salluſtium.* *Iuſtitia.* *Valens.* *Gratianus Seuera.*

*Eo anno infans extra vrbem Antiochæam natus eſt, ſed vita carens, ſexus fœminæi, habens duo capita à collo diuiſa.*

*Anno imperij Valentiniani ſecundo, Liberius Romæ, Athanaſius Alexandreæ, & Euſebius Samoſatorum, Epiſcopi, ab exilio reuocati, veræ fidei doctrina claruerūt, Arianis Alexandreæ præfuerunt Lucius, Antiochus, & Euxoins, Chriſtianis in duos greges diuiſis, alterum Paulinus, alterum Meletius rexit.*

*Tertio anno terræmotus per totum orbem ingens fuit, adeò vt ad littus Alexandreæ ſubductæ naues, ſupra magnum murum fuerint elatæ, & nautæ narrauerunt, cùm medium Adriaticum mare nauigarēt, naues ipſorum ad fundum deſediſſe, móxque reuerſa aqua, nauigationem confeciſſe.*

*Octauo Valentiniani anno, Valēs Antiochiam Syriæ veniens, Chriſtianis atrocia maleficia intulit, multos gladio trucidans, alios in profluente Oronte mergens. Sic & Edeſſæ Chriſtianos turmatim capiens necauit. Quo tempore Chriſtiana mulier ſuum filiolum properè trahens: Eam, inquit, mea proles. tempus eſt veritatē ſanguine noſtro obſignandi, moriamur Chriſti cauſa. Hoc factum Valenti pudorem incuſſit, & malum ſedauit,*



*Deo nimirum ita dirigente. Similiter etiam in Cappadocia Eccleſias Arrianis tradere ſtuduit, arrepta controuerſiæ occaſione, quæ interceſſerat magno Baſilio, tunc presbytero Cæſareæ, cum Euſebio epiſcopo, qui ad æmulationem veræ religionis inſtigabat.*

*Nono anno, cum laborioſus ille Athanaſius, multis perſecutionibus & certaminibus propter Chriſtum vexatus ad Dominum cōmigraſſet, Petrus in epiſcopatum eſt ſubrogatus. Hunc Arriani abegerunt, multique eo tēpore Chriſtiani impiè ſunt ex cruciati, multique inter torturas expirauerunt. Eodem anno Baſilius magnus Cæſareenſis Eccleſiæ epiſcopatum adeptus eſt, Euſebio piè defuncto.*

*Athanaſij mors.*

Decimo anno Sub hoc imperatore, Eudoxio, ſecus quàm nomen ſonat, malè de religione ſentienti defuncto, ſucceſſit in nouæ Romæ pontificatu Demophilus, cum deceſſore ſuo conſentiens, qui Eccleſiā annos X I I. gubernauit. Idem hic Imperator Magnum Ambroſium etiam Mediolani Epiſcopum deſignauit.

*Demophilus* *D. Ambroſius.*

CEDR. *Quippe cùm is miſſus eſſet ad rixas hæreticorum componendas, eum etiamnum catechumenum, populus depopoſcit, baptiZatóque epiſcopatum Mediolanenſem credidit. Id cum Imperatori eſſet indicatum: Gratias, ait, tibi ago Domine Deus omnipotens, quòd cum ego huic viro corpora hominum commiſiſſem, tu ei animas commendauiſti, itaque meum ſuffragium approbaſti. Cùm autē totus Occidens Trinitatē cōſubſtantialem profiteretur, Valentinianus rogatus concilium in Illyrico coegit, inque eo fidem Nicænam confirmauit. Edictum quoque miſit ad Aſiæ, Phrygiæ, omnéſque Orientis epiſcopos, quo mandabat, vt ſtarent Concilij decretis: ſocios ſibi eo in edicto adſcribens Valentem fratrem, & Gratianum filium ſuum. Tunc & Gregorius theologus Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfectus eſt, Baſilio, Meletio, ac reliquis qui pro vera religione propugnabant autoribus. Quod niſi is maturè vrbem reuocaſſet, vtique totam Ariana & Eunomiana lues occupaſſet, cum iam tum omnia templa ea infecti obtinerent, excepto ſanctæ martyris Anaſtaſiæ oratorio. Eodem tēpore Gregorius Nyſſenus, & Petrus, fratres Baſilij, claruerunt.*

*Gregorius Theologus.*

Cæterùm cum Valētinianus cognouiſſet, Valentem fratrem Arianam fouere ſectam, & cogere omnes illi aſſentiri: per literas obiurgatum ab inſtituto dehortatur. Verùm ille ſuo indulgēs animo, magis etiam contra rectè ſentientes exaſperabatur. Rhodanus quidam Præpoſitus, homo apud Valentinianum admodum gratioſus, à muliere quadam, Berenice nomine, apud Imperatorem cuiuſdam iniuriæ accuſabatur. Qui cū, quæſita re, crimen verum eſſe comperiſſet, mulieri ſatisfieri iubet. Verùm ille gratia Imperatoris fretus, nullam illius rationem habuit. Quod muliere denuo conqueſta, præpoſitum illico dignitate priuatum & vinctum ludis Circenſibus in theatro circunduci iubet, præcedentibus præconibus, & proclamantibus cū in mulierem admiſſum facinus, tum Imperatorij edicti contemptum, & his factis illico comburi. Talis igitur illius fuit exitus, omnibus eius opibus, Imperatoris literis mulieri conceſſis. Obiit Imperator in Gallis degens, vita longa vſus, vixit enim annos octogintaquatuor, imperauit vndecim, relicto filio Gratiano, Imperij Occidentalis ſucceſſore.

*Rhodani Præpoſiti ſupplicium.* *Valentiniani obitus.*

## IMPERIVM VALENTIS.

VAlens Arianorum defenſor, & aſſenſor, orthodoxos perſequebatur, & in vxoris Domninæ gratiā, multis malis afficiebat. Cū enim aliquando Nicomediæ agentem legati ex cœtu orthodoxorum, viri ſacerdotes octoginta conueniſſent, eos omnes vnà cum naui qua venerant, comburi iuſſit, itáque conflagrarunt omnes in mari medio, vnà cum naui, quæ tamen vſq; ad Dacybizam durauit. Horum etiam magnus in Theologia Gregorius meminit, his verbis: Preſbyterorum exuſtiones marinæ. Neque verò orthodoxos tantum ſuppliciis afficiebat, ſed & pulſis epiſcopis rectè ſentiētibus, omnes Eccleſias Arianis attribuebat. Feruntur qui Catholica Nicena Eccleſia eiecti fuerant, veræ pietatis ſtudioſi, Baſilium Magnū acceſſiſſe, qui pro eis legatus ad Valentem profectus, cum nihil impetraſſet, dixerit: Iudicium huius controuerſiæ, Imperator, Deo eſt permittendum. Claudatur templum accuratè, Ariani foris ſtātes, precentur Deum. Id ſi vltrò eis patuerit, habēto. Sin minus, cōcedatur & nobis precari Deum. Quòd ſi valuæ vltrò apertæ fuerint, ſtatuēdum erit, ſanctam ædem à Deo nobis eſſe attributam. Sin ea nec nobis aperta fuerit, ſic etiam ad Arianos pertineto. Placet Imperatori conditio, conſentit, ædes Nicena vndique clauditur. Precantur Ariani Deum: cum ſatis diu nugati eſſent, ædes non aperitur. Serò tandem digreſſis hæreticis, & Orthodoxis, Magno Baſilio duce, preces auſpicatis, ſtatim clauſtris & vectibus ruptis valuæ patefactæ fidelibus ingreſſum præbuerunt. Is Paganis ſacrificandi poteſtatem dabat, & Iudæis ſtudebat. Solis rectè ſentientibus aduerſabatur. Cum autem Scythæ prouincias Thraciam & Macedoniam incurſarent, Magnus pater Iſaacius ei contra illos proficiſcenti equo occurrens, Redde, inquit, Imperator orthodoxis eccleſias, & ſcito te victorem rediturum. Sin contra deum militaris, inde non reuertēris. His cōmotus homo impius, cuſtodiri iubet virū ſanctum donec redierit. Tū ille, ſi redieris, inquit, nō locutus eſt per me de⁹. Pòſt, Valens in ſomnis virum videt, ſibi dicentē:

*Valētis crudelitas in Chriſtianos.* *Baſilij Magni legatio ad Valētem & miraculū* *Iſaacius Valenti exitiū prædicit.*

*Miſer ad Mimanta magnum iter capeſſito*
*Citus: hìc te ſæuæ mortis opprimet dolor.*

*Valentis ſomnium.*

Experrectus percontatur quis ſit Mimas? Ibi quidam homo doctus (Nam tales eo tempore, vtinam nūc etiam, in regio comitatu & familiaritate erāt) reſpondet, eſſe montem Aſiæ ad mare ſitum cuius & Homer⁹ in Odyſſea his verbis: ventoſum pone Mimantē meminerit, ac ventóſum appellet. Tum ille, Et quæ me, inquit, neceſſitas vrget, vt mōtem illum occupem, ibíq; moriar? Cōgreſſus autem circa Thraciam cum Scythis turpiter ſuccubuit, & in fuga domum quādā ingreſſus, in aceruo paleārū ſeſe abdidit, in qua, cum Scythæ poſt victoriam prædas è prouincia agerent, villáſque incenderent, & ipſe cōflagrauit. Cæterùm eius interitu S. Iſaacius in carcere per ſpiritum cognito, iis qui aderant, dixit, Valētem iam incēdio perire. Die illo annotato, poſtea cōpertum eſt, virum ſanctum nō erraſſe. Poſt Barbarorum diſceſſum cum Imperatoris corpus quæreretur, inuentum eſt in iis ædibus vbi com-

*Mimas & montis & viri nomen.* *Valentis interitus.* *Iſaacius Valentis conflagrationem præuidet.*

buſtus fuerat, ſepulchrum cum hac inſcriptione: Hîc Macedo Mimas Imperator eſt ſitus. Seditionem contra hunc Imperatorem mouit Iuliani conſobrinus Procopius, Byzantio occupato, ſed proditus à ſuis, duabus arboribus vi inclinatis pedibus annexus, atque iterum dimiſſis, laceratus eſt miſer. Tum Chalcedonis etiam diruta ſunt mœnia, quòd ciuibus Procopij ſtudium crimini dabatur, quæ cum diruerentur, tabula reperta eſt, cum hac inſcriptione,

*Procopiana ſeditio.*

*Chalcedonēſe oraculum.*

*Nymphis in ſacra choreas agitantibus vrbe*
*Vndique per vicos, feſta exultante corona,*
*Balnea cum murus gemitu cuſtodiet ægro,*
*Tum verò gens dira, potens, numeroſa, feroci*
*Robore prædita, Cimmerij freta vecta per Iſtri*
*Et Scythiam ſæuis & Myſida deprimet armis.*
*Threiciúmque ingreſſa ſolum ſpe freta furente,*
*In ſua fata ruens, triſtem mittetur ad Orcum.*

Valens materia Chalcedonij muri ad aquæ ductum vſus eſt, quem Valentem nominauit, vt vrbi aquarum copia tum ad alios vſus, tum ad balnea ſuppeteret: & vrbis præfectus, Nympharum ædem, in loco qui Taurus dicitur, ad teſtandum gratum animum ob ductiles aquas, ædificauit. Hæc conſecuta eſt Barbarorum impreſſio, vt in tabula ſcriptum erat, qui & Thraciam populati ſunt, & poſt in ea perierũt, Sub hoc Valentẽ ferũtur Libanius Rhetor, & Iamblichus Procli magiſter, diuinatione galli gallinacei quæſiuiſſe, quis poſt Valentem imperaturus eſſet? Ea porrò huiuſmodi eſſe perhibetur. Literæ vigintiquatuor pulueri inſcribuntur, & cuique granum tritici & hordei imponitur, deinde gallus, recitatis quibuſdam carminibus dimittitur, & è quibus literis grana ſumpſerit, eæ literæ inter ſeſe iunctæ, rem quæſitam declarare putantur. Quod cum & illi feciſſent, gallum ex literis Th, E, O, D, grana legiſſe viderunt, ambigua tamen habita eſt ſignificatio. Nam vel Theodoſius vel Theodorus vel Theodotus deſignari putabatur. Ea recognita Valens, multos iis nominibus præditos, ſibi ſuſpectos, ſuſtulit, ipſis etiam diuinatoribus quæſitis. Cuius ſæuitia formidata Iamblicus hauſto veneno, vt quidam tradunt, ſibi conſciuit necem. Fuit enim Valens inexorabilis iracundiæ, vnde dicere ſolebat: qui ab ira facilè dimoueretur, eundem & à iuſtitia facilè dimoueri. Imperauit annos XIII & menſes IIII. dignum impietate ſua interitum conſecutus.

*Alectoromātia.*
*Libanius.*
*Proclus.*

*Iamblichi obitus.*
*Valentis dictum.*

## IMPERIVM GRATIANI.

Gratianus autem Valentiniani filius & iunior Valentinianus illius frater, Romano imperio potiti ſunt. ſolus enim Gratianus à patre Imperator appellatus vt iam expoſitum eſt, cum morti paternæ non adeſſet, iuniorem etiam Valentinianum Imperatorem ſalutauit exercitus, quadrimum adhuc puerum. Qua de cauſa peregrè reuerſus, milites acriter inſectatus eſt: quoſdam etiam autores fraternæ ſalutationis, ſupplicio affecit, quòd ſe, qui Imperator eſſet, non conſentiente, alium elegiſſent. Neque tamen recuſauit, quo minus fratrem imperij conſortem haberet, eúmque collegam aſciuit. Paternæ pietatis æmulus fuit, & aliquando Valenti patruo contra Scytas opem petenti, negatis auxiliis reſpondit: Nõ eſſe cum Dei hoſte ſocietatem belli coëundam. Paſtoribus eiectis, decreto reditum in ſuas eccleſias conceſſit. Cum autem Scythæ poſt cladem Valentis elati ſucceſſu rerum Thraciam finitimáque loca vaſtarent, & coërceri nullo modo poſſent, Theodoſium Hiſpanum accerſit (Eſt autem * Hiſpania Europeæ Iberiæ vrbs præſtantiſſima) virum fortiſſimum & religioſiſſimum. Hunc igitur ducem delectum, ablegat contra Barbaros, qui prælio victor, magnam Scythicæ gentis multitudinem cædit, cæteris in fugã coniectis, qui vel à victoribus deprehenſi, vel à ſeſe inuicem obtriti perierunt. Barbaris igitur illis ferè omnibus interfectis, Theodoſius exercitu illic relicto, ipſe victoriæ nũtius, ad Gratianũ tum in Pannonia degentem contendit. Nec tamen victoriam ſuam, & Barbarorum interitum nuncianti, fides habita eſt, quum ob rei geſtæ celeritatem, tum ob Scytarum ſummam rei militaris peritiam. Cùm autem veritatem cognouiſſet Imperator, déque internecione Barbarorum planè conſtaret, viri celeritatem admiratus eſt, & rem bene geſtam laudibus proſecutus. Iam quia Valentis etiam partem poſt illius interitum conſecutus, prouidebat, ſe tam immenſam tanti Imperij molem ſuſtinere ſolum non poſſe: Theodoſium nouæ Romæ Imperatorem appellat, partim, vt eius induſtriam remuneraretur, partim quòd neminem ad imperij ſocietatem magis idoneum iudicabat. Tradidit igitur illi vniuerſum Orientem & Thraciam, occidentem ſibi reſeruauit.

*Gratianus Valentinianum fratrem Imperij conſortẽ aſciſcit*

*Gratiani pietas.*

*Theodoſius Scythis in Thracia cæſis Orientis imperator creatur.*

**Hiſpaniam regionẽ eſſe notũ eſt. Ex Italica vero Hiſpaniæ ciuitate eſſe ortum conſtat Theodoſium. Itaq; pro Hiſpania legendum eſt Italica contra cõſenſum codicum: niſi Zonarã manifeſti erroris cõdemnare malimus.*

*Sub hoc Gratiano tantus fuit terræmotus Alexandreæ, vt aqua mari procul ſe à littore ſubduxerit, nauéſque in ſicco deſtituerit. Ad quod inuſitatum ſpectaculum cum magna hominum multitudo accurriſſet, aqua ſubito magna vi rediit, & ↀↀↀ mortales ſubmerſit. Eodem tempore magna etiam pars Cretæ, Achaiæ, Bœotiæ, Epiri, ac Siciliæ periit, maris alluuione, cùm quidem naues in montes ſunt eiectæ ad C vſque à littore ſtadia.*

CEDR.

*Terræmotus.*

*Cæterùm Maximianus quidam Britannus, cum ſe præterito, nullóque honore affecto, videret Theodoſium à Gratiano Imperij conſortem aſſumptum, Britannos in Gratianum excitat, mittitque contra eum Andragathium. Andragathius lectica operta vectus, rumorem ſpargit, Gratiani vxorem ex Britannia, eâ aduehi. Vxoris ergo amore Gratianus ad lecticam aggreſſus, cum eam aperuiſſet, Andragathium intus offendit, & eius iuſſu à militibus ad hoc comparatis illicò trucidatur.*

*Anno Imperij poſt obitum patris ſexto. Gratianus tanta fuit iaculandi peritia, vt quidam dicerent, eius ſpicula eſſe mente prædita. Corpus eius in Imperatoria monimenta Theodoſius retulit.*

## IMPERIVM VALENTINIANI Iunioris & Theodoſij.

Gratiano defuncto, Occidentalis Imperij poteſtas in Valentinianũ iuniorem impuberem adhuc, collata eſt: qui paulatim à Iuſtina matre, Arianis fauente corruptus, illorúmq



lorúmque dogma amplexus, orthodoxis aduerſatus eſt. Cum autem Maximus contra eum inſurrexiſſet, regnum affectans, & præliis aliquot viciſſet: Theodoſio ſcribit, vt ſecum agatur, & auxilia petit. Cui ille reſpondit, non eſſe mirandum, ſi ſeruus ſeditioſus eo domino ſit ſuperior, qui ſuum dominum repudiet, & creaturã ac ſeruum appellet conditorem, pari & natura & dignitate cum patre præditum. Sed ſuppetias profectus, Maximum comprehenſum ſupplicio affecit, vnà cum duce Andragatio, qui Gratianum fraude occiderat. Pòſt, Eugenius etiam mota ſeditione regnum affectauit: qua Valentinianus perterritus, laqueo ſibi necem conſciuit, Theodoſius autem bellum contra illum ſuſcepit. Ac Theſſalonicæ contumelioſè acceptus, præfecto per ſeditionem populi, quibuſdam de cauſis ortam, interfecto, in præſentia ad populi motum conniuendum ratus, pòſt equeſtre certamen indixit. Populum in theatro congregatum, circundedit legionibus, quæ ad quindecim millia ſagittis & iaculis confecerunt. Sic expleta iracundia, Mediolanum digreſſus, à magno Ambroſio propter Theſſalonicenſium cædem obiurgatus, ingreſſu Eccleſiæ prohibetur: neque prius admittitur, quàm lege ſanxiſſet, ne capitales ſententiæ ante diem trigeſimum ratæ eſſent. Id factum, ob Imperatoris animum ad iracundiam proniorem: vt illo ſpatio lenita ira, ſententias recognoſceret, ac legitimas confirmaret, ab iracundia forſan profectas, abrogaret. Eugenium tyrannum in Galliis prælio victum & captum, occidit. Habuit vxorem priuatus adhuc, Placillam, matronam piam, modeſtam, & pauperum amãtem, quam ſuſcepto ex ea Honorio & Arcadio Auguſtam appellauit. Ea poſt adeptum imperiũ defuncta, Gallam Magni Valentiniani filiam duxit. Interea dum Imperator in Occidente verſatur, Iudæi conciliato & annuente Honorato vrbis præfecto (nam Paganus erat) magnificam in foro ærario ſynagogam extruunt. Sed vrbana multitudo ea re irritata, præfecto maledicit, illo maledicta negligente, ſynagogam igne iniecto cremat. Præfectus rem ad Imperatorem perſcribit, qui eam audaciæ pœnam ſtatuit, vt ſumptus ſynagogæ perſoluerent, eámque Iudæis inſtaurare liceret. Hoc magnus Ambroſius cognito, cùm quodam dominico feſto imperator Mediolanenſem eccleſiam ingrederetur, ſic exorſus eſt: Cum Imperator, eum qui te ex priuato regem fecit, ſuo grege tibi commiſſo, qui caput tuum prius ſqualidum diademate exornauit, tu contumeliis afficis, eos à quibus ille reiicitur, iis præferendo à quibus colitur, vi etiam illata, vt in media vrbe, in qua Chriſtus colitur, & crux adoratur, ſynagogam Chriſti interfectoribus ædificent? Ea reprehenſione verecundatus Imperator, Nunquid, inquit, epiſcope in Republica benè conſtituta plebi concedenda eſt quiduis temerè & impudenter audendi licentia? At ne illud quidem, inquit, D. Ambroſius, concedendum eſt, vt Iudæi in medio Chriſtianæ vrbis ſynagogas habeant, & blaſphemis precibus piorum aures obtundant? Ne verò iſtud decreueris, ſanctiſſime Imperator. His lenitus Theodoſius, Byzantiis remiſit mulctam, & Iudæos intra vrbem regiam, habere ſynagogam vetuit. Cum autem Antiochenis noua tributa imperaſſet, populus ob exactionis nouitatem indignatus, prioris eius vxoris imagines in foro ſitas, reuellit, & in publicis viis traxit. Ob id facinus ille iratus, vrbem & priuilegiis priuauit, & vicinæ Laodiceæ ſubiecit, comminatus, etiam ciuibus, quos vtíque malè tractaſſet, niſi Flauianus Archiepiſcopus Antiochenus legatione ſuſcepta, Imperatorem mitigaſſet. Quo tempore vir ſummus Ioannes Chryſoſtomus, Antiochenæ eccleſiæ preſbyter adhuc, eas orationes ſcripſit, quæ Statuarum titulum præ ſe ferunt. Tunc etiam Gregorius rerũ diuinarum peritiſſimus, qui pridem Orthodoxos clam in S. Anaſtaſiæ æde ob hæreticorum impudentiam & audaciam, docuerat: poſt apertas orthodoxis à Theodoſio eccleſias: palam filium eiuſdem cum patre naturæ, & ſanctum ſpiritũ cum vtroque adorandum & glorificandum prędicauit. Nam Macedonius, qui, vt dictum eſt, exiguo tempore patriarcha Conſtantinopolitanus fuit, non ferebat, vt ſpiritus vel Deus nominaretur, vel pari cum patre filióq; potẽtia, eadémq; natura præditus diceretur: quamobrem iuſſu Imperatoris ſecundum conciliũ eſt indictum, CL. diuinis patribus in vrbe imperatoria congregatis, quorum in diſputationibus principes fuere, theologus & magnus Gregorius, Nyſſenus epiſcopus, & ſanctus Amphilochius, Iconiẽſis eccleſiæ præſes, qui ſpiritum ſanctum, & Deum eſſe ſtatuerunt, & patri filióque potentia & dignitate parem, Macedonio & eius ſectatoribus Catholica eccleſia eiectis, & in ſanctum ſymbolum inſerta clauſula illa, quæ incipit (& in ſpiritum ſanctum) vſque ad finem, primíque cõcilij decretis confirmatis. Sed quidam epiſcopi thronum Conſtantinopoleos theologo inuidentes, negarunt eo ritè potitũ, qui prius alteri delatus eſſet. Quare vir ſanctus oratione, quę quia de concordia tractat, Syntracteria inſcribitur, publicè recitata. Nazanza in patriam rediit. Fuerat autem patriarcha deſignatus Nectarius vir ſenatorius, & ciuilibus functus Magiſtratibus. Tunc nouæ Romæ ſedes ſecundum ordinem ſortita eſt: pòſt Romam veterem collocata, prælatáque cæteris. Tunc & magnus Amphilochius ab Imperatore poſtulauit, vt Ariani, in Dei filium maledici, vrbe pellerentur, aut ſaltem cõuentus agitare prohiberẽtur. Cum autem ſegnem ad id videret eſſe Theodoſium, captato tempore, quo etiã Arcadius patri in concilio aſſidebat, Theodoſio quidem conuenientem honorem habuit, vt Imperatori, cùm verbis, tum geſtibus. Ad Arcadium autem ſimpliciter ita dixit, Salue & tu fili. Imperatore autem filij contemptum grauiter ferente, vir ſanctus, Tu inquit, cum homo ſis, tui filij neglectum iniquo animo tuliſti. Deum verò non exiſtimas abominari eos & odiſſe, qui filio eius vnigenito maledicunt, neque iraſci iis, qui eos in cœtu orthodoxorum verſari, ac multos corrumpere patiuntur? Admiratus igitur viri ſancti artificium, decreto conuenticula hęreticorũ ſuſtulit, amotóq; poſtremo tyranno Eugenio, toto Romano imperio potitꝰ, duos filios ſuos Imperatores appellauit, quos cũ literis & moribus erudiri vellet, magnũ Arſeniũ, Romæ eccleſiæ diaconũ,

*Theodoſius Maximũ & Andragatiũ ſupplicio afficit.*

*Valentinianus laqueo vitam finit.*

*Theſſalonicenſes cæſi à Theodoſio.*

*D. Ambroſius Theodoſium punit.*

*Eugenij cædes.*

*Placilla. Galla.*

*D. Ambroſius pro Conſtantinopolitanis apud Theodoſium intercedit.*

*Antiochenorum mulcta.*

*Flauianus. Io. Chryſoſtomus. Gregorius.*

*Macedoniana hæreſis.*

*Conſtatinopolitani Cõcilij decretũ de ſpiritu ſãcto.*

*Nectarius Gregorio Nazanzeno pulſo, Conſtantinopolitanam ſedem occupat.*

*Sedes Conſtantinopolitana & Romana.*

*Amphilochij artificium in pellendis Arianis.*

*Arſenius Honorij & Arcadij præceptor.*

virũ & eruditione & virtute celebrem accerſit, filios tradit, cum eis non vt Imperatoribus, ſed vt plebeiis & vulgaribus agere iubet, flagris etiã adhibitis, ſi negligentes eos eſſe, aut ab officio decedere viderit, & planè pro ſuis filiis tractare. Ac magnum Arſenio honorem habuit, magnámque pecuniam donauit. Is pueris in ſellas collocatis, cum ſtans munere præceptoris fungeretur: Imperator aliquando de improuiſo ingreſſus, vt pueros ſedentes, Arſenium ſtantem deprehendit; indignatus, pueros aſtare, Arſeniũ ſedentem docere iuſſit, quod ab eo tempore illi obſeruarunt. Arcadius autem plagis aliquando ob delictum acceptis iratus, inſidias præceptori comparat, de eo occidendo aſſiduè cogitans, percuſſore ſubornato. Sed Arſenius cõſilio eius cognito, clàm Regiam egreſſus, Scetin ſe in vitam ſolitariam contulit, ibíq; inſtar angeli vixit. Theodoſius autem Imperator, cum diligenter inquiſitum nuſquam reperit, & Mediolani ex morbo moritur, Anno imperij decimo ſeptimo, ſupra menſes quinque, eo inter duos filios diuiſo. Arcadio noua Roma attributa eſt cum finitimis regionibus & Orientali parte: Honorio, Roma vetere cæteriſq; occidentalibus prouinciis aſſignatis. patris corpus Arcadius Conſtantinopolim detulit, atque in fano apoſtolorum depoſuit.

## IMPERIVM ARCADII ET HONORII.

*Arſenius benignitatẽ Imperatorum aſpernatur.*

IMperio Romanorũ ſic inter Theodoſij filios diuiſo, ſuam vterque partem gubernabat. Cum autem reſciſſent, magnum Arſenium Sceti vitam agere ſolitariam, ſæpiſſimè per literas ab eo petierunt, vt vota pro ipſis faceret, Arcadio priuatim etiam à viro ſancto veniam petente, ob ſtructas illi inſidias, donato illius anni tributo Ægyptio, quo ſuo arbitratu vteretur. At ille reſcribere Imperatoribus noluit, ſed legatos eis renunciare iuſſit, ſe præcari Deum vt illis veniam det, atque reficiat, vt volũtati eius pareant: ſibi verò, qui iam mundo eſſet mortuus, nulli vſui eſſe pecuniam. Arcadius vrbem ædificauit in Thracia, quam Arcadiopolim nominauit. In Xerolopho columnã erexit, in qua ſuam ſtatuam collocauit.

*Arcadiopolis. Ioã. Chryſoſtomus patriarcha Cõſtantinopolitanus, Eudoxiæ indignatione relegatus, Cominis obit.*

Sexto ſui Imperij anno Arcadius Nectario Conſtantinopolitano patriarcha mortuo, Ioannem Chriſoſtomum Antiochia accerſitum, nouæ Romæ patriarcham deſignat. *cuius facundiæ etiam Libanius teſtimonium tulit. Interrogatus nanque ab auditoribus quémnam ſuo loco ſcholæ præficeret? Ioannem reſpondit, ſe præpoſiturum ei fuiſſe, niſi hunc ſurripuiſſent Chriſtiani. Eodem anno Theodoſium iuniorem Eudoxia Auguſta Arcadio peperit, quem de ſancto lauacro Ioannes Chryſoſtomus ſuſcepit.*

CEDR.

*Anno octauo Gainas tyrannidem contra Arcadium occupauit, multáque mala Byzantio intulit. Qui cum vltro citróque dato iuramento Chalcedone ad ſanctam Euphemiam pacem iciſſet, eo violato in vrbem ingreſſus, direptiones & alia mala perpetrauit. Inde ad Thraciæ Cheroneſum profectus, ratibus confectis ad vrbes Orientis curſum inſtituit. Sed terra mariq́ commiſſis pugnis, periit cum ſuo exercitu.*

*Cùm orthodoxæ eccleſiæ præeſſet Chryſoſtomus, acceſſit ad eum quidam, qui à Macedoniana ſecta in viam redierat: & vxorem quoque ad idem operoſè exhortatus, impetraſſe ab ea videbatur, vt ipſa quoque ad veram ſecum eccleſiam rediret, ac ſacramentum communicaret. Hæc particulam Macedonianam ancillæ dat, iubétque ſecum adſeruare: & ad Chryſoſtomum aggreſſa, cùm ſacram particulam de manibus eius accepiſſet, fingens ea ſe veſci, ancillæ eam porrigit: Macedonianámque ab ea repetens, cum hanc ori admoueret, ſenſit in lapidem mutatam. Exhorreſcens ergo, tremebunda ſe ad pedes ſancti Epiſcopi abiicit, facinus ſuum confitens, ac tum verè ad Eccleſiam ſe conferens.*

*Hypocriſis miraculo redarguta.*

*Cyrillus autem ſanctiſſimus Alexandreæ archiepiſcopus, conſobrinus erat Theophili, & aliquandiu præſumptioni ſeruiens, vt homo, ac Theophilum auunculum ſequens, de Chryſoſtomo malè & ſentiebat, & loquebatur. Quia autem feruens hoc erat ſtudium pugnandi, nõ à noticia veri, neque tamen ab inuidia aut diabolica peruicacia ortum, dignus eſt habitus qui in viam reuocaretur, myſtica quadam patefactione. Imaginatus enim eſt Cyrillus, ſe eſſe quodam terribili ac pulcherrimo in loco, vbi multitudo angelorum genitrici Dei adſtaret, propéque eam Chryſoſtomus. Se, cùm accedere conaretur, ab eo repelli: matrem autem Dei intercedere pro ſe, & poſcere vt admittatur: quia non parum propter ipſam laboris pertuliſſet, dum nomen Dei genitricis vindicaret. Poſtquam ad ſe rediit Cyrillus ſuipſius pœnitentia ductus, in omnibus Chryſoſtomum exinde eſt ſequutus. Edidit etiam duodecim capitula, decreta Eccleſiæ continentia, miſitq́ Neſtorio Conſtantinopolim. quæ is contemnens, cauſa fuit vt tertia contra ipſum Synodus conſcriberetur. Magnus autem ille Arſenius, mundo contempto atque relicto, diuinam philoſophiam in Ægypto coluit, habitu monachi.*

*Cyrill⁹ Chryſoſtomo conciliatus.*

Decimo anno cum Arcadius tardus eſſet iuſtóq; mollior, ab vxore Eudoxia regebatur, muliercula ferocula, & ex auaritia iniuſtiſſima: cuius cupiditas cum à magno illo patre inhiberetur, aliquando etiam obiurgaretur, iracundia inflammata, virum ſanctum vlciſci ſtudet, & Alexãdrinũ Theophilũ improbitatis ſuæ nacta miniſtrũ, Arcadio perſuadet, vt virũ ſanctũ releget. Sic ille eiectus eccleſia relegatur. At populus vrban⁹, partim lugere, partim non ſine ſeditione tumultuari. Quo tardus ille Arcadius cognito, Ioãnem celeriter reuocari iubet. Reuocatus, Eccleſiæ redditur. Sed quia vir inuicti animi, linguam contra iniuſtos acuere non deſiſtebat: Eudoxia Imperatrix, quæ doctrinas de iniuſtitia ad ſeſe accõmodaret (Nam à ſuapte conſcientia arguebatur) inflãmato contra magnũ patrem animo, rurſus (vt quæ interceſſere omittã) marito, quem veluti capiſtro, quóuis trahebat, perſuadet vt virũ ſanctũ releget. Qui ſic tyrãnicè pulſus eccleſia, ĩ prouincias periculoſas abducitur, & loca remotiſſima à congreſſu hominũ, multas expertus difficultates & moleſtias in itinere, quæ in epiſtolis auream eius linguam narrantem audire licet. Perductus primum Cucuſum, inde Pityuntem, deniq; Comana Coppidulum id, eſt * illic vitam cũ morte cõmutauit, natus annos LII. põtificatu vrbis regiæ functus, annos V. cũ dimidio. Verũ numẽ nõ dormitauit, ſed celeriter eſt aggreſſũ miſerrimã illã Imperatricem. Nõdũ enim tribus à Chryſoſtomi obitu menſibus elapſis, violẽta morte periit. Nam cum parturiret, intra vterum maternũ extinct

*Cucuſum.*

*Eudoxiæ interitus.*



extincto fœtu & computrefacto, acerrimis affecta doloribus, vtero vnà corrupto, miſerabiliter mortua eſt. Chryſoſtomo eccleſia eiecto, ſubſtitutus eſt Arſacius, qui biennium epiſcopatu functus obiit. Ei ſucceſſit Atticus. Eudoxiam defunctam Arcadius Imperator non longo tempore pòſt, ſecutus eſt, cum poſt obitũ patris imperaſſet, annos duodecim & tres menſes, cum aliquot diebus. Columna quæ in Pittaciis erecta eſt, Eudoxiæ opus eſſe dicitur. Moriens Arcadius filium ſuum Theodoſium qui iunior dicitur, vel ad diſcrimen aui, vel quòd defuncto patre puer ſeptemnis erat, imperij ſucceſſorem reliquit. Sed de hoc tum agemus, vbi res ab Honorio geſtas breuiter expoſuerimus.

*Arſacius Atticus.*

*Arcadij obitus.*

*Theodoſius iunior.*

## DE HONORIO.

HIc Romæ veteris Imperator, admodum adoleſcens, decem duntaxat natus annos, relictus à patre, de illius ſentẽtia tutorem habuit Stiliconem, virum Romæ principem, à quo Reſpublica adminiſtrabatur. Huius igitur filiam Mariam vxorem ducit, qua mortua fertur eius ſororem Thermatiam immatura adhuc ætate duxiſſe, quæ & ipſa breui defuncta eſt. Hic cum ob væcordiam ſe Romanis magnatibus inuiſum eſſe, & inſidiis appeti animaduertiſſet: Rauennam abiit, & Romanorum in ſe odium vlturus, legatos ad Alaricum Vandalicę ſeu Gothicæ gentis ducem miſit, petens vt Romam oppugnaret. Alaricus autem Romam inuaſiſſe, non tamen vaſtaſſe fertur, ſed pacem feciſſe cum Romanis, acceptáq; pecunia omni imperatoria, & Honorij ſorore Placidia receſſiſſe: puellam autem tradidiſſe cuſtodiẽdam Comiti cuidam Conſtantio, qui eam arrepta fuga ad fratrem perduxerit. A quo & ſenatoria dignitate ſit ornatus, & affinis aſcitus, denique etiã Imperator appellatus, cum Honorius omnino liberis orbus eſſet. Cõſtantium autem paulo pòſt occiſum, cum è Placidia Valentinianum & Honoriadem genuiſſet. Quidam igitur hæc ita narrant. Alij verò dicunt, occiſum eſſe Stiliconem, & Romanos odiſſe Honorium, quòd Rauẽnam migrarit. Alaricũ autem contempta eius væcordia Romam obſidione cepiſſe. Qua capta, quẽdam oppletum lachrymis nunciaſſe, Romam ab Alarico captam. Ad eum nuncium cõſternatum cõuulſo corpore, & femora manibus ferientem, dixiſſe Honorium: Roma modò hîc fuit: quomodo igitur capta eſt? quo errore nuncium intellecto, cum gemitu dixiſſe, ſe de vrbe loqui, non de aue. Habebat enim in delitiis gallinam prægrandem, nomine Romam, quam cum putaſſet eſſe captam, ingemuerat. Accidit autẽ hoc excidium Romæ die XXVI mẽſis Auguſti indictione IX anno ab exordio mundi ꟾↃↃ ꟾↃ CCCCLXV. Mortuus eſt Hydropicus, natus annos XL. quorum triginta, nulla cum laude imperauit. Ioannes autem qui Romæ tyrannidem inuaſerat, ſororem eius Placidiam cum liberis ambobus Valentiniano & Honoriade vrbe expulit.

*Stilico tutor Honorij & ſocer.*

*Alaric⁹ Gothus ab Honorio euocatus.*

*Conſtantius Placidia.*

*Hiſtoricorũ diſſenſio.*

*Roma Honorij obitus.*

*Honorij obitus.*

*Ioannes Romæ tyrãnus.*

## IMPERIVM THEODOSII IVNIORIS.

IVnior autem Theodoſius Cõſtantinopoli, Pulcheriæ ſororis ſtudio, diligenter educabatur & erudiebatur, metu Iſdigerdis Perſarum regis, nemine contra eos inſurgente. nam Arcadius moriens Iſdigerdem in teſtamento, filij, pueri adhuc, vt dictum eſt, tutorem ſcripſerat. quo ille accepto Antiochum eunuchorũ ſuorum principem miſit, cuſtodem & curatorẽ imperatoris Theodoſij, admonitis per literas proceribus, vt Imperatori ſuo parerent. Quod niſi feciſſent, ſe iniurias pueri non eſſe neglecturum. Iam pubeſcenti ſoror Pulcheria Eudociam Athenienſem deſpondet, forma excellenti præditam, & omni doctrinæ genere perpolitã. Erat ea Leontij cuiuſdam Athenienſis philoſophi filia, & Athenais nominabatur. qui cũ eam ſplendidam fortunam conſecuturam, ex arte cognouiſſet: teſtamento ſuas opes duobus filiis reliquerat, Valerio & Geneſio, filiæ tantum centum aureis legatis, hac adiecta clauſula, quòd fortuna eius ſuffectura ei eſſet. Fratres igitur patrimonio ſibi vendicato, Athenaidem legitimam ſuam poſtulantem, & teſtamentum iniuriæ accuſantem, paternis etiam ædibus exegerunt. Qua matertera ſuſcepta, & Conſtantinopolim perducta, cauſa expoſita Pulcheriæ ſupplicãt. Quæ cum puellam formoſiſſimam, & integra ætate eſſe vidiſſet, rogat, An adhuc viri expers eſſet? eo cognito, baptizat rudem adhuc Chriſtianæ religionis, & mutato eius nomine in Eudociam, fratri Theodoſio deſpondet, diademate ornat, & Auguſtam appellat. Hac vxore ducta Theodoſius, Antiocho inter Imperatorios Eunuchos potentiſſimo, & omnia pro imperio, non pro imperij miniſtro commiſcenti, Prępoſiti honorem adimit, omnibus etiam opibus ereptis. Is verò tondetur & Chalcedonẽſis eccleſiæ fit clericus in æde inclytæ martyris Euphemiæ, nec multo pòſt moritur. At Eudocia Imperatrix fratres accerſit, neq; irata illis, ſed gratias potius agens, vt dignitatis tantæ autoribus (niſi enim ab eis exacta fuiſſet, nunquam venturam fuiſſe Conſtantinopolim) Geneſio præfecturam Illyriorum ab imperatore impetrat, Valerium Magiſtri honore donat. Sub id tempus, Atticus patriarcha Iudæum quẽdam paralyticum monitis in Chriſti cognitionẽ perductum, ſacro lauacro eſt dignatus, & ſanum ex aqua eduxit. Hic etiã D. Chryſoſtomi nomen in Eccleſiæ cõmentarios retulit, prius non inſcriptum. Nam religioſiſſimus ille pater, Origeniſta & vocabatur & habebatur.

*Pulcheria ſoror Theodoſij.*

*Iſdigerdes. Antiochus.*

*Eudocia Leonis philoſophi filia, vxor Theodoſij.*

*Antiocho Eunucho magiſtratus abrogatur.*

*Eudocia in fratres benefica.*

*Atticus patriarcha Iudæum ſanat.*

CEDR.

*Anno quinto imperij Theodoſii, Iudæi Alexandriæ Chriſtianos peſſimè tractauerunt. Cum enim teſſeræ loco compoſuiſſent annuli de palmæ fronde geſtationem, noctu per præcones exclamari curauerunt, Eccleſiam eſſe incenſam: & Chriſtianos ad reſtinguendum incẽdium concurrentes interfecerunt. Re comperta, magiſtratus Chriſtiani Iudæos Alexandræa expulerunt, eorúmque bona publicauerunt. Eodem anno beata Pulcheria toti rerum ſummæ præfuit, ſubmoto Perſa Antiocho. Eodem anno, Magi in Perſide multos Chriſtianos martyrio affecerunt, & magnum templum ab incendio refectum eſt.*

*Septimo anno, Iudæi in campo Immo Chriſtianum puerum captum, ludibrij ac crucis deridendæ cauſa excarnificatum, de ligno ſuſpenderunt. Quos Imperator,*

*re patefacta, dignis vltus eſt ſuppliciis.*

Cæterùm Attico mortuo, qui x x. annos cœtui fidelium præfuerat, Siſinnius eligitur, & biẽnium pontificatu functus, vitam cum morte cõmutat, *Siſinnius patriarcha.* anno imperij Theodoſij x x i i. in cuius locum introductus eſt Neſtorius, qui cum triennium præfuiſſet, docuit ſanctam virginem Mariam non eſſe deiparam dicẽdam, Chriſtum verò non aliud niſi hominem eſſe aſſerebat: in eóque Dei filium, *Neſtorius hæreticus.* vt in propheta quopiam habitaſſe nugabatur, eúmque bipertiens, affirmabat, dei verbum non ſumpſiſſe carnem è caſto ſanguine matris dei, ſed alium eſſe filium & verbum Dei, alium Chriſtum, qui filius eſſet adoptiuus, & gratia deus factus. His cæteri patriarchæ cognitis, Cœleſtinus Romanus, Cyrillus Alexandrinus, Ioannes Antiochenus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, negocium ad Imper. Theodoſium & Pulcheriam deferunt, petentes vt in dicto concilio in Neſtoriana dogmata inquiratur. Igitur ducentis patribus Epheſum ad concilium congregatis, cuius princeps erat ſanctiſſimus Cyrillus, Cœleſtini Papæ Romani etiam vice fungẽs, qui per valetudinẽ adeſſe non poterat: Neſtorij decreta examinata, & vt peruerſa, reiecta ſunt: & conſtitutum, vt ſancta virgo Deipara & haberetur & diceretur, & qui carnem ex ea citra virilẽ operam ſumpſerit, Dei filius & Deus à ſanctis patribus eſt pronunciatus. Ac in certiorem fidei confeſſionem, & euidentiorem Neſtorianæ impietatis refutationem, *Cyrilli 12. capita.* ſanctus Cyrillus duodecim capita in veræ ſententiæ monimentum compoſuit, Eccleſiæque tradidit, Neſtorio reiecto, & amoto è cœtu rectè ſentientium pontificum. *Seditio inter epiſcopos.* Cæterùm poſt tertiam concilij diem Epheſum ingrediuntur Ioannes Antiochenus, Theodoretus Cyrenſis, Ibas Edeſſenus & alij, iratíque Cyrillo, vt principi concilij, ob aduentum ſuum nõ expectatum: tum Neſtorij abdicationem incuſant, tum diuo Cyrillo & Memnoni Epheſino epiſcopatus eripiendos decernunt. *Theodoreti 12. capita.* Theodoretus etiam capita duodecim, à Cyrillo compoſita inuaſit, & ad ea euertenda, edidit alia: quæ cum Diuus Cyrillus erroris conuiciſſet, Antiochenus & cæteri à concilio damnati, ab orthodoxis alienantur. Epiſcopos ſic affectos & inter ſeſe decertantes, Imperator Theodoſius omnes Conſtantinopolim accerſit: coram quo agitata quæſtione, reiectus Neſtorius, in Orientem relegatur, Antiocheno & Theodoreto etiam ſancto concilio aſſenſis, vt cui ante per contentionem & ex mœrore aduerſati eſſent. Cum autem Neſtorius in exilio etiam multos peruerteret, Ioãnes Antiochenus, de eo alium in locum transferendo refert. Itaque miſer in Oaſin, Arabiæ regionem ſterilem, & ventis peſtilentibus infeſtã, transfertur. Nouæ autem Romæ ſedi paſtorali *Maximian⁹ Proculus.* Maximianus Eccleſiæ presbyter præficitur. Poſt quem pontificatu biennio functum, Proculus diui Chryſoſtomi diſcipulus, patriarcha creatur, qui pridem à Siſinnio patriarcha Cyzici epiſcopus deſignatus, ſed à Cyzicenis, qui alium elegerant, non receptus, tempore interiecto ocium egerat. *Io. Chryſoſtomi corp⁹ Cõſtãtinopolim refertur.* Hic igitur ſede Conſtantinopolitana receptus, petit ab imperatore, vt corpus diui Chryſoſtomi, Pityunte referatur, ne vir ſanctus, poſt obitum etiam exularet. Paret Imperator, relatúmque & inſigni cum honore ſuſceptum, intra ſacrarium ædis ſanctorum Apoſtolorum conditur. Theodoſius autem mœnia tranſlaturus, & vrbem amplificaturus, munus id Cyro præfecto mandat, qui magno ſtudio & celeritate, Cherſæum murum, à mari ad mare pertinentem, intra dies ſexaginta abſoluit. Vrbana igitur multitudo, & opere delectata, & præfecti celeritatem admirata, publicè exclamat: Conſtantinus condidit, Cyrus renouauit. *Cyrus amplificata Conſtantinopoli inuidia Theodoſij fit clericus.* Quamobrem Cyrus inuiſus & ſuſpectus Imperatori, vel inuitus tondetur vt clericus, pòſt, etiam Smyrnæ fit epiſcopus. Proculo autem patriarcha, cùm duodecim annos orthodoxo Conſtantinopolitano populo præfuiſſet, mortuo, *Flauianus.* D. Flauianus in eius ſede collocatur: qua tempeſtate Archimandrita quidam *Eutychiana hæreſis Epheſi confirmata.* Eutyches, docebat, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, duas naturas poſt incarnationem nõ retinuiſſe, ſed ambas in vnam naturam contemperatas & permiſtas eſſe. Hunc, ſuam opinionẽ pertinaciter defendentem, Flauianus ab eccleſiæ corpore reſecuit, ne peſte illa, ſana etiam membra inficerentur. Sed Eutyches *Chryſaphius* Chryſaphium Eunuchum adit, ſuæ ſententiæ ſuffragatorem. Qui cum apud Imperatorem plurimum poſſet, impetrat, vt *Dioſcorus.* Dioſcoro qui poſt Cyrilli obitum Alexandriam Eccleſiam gubernabat, cum aliis epiſcopis Epheſum vocato, Eutychianum dogma excuteretur, præſente etiam Flauiano. Is igitur Dioſcorus, cum Eutyche conſentiens, adductis aliis etiam epiſcopis eiuſdem opinionis, Epheſum profectus, ſuffragatur Eutychiano dogmati. *Flauiani interitus.* Cæterum ſancto Flauiano aduerſante, Dioſcorus exiliens inſtar indomiti aſini, calcibus ſancti illius viri pectus impetiit, & pugnis maxillas eius tundere non prius deſtitit, quàm concilio expuliſſet. At ſanctus ille ex plaga pectoris poſt triduum decedit, cum nouæ Romæ thronũ per biennium ornaſſet. Dioſcorus autem epiſcopos qui aderant, ſubſcribere ſententiæ ſuæ coëgit. Nam Eunuchus ille milites armatos adeſſe iuſſerat, vt aduerſantes perterrefaceret. Verùm *Domnus.* Domnus, Antiochenæ vrbis præſes, cum & ipſe in tumultu illo ſubſcripſiſſet, poſtea in Dioſcorũ vociferantur, eiúſque ſententiam vt impietate plenam proſcindit. His Theodoſius auditis, & Flauiani cognito interitu, iratus cũ Chryſaphio expoſtulat: cui Dioſcorus periculi metu ſuadet, vt ab Imperatore impetret, vt Anatolium, qui ei à reſponſis erat, quem Apocriſiarium vocant, *Anatolius patriarcha.* patriarcham Conſtantinopolitanum deſignet, quò & Eutychem in ſocietatem reciperet, & de Flauiani calamitate quæſtio nulla haberetur. Ea re per caſtratum ab Imperatore facilè impetrata, patriarcha deſignatur Anatolius. Idem Chryſaphius, aſcita etiam Eudocia adiutrice, facilitati principis illudens, perſuadet, vt & *Pulcheria aula pulſa reuocatur.* Pulcheria ab adminiſtratione rerum amoueatur. Ea igitur, aula relicta, vitam priuatam agit, & in Hebdomo quieſcit. At imperator, vix tandem ad ſanã mentem reuerſus, conſiderata & nefaria Flauiani cæde, & Pulcheriæ delatione: *Pulcheriæ cõmentũ ad coarguendam Theodoſij oſcitantiam.* iuſta indignatione contra Eunuchum commotus, quem earum rerum omnium autorem eſſe conſtabat, hominem relegat, opibus eius confiſcatis, & ſororem petita



ta venia reuocat. Erat pulcheria mulier prudentiſſima, quæ multa fratris errata partim corrigebat, partim tegebat. Literis ille certè quidem inconſideratè ſubſcribere dicebatur. Quod ne faceret, vtque literarum ſententiam conſideraret, ab illa admonitus, affirmabat, à nemine ſtrui ſibi fraudem, & ſcire ſe quid literæ continerent. Quare illa ad ſocordiam fratris coarguendã huiuſmodi commento vſa eſt. Nomine illius ſyngrapham componit, qua ſibi Eudocia Auguſta venderetur, eáque, ceu aliud quiddam eſſet, Imperatori oblata efficit vt ſubſcribat. Deinde Eudociam ab illo accerſitam, abire non ſinit, quæſitaque retentionis cauſa, profert ſyngrapham: itaque conuincit, eum ſubſcribere plurimis, quæ neque norit, neque etiam fortaſſe fieri velit. Ac tum quidem, commentitia illa venditione ſublata, vxor Imperatori reſtituitur. *Pomum occaſio cædis Paulini, & odij Eudociæ.* Pòſt autem, in odium eius tali de cauſa incurrit. Pomum inuſitata magnitudine ſibi oblatum Imperator, admiratus vxori miſit. Id illa Paulino dedit viro erudito, eáque de cauſa ſibi familiari. Is rei ignarus, illud Imperatori effert, vt rem miram. quo ille agnito & occultato, vxorem rogat, vbi ſit málũ ipſi miſſum? Illa verita ne id ſuſpicaretur maritus, quod iam ſuſpicabatur, ſe comediſſe reſpondet. Verum illo acrius vrgente, iureiurando affirmat, ſe iam comediſſe. Tum ira percitus Imperator, pomum profert Sic illa in manifeſto mendacio deprehenſa, ſuſpicio mariti confirmatur, Paulinus inſons occiditur, Eudocia cum ſe inuiſam eſſe cerneret, facultatem abeundi Hieroſolyma petit, *Eudociæ obitus & eruditio.* quò cum magnis opibus profecta, & templa ædificauit, & pauperibus, eiúſq; loci monaſteriis multa dedit. Inde reuerſa, poſt mariti obitum, eódem rediit, ibíque mortua eſt. *Centones Homerici.* Qua verò eruditione Imperatrix illa fuerit, centones Homerici declarant. Nam cum Patricius quidã id opus imperfectum & indigeſtum reliquiſſet: illa & abſoluit & digeſſit, vt inſcriptio verſibus heroicis præfixa declarat. *Theodoſij iunioris obitus.* Moritur Theodoſius quinquagenarius, omnibus ferè vitæ ſuæ annis Imperator, quorum paucis omnino cum patre, cæteris per ſe regnauit. Cauſam eius obitus alij morbum fuiſſe perhibent, alij in venatione cum equo lapſum, læſis vitalibus membris paulo pòſt obiiſſe. *Theodoſij elogia.* Fuit literarum non imperitus, ſed cum in aliis Mathematicis libris verſatus, tum Aſtronomiæ non ignarus, equitandi & ſagittandi peritia excellens, prætereáque pingendo fingendóque dexter. Cum autem leni eſſet ingenio, mollior ad res gerendas fuit. Vnde factũ, vt caſtrati apud illum gratioſi, multa perperam agerent, vt Antiochus, & poſt illum Amantius, ac deniq; Chryſaphius. *Miraculum pueri in aerem ſublati.* Huius Imperatoris temporibus, Proculo patriarcha cũ Clero & maxima vrbanæ multitudinis parte ſupplicantibus, puer ſublimis in aërem tollitur. Populo obſtupefacto & longo tempore vociferante, Kyrie eleyſon, rurſus demittitur, ac ſibi præceptum eſſe dicit, ne in Cantico Terſancto adderetur clauſula: Qui crucifixus eſt pro nobis. *Eodem tempore etiam Epheſi illud terribile miraculum accidit ſeptem puerorum qui de ſomno poſtquam obdormiiſſent annis* C L X X *ſurrexerunt.*

## IMPERIVM MARCIANI.

Theodoſio mortuo, ſed eius obitu paucis cognito, Pulcheria Marcianũ accerſit, ſenem iam, ſed virum bonũ & modeſtum: & Imperatoris morte indicata, Te inquit, præ cæteris omnibus imperatorem elegi, ſi fidem dederis, te virginitatem meam, quam conſecraui Deo, intactam conſeruaturum. Aſſenſum illum, patriarcha & ſenatu accerſitis, Imperatorẽ ſalutat, & diademate cingit. Erat autem Marcianus neque geſtis magiſtratibus clarus, neque illuſtri genere ortus, ſed *Auguria Marciano Imperium portendẽtia* gregarius miles, qui cùm aliquando cum ſua legione in expeditionem profectus, & in Lycia ægrotans à commilitonibus relictus, duorũ fratrum Iulij & Tatiani hoſpitio vſus eſſet, recuperata valetudine, cum hoſpitibus venatum exiit. Fatigati procumbunt humi, requieſcendi cauſa, & obdormiſcunt circa meridiem. Ibi Tatianus præ cæteris experrectus, aquilam videt expanſis alis vmbram facientem Marciano & ſolis ardorem prohibentem, fratrémque ſenſim excitat, rem inuſitatam oſtendit, quam admirati ambo, Martiano Imperium portendi exiſtimant, ídque experrecto narrant, petunt, vt ſui meminiſſent potitus imperio, ac ducentis aureis datis dimittunt. Cum denuo ſub Aſpare contra Vandalos bellum inferentes militans, cum aliis plurimis captus in aula quadam cuſtodiretur: Dux Vandalorum è ſuperiore loco per feneſtram captiuos ſpectans, Martiano dormienti vmbram ab aquila fieri videt, eóque augurio & ipſe imperiũ homini portendi coniiciens, eum accerſit, & pactus, ſi imperio potiretur, ne Vandalis bellum inferret, miſſum facit. Ita imperio multò ante diuinitus ei denunciato, ſed tum auguriis re ipſa comprobatis, ſtatim fratres hoſpites, qui principatum ei gratulati fuerant, vocat, ac Tatianum præfectum vrbis creat, Iulio illyricam prouinciã tradit, benignum ſe præbens erga omnes. *Chalcedonẽſe concilium quartum.* Sub hoc tẽpus Pulcheria Deiparæ ædem in Blachernis extruit, & quartum cõcilium indicitur: quum Leo Papa Romanus, & Anatolius nouæ Romæ patriarcha, ab imperatore Martiano petiuiſſent, ne Dioſcori Alexandrini & Eutychis dogmata inexcuſſa relinquerentur, & commiſſum in ſanctum Flauianum facinus diſſimularetur. Itaque D C & X X X patres Deo pleni Chalcedonem in ædem ſanctæ martyris Euphemiæ conueniunt, quorum principes erant, Leo Papa Romanus, Anatolius Conſtantinopolitanus, & Iuuenalis Hieroſolymitanus. Cõuenerat autem ea patrum multitudo contra Dioſcorum & Eutychem, qui dominum Chriſtum Ieſum alterius naturæ carnem geſtaſſe, & vnam eſſe naturam fabulabãtur: vt eo pacto quæcunque perpeſſus eſſet, ea diuinitati attribuerentur. Hos igitur diuini patres cum à peruerſa opinione decedere nollent, loco motos anathemate notarunt, Theodoretum autem & Ibam receperunt: damnato & Neſtorio & iis capitibus, quæ hi ſtudio contentionis ediderant, tribúſque prioribus conciliis approbatis, & ſancto ſymbolo confirmato. Eos porrò anathemate notarunt, qui filios binos ſtatuerent, & diuinitatem paſſibilem eſſe aſſererent, quíque temperamentum & confuſionem duarum naturarum

ſentire & profiteri auderent, aut duas naturas in Chriſto ante vnionem, & vnam poſt vnionem confingerent, quíque formam à domino ex nobis aſſumptam vel cœleſtem, vel alterius eſſe naturæ fabularentur. Statuerunt, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum perfectum eſſe in diuinitate, & perfectum in humanitate, verè Deum & verè hominem, qui anima ratione prædita & corpore conſtet, eiuſdem cum patre naturæ ſecundum diuinitatem, eiuſdem naturæ nobiſcum & ſimilem per omnia nobis, peccato excepto: qui vnus idem in duabus naturis, citra confuſionem, citra mutationem, citra diuiſionem, citra ſeparationẽ agnoſcatur, ſeruatis vtriuſque naturæ proprietatibus, & in vnam perſonam, & vnam hypoſtaſim cõſpirantibus. Hæc cum à diuis illis patribus decreta eſſent, etiã pio imperatore Marciano præſente, Dioſcorus eius iuſſu Gangran relegatur. Nam Eutyches iam antè infeliciter perierat.

*Proterius.*

*Cõcilij Chalcedonẽſis decreta miraculo firmantur.*

Dioſcori autem loco Alexãdrinus epiſcopus eligitur Proterius vir ſanctiſſimus & fide integerrima. Cum autem Eutychis & Dioſcori ſectatores qui in vrbe verſabantur, decreta concilij ſubſannarent, eiúſque autoritatem non veritate, ſed potentia Imperatoris niti dicerẽt, & prauitatem ſententiæ ſuæ ſtabilire conarentur: Anatolius patriarcha & ſuffragatoribus ſuis & aduerſariis cõuocatis, ad hos ita infit: Quoniam ſententiam veſtram adhuc mordicus tenetis, neque vos perperàm ſentire creditis, ſed nos incuſatis, quaſi Neſtorij dogma approbemus, cum duas naturas in ſeruatore prædicemus, vtraque citra cõfuſionem proprietates ſuas retinente: iſtius controuerſiæ diiudicatio, ſi placet, Deo permittatur. Scribatur igitur veſtra de fide ſententia in vno libello, & noſtra in altero, atque ambo, in loculo glorioſæ martyris Euphemiæ collocentur, & huius iudicium eſto, vtri rectè aut perperam ſentiant. Hæc cum hæreticis etiam placuiſſent, libelli ſcripti, remoto lapide qui loculum claudebat, pectori martyris imponuntur, & lapis in ſuum locum repoſitus, ab vtráque parte ſignatur. Dehinc ſupplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles vt demonſtret, vtra ſententia ei cordi ſit, quæ reiicienda videatur? Poſt triduum conueniunt, imperatore etiam præſente, aperto loculo. O rem miram! libellus hæreticorum ad pedes martyris inuenitur, alter in manu eius dextra. quam extendiſſe fertur ad Imperatorem & patriarcham, ac libellum eis porrexiſſe. Itaque rectæ ſentẽtiæ aſſertores plaudere, aduerſarij verò demiſſis vultibus & præ pudore caligantibus abire, quidam etiam veram ſententiam amplecti.

*Pulcheriæ obitus.*

Eo tempore Pulcheria imperatrix piè, glorioſè & cum ſpe bona moritur, omnes ſuas opes dilargita pauperibus, & miſericordia erga illos diuina miſericordia redempta.

*Valentinianus à Maximo interficitur.*

Valentinianus verò, cuius ſuprà obiter eſt facta mentio, Honorij è ſorore Placidia nepos, Romæ veteris imperator, Eudoxiam iunioris Theodoſij filiam vxorem ducit. Sed homo vitæ inſolentis & flagitioſæ, omiſſa coniuge, quamuis eleganti forma, in ſtupris & adulteriis volutabatur, diuinationibus etiam & præſtigiis deditus. Vt igitur vitam agebat nefariam, ita miſerabilem, ſortitus eſt interitum. Maximus enim patricius Romanus, ex illius Maximi familia, quem tyrannide occupata magnus Theodoſius debellarat, palatium ingreſſus, Valentinianum perimit, Eudoxiam vi ſtuprat, imperium inuadit.

*Genſericus Vandalus ab Eudoxia accitus, Romã diripit.*

At illa Theodoſio patre mortuo, Pulcheria item defuncta, cum nullum alium iniuriæ vindicem ſperaret, Gizericho à Vandalorum rege precibus impetrat, vt per eum à Maximi tyrannide liberetur. Is igitur cum claſſe & copiis magnis Romã venit, Maximo cum inde profugiſſet, à ſuis occiſo, vrbe citra laborem potitur, & omnes eius diuitias, ſacrarum ædium aurea donaria, & gemmis ornata, nonnulla etiam vaſa è templo Hieroſolymitano à Tito allata, aurea & ipſa, vnà cũ Eudoxia, & duabus eius filiabus in Africam ſecũ aſportat.

*Eudocia. Olybrius. Placidia. Hildericus.*

Cuius filiam Eudociam natu maiori filio Honoricho iungit: alteram, quia Olybrio patricio deſponſam nouerat, cum matre aſſeruat. Quæ cum biennium ibi egiſſet, cum filia Placidia, regnante adhuc Martiano, Byzantium reuertitur relicta filia Eudocia, quæ quamuis annos XVI cum marito vixiſſet, genito Hilderico filio: tamen eius conſuetudinem ob Arianiſmum ægrè ferens, nacta opportunitatem & ipſa Conſtantinopolim ſecedit, matre iam defuncta. Inde Hieroſolyma profecta, moritur.

*Martiani obitus.*

*Aſpar Leonem imperatorem creat.*

Obiit & Martianus cum annos ſex & aliquot menſes imperaſſet, ſiue ex morbo, ſiue veneno Aſparis patricij nutu dato, admodum ſenex, vir miti ingenio & erga ſubditos benignus: dicere ſolitus, Imperatori non capienda eſſe arma, dum pacem agere liceret. Aſpar Patricius, etſi multum poterat, non tamen imperator creatus eſt à populo Conſtantinopolitano, ob Arianæ ſectæ ſtudiũ. Quare ipſe Leonem ſiue ſuapte autoritate, ſiue accepta à populo poteſtate, Imperatorem declarat, ſtipulatus, vt alter filiorum ſuorum Cæſarea corona inſigniretur. quòd cum ille promiſiſſet, ad regium faſtigium eſt euectus. Is Leo Aſparis procurator fuerat: alij Selebrianorum vectigalium fuiſſe,* præfectum tribunũ, & alij genus è Thracia ducere, alij ex Dacia Illyrica, aiunt.

## IMPERIVM LEONIS MAGNI.

LEonem recens imperiũ adeptum crebris flagitationibus vrgebat Aſpar, vt quemadmodum promiſiſſet, alterum filiorum ſuorum Cæſarem appellaret.

*Aſparis & Ardaburij ſupplicium.*

Cum cunctaretur, purpura eius prehenſa, Imperator, inquit, hac veſte indutum mentiri nefas eſt. Cui reſpondit ille, Etiam cogi & inſtar mancipij trahi, nefas eſt. Sed cum tandem reſiſtere non poſſet, neceſſitati cedens, filium illius è patricio Cæſarem facit, Ardaburij fratrem. Id factum nec ſenatui fuit gratum, & vrbanam multitudinem ad ſeditionem impulit. Verebantur enim, ne Imperio ad Aſparis familiam deuoluto, Ariani, data impunitate, pluribus etiam incommodis, quàm priores, orthodoxos afficerent. Congreſſi igitur clerici & monachi, & è populo qui de fide rectè ſentiebant, ab imperatore petunt, vt eiuſdem religionis Cæſarem ſibi deſignaret. At ille tum & verbis & factis ſeditionem ſuppreſſit, cúmq; interea nonnihil temporis elapſum eſſet, Aſparem inſidiatum ſibi, cum Ardaburio filio interfecit. Iſocaſium



Iſocaſium verò quæſtorem virum eruditũ, cùm ob alia quædam, tum de paganiſmo accuſatum, dignitate erepta, præfecto examinandum tradidit. Cui, cum ille habitu condemnati in prætorium adducto, dixiſſet, Vides Iſocaſi quo in ſtatu ſis? Ille reſpondit, videre ſe, neque videri ſibi nouum, ſi homo cum eſſet, humanis caſibus ſubiaceret: illúmque ita ſibi ius dicere iuſſit, vt ſecum dixiſſèt. His populus auditis, imperatorem laudat, & Iſocaſium raptim in Eccleſiam abducit.

*Iſocaſij baptiſmus. Verina. Ariadna. Leontia.*

Quem cum Imperator baptizatũ audiuiſſet, lætatus eſt. Vxorem habuit Leo Verinam, è qua duas filias ſuſcepit, Ariadnam & Leontiam, quarum illam Zenoni deſpondit, hanc Martiano patricio, Anthemij filio, qui Romæ imperauit.

CEDR.

*Cùm autẽ omnes totius orbis eccleſiæ concilio Chalcedonẽſi adſtipularentur, vnus ſceleroſus homo Alexandream conturbauit Timotheus, cognomento Aelurus. Is magicis impoſturis vtens, cellulas monachorũ obiuit noctu, nominatim quemque vocans. qui cum reſponderent, ita dixit: Ego ſum angelus, in hoc miſſus, vt omnes iubeam abſtinere ſocietate Proterij & Chalcedonenſium rerum: Timotheo autem Aeluro epiſcopatum Alexandrinum tradere. Porrò cùm cateruam hominum turbulentorum mercede paraſſet, per tyrannidem ſolio epiſcopali potitus eſt. Ita qui damnatus erat, à duobus damnatis deligitur: ipſéque ſuffragiis non creatus, creandi epiſcopi ius aliis tribuit: baptiZátque, cùm presbyter non eſſet. Idem rabie quadam effræni ſacrũ Concilium quartum cõtumeliis affecit: & Proterium iræ diuinæ locum cedentem, cúmque eo ſex alios magno ſabbato interfecit. cuius corpus factioſi per totam vrbem raptatum combuſſerunt. Illo anno allatæ ſunt Sirmio reliquiæ D. martyris Anaſtaſiæ, inque eius templo depoſitæ, quod eſt apud reſtra Domnini.*

*Secundo anno Leo Imperator cognita iniuſta Proterij cæde, Aelurique iniqua deſignatione, miſit qui Proterij cædis conſciis linguas exciderent, Aelurum non puniit, iudicio eius epiſcopis reſeruato.*

*Paulò pòſt Imperator ſcribit ad omnium prouinciarũ epiſcopos, petítque vt ſuam quiſque de Chalcedonenſi cõcilio, & Timothei ad epiſcopatum progreſſu ſententiam perſcribant. Scribit inter alios etiam ad Simeonem Stylitam, alióſque mirificos & ſanctos Patres: obteſtans vt ita de controuerſis rebus iudicium facerent, vt qui Deo rationem eſſent reddituri. Illi verò vno omnes ſuffragio & ſenſu Chalcedonenſe concilium probant. Timotheum homicidij ac hæreſeos condemnant. Eum Imperator Gangram relegauit. Sed cùm ibi quoque conuentus agere cœpiſſet, Cherſonem deportatur. Alius autẽ Timotheus, cognomento Albus & Salophaciolus, vir bonus, & de religione rectè ſentiens, omnibúſque charus, Alexãdrinus epiſcopus creatur.*

*Deinde Simeon Stylites moritur, primus iſtius vitæ generis inuentor.*

*Cõſtantinopolitanũ incendium.*

Huius temporibus Conſtantinopoli horrẽdũ incendium extitit, à mari ad mare, hoc eſt à ſeptentrione verſus meridiem peruagatum: in longitudinem, à Boſporo verſus ædem D. Ioannis Calybitæ: verſus auſtrũ, ab æde S. apoſtoli Thomæ vſque ad ædem magnorum martyrum Sergij & Bachi: in vrbis medio, à Lauſo vſq; ad Taurum, & quæ in medio fuerũt, combuſſit omnia.

*Aſparis in reſtinguendo incendio diligentia.*

Quo tempore fertur, Aſpar vas aqua plenum humeris ferens vicos percurriſſe, & ſuo exemplo populum cohortatus ad reſtinguendum incendium, & ſingulis nummum argenteum pro mercede dediſſe. Ea flamma vrbem per dies quatuor depaſta eſt, & præter alia Curiam maximam, quo & ſenatus & delecti ciues deliberatum conuenire ſolebant: atque ipſe Imperator, conſularem veſtem ſumpturus, opus illuſtre & ſplendidiſſimum, & aliam domum ampliſſimam è regione huic ſitam Nymphæum, nomine ex eo indito, quòd ibi nuptias celebrarent, qui propriis ædibus carebant: ad hæc aliam domum regiam in Tauro ſumptuoſam & maximam: prætereáq; templa celeberrima, & priuatas ædes illuſtrium hominum multas.

*Nymphæum*

*Antiochenus terræmotus. Pluuia cinerea.*

Hoc regnante fertur etiam Antiochia vehementiſſimo terræmotu ferè tota concidiſſe, & in agro Byzantio pluuia cineris, palmi altitudine decidiſſe. Quibus prodigiis perterritus imperator, vrbe relicta, longo tempore apud ſanctum Mamantem habitarit.

*Ruſticius. Baſiliſcus. Gizerichus.*

Legionibus eius præfectus fuit Ruſticius, vir ſtrenuus & rei militaris peritiſſimus, in cuius mortui locum ſuffecit Verinæ vxoris fratrem Baſiliſcum: qui cum magna claſſe cõtra Gizerichum in Africam profectus, turpiſſimè victus eſt, ſiue ex temeritate atque inſcitia rei bellicæ, ſiue per proditionem, accepta ab hoſte maxima pecunia. Fertur enim commiſſo prælio, naue prætoria conuerſa paulatim fugiſſe, itáque animis hoſtium auctis, ſuorũ imminutis, cum paucis turpiter rediſſe domum, cæteris nauali pugna interfectis.

CEDR.

*Tunc etiam Zenonem generum ſuum Leo toti Orienti præpoſuit. Fuit in comitatu Zenonis Petrus quidam Cnapheus (id eſt Fullo) presbyter templi Baſſæ ſanctæ martyris, quod eſt Chalcedone. Is quia Apollinarij errores ſequebatur, infinitas contra fidem turbas excitauit, damnans eos qui negant Deum fuiſſe crucifixum. & diſsidio in plebe Antiochena facto, ſanctiſsimo hymno hæc inſeruit, Qui propter nos crucifixus eſt: quod hodiéque apud theopaſchitas obtinet. Cùm autem Martyrius Antiocheæ epiſcopus ſe ita abdicaret, ſeruata mihi ſacerdotij dignitate, clerum inobedientem, populum contumacem, & Eccleſiam ſordibus infectam res ſuas habere iubeo: Petrus ille Gnapheus epiſcopatum arripuit. mox ſe exilio damnatum audiẽs, profugit: & Iulianus epiſcopatui Antiocheæ præficitur. Eodem anno ſanctus Geraſimus, ad ripas Iordanis virtutibus ac miraculis in magna fuit fama. Tunc & Cyriacus anachoreta (ita vocant eos qui ſe ex hominum conſuetudine in ſolitudines ſubducũt) Hieroſolyma venit. is vixit annos CVII. Eodem anno vates Eliſſæus eſt Alexãdriam tranſlatus, in manſionem Pauli leproſi. Ita qui leproſum ſanarat, lepram incuſſerat alteri, in leproſi domo depoſitus eſt.*

*Geraſimus.*

*Danielus Scylita in Anaplo columnam conſcendit. & Anthymus ac Timocles tropariorum poetæ innotuerunt.*

*Eodem tempore prodigium in cœlo per dies XL. ſub veſperam viſum eſt, nubes in tubæ ſpeciem formata.*

*Leo Ariadnes & Zenonis filius. Zenonis elogia.*

Anno XVII ſui imperij Leo Nepotem ſuum Leonem è Zenone & Ariadna genitũ, infantem adhuc diademate cinxit, quòd Zenonem nequaquam idoneum regno iudicaret, ob animum minimè regium, & formam imperio indignam. Nã & facie erat odioſiſſima, & animo longè deteriore. Quidam autores ſunt Aſparem & Ardaburium ea gratia à Leone interfectos, vt nepotem ex filia, Leonem iuniorem, Imperatorem crearet, veritum illorum potentiam, ne deſpecta huius

D. Mariæ veſtis.

ius infantia imperium ſibi vendicarent. Hoc Imperatore precioſa Deiparæ ſanctiſſimæ veſtis è Palæſtina Romam nouam tranſlata, & ab illo in argenteo loculo, in æde quam ipſe in Blachernis ſtruxerat, repoſita eſt, quæ ædes ex eo Sacer loculus appellatur.

CEDR.

*Quinto anno incendium Conſtantinopoli fuit, à nauali ortum, & progreſſum vſque ad ædem B. Thomæ Amantum. Marcianus autem procurator magni templi, cùm fanum ſanctæ Anaſtaſeos nuper extruxiſſet, hoc ab incendio ſeruauit, cùm Euangelio & ſuffitu adhibitis ad tegulas adſcendiſſet, deúmque lachrymis placaſſet. Nam id incẽdium admodum inualuit, ad Ortum à nauali profectum vſque ad fanum Ioannis Mendici, quod eſt ad Occaſum, ab Auſtro media vrbe, à Lauſi vſque ad Taurum omnia depaſcẽs. Præcipua & reliquis præſtantiora quæ eo incendio perierunt, ſunt: Curia maxima in foro Conſtantini, æreis imaginibus & porphyretico lapide ornata: in qua & delecti conſultare ſolebant, & Imperator intrabat vbi conſularem veſtem ſumpſiſſet: item Nympheum, e regione huius Curiæ ſitũ, in quo fiebant nuptiæ eorum qui domibus carebãt: item alia in Tauro curia, delectis ſenatoribus & Imperatori accommodata, cùm ij eò conuenirent de rebus gerendis conſultatum, Imperator in veſte conſulari præſideret. Impoſita fuit XII variis columnis de Troiano lapide, altis pedes XXV. eæ ab Auſtri & Septentrionis parte ſuſtinebant ædificium, ac ortum & occaſum fornicibus ſuffultum. Fuit longitudine pedum CCXL, latitudine LXXXIV. Templa quoque abſumpta ſunt duo maxima, omnis generis lapidibus exornata: alterũ Tetrapylo vicinum, alterum in foro Tauri. Quin & alia multa ignis vaſtauit: vt porticus, roſtra, fora, domos, à mari vſque ad mare, vſque ad ædem ſanctorum martyrum Sergij & Bacchi. Pictori autem cuidam aggreſſo Chriſtum forma Iouis pingere, manus exaruit. Eum facinus confeſſum, Gennadius precibus ſuis ſanauit.* Qui Gennadius Anatolio patriarcha defuncto, qui octo annis Eccleſiæ præfuerat, ſucceſſit.

Incendium Cõſtantinopolitanum.

*Is noctu ad altare ſpectrum dæmonis vidit. quem cùm increpaſſet, audiuit vociferantem: Nunc ſe ei viuenti cedere, poſt ipſius mortem vtique templo potiturum. Idem Gennadius clericum quendam fani S. Eleutherij malè viuentem cùm ſæpe obiurgaſſet, neque tamen inflectere poſſet, rem ad ſanctum Eleutherium detulit, cum in ſuo templo cuiuſdam miniſtri eius opera ſic alloquens: Diue martyr Eleutheri, aut corrige clericum tuum, aut excinde. illicò clericus expirauit. Eodem anno Studius templum Ioannis Baptiſtæ condidit, monachóſque in eo collocauit, eorum qui Acœmeti, hoc eſt inſomnes dicuntur.*

Cæterum cum & ipſe Gennadius poſt tredecim annos obiiſſet, in eius locum ſuffectus eſt Acacius. Etiam Leo Imperator ex morbo decedit, anno imperij decimooctauo, Leone iuniore ſucceſſore relicto: cùm aliis virtutibus ornatus, tum clementia in primis. Solebat enim dicere, quemadmodum Sol quibus affulſerit, iis calorẽ ſuum impertiri ſoleat: ita etiam ab imperatore clementiam eis tribuendam, quos aſpexerit.

## IMPERIVM LEONIS IVNIORIS.

IVnior igitur Leo adhuc infans relictus, vnum annum vixit in imperio, & infans adhuc, cõſecutus eſt auum: patre ſuo Zenone relicto ſucceſſore, cuius capiti diadema ſuis manibus impoſuit.

## IMPERIVM ZENONIS.

EVit autem Zeno ex fœdiſſima gente Iſaurica, ipſe etiam & forma & animo fœdiſſimus. Imperium certè quidem non vt Rex, ſed planè vt tyrannus adminiſtrauit. Fratrem habuit Cononem, ipſo flagitioſiorem, hominem ſanguinarium, cui mactationes hominum voluptati erant. Huic Zenoni, Verinæ Imperatricis frater Baſiliſcus, cuius ſuprà facta eſt mentio, in Thracia degens, bellũ intulit, & ſorore & quibuſdam è Senatu adiutantibus. Zenon igitur, vt homo timidus & effœminatus, cum vxore Ariadna ad Iſauros populares ſuos confugit.

*Conon frater Zenonis.*

## IMPERIVM BASILISCI.

BAſiliſcus in vrbem profectus, & in Campo Imperator ſalutatus, vxorem ſuam Zenonidem Auguſtali corona ornat, & Marcum filium Cæſarem appellat. Fuit hic moribus Zenone nihilo melioribus, déq; religione perperàm ſenſit, ab vxore in Eutychis & Dioſcori ſectam impulſus, & orthodoxorum eccleſias multis malis affecit. Chalcedonenſe concilium tyrannico edicto abrogauit, & nouæ Romæ patriarcham Acacium, vt concilio idem approbaret, cogere voluit. Sed vrbana multitudo orthodóxorũ in Eccleſia congreſſa, Baſiliſcũ maledictis inſectata eſt, & Chalcedonenſe concilium, ſanctum appellauit. Ob hæc igitur Baſiliſcus & populo & ſenatui fuit inuiſus. Illum & Trocundum contra Zenonem cũ exercitu miſit, quem cum obſiderent, nec Baſiliſcus quæ pollicitus eis fuerat præſtaret, & Senatus ei ob improbitatem infeſtus, facinora hominis ad exercitum perſcripſiſſet, milites ſe ad Zenonem contulerunt, ex hoſtibus amici & adiutores facti, eóque aſſumpto ſunt regreſſi. At Baſiliſcus Armatium ſobrinum cũ Thracicis legionibus contra Zenonem mittit, qui cum ei circa Nicæam occurriſſet, pecunia & pollicitatione filij eius Baſiliſci Cæſaris deſignandi corruptus, ſe ad Zenonem confert. Qui dehinc Conſtantinopolim profectus, à Senatu populóque recipitur. Baſiliſcus autem qui cum vxore & liberis in Eccleſiam confugerat, promiſſa incolumitate in caſtellum quoddam perducitur, vbi fame cum ſuis chariſſimis periiſſe fertur. Alij inter abducẽdum eos occiſos eſſe ferunt. Zeno autem ſocrum Verinam eiecit. Baſiliſcus igitur cum tyrannidem biennio tenuiſſet, ſiue ita vt dictũ eſt, ſiue aliter periit. Eo imperante maximum incendium Cõſtantinopoli extitit, quod in foro ærario exortũ, vicina loca omnia in cineres redegit, & publicarum viarum porticus & ædes illis impoſitas abſumpſit, ipſamq; Baſilicam, vna cum Bibliotheca, in qua centum viginti millia librorum repoſita fuerunt. In ea fuiſſe perhibetur draconis inteſtinum longitudine pedum centum viginti, cui aureis literis Homeri poëmata, tàm ilias quàm odyſſea, inſcripta eſſent. Huius etiam Malchus in horum imperatorum hiſtoria meminit. Sed & hoc conflagrauit, & vrbis amœnitas in Lauſo, atque illic poſita ſimulachra Samiæ Iunonis, Lindiæ Mineruæ, & Gnidiæ Veneris, ob artificium celebr-

*Baſiliſcus Chalcedonẽſe concilium abrogatus.*

*Illus, & Trocũdus ad Zenonem deficiunt.*

*Armatij defectio.*

*Baſiliſci interitus.*

*Verinæ exilium.*

*Conſtãtinopolitanũ incendium.*

*Bibliotheca Conſtatinopolitana.*

*Homerus aureus.*

celebr



celebrata, igni vſque ad forum progreſſo.

CEDR.

*At Zeno poteſtate recuperata Timotheum Aelurum reuocauit, & Petrum Cnapheum, qui inter Inſomnes monachos delituerat, alióſque item hoſtes Chalcedonenſis concilij, qui libero ore veritatem inſectabãtur. Aelurus Alexandrinos turbulentos, qui Byzantij tum peregrinabantur, cum adſciuiſſet, à palatio ad templum aſino vectus, cùm ad Octagonum perueniſſet, lapſus pedem fregit, ac cum dedecore eſt reuerſus. Eũ Baſiliſcus adhuc rerum compos cũ typis Alexandream miſerat, vt Chalcedonenſe concilium impugnaret. Quem ingredientem Alexandream videntes ſectatores eius, interrogarunt: Númnam, ô Papa, tuis hoſtibus bucceas præbuiſti? Reſpondit ille, omninò eis cibum ita porrexi. Petrum quoque Cnapheum Antiocheam eodem conſilio ablegauerat. At Salophaciolus Timotheus Alexandreæ epiſcopus, his auditis receſſit ad monaſteria Canopica, ſuæ diſciplinæ, Cnapheus ſimulatque potitus eſt epiſcopatu, damnationibus & tumultibus operam nauauit. Inde cædes atque turbæ exiſtere, propterea quòd Cnaphæus ſanctiſſimo carmini adieciſſet, Qui crucifixus es pro nobis. Cæterum Zeno Cnapheum, quia is Baſiliſco ſtudebat, opera ſynodi Orientalis deiicit, inque Pityos relegat, íſque clàm ad ſanctum Theodorum in Euchaitis confugit. Interim Aelurus moritur, eique ſufficitur Petrus Mongus, homo maleficus, & veritatis hoſtis: qui iam antè damnatus ab vno epiſcopo, eo quoque damnato delectus eſt. Hunc Deo inſtigante aggreſſi monachi, XXXVI dies epiſcopatu latrocinij in morem functum deiiciunt, eámque dignitatem legitimè reddunt Timotheo Salophaciolo.*

*Eodem tempore terribilis fuit terræmotus Conſtantinopoli, die XXV Septemb. Corruerunt multa tẽmpla, domus, roſtráque funditùs, & obruta eſt immenſa hominum multitudo. Cecidit etiam globus columnæ fori; & ſtatua Theodoſij Magni, quæ columnæ Tauri impoſita erat, muríque interioris ſatis longa pars. Durauit diu ille terræmotus, adeò vt fœtor quoque vrbem occuparit. Ea tempeſtate reliquiæ beati apoſtoli Barnabæ inuentæ ſunt in Cypro. Iacebat cadauer id ſub arbore ceraſo: Euãgelium quod S. Matthæus compoſuerat, in pectore geſtãs, manu Barnabæ deſcriptum. Ea occaſione Cyprus metropolis facta eſt, vt iam non amplius ſub Antiochea cenſeretur, ſed ſoli Conſtantinopoli ſubeſſet. Id Euangelium Zeno repoſuit in Palatio, in æde S. Stephani in Daphna.*

*Felix Concilio in æde Petri & Pauli apoſtolorum habito, duos epiſcopos & executorem Conſtãtinopolim mittit, Zenonem & Acacium per literas iubens Mongum, vtpote hæreticum, Alexandrea exigere.*

*Zenonis & Acacij iuſſu Romani legati Abydi ſunt comprehenſi, literæ interceptæ, ipſi in cuſtodiam dati: minatúſque eis Zeno mortem eſt, niſi cum Mongo & Acacio communionem inirent.*

*Acacij porro ſuaſu Zeno orientales epiſcopos coegit ſubſcribere Henotico (id ſcriptum, ſic à concordia inſtituenda dictum, Acacius ex animi ſui ſententia condiderat) & communicare cum Petro Mongo. Pecunia quoque data Roma miſſos legatos eò perduxit, vt contra mandata ſua cum Acacio communicarent. Felix vbi rem comperit, iis ſuam ademit dignitatem, Acacium quoque per literas ad eum ſcriptas ordine deiiciens. quas acceptas Acacius pro nihilo habuit, Feliciſque nomen ex albo ſuſtulit.*

*Petrus autem ille Mongus Alexandreæ moritur, eique Athanaſius cognomento Celetes ſubrogatur. Zeno autem à tyrannis ocium adeptus, Antiochena eccleſia exturbat Calandionem, inque Oaſin relegat, epiſcopatũ Petro Cnapheo reddit. Is Antiocheam reuerſus, multa mala facinora fecit, damnationibus Concilij nouis eiectionibus inculpatorum epiſcoporum, ſubſtitutionibus & delectibus illegitimis, aliiſque id genus. nam iam antè adiecerat ſanctiſſimo hymno: Chriſte rex, crucifixe pro nobis. Poſt reditum autem abſtulit hæc: Chriſte rex. Et Xenaias quidam ſatanæ ſeruus docebat, non eſſe recipiendas Chriſti & ſanctorum imagines. Erat natione Perſa, conditione ſeruus. Hic cum ſub Calandione profugiſſet à ſuo domino, pagos qui ſunt circa Antiocheam à fide auocabat: cúmque nõdum eſſet baptizatus, tamen clericum ſe eſſe dicebat. Hunc Calandio profligauerat: ſed Cnapheus Hierapolitano epiſcopatui præfecit, ac Philoxenum nominauit. cúmque poſtea intellexiſſet, eum nõ eſſe baptizatum, ſufficere ei deſignationem loco baptiſmatis affirmauit. Cæterùm Euthymius, qui de religione rectiſſimam tuebatur ſententiam, Anaſtaſium ſilentiarum, qui poſtea temporis imperium malè geſſit, eccleſia eiecit, vt hæreticum, & Eutychi conſentientem.*

*Xenaias.*

*Præterea Zeno Marianum, ſapientiſſimũ Comitem, & qui arcana quædam præſciret, ac Imperatori indicaret, interrogauit, Quiſnam ſibi in imperio eſſet ſucceſſurus? Reſpondit ille: Imperium & vxorem tuam accipiet quidam de Silentiariis, me autem iniuſte occides. Horũ vtrunque ſuo tempore exitus comprobauit. Petrus Cnapheus vita decedit, inque eius locum epiſcopus Antiocheæ creatur Palladius, presbyter templi ſanctæ martyrum principis Theclæ, quod erat Seleuciæ. Suffragatores habuit Ioannem Conſtantinopolitanum, & Anaſtaſium, cuius modò meminimus.*

Cæterùm Zeno filium Harmatij Cæſarem deſignauit, vt promiſſis ſtaret, ipſúmq; Harmatium ducem exercitus, neque multo pòſt eundem occidit, cùm diceret, qui Baſiliſco fregiſſet fidem, eum ne ſibi quidem ſeruaturum eſſe: & filium illius, Cæſarem deſignatum, clericum fecit. Occidit & Illum Magiſtrum, qui regnum ideo affectarat, quòd ſibi ab Ariadna, Zenone conſcio, inſidias fieri ſenſiſſet. Et Pelagium patricium, virum eruditiſſimum & optimum, per cauſam paganiſmi ſuſtulit, cum re vera timeret, ne ab illo redargueretur. Nam vir ingenui animi facinora eius nefaria reprehendebat.

*Harmatij proditoris cædes.*

*Illi cædes.*

*Pelagij cædes.*

*Extat hiſtoria ab eodem pelagio ſcripta verſibus, ab auguſto Cæſare orſa. Homerocentra etiam compoſuit, aliaque plurima laude digna. Zeno autem Zoſimũ præterea interfecit, rhetorẽ Gazæum: & Arcadiũ præfectum.*

Multos præterea illuſtres viros Zeno odioſiſſimus interfecit, ad ſectas quoque deflexit, & ad nefanda facinora, vitámq; corruptiſſimã, quàm violentus interitus eſt conſecutus: ſed de modo illius ambigitur. Tradunt enim quidam, eum gulæ & ebrietati indulgentem, errore mentis affici ſolitum, & prolapſum à mortuo nihil deſtitiſſe. Cum verò ipſi etiam cõiugi Ariadnæ inuiſus eſſet, ſic inebriatum, pro mortuo in monumẽtum Imperatorium ab illa coniectum, lapide maximo qui pro operculo eſſet, impoſito: factúmque ſobrium, vociferatum quidem eſſe lamentabiliter, ſed nemine curante, miſerè periiſſe. Alij dicunt, cum ægrotus acerbiſſimis doloribus vrgeretur pro mortuo habitum & in ſepulchro poſitum, ibiq; expiraſſe, lamẽtantem, & domeſticos implorantem, cum Ariadna prohiberet, ne quis monumentũ aperiret, aut quicquã illum curaret.

*Zenonis miſerabilis interitus.*

Eodem

CEDR.

*Eodem tempore PeroZes Perſarum rex, cum denuò expeditionem aduerſus albos Humnos, qui vocantur Nephtalitæ, ſuſcepiſſet, cum toto exercitu periit. Nam Humni cùm profundã foſſam egiſſent, eámque calamis conſtrauiſſent, ſupernè terra iniecta, intra eam ſeſe continuerunt, paucis emiſsis qui hoſti occurerent, ac mox fuga facta per anguſtias ſibi notas euaderent. Perſæ ergo inſidiis non animaduerſis eos inſecuti, vniuerſi cum rege PeroZa & filius eius in voraginem iſtam incidentes perierunt. PeroZes eo in periculo conſtitutus, vnionem, quem geſtabat ingentem ac candidiſsimum & maximi precij, à dextra aure detractum abiecit, ne quis eum poſt ſe geſtaret, aut ipſum regem agnoſceret. erat enim ſpectatu digniſsimus. Hoc modo PeroZes cum exercitu interiit. Barbari exinde biennium Perſas tributarios habuerunt. Eo exacto, Perſæ ſuperſtites Cabadem PeroZæ F. regem conſtituunt.*

Vnionis hiſtoria.

*De vnione, quo is pacto inuentus fuerit, talem reperimus hiſtoriam. In ſinu Perſico, qui a rubro mari verſus Aquilonem eſt ſitus, vniones aluntur à pectinibus, quos Zambaces vocant. Horum pectinum quidam inuentus eſt, intra ſe alens vnionem ingentem, ac ſplendidiſsimum: qui cum auctus menſuram vſitatam exceſſiſſet, radioſque ſplendoris ſui fulguris in morem eiacularetur, canis quidam marinus eum ſplendorem adamauit, & pulchritudinem perpetuò aſſectari cœpit: & quócunque vndæ pectinis concham ferebant, eò canis quoque pernicioſi cuiuſdam dæmonis impulſu bacchabatur. Id prodigium piſcator quidam animaduertens, ſtatuit pectinem machina quadam deprædari: verùm canis non conceſsit, ſed raptum pectinem in profundum aquæ abduxit. Proinde regi Perſarum de pulcritudine margaritæ piſcator refert, isque ei viros adiungit, qui in eo capiendo ipſi adſint. Cùm ad mare profecti, per aliquot dies præſtolati eſſent, contigit vt canis aliquantiſper ſecederet. tum piſcator ſtatim ſeſe in aquam iniecit: & ad fundum delatus, pectinem cum vnione arripuit, ſurſúmque enatauit, exerta manu qua vnionem tenebat, quem & ſtatim ij qui aderant ei eripuerunt: priuſquam verò in lembum piſcator euadere poſſet, ſuperuenit canis, miſerúmque deuorauit. Vnio ad regem allatus eſt: qui eius ſpectaculo delectatus, piſcatoris filios magnis donis affecit. Eum vnionẽ vt redimeret Iuſtinianus Magnus, C auri libras barbaris miſit. verùm ij recuſarũt vendere, aſſeruãtes eum in ſignũ Perſicæ ſtoliditatis.*

Cabades Perſarum rex.

*Cabades autem PeroZis vltimus filius regno potitus, imperio violentiùs vti cœpit: lege etiam lata, quæ vxores omnibus iuberet eſſe communes. Itaque Perſæ ei regnum ademerunt, ipſúmque vinctum in carcerem, qui Letha (id eſt obliuio) dicitur, coniecerunt: ac fratrem eius Balbam regem creauerunt. Vxor autem cùm Cabadi in carcere degenti miniſtraret, eam (erat enim formoſiſsima) amare præfectus carceris cœpit. Id vbi intellexit Cabades, vxori ſuaſit vt morem illi gereret, ſi qua fortaſsis ipſe ratione ex carcere poſset euadere. Quæ cum ſui corporis poteſtatem præfecto carceris feciſſet, poſtmodò nemine prohibente ad maritum commeauit, eique inſeruiit. Erat amicus Cabadi Seſoſes quidam. is Cabadi per vxorem eius ſignificat, habere ſe equos viróſque paratos quodam in loco. Tum Cabades nocte facta vxori perſuadet, vt ſecum veſtes mutet: itáque ea ſuo loco relicta, carcerem exit, equóque conſcenſo cum Seſoſe ad Hunnos Nephthalitas peruenit. Horum rex Cabadem ſibi generum facit, magnóque inſtructum exercitu in Perſiam mittit. Eam ingreſſus Cabades, nullo negocio regnum recuperat, fratrem oculis erutis in carcerem includit, ac poſthac (erat enim prompto ingenio, & ſtrenuus) regnum tutò ſeruat per annos XI, abrogatis quas antè tulerat legibus omnibus.*

## IMPERIVM ANASTASII DICORI.

ZEnone ad hunc modũ miſerabiliter mortuo, Ariadna Dicoru Anaſtaſium ſilentiariũ (humile id munus eſt) de ſententia ſenatus & legionum, Vrbicio Eunucho, cuius magna erat autoritas, ſuffragato, ad imperiũ euexit. Dicori porrò nomen ex eo habuit, quòd pupillis oculorũ fuit diſſimilibus, altera nigriore, altera magis ad glaucum colorem declinante. Antequàm coronaretur, fidei confeſſionem ſcriptã, qua polliceretur, ſe in dogmatibus eccleſiaſticis nihil eſſe nouaturũ, ab eo exegit patriarcha Euphemius. Nam poſt Acacium, qui orthodoxos peſſimè tractarat, cum annos XVII. eccleſiam tenuiſſet, Frabitas eiuſdem cum Acacio & Zenone ſentẽtiæ, patriarcha delectus fuerat, cui intra menſes tres cum ſemiſſe defuncto, ſucceſſit Euphemius, vir ſanctus & orthodoxus. Hic Mõgi Petri nomen, qui magnæ antiochenæ eccleſiæ thronum per latrocinium arripuerat, è commentariis deleuit, tanquam hæretici, atque in eius locum Felicis Papæ Romani nomen repoſuit, viri orthodoxi, quique per literas Zenonem & Acacium taxat, quòd cum Petro Mongo Eutychis & Dioſcori ſectam amplexo communicaſſent: atq; etiam miſſo libello, Acacio dignitatem abrogarat: qua de cauſa ille nomen eius è commentariis deleuerat. Hic igitur patriarcha Euphemius, chirographo ab Anaſtaſio accepto, quo ſe amplecti eccleſiæ dogmata, & Chalcedonenſis concilij decreta ſeruaturũ eſſe omnia profitebatur, coronat hominem. Qui ſtatim Ariadnam ambit, & literas regias cõficit, quibus ea quæ ad id tempus fiſco à nonnullis deberentur, remittebat, & die quadrageſimo à ſepultura Zenonis iam elapſo nuptias celebrat. Cúmq; vectigal, quod Aurargenteũ dicebatur, ſubditos premeret, id quoque aboleuit. Huiuſmodi autem illud erat: Omnes mẽdici & pauperes, omnes meretrices, omnes liberti in agris & vrbibus, annuum fiſco tributum pendere cogebãtur. Exigebatur tributum de equis, mulis, bobus, aſinis & canibus: de vnoquoque homine nummus argenteus: de equo, mulo & boue tãtundem: de aſino pholes (nummi genus eſt) ſex, & de cane totidem. Quo tributo attriti homines, vbique lamentabãtur. Eo igitur abrogato Anaſtaſius, commentarios illos in Hippico, inſpectante populo, cremauit. Ac in huiuſmodi rebus honeſtè ſe geſſit, & reipublicę negocia probè adminiſtrauit, ac magiſtratus pridẽ venales, ſine precio conceſſit. Sed de Deo nõ rectè ſenſit, Synchyticorum ſectam ſecutus, qui vnam naturam poſt duarum vnionem, in Chriſto ſeruatore ſtatuebant, & multis malis orthodoxorum eccleſias affecit, erga earum præfectos implacabilis. Nam anno ſecundo ſui imperij & patriarcham Euphemium eiecit, quòd Chalcedonenſe concilium anathemathe notare recuſabat, ſurrepto prius per dolum ſuo chirographo, ſiue vt

Dicorus à binis pupillis.

Euphemius patriarcha ſyngrapham ab Imperatore extorquet Acaſius. Frabitas.

Mongus Petrus.

Felix Papa.

Anaſtaſij æquitas in moderandis tributis.

Synchyticorum ſecta.

Euphemij & Macedonij relegatio.



ſiue vt alij tradunt, per vim extorto, & ſucceſſorem eius Macedonium, virum ſanctum, ab ipſo ſtare nolentem, Euchaita relegauit. In cuius locũ ſuffectus eſt Timotheus, imperatoris aſſenſor. Lõginũ item Zenonis fratrem, affectato regno, Anaſtaſius ſuperatum, Alexandriam relegat, vbi presbyter electus obiit. Iſauros etiam multos in regia vrbe verſantes expulit. Quibus Longinus Magiſter, nõ Zenonis frater, ſed alius, aſſumptis, mota ſeditione, oriẽtales prouincias populatur. Sed bello ſubactus eſt, Barbaris quicum eo erãt, interfectis. Eo tempore fertur & Theodericus Africæ dux, qui Arianus erat, diaconum quẽdam ſibi perquàm familiarem, & in ſuam gratiam Arianiſmum amplexum, occidiſſe. Neque enim ſibi fidem ſeruaturum, qui Deo nõ ſeruaſſet. Anaſtaſio papa Romano mortuo, populóque per ſeditionem diſſidente, aliis Laurentium quendam, orthodoxis verò Symmachum decernentibus: idem Theoderic⁹, cui Roma tum parebat, in vrbem venit, & cõcilio indicto, repudiato Laurentio, epiſcopatum Romanum Symmacho confirmauit. Circa hæc tempora, fertur gens Bulgarorum ignota, prius in Illyricum & Thraciam impreſſionem feciſſe. Cum Agarenis orientem vaſtantibus, pacẽ fecit Anaſtaſius: Vitaliano Thraci, qui Miſis & Scythis ſibi cõciliatis ſeditionem mouebat, & agro Byzãtio prædas agebat, & claſſe vrbem obſidebat, per Marianum præfectum reſtitit, naualíque pugna commiſſa, ex machina quadam à Proclo viro excellentiſſimo facta (Is enim tũ & in Philoſophia & in Mechanicis florebat, neque Archimedis duntaxat, celeberrimi artificis cognorat omnia, ſed & ipſe noua quædã adinuenerat) claſſis hoſtium debellata eſt. Nam ſpecula ex ære fabricaſſe vſtoria fertur Proclus, eáque de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe: in quæ cum ſolares radij impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem, claſſiarios ipſaſque naues hoſtium combuſſiſſe, quod olim Archimedem excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus, Dion refert. Anaſtaſius cum Eutychianus eſſet, in Terſancto cãtico adiici voluit clauſulã illam: Qui crucifixus eſt pro nobis eáque de cauſa Logothetam & præfectum miſit

» in Eccleſiam: qui cum ex ſuperiore loco edictum imperatoris recitare cœpiſsẽt: qui ex populo orthodoxi erant, concitati, ad diſcerpendos eos viros properabant, & hi quidem popularem inſaniam ægrè vitarũt. cæterum populus ardens iracundia, ędes illorum inuaſit, eáſque deiecit atque diripuit, & multis interfectis, imperatorem ignominioſis verbis proſcidit, Vitalianum vt imperatorem laudibus proſequens, multas ædes incendit, plurimos interfecit, atq; inter alios etiã monachum quendam, qui prope ciſternam ab Anaſtaſio ſtructam habitans, nomine Mociſiam, imperatori charus erat: Monacham item quandam incluſam propè portam Xylocercam, vt cui fides ab imperatore haberetur: ambo corpora colligata per vrbem tracta crematáque ſunt. Hoc regnante Alamundarus Agarenorum princeps ab orthodoxis inſtitutus, credidit, & baptizatus eſt, ad quem Seuerus epiſcopus duos miſit, vt eum ad ſuam hæreſim pertraheret, qui quum docerẽt duas Chriſti naturas in vnam eſſe confuſas, vnde colligeretur, etiam Deitatem Chriſti cum carne paſſam eſſe: ille conuicturus eos, vt qui abſurda dicerent, & incredibilia docerent: quendam ex domeſticis ſubornat, qui ſibi aliquid in aurem diceret. Quo facto, tetrico vultu mœrorem præ ſe ferens, eius cauſam ſciſcitantibus epiſcopis, nunciatam ſibi eſſe reſpondet Michaëlis archangeli mortem. Quem nuncium quum illi eſſe falſum aſſeuerarent, neque enim mori poſſe archangelum, ſubiicit ille: Si igitur angelus non moritur, qua ratione vos affirmatis Deitatem & paſſam

« & mortuam, cum carne contemperatam & con-

« fuſam, & in vnam naturam conflatam? Ex hoc

« dicto epiſcopi, hominis acumen admirati, ſpe

« traducendi eius in ſuam opinionem abiecta, di-

« ſceſſerunt. Cum Bulgari denuò in Illyricum impreſſionem feciſſent, quidam ex Romanis tribunis ſe illis cum ſuis legionibus oppoſuerunt, turpitérque victi ſunt, ac paucis exceptis, cæſi omnes, cùm illi quibuſdam incantationibus & præſtigiis vſi eſſent. Eam cladem ſtella crinita præſignificauit, & corui, qui & ſupra & ante illos proficiſcentes volitabant, & tubicines, qui pro bellico neſcio quem mœſtum & lugubrem ſonum ediderunt. Timotheo cuius ſuprà facta eſt mentio, poſt multas clades orthodoxis illatas, defuncto, Ioanni Cappadoci tradita eſt eccleſiæ gubernatio, quam per biennium tenuit. Obiit & Ariadna imperatrix. Traditum eſt, ſub Anaſtaſio ſimulacrum æneum Fortunæ vrbanæ muliebri ſpecie, quod alterum pedem in naui ante ſe poſita, ænea & ipſa haberet, alicubi in vrbe ſtetiſſe: cuius nauis vel vetuſtate corruptæ, vel per inſidias contuſæ, fragmenta quædam ablata fuerint. Ex eo naues onerarias Byzantium non amplius appuliſſe, ſed cum propè acceſſiſſent, violentia ventorum repulſas eſſe, ac niſi longæ naues multis concitatæ remigibus ſarcinas earum in vrbem peruexiſſent, populum fortaſſis fame periturum fuiſſe. Quæ res cũ ad tempus duraſſet, curæ fuit magiſtratibus, cauſáque mali à quodam ſolerti coniectura indagata, fragmentis nauis illius æneæ ſtudioſè conquiſitis, & in ſuum locum reſtitutis, expeditam nauigationem & mare nauigiis repletum fuiſſe. Vt autem certò ſcirent, illud appellendis nauibus obſtitiſſe, denuo ſublatis fragmentis, quæcunque naues tum appellerent, iterum vi ventorum reiectas fuiſſe. Ea re comperta, nauem illam, magno adhibito ſtudio, eſſe renouatam.

*Cæterùm Cabades Perſarum rex facta expeditione, Amida vrbem oppugnat, & crebrò bellum eſt cum eo geſtum. Cum autem ederetur aliquando equeſtre certamen, tumultuantibus partibus multi vtrinque ſunt interfecti, intérque eos Imperatoris ex pellice filius, cuius dolore percitus Imperator, multos ſupplicio affecit. Eodem anno multa ærea Conſtantini Magni opera conflauit, ſuámque ſtatuam inde cõfecit. Tunc etiam vir quidam ex eorum numero qui Chymicam artem profitentur, callidus oculos hominum impoſtura præſtringere, argentariis aliiſque obtulit manus pedéſque ſtatuarum, & alia aurea, dicens ſe theſaurum reperiſſe: multóſque ita deceptos ad paupertatem redegit. Fama vulgata, captus, & ad Anaſtaſium adductus, frenum equi ex ſolido auro conflatum, ac margaritis conſertum obtulit.*

Timotheus patriarcha.

Longini relegatio.

Longiana ſeditio.

Theodericus diaconũ aſſentatorẽ interficit.

Symmachus Papa.

Bulgari.

Agareni Vitaliani ſeditio.

Procli machina mirabilis.

Archimedes.

Seditio ob clauſulã Qui crucifix⁹ eſt pro nobis.

Alamundari Agareni baptiſmus, et ſolers hæreticorum reſutatio.

Bulgarorum in Illyrico victoria.

Præſagia cladis cometa, corui & tuba.

Ioãnes Cappadox patriarcha Cõſtantinopolitanus.

Nauis ſimulacrũ nauigationis præſidium.

CEDR.

Alchymiſta.

*Sed Imperator fræno accepto: Vt omnes, inquit, feſelleris, me profectò non decipies. ſtatímque hominem in caſtellum quoddam relegauit, in quo is periit. Duobus epiſcopis tunc de fide altercãtibus, orthodoxo & Ariano, cùm hic diſſerendi facultate polleret, ille pietate & fide fretus hanc Ariano conditionem tulit, vt omiſſa diſputatione in ignem ſeſe darent: itáque vter ipſorum pietate præſtaret, notum fieret. Recuſante Ariano, ipſe intrauit ignem, & ſtans in medio eius verba ad multitudinem fecit, Deo ipſum incolumem conſeruante.*

Daras.

*Anno XVII, ſui Imperij Anaſtaſius Daras, caſtrum Meſopotamiæ magnum atque validum, in finibus Romani ac Perſici imperij, muniit: extruxítque ibi templum, & horrea, & ciſternas, & roſtra, ac duo publica balnea. Loco vrbis priuilegia dedit, & eam Anaſtaſiopolin nominauit.*

*Anaſtaſiopolis.*

*Anno XX, Deuterius epiſcopus Arianorum quendam nomine Barbarum baptiZans, auſus eſt contra inſtitutum Domini ſic dicere: BaptiZatur Barbarus in nomen Patris, per Filium in Spiritu ſancto. ad quæ verba ſtatim exiccatum eſt baptiſmi lauacrum. & Barbarus territus fugit, miraculúmque omnibus expoſuit.*

*Epiſcopi libertas.*

*Anno XXV, ſui imperij Impurus Anaſtaſius epiſcopum quendam Oeniandum audiens diſertum admodum eſſe, & qui ora omnibus ſententiæ de paſſo Deo aſſertoribus obthuraret: cum ad ſe vocatum hortatus eſt, vt ad ſuam factionem deſciſceret, pollicẽs eum quidquid petiiſſet illicò accepturum. Cui epiſcopus: Tu, inquit, potius ad orthodoxos tranſi: ne, dum opiniones impiorum hominũ Seueri, Eutychis & Dioſcori amplecteris, æterno igni addicaris. Simúlque apprehendens Imperatoris chlamydem: Hæc, ait, veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator: ſed ſola comitabitur te pietas, ac virtutum habitus. Miſſam fac eccleſiam, quam Chriſtus ſuo redemit ſanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque vllum eccleſiæ decretum perfectè intelligis: tantum impoſturis & ſcurrilibus calumniis fatuos terres. Satis tibi ſit dignitatis, quòd Imperator es: antiſtites eccleſiæ vexare noli. Ad hæc Imperator pudore ſuffuſus, obmutuit. Pauperrimus autem cum eſſet ille epiſcopus, ne obolum quidem ab Imperatore voluit accipere: adeò liber erat, & ſolius in Deum fidei ac pietatis rationem habens.*

*Dæmones à Chriſtianis pulſi.*

*Caſtrum eſt in Perſarum atque Indorum confinio, nomine TZudader, in quo multum pecuniæ, margaritarum, & lapidum precioſorum repoſitum, à dæmonibus aſſeruabatur. Cabades ea re percepta, caſtrum occupare eſt annixus. cúmque ei à dæmonibus obſiſteretur, omnibus & Magorum, & mox Iudæorum tentatis artibus impos propoſiti fuit. Ergo cum ei perſuaſum eſſet, Chriſtianorum ad Deum precibus eo ſe potiri poſſe: hoc à quodam epiſcopo Chriſtianorum in Perſide agentium contendit. Is ſynaxi coacta, cùm diuinis myſteriis communicaſſet, ad locum accedens, dæmonas ibi morantes exegit, caſtrúmque Cabadæ nullo labore occupãdum tradidit. Quo miraculo Cabades attonitus, primum in cõſeſſu locum epiſcopo ei tribuit, quẽ hactenus Manichæi & Iudæi tenuerant: liberam quoque poteſtatem fecit iis qui baptiZari vellent.*

*Anaſtaſij ſomnia de Iuſtino & Iuſtiniano & de obitu ſuo præſagia.*

Anaſtaſius verò paulò ante obitum, nunciatis ſibi inſidiis multos comprehẽderat, atque inter alios Iuſtinum & Iuſtinianum, qui pòſt rerum potiti ſunt, atq; in animo habebat eos occidere. Sed deterritus eſt ſomnio, cum vir terribilis ei aſtitiſſe viſus eſſet, ac dicere: Iuſtino & Iuſtiniano ne quid mali feceris. Nam vterque ſuo tempore Deo inſeruiet. Illis igitur crimine læſæ maieſtatis abſolutis, denuò aliud vidiſſe ſomnium memoratur, Virum terribilem, qui librum manu geſtans diceret: Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, annos XIIII vitæ tuæ deleo. Et quia fatale ſibi eſſe ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret: Tholotum ædificium conſtruxit, in eóque degit, ſed fruſtra. Nam quum aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipſe perterritus è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet; & alios atq; alios thalamos ſubiret: in quodam regio cubiculo mortuus eſt inuentus. Vixit annos octogintaocto: regnauit vigintiſeptem, & tres menſes. Huius tẽporibus terræmotus horrendus fuit, ac Byzantij multis in locis ædificia corruerunt. Antiochia verò penè tota collapſa eſt, ciuibus ruina oppreſſis. Idem Anaſtaſius longum murum condidit à magno mari ad Selybriam vſque pertinentem, ob Myſorum ſiue Bulgarorum & Scytharum incurſiones, & ſtatuam ſuã æneam in Tauri columna collocauit, cùm Theodoſij Magni ſtatua, quæ ibi erecta fuerat, concidiſſet. Et hic quidem vita ſic acta, hoc modo eſt defunctus.

*Terræmotus ByZantinus & Antiochenus.*

*Selybrianus murus.*

*Anaſtaſij ſtatua.*

## IMPERIVM IVSTINI
### THRACIS.

IMperator autem creatus eſt Iuſtinus Thrax, parentibus ortus ignobilibus & obſcuris, atque ipſe principiò operarius fuit aut armentarius & porcarius. Deinde animo ad rem militarem adiecto, tribunus & Comes factus eſt. Cum autem poſt Anaſtaſij obitum, de imperatore deligendo deliberaretur; Amantius Eunuchus idémque præpoſitus, homo potens, Theocritiano cuidam ex neceſſariis ſuis, imperium tradere cupiens, pecuniam Iuſtino dedit, militibus diſtribuendam, vt illum Imperatorem ſalutarent. At ille pecunia diſtributa, ſuum negocium egit, & à populo & militibus ad imperij faſtigium eſt euectus. Quod factum ægrè ferens Amantius, cum aliis claris viris Iuſtino inſidias ſtruxit, iiſque cognitis vnà cum Andrea cubiculario & Theocritiano occiſus eſt. Is autem eodem tempore, quo Anaſtaſius in ſomnis aliquot vitæ ſuę annos è libro deleri vidiſſet, & ipſe ſomniarat, ſe coram imperatore ſtãtem à magno quodam porco proſtratum deuorari. Idem ſancti Thomæ apoſtoli ædem ſtruxit, vnde Amantij ædes nominatur. Hic Iuſtinus quia de religione rectiſſimè ſentiebat, Chalcedonenſe concilium coli ab omnibus, & ſexcentos triginta ſanctos patres, qui id celebrarant, in ſacros omnium Eccleſiarum commentarios referri, edicto iuſſit. Vxorem Lupiciam, mutato eius nomine in Euphemiam, diademate ornauit, & Auguſtam appellauit. Vitalianus, qui ſub Anaſtaſio ſeditionem mouerat, huic familiariſſimus fuit, & dux ab eo exercitus creatus, & cõſulatum adeptus eſt, magna præditus autoritate. Cúmque orthodoxus eſſet, Seuerum Antiochena ſede pelli, & tolli iuſſit. Sed ille cum quibuſdam ſuis aſſenſoribus fuga in Ægyptum elapſus, illam quoque perturbauit, diſputatione de corruptibili & incorruptibili introducta. In huius locum ſuffectus eſt Paulus Eubulij hoſpitij præfectus. Omnes præterea, qui ſub Anaſtaſio per iniuriam pulſi fuerant, Iuſtinus reuocauit. Huius temporibus Cometa in oriente viſus, radiis deorſum vergentibus, quem Pogoniam, quaſi barbatum dicas, Meteorologici vocant, & Vitalianus à Byzantiis dolo cæſus eſt, iratis ei ob multorum cædem ab eo factam, cum contra Anaſtaſiũ ſeditionem mouiſſet. Alij Iuſtini & Iuſtiniani iuſſu in palatio cæſum tradunt, cum ipſi imperatori vellet imperare, & Iuſtinianus præfectus eſt legionibus. Ioanne Cappadoce patriarcha Conſtantinopolitano mortuo, ſurrogatus eſt Epiphanius, illius eccleſiæ preſbyter: Hormiſda item Papa Romano defuncto, Ioannes Romanæ eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Cum autem Romanis inimicitiæ cum Perſis intercederent, Iuſtinus miſſis legatis cum muneribus ad Regem Hunnorum, ſocietatem eius ambiuit. Aſſenſus eſt Barbarus, ſed & Quado Perſarum Regi ſuam operam petenti obtulit, ad eúmque profectus eſt Romanos oppugnaturus. Enimuerò Iuſtinus imperator, miſſis de pace legatis, per literas Perſam monuit, ne Hunnis fideret, qui ſocietate cum Romanis iureiurando ſancita, magnáq; pecunia accepta, illos tempore belli prodituri eſſent. Quadus, cum Rex interrogatus ſe pecuniam à Romanis accepiſſe confeſſus eſſet, Iuſtinum vera ſcripſiſſe ratus, hominem ſuſtulit, & Hunnos ferè omnes, paucis fuga elapſis, & cum Romanis pacem, Iuſtinúmque Choſrœ filij ſui natu minimi tutorem fecit. Nam illi regnum Perſicum deſtinarat, deſpectis filiis natu maioribus. Verùm Imperator tutelam recuſauit. Lazorum quoque dux Tzathus defecit à Perſis, & ad Iuſtinum ſe contulit, & pro imperatoris filio baptizatus, & Rex Lazorum ſalutatus, ducta vxore ſenatoris cuiuſdam filia, in ſuam prouinciam rediit. Quæ res diſſidij inter Perſas & Romanos denuò cauſa extitit, quòd Romanorum imperator illorum ſubditos ad ſe pelliceret. Tunc ea etiam in vrbe Negra acciderunt, quæ de S. Aretha narrantur. Quadus verò Manichæos ſuæ ditionis omnes occidit, eorúmque epiſcopum, & libros combuſſit, quòd vnum ex filiis ſuis, in deteſtandam illam hæreſim pellexiſſent. Tum etiam Anabarzos ſeu Anabarza, ſecundæ Ciliciæ metropolis terræmotu concidit, & Edeſſa vrbs illuſtris Oſroënæ prouinciæ ſubmerſa eſt, cum Scirtus fluuius, qui eam mediam perfluit, exundaſſet, & vrbis ædificia deieciſſet, atque auexiſſet, & ciues partim ruina, partim vndis oppreſſiſſet. Aliquot diebus elapſis, imminuta, lapidea tabula in ripa fluminis eſt reperta, cui notis hieroglyphicis inſculptum erat: Scirtus fluuius (habet autem à ſaltando nomen, quaſi ſaltatorem dicas) malè ſaltabit ciuibus. Concidit & ſemiſſis Pompeiopolis, vrbe media dehiſcente, in eóque hiatu multi mortales viuentes adhuc perierunt, cum opem, nemo ferre poſſet. Tum etiam mulier quædam è Cilicia inſtar gigantis fuit, cum proceritate corporis, tum aliorum membrorum proportione. Nam ſupra quamuis proceros viros integrum cubitum eminebat, pectore & humeris ſupra modum latis, cum & cætera omnia, vt vox & facies, brachiorum & cubitorum firmitas ac magnitudo, & digitorum craſſitudo & reliqua longitudini & latitudini reſponderent. Iuſtiniano poſt Vitaliani cædem duce creato, rerum omnium adminiſtratio incumbebat. Cum autem principes aliquando Imperatorem orarent, vt illum collegam aſciſceret, purpura prehenſa, Vobis, inquit, optandum eſt, ne hanc iunior aliquis induat. Ac tum quidem preces eorum ſic eluſit. Illi verò paruo tempore interiecto, Nobiliſſimi titulum Iuſtiniano decreuerunt, & ab imperatore impetrarunt, vt id decretum ſuis literis comprobaret. Neque multo pòſt in valetudinem incidit ex vulnere cruris, morbóque in ſpe vitæ dubia inualeſcente, patriarcha Epiphanio & primoribus aduocatis, Iuſtinianum nepotem Imperatorem decernit, & ſuis manibus eius capiti diadema imponit. Cúmq; populus in equeſtre theatrum conueniſſet, Iuſtinianus coronatus ingreditur, & ab omnibus fauſtis acclamationibus exceptus, in regiam reuertitur, annos XLV natus eo tempore. Statim etiam vxor eius Theodora eſt Auguſta appellata, neque multo pòſt Iuſtinus in viuis eſſe deſiit, cùm annos IX & dies XX regnaſſet.

*Iuſtinus ex humili loco induſtria ad imperiũ euectus.*

*Amãtij Andreæ et Theocritiani cædes.*

*Amantij fatidicũ ſomniũ & ædes.*

*Lupicia. Euphemia.*

*Seueri Antiocheni Paulus ſucceſſor.*

*Pogonias.*

*Vitaliani cædes.*

*Succeſſio epiſcoporum.*

*Hunni ob perfidiam a Quado Perſarum Rege cæſi.*

*Zzatus Lazorum dux.*

*Manichæorũ cædes.*

*Anabarzæ ruina.*

*Edeſſæ ſubmerſio.*

*Pompeiopolis ruina.*

*Mulier Gigantea in Cilicia nata.*

*Iuſtinianus imperator creatur.*

## IMPERIVM IVSTINIANI.

IVſtiniano anno mundi IↃↃCIↃXXI, ab incarnatione Dei IↃXXVII principatum adepto, non vnius, ſed duorum poteſtas fuit, cũ vxor eius non minus ipſo, ac potius plus poſſet. Fuit hic imperator aditu facilimus, ad pœnam irrogandam æquè promptus atque ad crimina audienda: pecuniam & temerè profudit, & per fas ac nefas comparauit, aliam in ædificia, aliam ad exequenda conſilia ſua, aliam in rem bellicam & contentiones eorum, qui voluntati ipſius aduerſabantur, inſumendo. Ita factum, vt cum pecunia ſemper egeret, eam rationibus parum honeſtis compararet, ac gratiam haberet iis, qui colligendi argenti vias oſtenderent. Neque verò ille ſic affectus erat: imperatrix verò illi ſiue licentia, ſiue quouis modo faciendæ pecuniæ ſolertia cedebat. Sed & maritum longo interuallo potentia ſuperabat, & nouos eóſque varios quæſt⁹ ingenioſiſſimè reperiebat. Hinc ſubditi gemino onere premebantur. Nam & annua tributa exaggerebantur, & noua excogitabantur. Alij, vt perperàm de religione ſentientes, mulctabantur: alij vt immodeſtè & petulanter viuentes opibus priuabantur: alij ob contentiones inter ſeſe, alij deniq; aliis de cauſis, quæ omnes breuiter recenſeri nequeunt.

*Iuſtiniani rapacitas.*

*Theodora auaricia.*

*Anno ætatis XLV rerum potitus eſt: cúmque ſine collega imperare cœpiſſet, munus conſulare edidit, quantum nemo ante ipſum. Perſecutionem Græcæ religionis & omnium hæreſium inſtituit. Cúmque multos procerum labe Arriana vitiatos deprehẽderet, bonis eorum publicandis, & ſuppliciis irrogandis, magnum aliis terrorem incuſſit: lege etiam lata, vt nemo niſi orthodoxus rempublicam gereret.* CEDR.

*Eodem anno rex Perſarum TZatho bellum, ob initam cum Romanis ſocietatem intulit. Huic TZatho Iuſtinia-*

*nus auxiliares mittit copias, ducibus Beliſario, Kerico, & Petro: qui cùm in bello gerendo mutua inuidia tranſuerſi agerentur, à Perſis victi ſunt. Hoc ægrè ferens Iuſtinianus, reuocatis illis, Petrum Notarium ad exercitum ducendum miſit: iſque Lazorum auxilio Perſas adortus prælio, victoriam multis hoſtium cæſis obtinuit.*

*Eodem anno ad Romanos ſe contulit Herulorum rex Gretas: Conſtantinopolinque profectus cum ſuo populo, ab Imperatore obtinuit vt Chriſtianus fieret cum ſuis Conſiliariis & cognatis: eáque re cõfecta, lætus domum rediit, pollicitus ſe Romanis quacunque in re vellent auxilio futurum.*

*Eodem anno Imperator Tzitan Armeniæ præficit, virum bellicoſum, & rebus gerendis aptum. Hactenus Armenia ſine Præfectis fuerat, duces tantùm & comites habuerat. Sed hic eum principem Armeniorum fecit. Adiunxit etiam Imperator ei exercitum quatuor millium ex Oriente: fuitque hoc magno præſidio Romanis. Nuptum quoque ei tradidit ſororem Theodoræ Auguſtæ, nomine Comito.*

*Eodem anno cõiunxit ſe Romanis vidua quædam mulier, de ea Hunnorum natione qui Saberi dicuntur. nomen ei fuit Bareza. Habebat ſecũ Hunnorũ* CCCIↃↃↃ, *& præerat Hunnicæ ditioni poſt mortem mariti Malachi. Elicuerat rex Perſarum duos alios Hunnorum interiorum regulos, Styracem & Gloem, vt ſibi ij contra Romanos ſuppetias ferrẽt. Sed Bareza, cùm ij per ipſius regionem XX millia in Perſidem ducerent, exercitum eorũ deleuit, ac Gloe in pugna occiſo, Styracem vinctum Imperatori Conſtantinopolim tranſmiſit. Ipſa pacem & ſocietatem cum Iuſtiniano conſeruauit.*

*Hunnij Romanorũ ſocij*

*Eodem anno Gordas etiam, regulus Hunnorum Boſporo vicinorum, Romanis ſeſe adiunxit, & factus eſt Chriſtianus: cúmque fidem dediſſet ſe Romanis rebus addictum fore, vrbémque Boſpori cuſtoditurum, & boum tributũ exacturum, (nam vrbi Booſporo inde nomen eſt, quòd incolæ Romanis loco pecuniæ quotannis boues dabant) magnificè ab Imperatore donatus, domúmque dimiſſus eſt. Reuerſus domum, fratri ſuo Imperatoris humanitatem liberalitatémque, & ſe Chriſtianum factũ eſſe expoſuit: atque idem onmia Hunnorum ſimulacra confregit & conflauit. Eam ob rem Hunni irati, cumq; his Moageras eius frater, Gordam necauerunt, & regnũ Moageræ tradiderũt: ac Booſporũ profecti, tribunũ Dalmatiæ & milites interfecerunt. Quod vbi Iuſtinianus cognouit, Ioannem conſularem patricij Rufini F. cum magnis Scytharũ auxiliis eò miſit, ac Godilam terreſtri itinere ab Vliſſipoli, ac Cadurium copiarum præfectum. Harum aduentus fama territi Hunni, dilapſi ſunt, páxque Booſporo reddita, tutóque ei Romani imperauerunt.*

*Iuſtinianus porrò omnia hæreticorum templa Chriſtianis attribuit, Arrianorum exocionitarum exceptis. Conſtitutionem quoque edidit de epiſcopis, diſpenſatoribus pupillorum alumnis, & peregrinorum hoſpitibus. ea ſanxit, ne ius legandi aut hæredibus tradendi haberent, præter hæc quæ in ſuis facultatibus habuerant, antequam officio iſti præficerẽtur. Qua hora officium iniiſſent, ab ea non liceret legare quæ lucrati eſſent, ſed ea omnia ſacræ ædi hæreditario obtingerẽt. Abſoluit etiam ciſternam, quæ erat in medio aulæ baſilicæ illi, eámque maiorem reddidit, Dagiſthei quoque balneum perfecit, ab Anaſtaſio inchoatum.*

*Eodem anno, die penultima Nouembris, hora diei tertia, rurſum ira Dei Antiocheam afflixit, biennio poſt ſuperiorem cladem. Extitit enim terræmotus ingens, totámque durauit horam, cum terribili cœli mugitu. Ea concuſſione omnia quæ ædificata fuerant, ſolo æquata ſunt: & muri atque adeò iſta quoque tum ædificia corruerunt, quæ priore terræmotu non ceciderant. denique quicquid & imperatoria liberalitate, & priuatim ciuium ſumptibus vrbi fuerat ornamenti conciliatum tunc periit. Obruta ſunt ruinis hominum millia IV,* ↃCCCLXX. *reliqui in alias vrbes confugerũt. Fuit etiam grauiſſima tempeſtas, adeò vt vniuerſi ſine calceis ſupplicatum ſint progreſſi, cum crebris eiulatibus. Tunc quidam piè Deum colens homo, viſione admonitus eſt, vt omnibus præciperet, vti ſuperioribus domorũ ſuorum poſtibus inſcriberent: Chriſtus nobiſcum, ſtate. Hoc facto, ira Dei recedit. Rurſum quoque & Imperator, & Auguſta multum pecuniæ largiti ſunt ad inſtaurationem Antiocheæ, eique nomen Theopolis indiderũt.*

*Antiochea noua clades.*

*Eodem anno Samaritani & Iudæi in Palæſtina, quẽdam Iulianum regia corona ornatum ſibi præfecerunt: armiſque contra Chriſtianos ſumptis, rapinas, cædes & incendia ediderũt. Hos Iuſtinianus, à Deo ſibi in manus traditos occidione deleuit, Iulianoq; caput amputauit.*

*Iudæorum motus.*

Quinto anno imperij eius, Cometa eſt cõſpectus, qui ob radios ſurſum inſtar facis porrectos Lampadias dicebatur, & per dies x x fulſit, Cum Perſis induciæ factæ. Verũ orientalibus prouinciis pacatis, bella inteſtina vrbem vexarũt, eiúſq; pulchritudinem & elegantiam, ex incendio ſub Leone orto reliquam conſumpſerunt. Nam cõcepto iis de cauſis, quas expoſui, tam imperatoris quàm vxoris eius odio, populi inter ſeſe conſenſerunt, tam Venetæ quàm Praſinæ factionis, quanquam aliàs diſſidere ſoliti, ſeditionémque mouerunt. Ad quam comprimendam parte Barbarorum Heruli ab imperatore immiſſa, qui Heluri nominantur, ea magis etiam commota eſt. Pugna etenim inter ciues & Barbaros cõmiſſa, in loco qui Milium dicitur, & multis vtrinque cadentibus: Eccleſiaſtici bellum & ſeditionem ſedare cupientes, cum ſacratiſſimis diuinorũ Euangeliorum codicibus, & ſeruatoris noſtri venerandis imaginibus, in medium agmen præliantium penetrarunt, rati, eos verecundia ſacrarum rerũ, poſitis armis pugnam omiſſuros. Sed Barbari illis planè deſpectis, populum trucidabant, neque ſacris neque baiulis eorum parcentes. Id vrbanæ multitudini velut incentiuum ſeditionis fuit, vt tanquam numinis vlturi iniuriam, maiori deſperatione inflammarentur: neque viri ſolum, ſed mulieres etiam è cœnaculis pugnarent, lapides & teſtas & quicquid obuium erat, in barbaricam illam multitudinem, supernè iaculantes. At illi furore perciti, vlturíque mulieres, ignem iniiciũt ædibus vnde feriebantur: cuius flamma, vehementi tum ſpirante vento, mox in ſublime elata multa maxima pulcherrimáque ædificia in cineres redegit, & ſimulacra combuſſit veterum virorum, ob ſapiẽtiam & fortitudinem, & res manu conſilióque bene geſtas illuſtrium: ac præter cætera, inſigne & ingens templum, ab Imperatore Conſtantio ſtructum, & D. Irenæ ædem, ac Eubuli hoſpitalem domum, & Palatij Chalcoſtegum, quæ nũc Chalce appellatur (ab æreo tecto nomen id factum eſt) & carceris vſum præbet, & Seueri balneas, quæ Zeuxippi nomen habent, aliáque multa quæ vrbi atque imperio ornamenta & admirationem attulerunt.

*Lampadias. Conſtantinopolitana ſeditio, in qua ciuiũ ad* XL. *millia cæſa.*

*Heruli Barbari.*

*Sacerdotes ſeditionẽ cõpoſituri cæſi.*

*Incendium ſeditioni cõiunctum.*

Inter



CEDR. *Inter præcipua illa & ingeniũ ſuperantia opera ſtabat & Homerus, qualis fuerat, cogitabundus, manibus conſertis infra pectus, barba ſine cultu demiſſa: capilli capitis æquales, rari ab vtraque ſincipitis parte, facies præ ſenio hirſuta, ac curis de vniuerſo, naſus ad reliquas partes propoſitione æquali: oculi palpebris affixi, ita vt cæci formam præ ſe ferrẽt, qualem eum fuiſſe fama fert. ſupra tunicam paliolo erat amictus, & ad baſim infra pedes eius lorum quoddam æneum erat ſubiectum.*

Tunc igitur Imperator aliud conſilium cepit comprimendæ ſeditionis, & in theatrum progreſſus, verba facere ad populum inſtituit, eóque populum per nuncios conuocauit. Is verò adeò non obtemperauit, vt alij alios monerent, cauendum eſſe equeſtre theatrum, ne in eo tanquam carcere incluſi, eorum qui rerum potirentur iracundiam ſuo interitu explerent. Deinde in foro diſcurſantes, de alio Imperatore creando deliberarunt, & quendam Imperatoris Anaſtaſij cognatum Hypatiũ nacti, partim inuitum, partim etiam perſuaſum, in Magni Conſtantini forum adducunt, atque clypeo in ſublime elatum, imperatorem conſalutant, & occupato curriculi equeſtris theatro, fauſtis ominibus proſequũtur, purpuram quærentes & coronam populis his rebus occupantes, Imperator magnis largitionibus multos Venetorum in ſuas partes pellexit diremptáq; concordia, eos inter ſeſe concitauit. Quo facto imperatorij ſatellites ſubito è Regia erumpentes armati, & ex vrbe alij milites, prætereáque Barbari intromiſſi, multitudinem quæ & ipſa iam inter ſe diſſidebat, graminis inſtar ceciderunt, parcentes nemini. Refertum enim erat theatrum hominibus, cùm ſeditioſis, tum verò ſpectãdi gratia, ob Hypatij proclamationem congregatis. Is vnà cum fratre Pompeio ad imperatorem perductus, occiditur, bonis eorũ conſiſcatis. E populo cæſi putãtur ad x l millia. Neque verò illorum duorum duntaxat bona publicata fuere, ſed multorum præterea ſenatorij ordinis, déque ipſis non vno modo ſuppliciũ ſumptum. Pro magna Eccleſia à Conſtantio cõdita, quæ in hac editione, vt expoſitum eſt, conflagrarat, Iuſtinianus aliam nouam longè maiorem & illuſtriorem extruere aggreſſus eſt, ædificationem auſpicatus anno ab orbe cõdito ſexies milleſimo quadrageſimo, indictione x v, menſe Februario. Neque verò hoc duntaxat, ſed & alia plura templa extruxit: ad quorum ædificationem cum infinitis egeret pecuniis, de conſilio præfecti ſtipendia liberalium artium magiſtris olim conſtituta, in omnibus vrbibus ſuſtulit, quas, vacantibus literarum ludis, ruſticitas inuaſit.

*Hypatij & Pompeij cædes. Venetis largitionib⁹ corruptis populi motus non ſine multo ſãguine ſedatur.*

*Iuſtiniani ædificia.*

*Præmia literatis adempta.*

CEDR. *Octauo anno rex Iberorum Zanabarzus Conſtantinopolim ad Iuſtinianum venit cum vxore & conſiliariis ſuis, petens ſe inter ſocios amicóſque Romanorum genuinos referri. Imperator eum receptum, magnis donis affecit: necnon & conſiliarios eius: ſed & Auguſta reginæ omnis generis mundum muliebrem ex margaritis confectũ donauit, atque ita pacificè domũ ſunt dimiſſi,*

*Zanabarzus Iberus.*

*Anno XII Bulgari in Myſiam eruperunt, agroq; vaſtato milites interfecerũt. Hoc cum inaudiuiſſet Acumus Hunnus Illyrici rex, cõtra eos cum copiis egreſſus, Romanorum ſe exercitui coniunxit, magnámque Bulgarorum ſtragem edidit. Victorem inde ſecurum alij Bulgari adorti, magna cæde affecerunt: capitibúſque & ipſo Acumo potiti, in ſuam reuerſi ſunt ditionem.*

*Eodem anno Choſroes Antiocheam magnam, Apameam, alidſque vrbes cepit.*

*Anno XIII, Romanis ſe coniunxit Mundus Gepida natione, filius Gieſmi, regulus Sirmij. Quem Imperator humaniſſimè cum filio eius tractatum, Illyricóque præfectum dimiſit. Ei in Illyricum venienti, multitudo Bulgarorum occurrit, quos ille deuicit, meliorémque captiuorum partem Conſtantinopolin miſit: qui ab Imperatore per Armeniam. Lazicam, & alias regiones ſunt diſperſi Exinde alta pax in Thracia fuit, cũ porrò Hunni Danubium tranſire non auderent.*

Anno imperij eius x v i i magna columna in veſtibulo magni templi collocata, abſoluta eſt: cui equeſtrem ſuam ſtatuam impoſuit. Eo loco prius ſteterat columna, Magni Theodoſij ſtatuã argenteam ſuſtinens, à filio eius Arcadio factam pondere v i i millium & c c c c librarum: quam ille cum columna demolitus, argento direpto, eam repoſuit quæ adhuc cum eius imagine viſitur. Deſtruxit etiam maximos plumbeos canales, quibus aqua in vrbem ducebatur, cum eius materiæ multum ad ſtructuras ei eſſet opus. Eo tempore maximus quoque terræmotus accidit, quo Cyzici ſemiſſis concidit. Fertur etiam tum quidam æris fabrum Andreas nomine, canem mirificum in vrbem adduxiſſe, ad quem ſpectandum confluente populo, multi ſuos anulos in vnum aceruum congeſtos ante canem poſuerũt, quos domini iuſſu, cuíque ſuum citra errorem ore attulit. Idem rogatus, quis ex iis qui adeſſent diues eſſet, quis pauper, quæ mulier meretrix, quæ vidua, quæ vxor, & id genus alia: ea quoque omnia abſque omni errore demonſtrauit, veſte cuiuſque ad quæſtionem ore prehenſa. Epiphanio patriarcha decimo anno Iuſtiniani mortuo, Anthimus Trapexuntius in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſit. Fuit hic imperator libidini maſculæ infeſtiſſimus, plurimóſque ea de cauſa puniit, virilibus exectis. Id cur faceret rogatus, An non inquit, ſi ſacrilegium commiſiſſent, manus illis amputandæ fuiſſent? Tulit Iuſtinianus acres leges contra impudicos, & veteres omnes leges renouatas in vnum volumen redegit, quod Nouellas conſtitutiones inſcripſit.

*Canis mirificus.*

*Anthimus patriarcha.*

*Impudici caſtrati.*

CEDR. *Ea tempeſtate Conſtantinopoli diues quidam cùm ægrotaret, mortemq; timeret, X X X libras argenti in pauperes erogauit. Reſtitutus autem præter ſpem ſuam bonæ valetudini, fraude diaboli eò eſt inductus, vt facti eius ipſum pœniteret, hócque cuidã fideli ac diuiti ſuo amico aperiret. Monet iſte hominem, ne huic malæ aſſentiatur cogitationi, Deúmque irritet, qui eum propter iſtam largitionem miſeratus ſanitate donauerit: alioqui fore, vt ſubita morte nondum mutato facto pereat. Cùm non moueretur ille, ſed magis magíſque queritaretur: Amicus, quando (inquit) ſalutare conſilium non admittis, aliud tibi ſubiiciam. Poſcenti hoc, verè miſericors ille: Agedum, ait, in templum abi, & non te, verùm me iſtam in pauperes elargitum fuiſſe pecuniam dicito. ipſe tibi ſtatim X X X illas libras reddam. Conſentiens infelix ille, ad templum abiit, auróque accepto, ita vti alter præceperat locutus eſt. Inde egrediens, ad ipſam templi portam mortuus concidit. Clericis ad rei nouitatem ſtupentibus, omnibúſque aliis qui tum fortè aderãt, iubentibúſque alterum pecuniam recipere ſuam: ille non obtemperauit, ſed omnem inter egenos diuiſit, quòd diceret*

*Diues quem elemoſinæ datæ pænituit.*

CEDR. *Deum non pati ſannas. Promiſſa enim Deo, non tantum pecuniā, ſed verba etiam voluntatémque obligant: & quicquid homo Deo pollicitus fuerit, id præſtare opus habet: virgo virginitatem, continens continentiam: qui in matrimonio viuunt, pudicitiam, mutuúmque amorē & honorem: Denique omnes fidem Deo, & religionem, & iuſtitiam, & fortitudinem.*

*Euagri⁹ philoſophus ad Chriſtum conuerſus à Syneſio.*

*Alexādreæ porrò talis res accidit. Epiſcopus quidam admodum religioſus, vicinum habebat quendam philoſophum, Euagrium nomine, Græcæ ſuperſtitioni addictum, qui in ſchola ſodalis Epiſcopo fuerat. Hunc epiſcopus à veſano falſorum numinum cultu ad fidem Chriſtianam traducere cupiens, identidem prouocabat, cúmque eo diſputabat. Sed philoſophus neque concedebat, & magis magiſque veræ religioni infenſus reddebatur. Quodam die fertur epiſcopum in hæc verba allocutus: Profecto, epiſcope, præter alia & hoc mihi improbatur, quòd mundi finem fore Chriſtiani vos dicitis, corpora reſurrectura de mortuis, & pro acta vita cuique mercedē redditū iri. tū qui pauperi miſericordia motus largiatur, eū ſua apud Deum in fauore ponere, recepturúmque centuplum cū vita æterna. Epiſcopo, nihil vanitatis aut ludibrij ineſſe Chriſtianæ doctrinæ, ſūmopere affirmāte, ita diſceßit Euagrius, vt qui animi valde dubius eſſet. Aliquanto pòſt tempore, Deo epiſcopi doctrinam adiuuante, credidit, & baptiZatus eſt: vtque erat prædiues, attulit ad epiſcopum CCC auri libras, quas ille pauperibus diſtribueret: data ſibi cautione manu propria ſcripta, Deum iſta redditurum. Epiſcopus pecuniam accepit, eámque data ſyngrapha inter egenos diuiſit. Philoſophus autem aliquot adhuc annos cùm piè vixiſſet, magnáque virtutum opera edidiſſet, moriturus ſuis liberis præcepit, vt ſibi in manum insererent ſyngrapham iſtam, atque ſic ſepelirent. His ita factis, tertio pòſt die epiſcopo in ſomnis viſus eſt Euagrius, ita alloquens: Accede ad ſepulchrum meum, epiſcope, & recipe ſyngraphā tuam. redditum eſt enim mihi debiti centuplum. neque habeo quod à te exigam. ſed & quo plenius tibi caueretur, manu mea ſubſcripſi. Diluculo epiſcopus philoſophi filios ad ſe vocauit, cúmque ex iis reſciuiſſet chirographum cum Euagrio fuiſſe ſepultum, cum clero vrbis ad ſepulchrum acceßit. quo aperto. inuenerūt philoſophum ſedentem, manúmque cum charta protendentem. quam cum vellent clerici eximere, nemini eorum conceßit: epiſcopo autem manum explicante, eam ſtatim dimiſit, ac recubuit. Epiſcopus charta in conſpectu omnium aperta, inuenit recèns manu philoſophi ſubſcriptum ita: Euagrius philoſophus ſanctißimo Epiſcopo Domino meo Syneſio S. Scias, pater, me centuplum debiti recepiſſe, neque eo nomine habere quòd abs te exigam. Hoc audito, cùm omnes vehementer attoniti aliquandiu vociferati eſſent, Miſerere Domine: iußit epiſcopus, philoſophi manu ſcriptam ſchædam in armario aſſeruari.*

Idem Iuſtinianus magnum Deiparæ templū in Pega condidit, & ſanctorum Martyrum Sergij & Bachi ædem, multáſque præterea ſubſtructiones, & pontem in Sangari fluuio: cui hoc ab Agathio epigramma eſt inſcriptum,

*Nauibus infeſtum prius indomitúmque feroci*
*Flumine, marmoreis te quoque compedibus*
*Sangari poſt Medos domitos, fractóſque ſuperbos*
*Heſperiæ populos Barbariémque feram*
*Regia dextra ſuo conſtrinxit numine, tutúmque*
*Impete ſuppreßo nunc patefecit iter.*

Condidit tunc & Theodora Imperatrix celebrem illam S. Apoſtolorum ædem. Fuerat quidē prius quoque ibi ædes eorundem, à Conſtantio ædificata: non tamen huic ſimilis, ſed ea & magnitudine & pulchritudine multò inferior. Honorio quondam Romæ veteri imperante, gens Vandalica relictis ſedibus in Hiſpaniam ſe contulerat, atque inde freto traiecto cum Rege Gondigiſglo in Africa conſederat.

*Vandalorū regnum in Africa.*

Eo mortuo, duobus filiis Gundari & Gizericho relictis, imperiū vniuerſum, poſt alterius obitum ad Gizerichum rediit. Is & Carthaginem & ipſam Romam occupauit, cúmque Vandalis annos XXXIX imperaſſet, naturæ debitum perſoluit. Huic ſucceſſit Honorichus filius, qui cū VIII annis, quibus regnauit, orthodoxos plurimis malis vt Arianiſmum amplecterentur, affeciſſet, Gundamundo filio ſucceſſore, moritur, qui & ipſe orthodoxis infeſtus, XII regni anno moritur. Poſt hunc Traſamundus Vandalorum dux eſt factus, Arianus & ipſe, qui tamen orthodoxos tantum auerſatus, eſt non etiam ſupplicij inſectatus. Regnauit annos XXVII, eóque defuncto principatus ad Hilderichum Gizerichi ex Honoricho filio nepotem recidit. Is neque Chriſtianos aſperè tractauit, & clementem ſe præbuit erga omnes, vir miti ingenio, & ad bella ſuſcipienda cūctantior.

*Gelimer⁹ ob captum Hilderichū Vandalorum regem à Iuſtiniano bello petitur.*

Contraxerat autem cū Iuſtiniano priuato adhuc familiaritatem. Cæterum Gelimerus, cognatus eius, homo improbus ille quidē, ſed ſtrenuus & nouarum rerum ſolertiſſimus machinator regnū inuadit, domino ſuo & omnibus eius familiaribus in vincula coniectis: & vt crimen tyrannidis à ſe amoueret, ad Iuſtinianum ſcribit, ſe non regnandi cupiditate imperium inuaſiſſe, ſed quòd Hildericum ad id adminiſtrandum natura minus aptum eſſe viderit. At imperator Gelimero reſcribit, ſe non conquieturum, niſi & iniuſta vi oppreſſum vindicarit, & tyrannum vltus fuerit. Itaque patricium Belliſarium ex oriēte, vbi cum Perſis bellum gerebat, accerſitum, cum manu validiſſima & magna claſſe, omnibus copiis cum ſummo imperio præfectum in Libiam mittit, etiam Cæſarienſi Procopio comitante, qui bella illic geſta copioſè perſecutus eſt. Belliſarius exercitu in Libya expoſito, vallū obducit.

*Hilderichi cædes.*

Quo Gelimerus cognito, fratri Amatæ mandat, vt Hilderichum cum cognatis, quos in cuſtodia tenebat, ſtatim è medio tollat. Sic illi interfecti ſunt. Belliſarius autem Gelimero profligato ereptáq; Carthagine, totius Libyæ eſt potitus, eámque Romano imperio ſubiecit, à Vādalis per annos XCV occupatam, & Gelimerum viuum cum vxore & liberis comprehendit.

*Gelimeri petitio ab hoſte & deditio.*

Ferunt, eum dū in regione Maurorum aſpera cum ſuis obſideretur, annona deſtitutum, à tribuno, quem Belliſarius obſidioni præfecerat, petiiſſe panem, citharam & ſpongiam: qui cum non intelligeret, qua de cauſa iſta peteret, nuncium interrogaſſe, eum verò reſpondiſſe: Panem petiiſſe ſpectandi deſiderio, quod nullum vidiſſet ex quo Carthagine excidiſſet. Nam Barbaros apud quos agat, miſerè victitare: Spongiam, vt lachrymas extergat: Citharam, vt ea calamitates ſuas deploret.

*Belliſarius Africam recuperat.*

Facta porrò cum ſuis deditione, ad Belliſarium viuus eſt perductus, interim ridens: vt qui videbant, eum errore mentis affici crederent, ob calamitatis magnitudinē. Sed res aliter





ſe habebat. Nam dum fortunæ ſuæ cōmutationē animo reputaret, humana omnia ridicula eſſe exiſtimabat. Belliſarius verò & ipſū & duces Vandalorum in cuſtodia honorificè habuit, vt ad imperatorem perducerentur. Cepit & Siciliam & Sardiniam inſulam, de qua ſuprà à me dictū eſt, & ad Gades vſque, ſubactis omnibus: ſic demum Byzantium eſt reuerſus, & ipſum Gelimerum cū vxore, liberis, cognatis, & omnibus eius miniſteriis adduxit.

*Belliſarij triumphus Africanus.*

Ob quæ magnus ei honos eſt ab Imperatore habitus & triumphus decretus, & ludi equeſtres in theatro acti, ipſo imperatore de more præſidēte, & ſenatu omníque populo præſente. Procedebat autem Belliſarius dux, Gelimeri ſubſequentis purpuræ manu innitus, comitantibus centurionibus & tribunis, & Gelimeri cognatis. Cum iam ad Imperatorem peruentū eſſet, Belliſarius Gelimero perſuadet, vt humi procumbat, & Imperatorem adoret. Facit ille vt iubebatur, lachrymis oppletus. Procumbit & ipſe Belliſarius, vt Gelimero oſtenderet, eum id facere iuſſum, nō vt captiuum, ſed quia moris ſit, hoc modo adorari Romanorum imperatores, eiúſq; calamitatem ſubleuaret. Cū eūdem honorem & imperatrici habuiſſet Gelimerus, hoſpitio ſplendido & regiis miniſteriis iam antè præparatis excipitur. Poſt dies aliquot, cū iterum ludi equeſtres in theatro agitarētur, ſpolia bellica per mediam vrbem oſtentata, in ſtadium inferuntur, iacula, ſellæ, muliebres lecticæ, omnia aurea, & precioſis lapillis exornata, & ſpōda eiuſdem generis, auratique tapetes, & vtenſilia menſarum partim aurea, partim argentea, pocula item aurea, gemmis interpolata, purpuréæque veſtes, & pepla eiuſdem generis, regales coronæ, ornamēta mulierum gemmis & margaritis interpuncta, aliáque plurima & penè innumerabilia. & poſt hæc omnia, ciſtæ ſeptem auro plenæ, & libri ſacrorum Euangeliorum vndique auro refulgentes, & omnis generis lapillis diſtincti. Ac triumphus huiuſmodi fuit: Belliſario autem etiam conſulatus eſt delatus. Bello Vandalico iam confecto, idem Romam ab Imperatore mittitur, vt eā & totam Italiam à Gotthis occupatam ſubigat, quorum dux erat Theudatus.

*Agapeti Papæ Romanæ legatio apud Iuſtinianū.*

Qui ea re cognita, Agapetum pontificem Romanum virum admirādum, legatum mittit ad Imperatorem, qui Byzantium ad Iuſtinianum profectus, primùm de Deo & recta in eum fide diſſerit, & Anthimi collocationem in nouæ Romæ ſede incuſat: neque enim eum Trapezunte, vrbiū Polemoniaci Ponti Metropoli, Byzantium ritè tranſlatum, prætereáque, peruerſa opinione Seueri imbutum eſſe. Verùm Imperator, qui Anthimum interceſſione coniugis Conſtantinopolitanum patriarcham deſignarat, acta ſua reſcindere noluit, & diuo Agapeto acrius inſtanti, minatus, ſe ſuo arbitratu quod vellet, poſſe agere dixit. Cum autem pontifex ad minas riſiſſet, ſéque cædem etiam æquo animo laturum eſſe reſpondiſſet, ac beatum fore, ſi talis ſibi vitæ exitus daretur: verecundatus imperator, mutatáque ſententia, rem examinandam propoſuit. Ac nonnulli è primoribus ſacerdotibus Agapeto Papæ Romano in Imperatricis gratiam ſunt refragati, ab eadem quoque largitionibus corrupti: quos tamen ille qui veritatē defenderet, omnes ſuperauit.

*Menas Anthimo ſubſtituitur.*

Itaque Anthimus, throno, quem annum vnum occuparat, eſt eiectus, Imperatore ſanctiſſimum Papam & veritatem reuerito, & in eius locū ſuffectus Menas vir ſummæ pietatis, Alexandrinus patria, & illuſtri genere ortus, literarū non expers, ſacrarum maximè.

*Agapetus et Menas damnant Seuerianos.*

Diuus igitur Menas hoc modo patriarchatu potitus, ac ipſe potius felici ſorte patriarchatui traditus, particulari concilio cum Pontifice Agapeto conuocato, Seuerum, Eutychem, Petrum, Halicarnaſſeum Iulianum, & Anthimum aſſenſorem illorum anathemate notat. Cæterū ſanctiſſimus Papa Agapetus, Conſtantinopoli defunctus eſt. Menas cum Eccleſiam per annos XVI piè gubernaſſet, obiit. Ei ſucceſſit Eutychi⁹, rectéque præfuit per annos duodecim.

*Eutychius. Quintum cōcilium.*

Sub hoc, quintum concilium eſt coactum CLXV ſanctorum patrum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus, & is, cuius iam facta mentio eſt, Eutychius, & Alexandrinus Appollinaris.

*Origenis dogmata.*

Concilij huius indicti cauſa fuit Origenes, eiúſq; peruerſæ opiniones, & ſectatores eius Didymus atque Euagrius: quorum dogma fuit, animas ante corpora extitiſſe, & ſupplicij finem eſſe, & dæmones priſtinā dignitatem recuperaturos, aliáque plura. Hos eorúmq; dogmata, necnō Theodorum ex Mopſi beſtia Neſtorij ſuffragatorem, vel magiſtrū potius illius, anathemate notarunt, cùm Iuſtinianus concilio intereſſet, & pia decreta patrum approbaret. Atque hæc ita geſta ſunt.

*Belliſarius rem bene geſſit in Italia contra Gothos.*

Belliſarius autem cum in Italiam traieciſſet, primum Neapolim obſidione capit. Deinde Romę quoque ipſius potitur, partim vi, partim beneuolentia ciuium. Nam Gothorum dux Theudatus Rauennæ degebat. Mediolanum item Romani ceperunt.

*Narſes Eunuchus.*

Quæ vrbs cum à Gothis denuò obſideretur, Imperator Narſetem Belliſario ſuppetias mittit, eunuchum illum quidem, cæterum virum ſtrenuum, & rei militaris peritiſſimū, & iis qui rerum potiebātur familiarem. Verùm inter hos duos parum conueniebat. Nam cum Belliſarius ſummam rerum bene geſtarum ſibi vendicaret, Narſes autem illius auſpiciis militare videri nollet: ſeiuncti diuerſis in locis bellum adminiſtrarunt, eáque cauſa fuit, cur alicubi impegerint. Nam imperatorij milites commeatus inopiam cauſantes, Gothis Mediolano ceſſerunt, & maius forſitan ex eorum diſſenſione malum eſſet ortum, niſi Imperator Narſetem per literas reuocaſſet. Poſt id Belliſarius ſolus rem gerens, omnem Italiam & vrbes eius ſubegit, & Barbaris tantum ſui & terrorem & amorem incuſſit, vt & ſuum imperium illi deferrent, orarentque vt Rex ſuus eſſe dignaretur, ſe ſuáque omnia illius fidei permittētes. At ille, vt Cæſarienſis Procopius, qui ſub illo militauit, refert, nunquam ſe commiſſurum eſſe dixit, vt viuente Iuſtiniano Rex appellaretur. Hinc inuidia conflata ab imperatore ob calumniam affectati imperij accerſitur, per ſpeciem eius in orientem ad bellū Medicum ablegandi.

*Theodoræ obitus.*

Interea Augusta Theodora obit, cum in imperio vixiſſet annos XXI & menſes III. Eccleſia magna iam abſoluta & conſecrata, accidit, vt magnus globus verſus Orientem collocatus, ex terræmotu caderet, eóque caſu & ciborium ſacræ menſæ, & ipſa ſacratiſſima men-

ſa,& ambulacrum ſuperius cōtereretur. Qua de cauſa Trulum etiam iuſſu imperatoris demoliti, denuò inſtaurarunt, x x v pedibus altius eductū, & ab Eutychio patriarcha denuò conſecratum.

*Porphyrius cetus.*

Hoc imperatore etiam cetus ille captus eſt, qui Byzātiis vltra L. annos moleſtus fuit, quem Porphyrium appellabant, non ille quidem ſemper apparens, ſed ex interuallis. Cæterum quoties apparebat, cùm multas naues demergebat, tū multis hominibus exitium afferebat. Qui cum multis machinis peteretur, eæque omnes eſſent irritæ, tandem in perſequendis delphinis captus eſt: qui cum prope terram cōfugiſſent, ille impetum non inhibuit, donec proximè terram prouectus, in vliginem & profundum lutum incidiſſet, vnde emergere non potuit. Quo accolæ cognito, marinam illam belluam, ſecuribus & bipēnibus confecerunt, & funibus, qua craſſior erat, alligatis, boum iugis in terram pertraxerunt. Eius longitudo x x x cubitorum fuit, latitudo x, vt Procopius Cæſarienſis refert.

*Serica tela.*

Eodem etiam autore, Iuſtiniani temporibus tela ſerica à Romanis texi cœpit, quæ prius à Perſicis mercatoribus tantum afferebatur, cum ignorarent quomodo fieret, neq; ſcirent fila eſſe vermium. Cæterum duo monachi ex India Byzātium profecti, originem illius declararūt, polliciti, ſe fœtum illorum vermium, oua nimirū perexigua allaturos, & oſtenſuros Romanis, quemadmodum illa fouendo animata, in vermes mutentur, & ſericum texant, natura magiſtra vſi. Eos monachos Iuſtinianus in præſentia muneribus, de cætero magnis pollicitationibus ad illud pollicitandum confirmauit. Itaque ſerum oua Byzantium attulerunt, & in fimo collocata, in vermes transformarunt, & mori foliis aluerunt, indéq; ſericum cōfecerunt: Ex eo igitur Romani cognouêre, quo pacto ſericum conficiatur.

*Belliſarius in ordinem cogitur.*

Cum autem Iuſtiniano multorum inſidiæ nunciarentur, quarum etiam Beliſarius patritius eſſet particeps: ſatellites ei omnes ademit, ipſúmque domi cuſtodiri iuſſit, eiúſque mortui opes in fiſcum omnes ſunt relatæ.

*Iuſtiniani hæreſis.*

Sub extremam ætatem in eorum hæreſim incidit, qui opinantur Dominum nō mortalem carnem aſſumpſiſſe, ſed eam ſimul atque aſſumpta eſſet, immortalem extitiſſe. In quam opinionem cum omnes adductos vellet, Eutychium patriarcham refragātem & aduerſantem, Amaſiam relegauit, deſignato patriarcha Ioanne Scholaſtico, Antiocheno Apocriſiario. In eáque opinione deceſſit Iuſtinianus, cum regnaſſet annos x x x v i i i, menſes v i i, dies x i i i, imperio cōſobrino ſuo Iuſtino relicto.

## IMPERIVM IVSTINI CVROPALATAE.

*Structuræ Iuſtini.*

Iuſtinus, natione Illyrius, ante imperium Curopalatæ honorem geſſit, vir ingenio ad omnia habili, & magnanimus. Sacras ædes à Iuſtiniano extructas pro ſua pietate adornauit, & vtrunque fornicem templo Blachernio addidit, vt formā crucis exprimat, & templū in orphanotropheo (locus eſt qui ab educatione pupillorum nomen habet) principum Apoſtolorum magnis ſumptibus extruxit, & D. Anargyrorum in Baſiliſco. Item D. Teclæ protomartyris, & ædem Palatij cum aureo triclinio, & magnum Valentis aquæductum renouauit, atque alia plura. Vxorem Sophiam Auguſtali corona ornauit, eiûſque nomine Portum Sophium extruxit & Regiam ante vrbem, quam & ipſam vicináque loca, eius gratia Sophiana nominauit. Ei hoc Agathij epigrāma eſt inſcriptum:

*Sopdius portus.*

*Quà reſonante freto fluctus caua littora tundunt,*
*Et duplici Pontus nomine ſindit humum,*
*Inclytus vxori celebranda palatia ſtruxit*
*Rex Sophiæ, multus quam decorauit honos*
*Quam bene Roma potens tua gloria conſtitit vnde*
*Europæ atque Aſiæ fertilis arua patent?*

*Sophiæ benignitas.*

Hæc Imperatrix Sophia fœneratoribus omnibus perquiſitis, & ære alieno, quod eis ſiue ex ſyngraphis, ſiue pignoribus poſitis deberetur, debita de ſuo diſſoluit, pignora dominis reſtituit, & ſyngraphas aboleuit.

*Seueritate iudiciorum cōpreſſæ iniuriæ.*

Sed Imperator cum eſſet morbido corpore, neque frequenter in publicum prodiret, multos ad inferendam aliis iniuriam, quaſi nullus earum vindex eſſet, audaciores reddidit. Cum autem aliquando progreſſus à multis vexaretur de iniuriis conquerentibus, déque iis vindicandis cogitaret: quidam eum acceſſit, qui pollicebatur, ſi præfectus crearetur, & poteſtatem ad certum tempus in omnes acciperet: neminem inuentum iri cui fieret iniuria. Ea pollicitatione delectatus Imperator, hominem præfectum deſignat. Is cum pro tribunali ſederet, & quidam ex illuſtrioribus ſenatoribus accuſatus à quodam & accerſitus, ſe non ſiſteret: ei denuò denunciat. At ille ne tum quidem adeſt, contempto apparitore, ſed ad imperatoris conuiuium ſe confert, quo inuitatus erat. Eo præfectus cognito, & ipſe Regiam ingreſſus, quamuis conuiuio iam inchoato, ad Imperatorem ait: Se illi promiſiſſe, intra tantum tempus relicturum neminē cui fieret iniuria: idq; omnino effecturum, ſi poteſtatis Imperatoriæ auxilium atque autoritas ſibi ſuppeteret. Sin ipſe Imperator iniurios fouerêt, eíſque amicis & conuiuis vteretur: ſe nullum facturum operæprecium. Aut igitur illis nō dandam eſſe licentiam, aut ſibi magiſtratum abrogādum. Ad ea imperatore, ſi vel ipſe cuiquam iniuriam feciſſet, ſe abduci iubente: præfectus reum è conuiuio in prætorium adduxit, auditáq; vtrinque cauſa, illum cum ſontem inueniſſet, plagis affecit, & accuſatori damnum cum acceſſione multiplici penſare iuſſit. Ex eo homines ſui emolumenti cum aliorum detrimento ſtudioſi, modeſtiores facti & ad iniuriam tardiores, cum iis quos læſerant, tranſegerunt.

*Iudæi filius in igne ſeruatus.*

*Hoc Iuſtino imperante, quidam in vrbe vitrorum cōflator Iudæus, vnicum habuit filiolum, quē in ſcholam magno templo vicinam litterarum diſcendarum cauſa mittere ſolebat. Eius templi æditus cum haberet multas ſacræ cœnæ reliquias, pueris illas conſumēdas dabat. iis fortè tum adfuit Iudæus (quem dixi) puerulus. Hic dimiſſus cùm domum rediiſſet, à patre cauſam tardioris domum reditionis poſtulatus, reſpondit, ſe cum Chriſtianorum pueris in magno templo cibum ſumpſiſſe. At Iudæus pater, doloſa illa beſtia, ingenti furore percitus, à prandio puerum in officinam abducit, inque caminum abiicit, ac opertis foribus recedit. Vxor autem, quæ mariti*





*in filiolum furorem cognitum haberet, ad officinā cùm acceßiſſet, per rymam introſpiciens, pueri vocem exaudiuit. & ingreſſa, inuenit eum in furno integrum, nihil ab igne paſſum. Qui à matre eductus, cùm interrogaretur, quònam pacto illæſus à flammis manſiſſet? reſpondit, veniſſe quandam purpura amictam fœminam, quæ & ignem extinxerit, & ipſum ſecuro animo eſſe iuſſerit. Ad hanc narrationem ſtupore perculſa mater, cum filio Menam Patriarcham acceßit: réque narrata, Chriſtianam ſe fieri cupere. Menas rem ad Imperatorem detulit. Is patrem quoque pueri acciri iußit. cúmque Iudæū, re examinata, multis adhortationibus ad Chriſtianæ religioni dandum nomen fruſtrà eſſet hortatus, in crucem agi eum iußit, vt qui ſuo ipſius filio necem intuliſſet. Patriarcha mulierem & puerum baptiZauit, illam monacham, hunc lectorem fecit.*

Perſica pax hoc imperatore ſoluta eſt. Nam cum Romani Perſis annuas quingentas libras penderent, vt ſibi vicina Romanæ ditionis caſtella illæſa tuerentur, Iuſtinus, qui turpe eſſe dicebat, Romanos Perſis vectigales eſſe, aurum retinuit: miſsíſque legatis ad Aretham Æthiopum Regē, impetrauit, vt Perſicas prouincias Æthiopiæ finitimas incurſaret ac prædaretur. Quibus de cauſis cum denuò bellum inter Romanos & Perſas exarſiſſet, Martinum patricium cum Imperio cōtra eos in orientem miſit, & quarto eius anno commiſſo prælio, quamuis vtrinque multi cecidiſſent, tamen victoria penes Romanos fuit.

*Perſicæ pacis renouatio.*

Cæterum Rex Perſarum Hormiſdas Ardamanē cum ingentibus copiis miſit ad prouincias Romanorum diripiendas, qui longè latéque peruagatus, maximáque præda rapta, domum rediit, Martino patricio ei obuiàm ire non auſo. Id Imperator ægerrimè tulit, atque imperium Martino abrogatum, in Archelaum contulit, & pacem cū Hormiſda fecit.

*Iuſtini teſtamentum & obitus.*

Verū ex eo mœrore in phrenitidem incidit, fuit etiam pedibus æger. Et quia liberos non habebat, iam antea Tiberium Excubitorum Comitem adoptatum, Cæſarem appellarat. Morbo igitur liberatus, acceſito patriarcha Eutychio (nam Ioanne Scholaſtico mortuō reductus fuerat, & in pōtificiam ſedem reſtitutus) & ſenatu atque omni clero Eccleſiæ conuocato, Tiberium Imperatorem appellat, eíque mandat omnibus audientibus, vt Deum piè colat: vt ſubditis benefaciat: vt oppreſſis iniuria opem ferat: ne militibus quiduis audendi licentiam tribuat: ne purpura efferatur: vt diuitibus ſua re familiari citra inuidiam fruendi det poteſtatem: vt pauperibus pro virili ſuccurrat: vt imperatricem, dominam dudum ſuam conuenienti honore afficiat. Quæ cum Tiberium monuiſſet, obiit anno Imperij x i i i.

## IMPERIVM TIBERII.

*Charito. Cōſtantina.*

Tiberius ab Eutychio patriarcha coronatus: vxorem quoque ſuam Anaſtaſiam Auguſtam ſalutauit: quæ duas ei filias peperit, Charitonem & Conſtantinam. Sophia verò Iuſtini vidua, relicta aula in Regiam ſibi cognominem migrauit, regio comitatu ei à Tiberio tanquam matri ſuæ attributo.

*Iuſtinianus Perſas profligat.*

Ad Hormiſdam Perſarum Regem de pace renouāda legatos miſit; qui cum renouationem eam recuſaſſet, Tiberius ad bellum Perſicum ingentes copias conſcribit, & Iuſtinianum virum illuſtrem, Orientis ducem creat. Qui cōtra Perſas profectus, caſtris prope illos poſitis, & ad colloquiū euocatis perſuadet, vt triennij pacem cū Romanis faciāt. Tertio anno iam exeunte, Hormiſdas Perſarum dux cum ſuis copiis Armeniā inuadit: quæ res terrorem incuſſit Romanis legionibus: ſed Ducis ſui cohortationibus, animis receptis pugnare cum Hormiſda non recuſarūt. Ac quandiu Perſæ ſagittis vtebantur, Romanis ſuperiores eſſe videbantur, qui ſe clypeis obſepiebant, nec contra ibant. Sed cum animaduerterent Perſas iam pharetras exhauſiſſe, denſatis clypeis, & clamore bellico ſublato, illos inuaſerunt, comminus haſtis & gladiis rem gerentes. Ibi hoſtes nec ad exiguum tempus eorum impetu tolerato, in fugam verſi plerique cadunt, caſtríſque direptis regium Hormiſdæ tabernaculū & omnis eius ſupellex & elephantes, Imperatori ſeliguntur, cætera militibus conceſſa. Romani in Perſidis interiora progreſſi, longè latéq; prædas egerunt. Tunc Tiberius balneas Blacernias ędificare cœpit, multas & ſacras & publicas ædes inſtaurauit, vt hoſpitia & ſenum receptacula, & aureum triclinium à Iuſtino conditum renouauit.

*Ioannes ieiunator patriarcha.*

Eutychio patriarcha cū Byzantinā ſedem per i i i i annos ſecundum ornaſſet, mortuo: Patriarcha eligitur magnæ eccleſiæ Diaconus Ioannes Ieiunator, vir ſanctiſſimus.

*Tiberij clementia in captiuos.*

Perſas captiuos Conſtantinopolim perductos, imperator omnes magnificè veſtitos domum redire ſiuit. Quos ipſorum cognati preter ſpem cōſpicati, magna cum admiratione Imperatorem collaudarunt.

*Chaganus pontem in Danubio extruit.*

*Mauritius Tiberiani exercitus dux & gener Tiberij.*

Cæterum Chaganus Abarum dux à Tiberio fabros petiit, qui ſibi balneas ædificarent. Iis miſſis, pontem in Danubio ſtruere coēgit opifices, vt flumē citra periculum traiicere, & Romanas prouincias populari poſſet. Imperator autem exercitū x i i millium robuſtorum iuuenum ex gentibus coēgit, quem à ſe Tiberianum vocauit, & Mauritio Comite Fœderatorum illis præpoſito, eiq; Narſete cubiculario legato addito, contra Perſas ablegauit. Pugna commiſſa, Romanus prælio victor, multas vrbes & multū agri Barbaris ademit. Mauritium reuerſum Imperator honorificè excipit, & deſponſa Conſtantina filia generum aſciſcit. Alteram Charitonem Duci Germano in matrimonium dedit, & vtrunque Cæſarem deſignauit. Cum autem tabe laboraret, lectica in Tribunaliū perlatus, Mauritium imperatorem proclamari iuſſit, Ioanne patriarcha præſente cum patribus cōſcriptis, morbo ita confectus, vt orationem in concilio habere non poſſet. Quare ſcripto ſuam ſententiam propoſuit. Reuerſus in Regiam, naturæ debitum perſoluit. Regnauit annos quatuor, menſes decem, & dies octo.

## IMPERIVM MAVRITII.

Mauricius à Patriarcha Ioanne Ieiunatore coronatus, rerum adminiſtrationē ſuſcepit, natus annos tres & quadraginta. In contractibus ſcribebatur Mauricius qui & Tiberius.

*Chagani Abarum ducis graſſationes.*

Chaganus autem Sirmio potitus poſtulauit, vt

LXXX millibus annui tributi adhuc viginti millia adderentur: quod additamentum Mauritius imperator,pacis conſeruandæ ſtudio non detrectauit. Poſtea etiam Elephantem petenti, quod eiuſmodi belluam nunquam vidiſſet:maximum eorum quos habebat, miſit. Verùm homo inſatiabilis, aut rumpendæ pacis cauſas quæritans, centenis illis alia vicena millia poſtulauit adiici. Quod cum Imperator recuſaret, ille bello Romanis illato multas vrbes Illyrici ſubegit, minatus,ſe longum murum etiam euerſurum. Itaque Mauritius miſſis ad Barbarum legatis, pacem cũ eo facit. Sed Chaganus, vt inſatiabilis & perfidus,dolo Romanos aggreſſus,ipſe quieuit.Sclauorum verò gentes quaſdam ad populãdas prouincias concitauit,quæ vſque ad longum murum ſunt progreſſæ, Quapropter Imperator Commentiolo duce creato, Barbaros improuiſo aduentu Romanis finibus expulit,multis cæſis, & præda omni captiuíſque receptis. Philippicum ſorore deſponſa cum manu validiſſima contra Perſas miſit,qui cum proximè Niſibim perueniſſet,atque inde in Perſiam irrupiſſet, multa præda abacta, in reditum impreſſionem in Mediam fecit,& ibi quoque præda non minore parta, in Romanas prouincias rediit: inde iterum Perſicos fines ingreſſus, rem æquè proſperè geſſit. Sed propter morbum Martyropolim, atque inde Byzantium rediit. Mauritio natus eſt filius quem Theodoſium nominauit. Philippicus denuò Perſas oppugnaturus, milites ſuos percontatur an alacres eſſent ad pugnandum cum Perſis.iis verò etiam iureiurando alacritatem ſuam teſtatis,hoſtes aggreditur: qui etſi ad tempus reſtiterunt, tamen cum Dux equos illorum cædi iuſſiſſet,& multi equi vulnerati cecidiſſent:Perſæ fugam ceperunt, potenter victi, magnáque clade accepta:Romani verò illuſtrem victoriam conſecuti,hoſtium ad duo milliá viua ceperunt. Hormiſdas Perſarum Rex Baram ducem congredi cum Romanis iuſſit. Quem vt victum eſſe cognouit, abrogato illi imperio veſtem muliebrem mittit,ac legato eius per literas mandat, vt eum occidat.Cæterùm Bara quantis in malis eſſet reputãs, literas ab Hormiſda ad ſe miſſas eſſe comminiſcitur, quibus iracundiam ſuam aduerſus omnem exercitum declaret,eáſque militibus conuocatis, palam omnibus recitari iubet, ac Hormiſdæ ſæuitia & immanitate commemorãda,eos concitat ad bellum ei inferendum. Subitò igitur eum aggreſſi,captum in carcerem coniecerunt.At ille profeſſus,ſe cõſilium eis de Perſarum imperio daturum, quòd toti nationi ſciat bono futurum,monet,ne filiũ ſuum Choſroem, Regem creent,hominem inexplebilem,iniuſtũ, inſolentem,atque intolerandi ſupercilij, ſed aliũ è ſuis filiis.Sed ei ſententiæ procerum nonnullis refragatis,populares contra eum concitati, filiũ cui regnum decreuerat & matrem illius,in conſpectu eius ſtatim occiderunt: ipſe oculis erutis, in carcerem compactus: Choſroes à tota gente Rex electus. Is ad tempus patrem bene tractauit,& quanquam è cuſtodia non eduxit,in ea tamen omnem ei cultum & obſequium præſtitit. Qui cum nihil quod à filio proficiſceretur, gratum haberet,imò contumelias pro beneficiis reponeret: iratus Choſroes eũ latera fuſtibus tundendo occidi iuſſit. Id facinus odium Perſarum ei peperit. Suſcepta contra Baram expeditione, quoſdam ex proceribus ſuis illi ſtudere ſuſpicatus occidit,ac militari ſeditione perterritus, cum paucis ad Romanos confugit. Eo Mauritius cognito,prætori prouinciæ mandat, vt Choſroen regio cultu & honore ſuſcipiat, & Narſetem cũ legionibus auxilio mittit,ad regnum recuperandum.Is igitur cum Bara congreſſus, illuſtri victoria potitur,Perſarum multis occiſis,& ad ſex millia captis, quos Choſroes ad ſe adductos iaculis omnes cõfecit.Qui verò ex Baræ fœderatis Turcicæ nationis erãt,eos ad Mauritium miſit,quorum multi cruces in frontibus gerebant, cõpunctis ſuperciliis in crucis modum,infuſóque atramento.Cuius rei quæſita cauſa, reſponderunt,ſuperiori tempore cum ſua gens fame periclitaretur,ſe à Chriſtiano quodam monitos hoc feciſſe nec vllum ex eis qui paruerit,fame periiſſe. Bara ſuperatus,fuga ſalutem quęſiuit,Choſroes in ſuũ regnum eſt reuerſus.Fertur autem,quum ante victoriam Dux Romanorum certam belli adminiſtrãdi rationem ſequuturus eſſet,inſtitiſſe Choſroes, ne id conſilium exequeretur, & alium inſtruendæ aciei modum propoſuiſſe:quem quum Dux inutilem eſſe affirmaret,neq; tamen Choſroes de ſententia ſua decederet:etiam ſalibus inceſſit Regem,vt rei militaris & inſtruendæ aciei imperitũ.Iis Choſroen irritatũ,qui motus aſtrorum peritus eſſet, atq; futurarũ rerum præſcientia gloriaretur, dixiſſe:Niſi tempori ſeruiendum eſſet,non auderes Dux magnum Regem ſalibus inceſſere. Quia verò ſucceſſibus præſentibus inſoleſcis,audito, quid in futurũ Dij conſtituerint. Scito res aduerſas ad vos Romanos eſſe redituras,& gentem Babylonicam triplici annorũ ſeptenario circuitu Romanam ditionem obtenturam. Poſt illud autem vos Romani quintùm ſeptenarium annorum Perſas ſeruitute premetis. Iis peractis dies ſine veſpere hominibus illuceſcet.Hæc ille. Mauritius autem filium Theodoſium Imperatorem appellat,eúmque Patriarcha Ioannes in paſchate coronat, atque ædem quadraginta martyrum, inchoatam pridem à Tiberio,nec dum perfectam,abſoluit.Pace cum Perſis facta,legiones ex Oriente in Thraciam reuocauit,& ipſe Byzantina terra egreſſus,loca à Barbaris euerſa, contemplari voluit. Quo tempore & ſol defecit,& mulier quædam in Thracia puerum peperit,ſine oculis, ſine palpebris, ſine manibus & brachiis, cauda piſcina vſque ad coxendices ſurſum porrecta. Canis quoque ſex pedes habens, & caput Leoninum natus ac valde magnus factus eſt. Verum Chagano cum infinita multitudine Thraciam ingreſſo, Romanorum Dux territus,in caſtello quodam Tzuruli ſe concluſit. Mauritius autem Barbarorũ obſidionem parantẽ,tali ſolertia circumuenit.Literas ad Priſcum ſcribit,monens,vt obſidionem toleret.Nã Barbarum intra exiguum tempus cum ignominia receſſurum.Miſſis enim in regionem eius triremibus, domibus eorum direptis, vxores & liberos captiuos abduci.Eas literas cuidam tradit, ac mandat, vt in itinere ad Priſcum, de induſtria ſe Barbaris offerat:quo facto cum Chaganus lectis

*Commentiolus Dux.*

*Philippicus Mauritij ſororius in Perſia rem bene gerit.*

*Theodoſius Mauritij filius.*

*Bara Dux ab Hormiſda Perſa deficit.*

*Choſroes Perſarum regnũ adiuuante Mauritio recuperat.*

*Turcæ cruces in frontibus geſtãtes.*

*Choſroæ prognoſtico.*

*Mauritius Theodoſium imperatorem appellat.*

*Portenta.*

*Chaganus ſtratagemate domum repulſus.*



ctis literis,ſuis timeret, pacem cum Priſco facit, paucíſque muneribus acceptis, domum redit. Philippicus monaſterium nomine Deiparæ condidit,atque ædes ſplendidiſſimas,quibus Mauritium exciperet. Interea Ioannes Ieiunator Patriarcha Conſtantinopolitanus, vita relicta in æternas manſiones diſceſſit, cum ſedem Pontificiã vltra XIII annos ornaſſet. Ei ſucceſſit Cyriacus ſacerdos & œconomus magnæ eccleſiæ, à quo ſacroſanctæ Deiparæ ædes quæ Diaconiſſæ dicitur,extructa eſt.Petrus item Mauritij frater, ædem Areobindi deiparæ condidit.Sophia verò Imperatrix & Auguſta Conſtantina coronam Imperatori gemmis precioſiſſimis & margaritis inſignibus ornatam,obtulerunt: eam ille in Eccleſiam perlatam, Deo conſecrauit. Chaganus Romanas prouincias rurſus aggreſſus,miſſas cõtra ſe legiones, aliàs vincebat, aliàs vincebatur. Eius filij ſeptem,vnò die partim febri,partim peſte ſunt mortui.Imperator, miſſo Commentiolo cum numeroſiſſimo exercitu mandaſſe fertur, vt legiones,quibus ob ſeditiones quaſdam & tumultus infenſus erat,proderet hoſtibus.Itaq; temerè cum Barbaris congreſſus Commentiolus, ipſe cum ſuis fugam,cui ſe antè pararat, capeſſit: cæteris partim cæſis,partim captis,ad numerum duodecim milliũ. Ea victoria Chaganus elatus, vſque ad longum murum proceſſit. Verum Imperator delectu habito,milites ad eius defenſionem miſit.Neq; verò Chagani duntaxat filij peſte,vt dictum eſt, obierunt, ſed & Barbarorum ingẽs multitudo. Qua de cauſa Barbarus animo æger domum properans, Mauritio ſignificat, ſi captiuos redimere velit,vt in ſingulos nummum vnum pendat.Recuſante Mauritio,mediũ nummum poſtulat. Cum verò ille nec tanti milites redimere vellet, partim ex tenacitate ( ſordidus enim erat) partim militum odio.Barbarus furore correptus, iis omnibus obtruncatis, domum rediit. Hinc omniũ odia in Imperatorem nata, vt nec à conuiciis temperarent. Exercitus verò Commentiolum proditionis reum fecit, atque ex accuſatoribus miles quidam Phocas,adeò impudenter cum Imperatore diſſeruit,vt ea de cauſa à quibuſdam vapularet. Verùm Mauritius repudiata Commentioli delatione,accuſatores infecta re dimiſit. Poſtea quum ſupplicaret, ſeditione populi coorta etiam lapides à nonnullis contra eum iacti, quorum aliquot indagatos ſupplicio affecit. Theodoſio filio Germani patricij filiam deſpondit,nuptiarum ceremonias Patriarcha Cyriaco peragente.

CEDR. *Eodem tempore, cùm in Aegypto Menas præfectus in Nilo amne iter faceret cum populo, in loco qui Delta dicitur, ſole oriente, in flumine viſa ſunt animalia ſpecie hominis, mas & fœmina. Mas erat bene compoſitus,pectore amplo,terribili aſpectu,fuluo crine intermixtis canis, vſque ad lumbos nudus,cæteras partes aqua tegente. Hunc Præfectus,adiurauit, ne prius ex conſpectu diſcederet,quàm omnes eo ſe tam raro exaturaſſent ſpectaculo. Mulier & mammas habebat & læuem faciem, ac demiſſos crines. vſque ad nonam horam populus cum admiratione animalia ea ſpectauit:hora nona fluuium ea ſubierunt.*

Cæterùm Monachus quidam ſtrictum gladiũ tenẽs,à foro vſque ad Chalcen progreſſus, Mauritium breui periturum eſſe gladio exclamauit.

CEDR. *Sed & Herodianus mauricio palàm,quæ ipſi euentura eſſent, denunciauit. Tunc etiam populus Maurum quendam, hominem Mauricij ſimilem, ſago indutum, coronáque ex alliis conſerta redimitum,in aſinum impoſuit, ac per iocum & laſciuiam acclamauit:Inuenit buculam teneram, & ſicut nouus gallulus inſiliit in eam, ac procreauit liberos inſtar lignearum nolarum. Sancte mi,ſancte, feri eius caput, ne ſuperbiùs efferatur: tum ego tibi voti reus,bouem offeram. Hæc populus. Quæ non ocioſè retuli: ſed vt intelligamus, vbi quis Dominum irritauit, eum ludibrio haberi ab his qui eâdẽ cum ipſo conditione ſeruiunt.*

Mauritius igitur iniuriam captiuorum reputans,Deum orauit, vt in hac vita pœnas de ſe ſumat, & quoquo verſum miſit, petens ab omnibus vt id à Deo precibus impetrarent. Cum autem fama teneret, ſucceſſurum ei cuius nomen à Φ inciperet:Philippicum generum eum eſſe credens,hominem ſuſpectum habere cœpit: ac illi ne deieranti quidem nihil tale ſibi vnquam in mentem veniſſe fidem habuit prius, quam huiuſmodi ſomnium vidiſſet.Putabat magnam turbã inſiſtere effigiei ſeruatoris noſtri,quæ ſupra æreã portam eſt, & contra Imperatorem vociferarĩ, audiriq; vocem ex imagine, quæ Mauritium adeſſe iuberet, eúmque ſtatim adductum interrogari, vtrò in loco facinoris in captiuos admiſſi pœnas dare mallet,in hac vita,an in futura?Eum dixiſſe,In hac, humane domine: & audiſſe vocẽ quæ diceret, Tradite eum ergo cum omni familia Phocæ militi. Experrectus ab eo angore imperator,accerſito Philippico, primũ veniam petit inanis de eo ſuſpicionis, Deinde rogat,an inter Romanas legiones militem nouerit Phocam nomine?Ille reſpondet,ſe noſſe:atque eum eſſe, qui dudum inſolentius cum ipſo collocutus eſſet.Poſt hoc rogat Imperator,qua ſit ætate,quóque ingenio?Reſpondente Philippico,eſſe iuuenem, & ingenio partim audaci, partim timido Si,inquit,timidus eſt,homicida eſt: eíque ſomnium narrat. Eo quoque tempore Cometa apparuit, qui ab enſis ſpecie Xiphias dicitur. Dehinc fratri Petro exercitum ducenti ſcribit, vt Iſtro cum copiis traiecto, inde commeatum peteret:id conſilium ab auaritia eſt profectũ,vt legionibus latrocinio ſe ſuſtentantibus, militaria ſtipendia lucraretur.Ea res ſeditionem inter milites concitauit,qui ſtatim Phocam centurionem Imperatorem creauerunt.Quo cognito Dux fuga arrepta,ipſe quid accidiſſet, Imperatori nunciat.Qui orto etiam in vrbe tumultu,ex Regia ſe ſubducit, & dromone cum vxore & liberis conſcenſo,aufugit, filium verò Theodoſiũ ad Choſroem ablegat,vt commemorato ſuo in illum beneficio,par ſibi gratia referatur. Fuga imperatoris populo cognita,& ſeditio aucta eſt, & Mauritius per forum conuiciis proſciſſus.

## IMPERIVM PHOCÆ TYRANNI.

QVum Phocas iam propè ab agro Byzãtio abeſſet,populus Praſinæ factionis, ad eum ſalutãdum egreditur:qui cum eis Hebdomum ingreſſus, ibi à Patriarcha diademate ornatur, inde in Regiam ſe con-

*Cyriacus patriarcha.*

*Mauritius Chagano legiones trucidandas obiicit.*

*Præſagia interitus Mauritij.*

*Somnium Mauritij.*

*Mauritij auaritia militibus defectionis occaſionẽ prabet.*

ſe contulit,& ſtatim Leontiam vxorem Auguſtã ſalutat, præſentibus populis: vbi inter Praſinos & Venetos de ſtationibus ortam controuerſiam Phocas componere volens, ſatellites quoſdam miſit: quorum vnus cum tribunum Venetũ per contumeliam pepuliſſet, populus id non ferens exclamat, Abi, cognoſce ſtatum rerum: Mauritius viuit. Ea voce Tyrannus ad cædem illius incitatus eſt, eóque in Eutropij portum Chalcedonem perducto, in conſpectu eius liberi ſunt occiſi. Tum ille: Iuſtus es, inquit, Domine, & recta ſunt iudicia tua: calamitatem fortiter ferens. Ac animum eius generoſum illud in primis declarat, quòd cum vltimum eius filiolum adhuc lactãtem nutrix ſuffurata, ne Mauritij familia funditus interiret, ſuum filiolum ad cædem obtuliſſet: id ille non paſſus eſt, ſed ſuum offerri iuſſit, deinde & ipſe magno animo iugulum carnifici præbuit. Fertur etiam filius, dum ad Choſroem iret, exceptus, atque ad Phocam perductus, occiſus eſſe, necnon Conſtantina Imperatrix cum tribus filiabus, qui in æde Diui Mamantis vicina mœnibus ſepulti ſint, à Pharaſmane eunucho Iuſtiniani cubiculario condita. Sepulchro hæc Elegia eſt inſcripta:

*Mauritij cũ ſuis cædes.*

*Hic ſita ſum Regum dolor, heu miſeranda, duorum:*
*Mauritij coniux, filia Tiberij,*
*Quæ partu monſtrante meo fœcunda probaui*
*Multorum eſſe etiam poſſe bonum imperium.*
*Militis huc furor & populi leuis, ira maritum*
*Me ſobolémque meam ſanguinolenta tulit.*
*Hei mihi quid gemitis Niobem? ego mortua ſpiro*
*Aſpera continuis ſaxa rigo lachrymis.*
*Cladibus haud Hecube certent locaſtáque noſtris.*
*Nam leuior dolor eſt cæſus vtérque parens:*
*Sæue quid infantes perimis, vitiíque dolíque*
*Ignaros? ætas quid dedit illa mali?*
*Non tibi Roma meis iam præbeo frondibus vmbras*
*Turbine Threicio ſtirpitus interij.*

Mortuus eſt Mauritius anno ætatis ſexageſimotertio, regni vigeſimo. Phoca autem anno mũdi ɔↄ cıↄ xcv, à Chriſto nato ɔↄxcv rerũ potito, Narſes ab eo defecit, Edeſſa occupata, & acceptis à Choſroe auxiliis: cõtra quem iuſſu Phoca profectus Germanus, victus eſt, & poſt aliquot dies ex vulnere mortuus. Narſes verò cũ Hierapolim confugiſſet, iureiurando firmata fide, à fratre imperatis Dométiolo Magiſtro, ad Phocam miſſus eſt, nulláque datæ fidei ratione habita, crematus. Magnum hoc Romanis attulit dolorem. Nam ita formidoloſus fuerat perſis Narſes, vt pueros ij quoque ſuos nominando Narſete terrerent. Hic Narſes Diui Panteleemonis & ſanctorum Martyrum Probi, Tarachi & Andronici ædem, atque vicinum hoſpitium condidit. Neque verò hunc ſolum, ſed & Petrum fratrem, omnéſque Mauritij cognatos, & Germanum Theodoſij filij illius ſocerum vnà cum filia occidit. Philippicus autem clericus factus, Chriſopoli in Monaſterio à ſe condito vitam egit.

*Narſetis defectio & cædes.*

CEDR. *Cùm Phocas Circenſes ludos edidiſſet, ac ſub veſperam vino ſe ingurgitaſſet, & tardiùs rediret, clamauit populus: Exorere Phoca. cúmque non ſtatim ad ſpectaculum procederet, vociferati ſunt: Rurſus vinum bibiſti, rurſus mentem amiſiſti? Ob quod conuicium inſania correptus, multis membra præcîdit, multos necauit. Populo autem in prætorium ignem iniiciente, profugerunt omnes vincti. Idem Phocas armamentarium extruxit Magnauræ propinquum, ſtatua ſupra id collocata.*

Cyriaco Patriarcha, vndecimo à deſignatione anno mortuo, Patriarcha factus eſt Thomas Sacellarius, magnæ Eccleſiæ diaconus. Eo tempore, variis malis Romani ſunt oppreſſi. Nam in Oriente Perſæ, Syriam, Palæſtinam & Phœniciã ſubegerunt: in Armeniã, Cappadociam, Paphlagoniam & Galatiam incurſiones fecerunt, populabundi Chalcedonem vſque progreſſi. In Europa, Abares Thraciam vaſtarunt, Romanæque legiones in ambabus partibus perierunt. Abſumpſit & peſtilentia multos mortales, grauiſſimæq; tempeſtates & frugum & animalium interitum attulerunt. Super hæc omnia peſtis humani generis Phocas, cum neſcio quid populi in eum cauillati eſſent, furore percitus multos occidit, multos truncauit, nonnullos in mari demerſit, ſed plurimos præfecto ad ſuppliciũ in prætorio cuſtodiendos tradidit, quo à multitudine incenſo, illi diffugerunt. Iudæi quoque mota Antiochiæ contra Chriſtianos ſeditione, multos occiderũt. ipſum Patriarcham Anaſtaſium, eiúſque cadauer in foro combuſſerunt. Eos Phocas partim occidit, partim mutilatos vrbe exegit. Thomas Patriarcha cũ Eccleſiæ triennium præfuiſſet, obiit: in cuius locum ſuffectus eſt Sergius, magnæ Eccleſiæ diaconus. Filiam Domnentiam Priſco duci copiarum deſpondit, cúmque poſt nuptias ludis equeſtribus, Priſci vxoríſq; Domnentiæ imagines iuxta ſuas aſtare vidiſſet, furore percitus, tribunos plebis obtruncari iuſſit, cóſque ægrè à populo exoratus miſſos fecit. Ea de cauſa Priſcus vitæ ſuæ metuens, conſilia tollendi tyranni iniit, qui cum & in mulierum ſtupris volutaretur, & ebrioſus & ſæuus atque ſanguinarius eſſet, in publico erat omnium ordinum odio. Itaque Senatus & ipſe Dux Priſcus legatos ad Heracliũ mittunt, eius Heraclij patrem, qui pòſt imperio potitus eſt, Africæ & Libyæ præfectum, orantes, vt ſe à tyrannide Phocæ vindicet. Erat Heraclio legatus Gregoras vir illuſtris, qui duo inita conſpiratione ſuos filios contra Tyrannum mittunt, Heraclius cum claſſe & magnis copiis militum Heraclium, Gregoras Patricius Nicetam pedeſtri itinere, cum multis equitibus & magno exercitu: ea conditione, vt, vter prior vrbem occupaſſet, tyrãnúmque ſuſtuliſſet, is imperio potiretur. His cognitis Phocas Heraclij matrem, & ſponſam Eudociam, principis cuiuſdam Africani filiam, comprehenſas monaſterio incluſit. Cæterũ Heraclius anteuertit, & in Sophiano portu appulit, commiſſáque pugna euaſit ſuperior, adiutante Priſco, qui præfecti honore fungebatur. Phocius quoque vnus ex illuſtribus, cuius vxorẽ Tyrannus vi conſtuprarat: Regia cum multis militibus occupata, tyrãnum ſolio deturbauit (Nã eius ſatellites deſperata ſalute Regia ceſſerant) direptáque purpura, pullam ei veſtem induxit, & captiuum Heraclio exhibuit. Qui cum ei dixiſſet: Itáne miſer Rempublicã adminiſtraſti? Phocas ex deſperatione reſpondit, Tu verò melius eam adminiſtrabis? Ob quod dictum iratus Heraclius, calcibus in eum inſiluit, & caſtrari iuſſit. Alij eum ſtatim occiſum eſſe tradunt, alij manibus

*Thomas ſacellarius Patriarcha.*

*Perſarum & Abarum in Romanorum prouinciis graſſationes.*

*Iudæorum graſſationes.*

*Sergius patriarcha.*

*Priſcus gener de tollendo Phoca cogitat.*

*Heraclij & Gregoræ cõſpiratio contra Phocam.*

*Phocæ captiuitas & cædes.*



bus prius & pedibus amputatis, virilibus denique, ob laſciuiam & multorum coniuges adulteratas, exectis, poſtremò obtruncatum, & infœlix cadauer in Boue crematum eſſe. Vbi caminus fuiſſe perhibetur æreus, forma Bouis, Pergamo tranſlatus, vnde & loco nomen factum. Sunt & fratres eius aliíque neceſſarij interfecti. Phocæ igitur peſſimi tyrannidis hic fuit exitus, cùm imperio per annos octo inſultaſſet.

*Bos loci nomen.*

## IMPERIVM HERACLII.

Heraclius autem à Sergio Patriarcha coronatus, ſtatim etiam Eudociam ſponſam diademate ornat. Ita ſimul & imperatorias & nuptiales coronas acceperũt: eodem die & imperatores & ſpõſi appellati. At Perſæ, Orientales prouincias incurſantes alias ſubegerant, alias prædabantur, Romanæque legiones ab eis victæ cæſæq; erant, paucis fuga elapſis. Europam Scythæ & Abares vaſtarant. Quæ res Imperatorem animi dubium reddebant. Nam in militaribus catalogis paucos omnino reperiebat, penè omnibus bello abſumptis. Ex multis enim eorũ millibus, qui ſub Mauritio Phocam Imperatorem conſalutarant, duo tantum milites reliqui ſunt inuenti. Verum delectu acto Criſpum cum Imperio in Cappadociã mittit. Ex Eudocia Auguſta, quam & Fabiam nominauit, filiolam ſuſcepit Epiphaniam. Deinde filium quoque Heraclium iuniorem, qui & minor Conſtantinus dictus eſt, ambóſque pueros diademate ornauit. Neque multo pòſt coniunx eius moritur. Cuius funus cùm ornatu regio per forum efferretur, puella quædam barbara proſpectãs, ſputum imprudens in feretrum deiecit, ob quod factum comprehenſa & cremata Imperatrici defunctæ infeliciter parentauit. Heraclius poſt eam, fratris ſui filiam Martinam ducit, atq; Auguſtam ſalutat. Cum autem Choſroes & Perſæ impotenter graſſantes, omnia popularentur, Imperator per legatos ab eo petiit, vt tandem interitu hominum ſatiatus pacem faceret, annuáque tributa acciperet. Ea legatione repudiata, mittit aliam, & pacem petit. Cui Perſa ſuperbè contumelioſéque reſpõdit, Se nunquam parſurum Chriſtianis, niſi crucifixum inficiati, Solem adorarent. Imperator igitur pace deſperata bello Perſas inuadere conſtituit, & cum Chagano, qui Thraciam continenter infeſtabat, pacem properè facere: qua per legatos petita, Barbarus non abnuit. Ea re delectatus Imperator, Vrbem egreſſus, extra longum murum, cum regia magnificentia & comitatũ, ſtatiua habuit, multáque munera Chagano attulit. At Barbarus ſpreto iureiurando, & fœdere, Heraclium comprehendere ſtuduit. Sed eo conatu fruſtratus, (nam ille iã aufugerat) omne regium inſtrumentum & comitatum, pecuniam quoque & multa captiuorum millia diripuit, ocioſéque domum eſt reuerſus. Heraclius igitur denuò per Legatos, de perfidia eius conqueſtus, pacem ab illo impetrat, & Regia vrbe digreſſus, Cæſaream, vbi Criſpus dux agebat, peruenit eúmque vel ægrotantem, vel morbum ſimulantem inuiſit, de rebus gerendis cum eo deliberaturus. Sed negligenter ab eo excipitur. Nam neque obuiam progreſſus eſt, neque è lectulo ſurrexit, in colloquiis etiam arrogantioribus verbis vſus. Heraclius etſi quid ille ageret, intelligebat, & ſui contemptum iniquo ferebat animo: tamen vtrunque diſſimulat. Interea ei nunciatur, Auguſtam peperiſſe filium. Relictis igitur Criſpo legionibus, ipſe Byzantium redit, & Nicetam Grægoræ Patricij filium, vrbem ingreſſum, honorificè exceptum, fratrem appellat. Eſt & Criſpus ab expeditione reuerſus. Quum baptizandus eſſet Imperatoris filius, Senatu conuocato, & Patriarcha præſente, Imperator eos qui aderant rogat, qua pœna dignus ſit is, qui Imperatori contumeliam fecerit? Reſpondent illi, Vita indignum eſſe, qui omnem clementiæ ſpem vltrò ipſe ſibi præciderit. Tum Imperator, quid Criſpus egiſſet, illo etiam præſente, commemorat. Inde ad eum conuerſus, Quæ ſocero, inquit, non feciſti, ea neque amico vnquam præſtabis. Clericum igitur eum fieri iuſſit. E Martina verò fratris filia duos ſuſcepit filios, Fabium quem & Heraclonam vocauit, & Dauidem. Quum autem Choſroes omnia prædaretur & deleret, & Palæſtina ſubacta, Hieroſolyma quoque expugnaſſet: fertur infinita Chriſtianorum multitudo eſſe interfecta. Nam Iudæi, eos vili precio commercati peremerũt, quorum ſumma fuiſſe memoratur ad nonaginta millia. Patriarcham autem ſanctæ Vrbis, & precioſa Crucis ligna, Perſæ domum ſecum aſportarunt. Imperator igitur quum exercitum hoſtibus parem non haberet, ac pecuniæ inopia laboraret: argentum & aurum ex magna Eccleſia & aliis ſacris ædibus mutuatus, nummos inde cudit, collectúmque ex prouinciis populum militari diſciplina exercet, ac ſocios accerſit. Et poſt feſtum Paſcatis, Sarbarum Choſroæ Archiſatrapam, cum magnis copiis contra Romanos miſſum, profligat, eiúſque exercitum trucidat. Interea Chaganus, rupto fœdere, Byzantium agrum inuadit, caſtris ante mœnia poſitis, & quicquid extra Vrbem erat, incendit. Vnde ciues, & Patriarcha, & Bonus Patricius (Eos enim ambos Heraclius diſcedens, filij ſui Conſtantini curatores, & publicarum rerum adminiſtratores reliquerat) multos viros fortes, in Barbaros, vt abſente exercitu, ſecuros, ex improuiſo immiſerunt, eorúmque multa millia occiderunt. Qui ſuperfuere, turpi fuga ſe in ſuas ſedes receperunt. Heraclius denuò alium quendam Satrapam cum triginta hominum milibus contra ſe miſſum à Choſroe, profligauit, & milites eius penè omnes Orco demiſit. Eius exercitus reliquiæ reuerſæ domum, nunciata clade, ſuos populares iam antè Choſroæ infenſos, ad maius etiam tyranni odium concitarunt. Heraclius verò etiam in Perſiam interiorem penetrauit. Vrbes euertit, Lucos vnà cum igni, qui ab illis colitur, deleuit: cognitáque Legatorum ſuorum cæde iratus, ferro, atque incendio, in obuia omnia graſſatus eſt.

*Inter vrbes autem Gazacum cepit. Ea in vrbe fuit fanum Solis, theſaurus Crœſi Lydorum regis, & impoſtura carbonum. Ingreſſus autem in eam, abominandum offendit Choſroæ ſimulachrum, & effigiem eius in glo-* CEDR.

*Criſpus cum exercitu in Cappadociã contra Perſas mittitur.*

*Heraclij liberi.*

*Eudociæ obitus & inferiæ.*

*Martina ſecunda Heraclij vxor.*

*Heracli⁹ pace deſperata Choſroẽ inuadit.*

*Chagani perfidia.*

*Choſroæ in Chriſtianos ſæuitia.*

*Criſpi ergã Heracliũ faſtus vindicatus.*

*Sarbarus ſatrapa ab Heraclio profligatus.*

*Chaganus Byzãtij obſidione repellitur.*

*Heraclius alio Satrapa victo in Perſia ferro & igni graſſatur.*

*Perſica idola.*

*bi formam, referente palatij tholo tanquam in cælo ſedentem. Circùm erant ſol, luna, & aſtra, quibus ille ſuperſtitioſus tanquam diis ſeruiebat, circumſtãtibus ſibi angelis ſceptrigeris. machinas porrò impius parauerat, quæ eo ex loco guttas pluuiæ inſtar emitterent, ſonitúmque tonitrus æmulum ederent.*

*Sarbarus ad Romanos deficit.*

Quæ dum Imperator agitaret, Choſroes Cteſiphontem confugit, delatóque Sarbaro Archiſatrapa, quaſi cum Romanis colluderet, & ipſi conuiciaretur: legato illius ſcribit, vt Sarbarum tollat. Sed tabellario, in itinere à Romanis excepto, ac Byzantium perducto: Magiſtratus lectas literas, vnà cum tabellario ad Sarbarum mittunt. Is lecta epiſtola, & Choſroæ ſententia è tabellario cognita: aliam epiſtolam confingit, eámque conuocatis tribunis & centurionibus, recitandam curat. Vnde illi iracundia inflammati, communi conſilio ſe ad Romanorum Imperatorem conferre ſtatuerunt. Poſt hæc etiam aliud quiddam accidit ad Choſroæ interitum maturandum. Nam cùm multos haberet liberos, reiecto natu maximo Siroe, alij tradere voluit Regnum, nomine Merdaſæ. Quo Siroes cognito, conciliatis ſibi quibuſdam Satrapis, patrem inuadit, eíque in vincula coniecto, quum multum auri & precioſarum gemmarum aceruos propoſuiſſet, Ob hæc, inquit, Romanos contra Perſas concitaſti, & mutuis cædibus & cladibus graſſari coegiſti. Fruere igitur deſideriis tuis. Deinde filium quoque illius Merdaſam, cui regnum deſtinarat, cæteróſque liberos in conſpectu illius, ac tum demum ipſum quoque ſuſtulit. Ita regno Perſarum potitus, Legatos ad Heraclium mittit, Choſroæ interitum illi nuncians, pacéque facta, omnes Romanos captiuos dimittit, & venerabilia ligna Salutaris crucis, & Patriarcham Hieroſolymitanum Zachariam, illi reſtituit. Imperator viciſſim Perſis, qui à Romanis tenebantur, domum redeundi poteſtatem dedit. His ſexennio peractis, & precioſis lignis ipſóque Patriarcha Hieroſolymam reſtitutis, Heraclius anno ſeptimo in Regiam regreſſus, à ſenatu populóque Byzantino lætis acclamationibus, & cum plauſu, ſplendidiſſimè excipitur. Cæterùm, in reditu Iacobitarum Catholicum, quem illi Patriarcham nominant, Hieroſolymis incuſauit, vt qui Chalcedonenſe Concilium improbaret, neque duas naturas in Chriſto citra confuſionem vnitas confiteretur. Quòd ſi faceret, ac ſententiam eandem amplecteretur, ſe illum Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcham deſignaturum. At ille homo callidus, & dolis plenus: & concilium ſe approbare ſimulat, & duas naturas in Chriſto vnitas ſe profiteri ait. Sed de voluntatibus & actionibus percontatur, vtrum eas duplices, an verò vnas & ſingulas dici fas ſit? Eam quæſtionem Imperator ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribit. Qui cum pridem Monothelitarum hæreſim probaret: vnam naturalem voluntatem, & vnam actionem in Chriſto ſtatuendam eſſe Imperatori reſcribit Rogato Cyro Phaſiano eum, quóque idem ſentire cum Sergio intelligit, Quorum autoritate motus Heraclius, & ipſe eandem opinionem amplectitur, & turbidam aquam bibit ab illis non paſtoribus, ſed mercenariis exhibitam.

*Syroes filius Choſroæ interfecto, pacem cum Heraclio facit.*

*Heraclius Byzantiũ redit.*

*Iacobitarum Catholicus Monothelitã facit Heraclium.*

*Sophronij decretum.*

Verùm cum Sanctus Sophronius tum ſummo ſacerdotio fungens Hieroſolymis, ſubiectis ſibi ſacerdotibus conuocatis, per concilij modum demonſtraſſet: Qui vnã in duabus Chriſti naturis voluntatem, atque actionem affirmarent, eos palàm vnam quoque naturam ſtatuere: eíque Ioannes Papa Romanus aſſenſus eſſet. Imperator edictum proponit: Neque ſingularem, neque binariam in Chriſto actionem, eſſe aſſerendam. Id edictum non Orthodoxis tantum, ſed Seueri etiam ſectatoribus, ridiculum viſum.

*Heraclij edictum.*

Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano defuncto, Pyrrhus eiuſdem opinionis ſuccedit, ſententiæ Cyri & Seueri & admirator & approbator. In eodem triumphali ex Perſia reditu Moametus Saracenorum princeps Imperatorem conuenit. Ei principatus non ex nobilitate generis contigerat. Nam quum pauper eſſet, locupleti cuidam viduæ mercede ſeruierat, quam præſtigiis quibuſdam in amorem ſui pellectam, vxorem duxerat. Sed quia comitiali morbo laborabat, & ex interuallis impetu illius mali proſtratus, mente alienabatur: dominæ ſuæ vxoríque & mœrori & pudori fuit. Cæterum homo improbus, Monachum ſe nequiorem nactus, ob peruerſam religionem Byzantio exactum: illius inſtinctu, vxori ait Archangelum Gabrielem de cœlo ad ſe deſcendentem, diuina quædam arcanáque ſibi reuelare: cuius conſpectum quia ferre non poſſit, ſe oborta ex metu vertigine, humi procumbere. Ea verba teſtimonio doloſi monachi confirmabantur, qui mulieri dicebat, Omnino Gabrielem ad omnes Prophetas mitti ſolere. Ex eo mulier, abolito dedecore, ac potius Prophetæ coniugio glorians, fabulam iſtam inter cæteras mulieres ſpargit. Sic impurus ille apud ſuos populares, Prophetæ nomen conſequutus, & Vxoris mortuæ hæreditate locupletatus, Iſmaeliticæ gentis princeps, doctor & Legiſlator eſt habitus, quum alios verbis ſeduxiſſet, alios imperium detrectantes ſtricto gladio ſibi cedere coëgiſſet. Iam enim manum non contemnendam fecerat. Is igitur ex Æthribo progreſſus Imperatorem conuenit, & regionem ad habitandum petitam accepit. Cúmque omnes populares ſuos ad hunc modum deceptos ſubegiſſet, Syriam direptionibus vexauit, & multas Romanorum prouincias euaſtauit. Ex eo tempore gens Iſmaëlitarum Romanorum terram incurſare & prædari nunquam deſtitit.

*Pyrrhus patriarcha.*

*Moameti origo.*

*Epilepſiæ diſsimulatio callida.*

CEDR.

*Cùm autem Moametus, ſiue Machumetus ille dirus mortem obiiſſet, media die viſus eſt cometa, quem à trabis forma Græci dociten nominant, Arabum prænuncians imperium. durauit dies XXX, à meridie ad Septentrionem pertingens, habuit gladij formam.*

*Abubachar Arabũ dux. Vmarus.*

*Anno imperij Heraclij XXIV, moritur Abubachar, qui Machometo ſucceſſerat, cum Ameras (id imperij nomen eſt) fuiſſet annos II5. Succedit eis Vmarus. hic Boſtram aliaſq́ vrbes cepit, & vſque ad Gabithâm progreſſus eſt. Cùm hoc prælio commiſſo Theodorus Heraclij frater victus, ad Imperatorem Edeſſæ tum agentem venit. Imperator copiis Boanem eius loco præficit. Theodorum porrò ſacellarium cum exercitu Romano aduerſus Arabes mittit. Ei, cum ad Emeſam veniſſet, occurrit Amerâs cum multitudine Sarracenorum, caſtráque locat ad Bardaniſium, fluuium. Itaque Heraclius rebus deſperatis, Syriam deſerit: ſublatíſque Hieroſolymis venerabilibus lignis, Conſtantinopolim abit. Boanem autem à Damaſco Emeſam diuertere iubet, & Theodorum ſacellarium cum exercitu XL millium. Hi Arabes ab Emeſa Damaſcum vſque perſequuntur.*



*Anno XXV, Sarraceni multitudine Arabũ ſtipati bellum inferunt: factáque pugna Romanos vincunt. Porrò milites Baanis ſeditione mota, Heraclio imperium abrogant, Baanémque Imperatorem deſignant. Interim ſacellario cum ſuis recedente, Sarraceni licentiam nacti, bellum Baani faciunt, eúmque vincunt. Nam Romani cum vehemens Auſter iis eſſet aduerſus, ita vt præ multitudine pulueris hoſtes cernere nequirent, magna cum clade fuſi ſeipſos in fuga in amnis Iermochthæ anguſtias præcipitarunt: atque hoc modo illa XL millia perierunt. Sarraceni autem Damaſco inſuper potiti ſunt: ac Phœnicia, ibíque habitare cœperunt. In Aegyptum quoque facta expeditione, eam occuparunt, ibíque ſedes poſuêre.*

*Romani clade ab Arabibus affecti.*

*Anno XXVI Vmarus in Palæſtinam cum infeſto exercitu ingreſſus, ſacram vrbem certis conditionibus in poteſtatem accipit, Sophronio cum Patriarchæ munere fungente. Vt in eam peruênit, veſtem ex camelorum pilis contextam indutus atque ſordidatus, ſatanicámque ſimulationem adhibens, templum Iudæorum à Solomone extructum quæſiuit, vt in eo ſuæ ſacrilegæ ſuperſtitionis domicilium conſtitueret. Hunc videns Sophronius, ait: Profecto eſt abominandum illud vaſtationis argumentum, ſtans in loco ſancto. multóque cum fletu rem Chriſtianam lamentatus eſt. Hortatus itaque eum eſt, vt ſindone ſe indueret: verùm is renuit. vix tandem aſſenſus, lotis ſuis veſtibus, patriarchæ ſuas reddidit. Ea tempeſtate diem ſuum obiit Sophronius. cùm diu multúmque aduerſus Heraclium, & cum eo ſentientes Sergium ac Pyrrhum Monotheletas decertaſſet. Hoc anno Vmarus Iadum in Syriam mittit, totámque in Sarracenorum poteſtatem redegit.*

*Tum etiam temporis Indorum rex munera gratulationis ergò Imperatori miſit, vniones & gẽmas multas. Deceſſerat iam tum Moamedus, conſtitutis quatuor Ameradis, qui Arabibus Chriſtianam religionem amplectentibus bellum facerent. Hi aduerſus Theodorum cubicularium profecti, cúmque eo prælio congreſsi ſunt. Sed eo in prælio tres Amerades, magnáque cum his multitudo occubuerunt. Exiuit etiam reliquus Ameras, Chalebus nomine, qui gladius Dei appellabatur. Erant quidam vicini Arabes, qui ab Imperatore Romano ſtipendium tuendarum ſolitudinis faucium cauſa accipere ſolebant. Hoc cum iſti id temporis petitum veniſſent, repulſam paſsi, eiectíque ſunt. Quod indignè ferentes, gentilibus ſe ſuis cõiunxerunt, eiſque ad Gazæam regionem duces itineris ſe præbuerunt, quæ aditum tenet in ſolitudinem, iuxta Sinæum montem, éſtque admodum diues. Hoc modo ab iis Era, omniſque Gazæ ditio capta eſt. Sergius autem, Cæſarea Paleſtinæ veniens cum exigua militum manu, primus ipſe cum exercitu interficitur. Barbari magna præda potiti diſcedunt.*

*Anno XXVII, venit Ioannes cognomento Catzâs, Oſroenæ præfectus, Chalcedonem ad Iadum, eique centũ millia nomiſmatis daturum ſe promiſit eo pacto, ne is vel belli, vel pacis gratia Euphratem trãſeat. Heraclius verò, vbi id Catzân ſe inſcio pepigiſſe intellexit: hominem relegauit, eiúſque loco exercitui Ptolemæum præfecit.*

*Anno XXVIII, Arabes Antiochiam ceperunt, miſſus quoque ab Vmaro eſt Mauias ductor, & Ameras omnis quæ Saracenis ſuberat regionis, ab Aegypto vſque ad Euphratem.*

*Anno XXIX, Iaddus Edeſſam colloquio, Conſtantiam vi capit: itémque Daras, in quo multos interfecit. atque ſic Iaddus totam ſubegit meſopotamiam.*

*Anno XXX Sarraceni Perſidi bellum intulerunt: victóſque Perſas omnes ſibi ſubiugarũt, Hormiſdas Perſarum rex fuga ad interiores Perſas euaſit. Sarraceni Choſroæ filias captiuas cum omni regia ſupellectile ad Vmarum abduxerunt. Eo ipſo tempore Vmarus cenſum egit per omnes ſuas ditiones, hominũ, pecoris, & ſtirpiũ.*

*Heraclij ex morbis obitus.*

Heraclius autem ita vti expoſui, in ſectam Monothelitarum deuolutus, aqua intercute laborare cœpit. Fertur etiam inguine ſurſum conuerſo faciem ſuam perminxiſſe, niſi vrina, tabella imo ventri oppoſita, auerteretur. Id ei accidiſſe creditum ob incæſtum cum fratris filia coitum. Mortuus eſt, cùm annos triginta vnum Romano imperio præfuiſſet.

## IMPERIVM CONSTANTINI FILII HERACLII.

*Conſtantini interitus.*

IMperium autem & ſumma poteſtas ad eius filium Conſtantinum ſucceſſione deuenit: quo non diu eſt lætatus. Nam cùm vnũ regnaſſet annum, veneno periit, à Martina nouerca cadémque ſorore patrueli temperato.

*Is à quibuſdam admonitus, coronam, qua regno inauguratus fuerat, cum patre eſſe ſepultam: Callinico cubiculario mandat, vti eam ſibi afferat. Abit ille, & ſepulchro recluſo cadauer Heraclij aquæ inſtar diſsipatũ reperit, coronámque capiti adhæreſcentem. eam cum crinibus reuellit mœſtus atque lamẽtans, & Conſtantino adfert. Is ſolui ac æſtimari iubet coronam, & æſtimata eſt libris LXX.*

** Anaſtaſiã illam nominat Cedrius.*

Vxorem habuit * Gregoriam, Nicetæ Patricij filiam, è qua Conſtantem ſuſcepit. De religione rectè ſenſit, paterni Imperij duntaxat, non item peruerſæ opinionis heres. Qua de cauſa, Pyrrhus etiam Patriarcha, conſcius fuiſſe inſidiarum putatur. Conſtantino ita defuncto, Martina cum filio Heraclona imperium ſibi vendicabat.

*Martina relegatur.*

*Is ad templum S. Sophiæ protulit coronam, quam Cõſtantinus ex ſepulchro patris abſtulerat. Legatum quoque Conſtãtini fratris militibus viritim tria nomiſmata diſtribuit. Hoc anno Mabias Cæſaream Palæſtinæ occupat, ſeptem annos oppugnatam: ac in ea VII Romanorum millia interfecit.*

Cito etiam & ipſi imperio exciderunt. Nam ob Conſtantini parricidium ſenatui inuiſa, per ſeditionem regio ſolio auulſa eſt, ipſaque lingua execta: Heraclonas decennis adhuc, naſo præciſo à ſenatu relegãtur, Pyrrhus item Eccleſia eiectus, exulare iubetur.

## IMPERIVM CONSTANTIS nepotis Heraclij.

DEinde Conſtans Heraclij nepos, Conſtantini filius in regnum, Paulus in põtificium ſolium collocatur. Qui Paulus & ipſe eiuſdem cũ Sergio & Pyrrho opinionis fuit. Ipſe quoque Con-

ſtans, aliis quidem in rebus, non inutiliter adminiſtrauit imperiũ, ſed in religione auum imitatus, Monothelitarum ſectam eſt ſectatus. Qua de cauſa Maximum, verè ſuo nomini reſpondentem, virum doctiſſimum & ſanctiſſimum, & ambos eius diſcipulos, crudeliſſimo ſupplicio affecit, ac Martinum ſanctiſſimum Papam Romanum in exiliũ egit, in quo & mortuus eſt. Nam is cum Sancto Maximo Romam profecto, coacto primorum ſacerdotum concilio, anathemate notarat Monothelitarũ aſſenſores. Alios quoque complures, Conſtans vnicæ voluntati ſuæ refragantes, pœnis affecit.

*S. Maximi martyrium.*

CEDR.

*Anno huius Conſtantis altero Vmarus ædificare tẽplum Hieroſolymitanum cœpit: cùmque ædificia non cõſiſterent, Iudæi cauſam rogati, eam expoſuerunt, ac crucem quæ templo montis olearum impoſita erat depoſuerunt. ita demum ædificia firmata ſunt. Atque hæc res Chriſti oſoribus occaſionem præbuit, multas cruces deturbandi.*

*Anno tertio defectus Solis fuit.*

*Anno ſexto, ingens ventus multas prægrandes arbores ac Columnas deiecit.*

*Conſtans à Mabia Saracenorũ duce profligatur.*

Cum autem iam Saraceni magnam adepti potentiam, multas prouincias Romanis tributarias & inſulas occupaſſent, Dux eorum Mabias bellicis nauibus ædificatis, Romanum Imperium inuadere cogitabat. Quo Conſtans intellecto, & ipſe claſſe comparata in Phœnice Lyciæ portu appulit. Quo cum & Agareni veniſſent, ac pugna poſtridie committenda eſſet: ea nocte Imperator in ſomnis ſe Theſſalonicæ eſſe videt. Eo ſomnio coniector cladem illi portendi dixit, quod θὶς ἄλλῳ νίκην ſignificaret, alteri victoriam tribuẽdam: idque accidit. Commiſſo enim prælio, hoſtes ſuperiores euaſere, tanta Romanorum cæde edita, vt mare illorum ſanguine purpuraſceret, & Conſtans vili veſte indutus, fortuito nauigio conſcenſo cum paucis, Byzãtium euaderet. Agareni verò iam obſiſtente nemine, inuadebant omnia. Tunc etiã Rhodo inſula ſubacta, celebratum in ea Coloſſum demoliti ſunt, cuius æs Iudæus quidam mercatus, D C C C C camelis fertur aſportaſſe.

*Rhodius coloſſus.*

*Etenim Rhodij maris imperium obtinentes, æream Soli ſtatuam poſuerunt, altam cubitos L X X X, quod inſcriptio eius docet.*

*Qui ſtat Rhodi Coloſſus, octies decem*
*Fecit Laches hunc altum cubitos Lindius.*

à magnitudine, ei Coloſſi nomen indiderunt. & ab eo ipſi quoque Coloſſenſes ſunt denominati.

Cæterum Agarenorum audacia, qua Romanos laceſſebãt, aliquantiſper nonnihil eſt repreſſa, orta inter eos de duce exercitus controuerſia, aliis Mabiam, aliis Alimum Muchumeti generũ præferentibus, ac biennij inducias cum Romanis tributa pollicitis fecerunt.

*Induciæ biẽnij cum Agarenis.*

CEDR.

*Manichæorum Paulicianorum ſecta.*

*Circa hoc tempus extitit Conſtantinus quidam, qui & Siluani nomen vſurpabat, Paulicianorũ ſectæ princeps. Eius hæreſeos hæc eſt hiſtoria. Manichæi Paulicianorum nomen ſibi ſumpſerunt, à Paulo quodam Samoſateno, Manichææ cuiuſdam mulieris Callinices nomine filio. Ea cùm haberet duos filios, Paulum ſcilicet hunc, & alium Ioannem, Manichæa eos hæreſi inſtituit: Samoſatiſque in Armeniam, emiſit, vti ibi eam hæreſim promulgarent. id quod ij fecerunt in vico quodam Phanarrhææ. Exinde vico Epiſparidis, ſectatoribus Paulicianorũ nomen factũ fuit. Hi longo poſt hunc Paulum tempore magiſtrum habuerunt alium, Conſtantinum illum qui cognomentum Siluani geſſit. hunc principem ſuarum doctrinarum agnoſcunt, non Paulum. Hic enim iis opiniones, quas ſectantur abſque ſcripto per traditiones exhibuit: Euangelium quidem ex traditione, Apoſtolum autem ſcripto. tradidit autem ita, vt nihil à ſcriptura differrent apud nos recepta, ſed ſingula capita ad ſuam detorſit hæreſim. nam & hanc ipſis legem poſuit, ne præter Euangelium & Apoſtolum vllum alium librum legerent. Secundum Conſtantinum illum Siluanum, aliũ habuerunt præceptorem, Simeonem * nomine: ſed qui ſe Timotheum vocaret. Quartum, Ioſephum, qui ſibi Epaphroditi appellationem impoſuit. Ab hoc Zachariam, quem tamen veluti mercenarium, & non verum paſtorem, quidam ipſorum repudiant. Sextum Baanem, cognomento ſordidum. Septimum Sergium, qui Tychicũ ſeſe denominauit. Ac Manetem quidẽ, Paulum, Ioannem, & alios quicunque ipſis proponantur, libenter ij damnant: Conſtantinum autem Syluanum, Simeonem qui Titi, Geneſium qui Timothei, Ioſephũ qui Epaphroditi Baanem ſordidum, & Sergium qui Tychici titulo ſe inſignibat, nequaquam damnant, quippe eos pro ſuis agnoſcentes magiſtris: ſed eos loco Apoſtolorum Chriſti habent. Nominant ſex Eccleſias in ſua confeſſione: Macedoniam, quæ eſt caſtrum Coloniæ: Ciboſam, quam docuit Cõſtantinus Siluanus, & Simeon Titus: Achaiã, qui eſt vicus Samoſatorum: Manalin, quam inſtituit Geneſius Timotheus: Philippenſem, dicentes in ea eſſe diſcipulos Ioſephi Epaphrodyti, & Zachariæ, quem ipſi mercenarium paſtorem appellant: Laodicenſem, quos Cynochoritas vocant, quaſi à canum regione. Sed Epheſiam, eam quæ eſt Mopſueſtiæ, & Coloſſenſem, à Sergio Tichico damnatas dicunt. Hos ergo ſeptem ipſorum doctores, & ſex eccleſias, in honore habent ac venerantur: reliquos omnes, quoſcunque ipſis nomines, damnant atque reſpuunt. Seruant primam Manichæorum hæreſim, duo principia cum ipſis affirmãtes. Vnum tãtùm eſſe aiunt, quòd ipſos à Romana eccleſia diſiungat. Se enim ſentire, alium eſſe Deum patrem cœleſtem, qui in hoc mundo nihil habeat poteſtatis, habeat autẽ in futuro: alium Deũ mundi conditorem, cui in præſentem mundum ius ſit. Romanos autem profiteri, eſſe vnum Deum, eundémque patrem cœleſtem, & vniuerſi factorem. Se Chriſtianos, nos Romanos appellant. Iis, quibus ignoti ſunt, alacriter dicũt, credere ſe in Patrẽ, Filium, & ſpiritum ſanctum, cœleſtem patrem: execrantúrque adeò eum, qui non hoc modo credat. Sed nimis meditatè ſuam malitiam conſectantur. cùm enim patrem cœleſtem nominant, non addunt Solum verum Deum, conditorem cœli & terræ, atque omnium quæ in iis ſunt. Enimuero Chriſtianus cum Manichæo diſputans, poſtulare ab eo debet vt ſymbolum fidei recitet hoc, Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, omnia quæ & videntur & viſu non deprehendũtur, &c. Deinde, immoderata maledicendi impietate ſanctiſſimæ Deiparæ obtrectãt. cumq; à nobis cogũtur eam fateri, verbis aliud ſignificantibus, dicunt: Credo in ſanctiſſimam Deiparam, in quam intrauit, & ex qua exiuit Dominus. His verbis occultè notãt Hieroſolymorum vrbem ſupernam, in quam præcurſor noſtri cauſa intrauit Chriſtus, vt ait Apoſtolus. Neque verè appellãt beatã Mariã Deiparã, neque Dominum ex ea carnẽ aſſumpſiſſe. Impiè quoque de diuinis myſteriis ſanctæ communionis precioſi corporis*

** Mutilus aliquantũ hic locus.*

Ebra. 6.



*ris & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti garriunt, dicentes Dominum verba ſua Apoſtolis dediſſe, eáque iuſſiſſe accipere, edere atque bibere, non panem & vinum, quæ quidem etiam adhibenda negant. Quin & venerandæ cruci ſceleratè detrahunt, Chriſtum eſſe crucem dicentes: neque adorandum eſſe lignum, execrationibus deditum inſtrumentũ. Vates quoque diuinos, & reliquos ſanctos explodunt. Beatũ Petrum, magnum illum Apoſtolorũ principem grauiùs reliquis omnibus et infamãt, & prorſus à ſe reiiciunt, negantes eum in vllam ſalutis partem venire. Concilia ſua eccleſiam catholicam nominant, in ſuis ad nos allegoriis: inter ſe enim à precibus ea proſeuchas appellant. Pro baptiſmo habent verba Euangelij, quia Dominus dixerit ſe eſſe aquam viuã. Omnia hæc, atque etiam plura, vbi deprehenſi tenentur, aliud rectè ſignificantibus verbis (id enim voco allegoriam) inuoluunt. Oportet autem attentè & diſtinctè de ſingulis contra eos diſputare. Nam & mẽtiri iis in promptu eſt, ita ferẽtibus ipſorum legibus: & cùm aliàs ſemper, tum præcipuè vbi vrgentur, mendacio interpoſito elabuntur, affirmantes quicquid imperetur. Neque ob tale mendacium in aliqua apud ſuos ſunt culpa, quia nimirum ipſis liberum hoc fecit Manes. Is enim dixit, non ſe inhumanum eſſe inſtar Chriſti, dicentis ſe viciſſim eos abnegaturũ, à quibus fuiſſet negatus, Se eos qui ipſum coram hominibus diffeſſi fuiſſent, eóque mendacio ſibi ſalutem quæſiuiſſent, tanquam nõ diffeſſos, cum gaudio recipere, reuocationemq; & mendacium nõ magis culpare, quàm ſi ipſum profeſſi fuiſſent. Similiter tamen ſeniores ſacerdotes reliquos noſtrates auerſantur. Suos, peregrinationis ſuæ ſocios vocant, & notarios, hique à cæteris nulla prorſus re, non habitu, non victus ratione, non reliquo vitæ apparatu differunt. Omnia Euangelij & Apoſtoli dicta habent peruerſa, & noſtris ſententiis contraria, ab ipſis ita compoſita, vt qui ſuis ea erroribus accõmodarẽt. Nam quomodo ea ſcripta ſunt atque ſonant, ita apud ipſos habentur, nihil prorſus à noſtris deflexa: ſed ſententias peruertũt, ſicut alibi copioſè eſt à me de tota hac re dictum. Noſtrum Euangelium adorant, vbi occaſio tulit, dicentes non in cruce eſſe Chriſti verba, ſed in libro, ideòque hunc à ſe adorari. Quidam ex ipſis cum morbis doloribúſve premuntur, crucem ſibi imponunt: eãdemq; recepta ſanitate confringunt, in ignem abiiciunt ac cremant, aut etiam conculcant. Sunt inter eos, qui infantes ſuos à noſtris presbyteris baptiZari curent. Alij in noſtram orthodoxorum Eccleſiam cùm veniunt, occultè cõmunicant, vt eò faciliùs ſimplicioribus imponant. Huiuſmodi artibus ac ſimulationibus ij vtentes, interim abſque vllo diſcrimine & metu omnis generis libidini & obſcœnitati vacant, promiſcuè vtrumque ſexum laſciuia ſua fœdantes: quando nonnulli de eorum corpore tantùm parentibus, & quidem propriis, abſtinendum perhibent.*

Ioan. 4.

Matth. 10

*Epiſcoporũ ſucceſſores.*

Sub hoc Conſtante multæ Romanorum prouinciæ terræmotu ventorúmque procellis, quæ multa ædificia deiecere, afflictæ ſunt. Patriarcha Paulo cùm X I I annos eccleſiæ nefariè præfuiſſet, mortuo: Pyrrhus duodecimo anno Imperij Conſtantis in ſedem vrbis paſtoralem reuocatur. Nam cum, vt dictum eſt, Eccleſia excidiſſet, Romam profectus, áque Diuo Maximo prauæ opinionis conuictus: ſe deſeruiſſe Monothelitarum opinionem ſimulat, libellúmque de fide ſua Papæ petenti offert, à quo approbatus eſt. Inde clam Rauennam digreſſus, hæreſim cælare non potuit. Quo Papa comperto, conuocatis ſuis Epiſcopis, eum penitus condemnat. Is igitur denuò ſede Conſtantinopolitana per menſes quatuor potitus, moritur. Ei ſuccedit Petrus, & ipſe à prioribus non diſſentiens, quo poſt annos X I I mortuo, Thomos veræ ſententiæ defenſor Orthodoxis præfuit, qui poſt annos duos & menſes ſeptem mortuus, Ioannem habuit ſucceſſorem. Verum Conſtans ob cæſum fratrem Theodoſium, & admiſſa in Papam Martinum & Diuum Maximum facinora, ciuibus ſe inuiſum eſſe cernens, in Siciliam profectus, circa Syracuſas vitam agit, atque Imperium etiam Romam veterem transferre voluit. Dicebat enim, plus honoris deberi matribus quàm filiabus. Eáque de cauſa, Imperatricem & tres filios ſuos Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium ad ſe accerſiuit. Sed quò minus abirent, vel à cognatis retenti, vel ab vrbana multitudine prohibiti fuerunt. Cum autem ſex annos in Sicilia vixiſſet, inde non rediit, ſed inter lauandum per incidias eſt occiſus, capiti ſitula grauiter impacta, qua calida aqua perfundi ſolebat, anno imperij ſeptimo & vigeſimo extinctus.

*Petrus patriarcha. Thomas. Ioannes.*

*Conſtans in Sicilia interficitur.*

## IMPERIVM CONSTANTINI Pogonati, ſiue Barbati.

*Cõſtantinus victo Mizizio, patris necem vlciſcitur.*

EO defuncto, legiones quæ cum illo fuerant, ſtatim Armenium quendam Mizizium hominem adeò formoſum, vt nec pictæ fictæue imagini cederet, Imperatorem deſignarunt. Quo natu maximus Conſtantis filius Pogonatus audito, quem ipſe pater inſignibus Imperij ornarat, Sicilia cum magna claſſe occupata, Mizizium victum occidit, necémque patris vlciſcitur, cùm aliis, tum Iuſtiniano Patricio Germani Patriarchæ patre interfecto, ipſúmque Germanum iam pubertatis annos, & eam ætatem qua caſtrari ſolent, egreſſum, eunuchum facit. Quia verò Byzantio ſoluens tenera adhuc lanugine fuerat, è Sicilia verò promiſſam barbam retulerat, Pogonati cognomen accepit à ciuibus. Cæterùm Orientalium partium proceres Chryſopolim profecti, vociferabantur, etiam reliquos duos Conſtantini fratres coronandos eſſe, quòd ſicut in trinitatem credamus, ita etiam tribus Imperatoribus nos parere æquum eſſet. Conſtantinus verò miſſis legatis, ſe poſtulatis eorum annuere pollicitus, populi principes accerſit, vt coram illis fratrum proclamatio fiat. Eos cum Byzantium veniſſent, pro ſeditioſis interfecit, quo cæteri cognito, trepidi ad ſua ſe receperunt: vtrique etiam fratri naſum præcidit. Agareni autem omnes Romanorum prouincias terra maríque & incendiis & direptionibus vaſtare non deſiſtentes, tandem magna claſſe ipſum etiam Byzantium ſunt aggreſſi, nauibus ſuis ab Hebdomi occidentali promontorio vſque ad Cyclobium collocatis. Sed & Conſtantinus claſſe exornata, indies cum eis decertabat, naualéſque pugnæ à vere vſque in autumnum committebantur. Igitur Barbari cum nihil proficerẽt, ſoluta obſidione, Cyzicum occuparunt, ibíque hyemarũt: ſub veris initium,

*Seditio arte compreſſa.*

*Naualia prælia cum Agarenis.*

rurſus Byzantium inuaſere, vbi cum denuò crebris prælijs naualibus committendis tempus tereretur, autumno claſſem Cyzicum reduxerunt, ídque per annos ſeptem factum. Deſperata igitur expugnatione, atque etiam multis militibus & pluribus nauibus amiſſis (nam tum quoque

*Græci ignis inuentio.*

Græcum ignem à Callinico quodam architecto è Syria in regiam vrbem profecto, excogitatum ferunt) cum dedecore magnóque mœrore retro abierunt. Cum autem Barbaricæ claſſis reliquiæ iam ad Sylæum perueniſſent, turbo vehemens exortus, naues partim demerſit, partim ſcopulis illiſas contriuit. Vnde ſi qui euaſerant, eos etiam Cibyrræotarum dux deleuit. Quin terra etiam alius Arabum exercitus à Romanis legionibus victus eſt. Vnde Saraceni ſpe deiecti, ac potius metuentes, ne à Romanis ipſi inuaderentur, pa-

*Sarraceni fiunt Romanis tributarij.*

cis faciendæ conſilium cœperunt. Mauiæ igitur pacem per legatos petenti, annuit Imperator, miſſo Ioãne Patricio, cui Pizigaudę nomen erat, viro prudente ac in dicendi facultate exercitato, qui pacis interpres eſſet. Qui in Arabiam profectus, & honorificentiſſimè exceptus, cum Sarracenis tranſegit, pace, ſcriptis tabulis, in annos x x x firmata, vt Arabes, ſe Romanorum Imperio quot annis auri terna millia, octonos ſeruos, totidémq; æquos apud ſe præſtantes tributi nomine penſitaturos pollicerentur. Ea pace cognita, occidentales Romanorum hoſtes, & ipſi legatis cum muneribus ad Imperatorem miſſis,

*Theodorus Georgius.*

pacem impetrarunt. Ita & oriente & occidente pacato, Theodorus in ſedem pontificiam introducitur, cui poſt biennium eiecto Georgius ſuccedit. Cum autem Conſtantinus orthodoxus eſſet, vnire ſtuduit Eccleſias ob Monothelitarum hæreſim iam inde à proauo ſuo Heraclio ortam

*VI. Conſtantinopolitana Synodus contra Monothelitas.*

diſſidentes. Itaque Concilium Conſtantinopoli indicit, cuius fuere principes Agathonis Papæ Romani legati, Georgius Cõſtantinopolitanus, & Theophanes Antiochenus. Neque Alexãdria, neque Hieroſolyma Patriarcham habebant, à Sarracenis occupatæ. Eo concilio, quod numero ſextum fuit, eſt decretum, duas volũtates & duas actiones in Chriſto & prædicandas & credendas eſſe, etiam Imperatore præſente. Qui autem vnicam volũtatem & actionem aſſerebãt, Theodorus Pharanius epiſcopus, Cyrus Alexãdrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus Cõſtantinopolitani, Macarius Antiochenus, & Stephanus diſcipulus eius, & Geron inueteratæ improbitatis, & puerilis væcordiæ ſenex, anathemate ſunt notati.

*CEDR. Canis homicidæ index.*

*Ea tempeſtate cum quidam ſolus cane comitante iter faceret, eſt à latrone, quales itinera ſolent inſidere, interfectus. Latrone fuga ſe ſubducente, canis eo in loco permanſit, domini cadauer cuſtodiens. Fortè alius quidam eà pergens ſuperuenit, cadauérque proiectũ cernens, motus miſericordia, tellure effoſſa ſepeliit. Canis id officium pergratum habuit, ſéque vltrò homini comitem ac ſeruum adiunxit. Erat autem is homo cõditione caupo, & ſolebat canis, iis qui cauponam intrarent, exiréntque, adulari. Poſt aliquantum temporis, is etiam latro, cuius meminimus, in eam cauponam bibendi cauſa intrauit. quem canis agnoſcens allatrauit, ínque eius faciem inſiluit. Hoc ſæpius factum, Dei inſtinctu apud multos ſuſpicionem excitauit: comprehenſúſque latro, & coram iudice conſtitutus, cùm facinus vti erat abs eo perpetratum confiteretur, diuinæ vindictæ pœnas dedit.*

Interea Bulgaris Romanas vltra Danubium prouincias effuſè vaſtantibus, Imperator Conſtantinus terra maríque occurrere parat, magna claſſe è mari in Danubium traducta. Quo apparatu territi Bàrbari, munitione quadam occupata quæ fluminibus & limo cingebatur, quieſcũt. Sed nec Romani eos inuaſere. Quum autẽ vtrin-

*Bulgari Romanas prouincias vaſtant.*

que dies aliquot per ocium tranſegiſſent, Barbari Romanos ignauos eſſe rati, etiam tali euentu confirmati, parem priori timidati fiduciam receperunt. Nam Imperàtor ingenti pedum cruciatu affectus, cum v. nauibus expeditis & ſuo comitatu in Meſembriam Romanam prouinciam traiicit, balneis vſurus, exercitu & ducibus illic relictis, quibus mandarat, vt velitationibus hoſtes ad pugnam elicerent. Verum rumore in caſtris orto, Imperatorem metu hoſtium cæpiſſe fugã: omnes turpiter fugiunt, perſequente nemine. Quod præter ſpem factum, Bulgarorum animos auxit, & audaciam acuit, vt tergis fugientium inhærentes, multos cæderent, neque pauciores caperent, & Iſtro traiecto tentoria in Romanorũ terra figerent. Nec ab eo tempore deſtiterunt

*Romani Bulgaris tributarij.*

omnes Romanas prouincias vaſtare. Vnde coactus Imperator, pacem cum eis facit, pacto annuo tributo cũ dedecore Romani Imperij. Poſt illa, res Romana vbiq; quieta fuit, vſque ad obitum Conſtatini. Eſt autem mortuus, relicto ſucceſſore Iuſtiniano filio, cum annos x v i i. imperaſſet.

## IMPERIVM IVSTINIANI, CVI pòſt naſus eſt præciſus.

IS ſuſcepto imperio adoleſcens natus annos x v i, cum ſuo arbitratu adminiſtraret omnia, in multas clades rempubl. coniecit. Nam popu-

*Mardaitæ è Libano deducti.*

li quidam Mardaitæ, ſpeculis montis Libani ſub Pogonato occupatis, formidabiles erant Arabibus, quæ etiam cauſa illis fuerat petendæ pacis à Romanis, quam (vt dictum eſt) impetrarunt. Cum autem is Imperator ſceptris recens potitus eſſet, Abimelechus, Mauia defuncto, Arabum princeps, per legatos à Iuſtiniano pacis confirmationem petiit, rogans vt Mardaitæ Libano amouerentur. Quòd ſi fieret, ſe Romanis quotidianum tributum penſurum, millenos aureos nummos, ſeruum & equum eximiũ pollicebatur. Iis conditionibus fœdere renouato, & Mardaitis, qui x i i millia bellicoſorum virorum habebant, è Libano digreſſis: gens Arabica metu illorum liberata, Romanum imperiũ multis malis affecit. Cæterum Iuſtinianus miſſo

*Res contra barbaros geſtæ.*

duce Leontio, Iberiam, Albaniam, & alias regiones ſubegit. Idem etiam ictum cum Bulgaris fœdus rupit, neque eis tributa pendere ſuſtinuit, ſed expeditione in plagas occidentales ſuſcepta multas Sclauicas gentes partim in deditionem accepit, partim bello domuit. Vnde nouas legiones

*Iuſtiniani populus acquiſitus.*

conſcripſit, delectis iuuenum fortiſſimorum circiter x x x millibus: quos Populum acquiſitum appellauit. Iis gaudens & fretus, etiam Arabicũ fœdus rupit, cauſa ex eo ſumpta, quod annui tri-





buti moneta, non Romanũ ſignum, ſed nouum Arabicum haberet. Neque verò aureo nummo aliam imaginem, niſi Romani Imperatoris, in-

*Arabicum bellum. Sclauorum defectio.*

ſculpi fas erat. Bellum igitur eis intulit, non tam Romanis legionibus fretus, quàm nouo iſto & acquiſito populo. Quamuis enim Arabes orarẽt, ne inducias rumperet, néue pactorũ tabulas violaret, Deum obteſtati, cuius illæ numine interpoſito confirmatæ eſſent, eúmque vindicem inuocarent contra eos qui pugnæ cauſam præberent: Imperator obturatis auribus ad pugnam ferebatur. Arabes igitur induciarũ tabulis haſta ſuſpenſis, ac vexilli inſtar ante ſuum exercitum elatis, cum Romanis congrediuntur. Statim autem viginti millia Sclauorũ acquiſiti populi ad hoſtes defecerũt, quæ res animos Romanis minuit, cladémque attulit, illis auxit, ac victoriæ cauſa fuit.

*Romanorum clades.*

Romanos igitur perſecuti, quoſcunque adipiſci potuere, ſuſtulerunt, ac ferè innumeri ex legionibus ceciderunt. Ipſe Imperator turpi fuga cum paucis conſeruatus, cum ad Leucaten perueniſſet reliquias Sclauicæ illius & acquiſitæ gentis

*Iuſtinianeũ triclinium.*

omnes occidi, cadauera in mare abiici iuſſit. Byzantium reuerſus, ſubſtructionibus vacauit, & maximum tricliniũ Regiæ Orienti obuerſæ condidit, quod etiamnũ ab eo Iuſtinianeum appel-

*Sabbatius Armeniam tradit Agarenis.*

latur. Agareni porrò ab eo tempore impunè Romanas prouincias inuaſerunt, & Sabbatius Patricius, Armeniæ prætor, cognita clade Imperatoris, ad Arabes ſe cõtulit, eíſque Armeniam tradidit. Neq; illi Orientem vniuerſum vaſtare incendiis & Chriſtianos in ſeruitutem abducere

*Stephani Eunuchi & Theodoſij monachi potentia.*

deſtiterũt. Fuit apud Iuſtinianum eunuchus quidam gratioſiſſimus, qui & Sacellarius eſt deſignatus, nomine Stephanus, genere Barbarus, crudelitate & immanitate plus quàm Barbarus, grauis omnibus, non tantum in rebus gerendis, ſed in pœnis etiam infligendis: neq; is plebeios duntaxat, ſed potentiſſimos etiam inuaſit, adeò vt & Imperatoris matrẽ verberarit. Idem Imperator monachum quoque Theodoſium, pridem incluſum, generalem deſignauit, qui nec ipſe impro-

*Leontius aſtrologi hortatu regnum inuadit.*

bitate Eunucho Stephano cedebat. Cum autem ab his reſpublica multis malis afficeretur, Imperator omnium odia ſuſcepit. Leontium verò ducem de cupiditate imperij ſuſpectum, biennium in vinculis habuit, pòſt, eiectum, Græciæ ducem fecit. Is Paulo cuidam monacho aſtrologiam tractanti, & imperium ei vaticinanti ait, ſe iam abire in Græciam, ac ſcire, Imperatorem ſibi percuſſores à tergo immiſſurum: ea verò quæ ille diceret, nihil fore. Cui Monachus: Ne, inquit, effœminato ſis animo, ſed rem ſtrenuè adminiſtrato: neque enim impos voti fies. Leontius igitur fidiſſimis quibuſque aſſumptis, & publicis carceribus ruptis, magnam captiuorũ multitudinem eduxit, qui in magnum Dei templum progreſſi, multis etiam aliis confluentibus, Iuſtinianũ ma-

*Iuſtinianus præciſo naſo relegatur. Stephani & Theodoſij interitus.*

ledictis inſectati, Leontiũ fauſtis ominibus proſecuti ſunt, Gallinico Patriarcha quoque adiuuãte. Inde in theatrum equeſtre digreſſi, eadem factitarunt, & Iuſtinianum è Regia eductum naſo in Funda præciſo Cherſonem relegarunt, cũ annos x v i imperaſſet. Stephanum verò Eunuchũ & Sacellarium, & Theodoſium monachum generalem comprehenſos, funibus ad pedes alligatis, per forum in Bouem pertractos combuſſerunt.

## IMPERIVM LEONTII.

HIs actis Leontius imperium tenuit, ſub quo Arabes Romanas prouincias incurſantes, multos captiuos abduxerunt. tandem Africam quoque

*Ioannes Patricius Arabes Africa pellit.*

ſubegerunt. Quo cognito Imperator, Ioannem Patricium, virum ſtrenuum cum tota claſſe mittit, ad Africum Romano imperio recuperãdam. Is Arabes qui ibi erant bello ſuperatos expulit, atq; illic hyemauit, rebus ſuis geſtis ad Imperatorẽ perſcriptis, expectans quid porrò de illius ſententia faciendum eſſet. Cæterum Agarenorũ ſummus conſul (ſic enim ſuos principes appellabant) ſtatu Africano cognito, iacturámque iniquo ferens animo, claſſem ingentem exornat ad prouinciam recipiendã: cui cum Patricius Ioannes impar eſſet, portu relicto ad Imperatorem ſe conferebat, vt maiores copias poſtularet. Sed cũ

*Claßiarij Apſimarum Imperatorẽ creant.*

Romana claſſis Cretam perueniſſet, populi principes partim turpe rati Africa omiſſa & hoſtibus conceſſa reuerti, partim iracundiam Imperatoris veriti: claſſiariis defectionis autores fiunt, ac Leontij inſectandi, & Apſimari Cibyrrhæotarũ Drungarij, quem ſtatim etiam Tiberium nominarunt, Imperatoris ſalutandi. Is igitur cum claſſe Byzantium peruectus, in Sycis appulit. Etſi autem Leontius vrbis cuſtodiam diligenter curarat, tamen quidam prouinciales magiſtratus, per murum Blachernium, cuius cuſtodiam ſortiti erant, clauibus portæ cum ſanctiſſimo iureiurando acceptis, Apſimarum introduxerunt. Ita claſ-

*Leontius naſo mutilatus cuſtodia traditur.*

ſiarij ingreſſi, ciuium ædes diripuerunt, Apſimarus Leontium naſo præciſo, cuſtodiæ tradidit. Principes qui ab illo ſtabant, verberibus affectos & bonis ſpoliatos relegauit. Imperauit Leontius triennium.

## IMPERIVM APSIMARI QVI ET TIBERIVS.

APſimarus ſiue Tiberius, ita imperio potitus, ſtatim fratrem ſuum Heraclium omnibus & pedeſtribus & equeſtribus copiis ſolum cum ſummo imperio præfectum, in Orientẽ

*Heraclij res contra Agarenos geſtæ. Armenia.*

contra Agarenos miſit. Romani igitur Syriam incurſarunt & Samoſata vſque progreſſi, finitimáque loca omnia populati, Agarenorum plurimos confecerunt, captíſque plurimis & ingenti præda parta, magnum Arabibus terrorem incuſſerunt. Baanes verò cognomento Heptadæmon, quartam Armeniam Arabibus prodidit. Sed Armeniorum principes, Agarenos per ſeditionem occiderunt, & legatis ad Apſimarum miſſis, Romanos denuo in prouinciam receperunt. Moametus autem qui tum Agarenis imperabat, Armeniam iterum ſibi parere coëgit, ac principes populi viuos cremauit. Tunc Ciliciæ quoque arma intulerunt Agareni cũ quibus Heraclius congreſſus, maiorem partem ferro confecit, cæteris

*Philippici relegatio.*

captis quos ad Imperatorem vinctos miſit. Philippicum Nicephori patricij filiũ quod in ſom-

nis aquilam ſibi vmbram facere vidiſſet, regnum animo agitantem, in Cephaleniam relegauit Apſimarus. Iuſtinianus autem, qui, vt dictum eſt, Cherſone exulabat, fuga elapſus, ad Chalganum Chazarorum principem ſe contulit, à quo honorificentiſſimè exceptus, eius ſororem Theodorã vxorem duxit, ac paulo pòſt inde digreſſus, in alia prouincia cum ſua coniuge conſedit. Verum Apſimarus Chagano magnam pecuniã per nuncios pollicitus, ſi Iuſtiniani caput ad ſe miſiſſet: impetrat à Barbaro vt duos è ſuis familiaribus ableget, cum mandatis, vt Iuſtinianum ſecretò tollant. Eo cõſilio Theodora per ſeruum cognito, maritum præmonet. Iuſtinianus igitur duos illos ſeorſim accerſitos, vtrunque laqueo præfocat, & Theodora in Chazariam ablegata, ipſe nauiculam conſcendit ad Terbelin Bulgarorũ principem profecturus. In ea nauigatione magna tẽpeſtate orta, nauicula in periculo ſubmerſionis verſata eſt. Monitus igitur ab iis qui vnà nauigabant, vt votum faceret Deo, ſe, ſi euaſiſſet incolumis & regnum recepiſſet, veniã omnibus ſuis aduerſariis daturum: reſpõdit, Si cui illorum pepercero, ſtatim hic ſubmergar. Cum autem ad Bulgarorum principem perueniſſet, multáque ei dediſſet, daturúmque promiſiſſet, ſi ab eo in auitum regnum reduceretur, nuptias etiam filiæ ſuæ illi pollicitus: cum illo, ingentibus copiis ſubnixus, Byzãtium aggreditur, & caſtris ante mœnia poſitis, ciuium animos pertentat, cum eis de pinnaculis proſpectantibus colloquens. Illi verò eũ non modo non inuitabant, ſed & atrocibus maledictis inceſſebant. Verum noctu per aquæ ductum ingreſſus atq; vrbe potitus eſt. Apſimarus autem, qui Apolloniam confugerat, captus eſt, cum VII. annos imperaſſet.

*Iuſtiniani fuga & nuptiæ, Chagani inſidiæ.*

*Terbelis Bulgarorũ princeps Iuſtinianum Cõſtãtinopolim reducit.*

## IVSTINIANI PRÆSECTO naſo recuperatum imperium.

*Graſſationes tyrannicæ poſt reditum.*

SIc Iuſtinianus imperium recuperauit, ídque ſecundum ſuſcepit præſecto naſo. Bulgarorum principem cum donis multis, icto pacis fœdere dimiſit. Deinde Apſimaro, & fratre eius Heraclio, atq; etiã Leontio ad ſe adductis: Heraclium cum aliis pluribus de lignis iuxta mœnia ſuſpendit. Apſimarum & Leontium in vinculis per forum circumductos, ludis Circenſibus ſpectaculo exhibuit, cúmque collis eorum ante ſe proiectorum, pedibus inſultaſſet, ſic demum capita in venatione illis precidi iuſſit. Callinicum Patriarcham, oculis prius erutis, Romam relegauit, Cyrum monachum quendam incluſum, qui ei regni recuperationem prædixerat, Patriarcham deſignauit. Maximam turbam & plebeiam & militarem occidit, partim apertè, partim clàm. Vxorem Theodoram è Chazaria reuocauit, quæ iam filium pepererat, quem Tiberium vocauit, ipſúmq; & matrem imperatorio nomine dignatus, diademate ornauit. Fœdus cum Bulgaris ictum rupit, eíſque bellum intulit, pedeſtribus, equeſtribus & naualibus copiis Anchialum profectus. Ac primum territi Bulgari, in montes cõfugerunt. Inde cum Romanorum exercitum caſtra nullo ordine poſuiſſe, & temerè pabulatum diſpergi viderent, animos receperunt, & congreſſi multos occiderunt, neque pauciores cœperunt, equis etiã multis potiti. Cæterũ Imperator cum reliquiis exercitus in caſtellum quoddam ſe concluſit. Deinde inciſis equorum neruis, ne hoſtibus vſui eſſent, conſcenſis nauibus cum magno dedecore Byzantium rediit. Cherſoniis porrò iratus, quòd de ſe res nouas moliente tollendo cogitaſſent, triremes, dromones & naues onerarias cum maximo exercitu & duobus ducibus mittit, eíſque mandat, ne cuiquam illorum parcant, ſed omnes gladiis cõficiant. Qui eos nullo cum labore cœperunt. Neque enim vrbium Cherſoniarum habitatores reſiſtebant, ac penè omnibus ſublatis, pueris duntaxat & adoleſcentulis pepercerunt. Quo Iuſtinianus cognito, iratus, eos quoque ad ſe mitti iuſſit qui conſeruati eſſent, qui cum miſſi eſſent, maxima ex parte in mari perierunt. Ea res Imperatoris voluptati fuit, ſed ne ſic quidem furore in illos ſuo expleto, minatus eſt, ſe aliis copiis miſſis ita regionem illam euaſtaturum, vt quibus in locis vrbes fuiſſent, arua colerentur. Ob hæc Cherſoniorum reliquiæ, eorúmq; finitimi ad defectionem impulſi, Philippicum Bardanis filium, quem ſuprà ab Apſimaro in Cephaleniam relegatum fuiſſe memorauimus, reuocatum modò, & dum Conſtantinopolim iret, illuc profectum, imperatorem ſalutant, etiã Elia principe ſuo adiutante. Quibus Iuſtinianus cognitis, Eliꝑ liberos in ſinu matris iugulauit, & ipſam ſeruo eius Indo coquo copulauit. Deinde inſtructã claſſem contra Cherſonem mittit, claſsíſq; præfecto mandat, vt funditus vniuerſos deleat. Quæ cum iam illic appuliſſet, ac prouinciam obſideret, Chazari Cherſonitis ſuppetias venerũt. Vnde obſidio ſoluta eſt, & claſſiarij cum ad Imperatorem redire non auderent, maledicta in eum iecerunt, & Bardanem pro Imperatore celebrarunt. Iam longo tempore elapſo, cum nihil ei de claſſe ſignificaretur, ſuſpicatus accidiſſe aliquid quod in ſuam fraudem tenderet, Byzantio profectus cum Sinopen vſque perueniſſet, videt claſſem verſus vrbem proficiſci: ſtatim igitur & ipſe naues conuertit. Sed Philippicus proſpera nauigatione vſus magnam vrbem præoccupat. Iuſtinianus verò in Damatry ſtatiua habet, ad quem Elias miſſus, militibus perſuaſit vt deſerto illo ſe ad Philippicum conferrent. Quo facto, ſuis manibus caput illi reſecat. Filius autem eius Tiberius, cum auia materna Anaſtaſia (nam Theodora mater iam obierat) in templum Blacherniũ confugit: cúmq; ſacroſanctum ſacellum ingreſſus, mẽſam ſanctiſſimam ſubiiſſet, prehenſa vna eius columella, mortem eſt deprecatus. Sed qui ad eum quærendum miſſi erant, pueri è ſacrario abſtracti collum tanquam pecudis crudeliter reſecuerunt.

*Crudelitas in Cherſonios.*

*Cherſonij Philippicum Bardanis filium imperatorem ſalutant.*

*Iuſtiniani et Tiberij filij interitus.*

*Bulgarica expeditio.*

## IMPERIVM PHILIPPICI QVI ET BARDANES.

*Sexta Synodi abrogatio.*

IAm potitus imperio Philippicus, cõtra ſextam œcumenicam ſynodum ſe armauit, indictóque concilio homo vanus, quantum in ipſo fuit, ſacram illam ſynodum abrogauit. Nam Leontio recens ſceptrum adepto, fertur



*Monachi prædictio.*

fertur incluſus quidam monachus in Calliſtrati monaſterio, qui Monothelitarum ſectam probaret, huic Philippico regni adeptionem prædixiſſe, eiúſque prædictionis mercedem ſextæ ſynodi abrogationem ſtipulatus, & hic pollicitus eſſe. Ac ſextam œcumenicam Synodum abrogauit, vt putabat, cum verò aceruos pecuniarum à veteribus Imperatoribus cumulatos in Regia reperiſſet: maiorem partem in nullos vſus neceſſarios collatam diſſipauit exiguo tempore: ac omnem forſan abſumpſiſſet, ſi diutius imperium tenuiſſet. » Nam in dicendo quidem deſertiſſimus » habebatur, nec prudentiæ expers: ad res autem » gerendas erat omnium ineptiſſimus & ingenio » planè ſiniſtro. Cyrum Patriarchã Eccleſia, quam per ſex annos tenuerat, exegit, & Ioannem aſſenſorem ſuum in ea collocauit. Sub eo Bulgari Thraciam vniuerſam populati ad ipſam vſque vrbem incurſarunt omnia, magnáque præda, & captiuis ferè innumeris abductis, domum ſe receperunt. Sed & Agareni Orientem eodem modo tractarũt. Duobus annis & menſibus aliquot, ex quo Imperium ſuſceperat, elapſis, cum ludos equeſtres celebraſſet, & poſt certamen in Zeuxippi balneo lauiſſet, quoſdam ſenatores cœnæ adhibuit: vel, vt alij dicunt, eos qui ludis Circenſibus vicerant. In eo conuiuio à quibuſdam ſenatoribus oppreſſus cæcatur. Id actum eſt pridie Pentecoſtes. Poſtridie, hoc eſt, in ipſa Pentecoſte, & ſenatus & populus Artemium principem ſecretarium, imperatorem deſignant, indito ei nomine Anaſtaſij.

*Diſertus magis quã ſtrenuus imperator.*

*Bulgarorum & Agarenorum latrocinia.*

*Philippicus cæcatur.*

## IMPERIVM ARTEMII, QVI & Anaſtaſius.

HIc omni doctrinæ genere eruditus, & rebus gerendis verſutiſſimus fuit. Patriarcha Ioanne, vt non orthodoxo, à ſede quam triennium tenuerat, auulſo: Germanum Cyzico reuocatum, in eius locum ſubſtituit, quem à Conſtantino Pogonato virilibus priuatum fuiſſe ſuprà memorauim⁹. Cum Alexandrinos in Phœniciam appuliſſe, vt inde ligna ad fabricandas naues peterent, didiciſſet: claſſem inſtructã cõtra illos miſit, & prouincialium quoq; naues Rhodum appellere, atque vbi conueniſſent, contra hoſtes ire iuſſit, totius claſſis duce delecto Ioanne magnæ eccleſiæ Dei diacono, & generali Logotheta. Poſt quàm omnes Rhodi conuenerant, & Ioannes nauigationem adornabat: claſſiarij, ac potius Opſiciani, infenſi Imperatori, quòd nauales copias parum commodè tractaſſet, imperium detrectabant: & Ioannem eorum contumaciam ſeuerius caſtigãtem, maledicta in Imperatorem cõgerentes, ſtatim per ſeditionem occiderunt, omiſſóque vlteriore progreſſu, partim domum redierunt, partim Byzantium petierũt, cúmque Adramyttium perueniſſent, Theodoſium quendam publicorũ vectigalium exactorem, hominem in Republica non verſatum, Imperatorem inuitum ſalutarũt. His Artemius cognitis, claſſem parat, vrbémque cuſtodia munit, ipſe Niceæ degens, quæ eſt Bithyniꝑ Metropolis. Seditioſi verò, terra maríque Chryſopolim peruenerũt, ac nauales pugnæ aliquandiu ſunt commiſſæ. Deinde in Thraciã peruectus Theodoſius, per murum Blachernium, opera proditorũ, magnam vrbem intrauit, vnáque cum eo claſſiarij & milites, qui magnam pecuniam ex ædibus rapuerunt, & principibus, qui Artemium defendebãt, ac Germano Patriarcha comprehenſis, Nicæam diſceſſerunt, Artemio vrbem & Regiam iam eſſe occupatas oſtendentes. Is igitur habitu monachi ſumpto, acceptáq; fide, nihil ſibi præterea mali timendum, eis ſeſe tradidit, ac Theſſalonicam eſt relegatus, cum vnum annum & tres menſes regnaſſet.

*Naualis ſeditio.*

*Theodoſius Adramyttenus creatur Imperator.*

*Artemius fit monachus.*

## IMPERIVM THEODOSII Adramytteni.

IMperio autem potitus eſt Theodoſius Adramyttenus, vir bon⁹ ille quidem, honeſtæque vitæ, ſed ignauus & ad rerũ adminiſtrationem & tractationem, regni præſertim minimè idoneus. Cæterùm Leo qui & Conon, ab Artemio, cuius tum quoque ſtudiis præ ſe ferebat, dux Orientis deſignatus, Theodoſio nõ ceſſit, cum etiam Artabaſdum Armenium, Armeniacorum ducem ſuffragatorem haberet. Inde igitur cũ ſuis legionibus Nicomediam digreſſus eſt, vbi Theodoſij filium cũ Regio inſtrumento deprehẽſum, Chryſopolim perduxit. Ei Theodoſius citra dimicationem regno ceſſit, vnáque cum filio raſus in clericum, accepta fide nihil in ſe conſultum iri grauius, vitæ reliquum tranquillè exegit, quum biennium imperaſſet.

*Leo Theodoſium in ordinem cogit.*

## IMPERIVM LEONIS Iſauri, qui & Conon.

*Occaſiones incrementorum Leonis.*

DEhinc Imperij dignitatem Leo præter dignitatem eſt cõſecutus, qui patriam habuit Iſauriam, atque inde vnà cum parentibus ab Imperatore Iuſtiniano, antequàm Imperio eiectus eſſet, tranſlatus, Meſembriæ Thraciæ vrbe vitam egit. Pulſo autem Iuſtiniano, & à Bulgaris in regnum reducendo, progreſſus obuiàm, ei munera obtulit: eáque de cauſa Spatharij dignitatem ſtatim eſt conſecutus, &, recuperato ab illo Imperio, eius familiaritate vſus. Deinde ad Alanos, ſiue Albanos (ſic enim vocantur à veteribus) miſſus eſt, vt eos cõtra Abaſgos, qui à Romanis defecerant, concitaret. Parebant autem, vt Cæſarienſis Procopius refert, duobus ſuis popularibus, quorum alter partem Orientalem, Occidentalem alter gubernabat. Vterque porrò gentem ex auaritia malè tractabat. Nam quoſcunque pueros formoſos & corporibus elegantibus inueniebant, eos vi parentibus ereptos caſtratóſque, Romanis Eunuchorum amore ſemper attonitis, magna pecunia vendebant, eorúmque patres occidebant, ne quando propter filios irati, ſeditionẽ mouerent. Erat igitur, apud Abaſgos, filiolum pulchrum genuiſſe, maximum infortunium, eam elegantiam morte luentes. « Ac Abaſgi ſic à ſuis magiſtratibus tractabantur. Iuſtinianus autem primus, miſſo ad eos imperatorio eunucho quodam eorum populari (multi enim tales in Romana curia verſabantur)

*Abaſgorum hiſtoria.*

bătur) magiſtratibus eorum interdixit, ne quem in poſterum inuitum caſtrarent: capturos enim laborem inanem, nemine Romanorum caſtratos eorum empturo. Hoc Abaſgi cupidiſſimè acceperunt, edictóque imperatoris Romanorum freti, deinceps magiſtratibus ſuis in ea re nō ceſſerunt, qui & ipſi iam ſegniores ad id facinus erant redditi. Pòſt etiam, vtrique magiſtratu abrogato, ſuis viuere legibus voluerunt, cum ad id vſque tempus Chriſtianę religionis rudes eſſent, & lucos ac ſyluas venerarentur, & arbores Barbarica ſimplicitate pro Diis haberent. Sed Iuſtiniano ſtudio fuit, eos ad pietatē traducere, miſſiſque ſacris viris Dei cognitione barbaros imbuit: extructáque ę præclara æde Deiparæ, & ſacerdotibus in ea collocatis, eos à vita planè Barbarica ad mores Chriſtianorum traduxit. Ex eo nemini parentibus Abaſgis, Imperatores Romani magiſtratus miſerunt, à quibus res adminiſtrabantur. Qui cum iniurij eſſent, ac populum crudelius tractarent, veriti ne prorſus in ſeruitutem à Romanis redigerentur, defecerunt, neque amplius magiſtratum Romanum admiſerunt. Ea de cauſa Iuſtinianus is, qui naſo mutilatus fuit, eos vlturus, Leonem Spatharium ad Alanos mittit cum maxima pecunia, vt eos contra finitimos Abaſgos armaret. Eò profectus Leo, & multos ibi annos commoratus, ſerò ægréque rediit, nec Iuſtiniano inuēto (nam occiſus erat) neque Philippico (pulſus enim erat, vt dictum eſt, oculis etiam erutis) Artemium igitur tum imperantem conuenit, à quo benignè acceptus eſt, & Orienti præpoſitus. Pro eo igitur, vt dictum eſt, propugnans ſcilicet, Theodoſio ſe oppoſuit, ſceptriſq; potitus eſt. O iudiciorum Dei abyſſum incomprehēſibilem. Sic adeptus Imperium, ſtatim Artabaſdo filiam deſpondit, & Curopalatæ honorem decreuit.

*Maſalmas & Solymas Arabes Byzantium obſident.*

Maſalmas autem Arabū dux Abydo cum magnis copiis in Thraciam tranſuectus: magnam eius prouinciæ partem populatus eſt, impetúque in vrbem Regiam facto, vallum iuxta terreſtria mœnia poſuit, atque ab ea parte ipſe vrbem oppugnauit, Solymas autem Archiſatrapes eius, è mari cum maxima claſſe. Verùm naues eius tam bellicas quàm onerarias Romani Græco igni repulerunt, vt multi nauarchi, quorū naues is nondum attigerat, per deſperationem ſe ad Imperatorem cōferrent. Et hoc modo pars maxima claſſis Arabicæ periit. Romanæque legiones eos aggreſſæ, qui in Bithynia prædabantur, multos occiderunt, vt & illi territi aufugerēt. Qui autem in Thracia erant Arabes, tanta fame premebantur, vt nullius animantis cadaueribus abſtinerent, quin & humanis carnibus admouiſſe manus perhibentur. Præterea peſtilentia eos inuaſit, eorúmque turbas confertim abſumpſit. Ad hæc Bulgari, vt quidam autores ſunt, eos aggreſſi, multa millia ferro trucidarūt.

*Sergiana ſeditio in Sicilia opprimitur per Paulum quendā.*

Interea Sergius Siciliæ prætor, cognita vrbis obſidione Arabica, & imperij perturbatione, tyrānidem & ipſe affectauit, non ſibi ipſi vſurpato imperij titulo, ſed miniſtrorum ſuorum quendam Gregorium curauit à populo Imperatorem ſalutandum, nomine eius in Tiberium commutato, qui de Sergij ſentētia quoſdam ad Magiſtratus euexit. Hoc nuncio Leo commotus, de opprimendo tyranno cogitans, Paulum Imperatoriis equiſonibus præfectum, qui lingua Romana Chartularius dicitur, patricij dignitate ornatum, & Siciliæ prætorem deſignatum, contra ſeditioſum miſit, tradito edicto ad prouinciarum præſides, quibus cū adiutare iubebantur, ſcriptíſque ad Sicilienſem exercitum literis, quibus Romanam rem bene ſe habere ſignificabat, Arabibus iam victis & profligatis. Eas quoque literas Paulo tradidit, militibus reddēdas. Quem cum ex inſperato Siciliam tenuiſſe, ac Syracuſas ingreſſum eſſe cognouiſſet Sergius ſtatim arrepta fuga verſus Longobardiā proficiſcitur. Paulus verò oratione apud milites habita, & literis imperatoriis recitatis, effecit, vt ſtatim Imperatorem celebrarent, & Gregorium cum ſuis vinctos traderent. Gregorium itaque ſuſtulit, ſatellites eius flagris cæſos raſáque coma relegauit. Sergius promiſſa impunitate ad eum è Calabria venit. Ita motus Siciliæ pacatus eſt.

*Arabum in mari clades.*

Arabes autem qui vrbem obſidebant, pluribus malis acceptis quàm datis, reditum adornarunt, & reliquis nauibus cōſcenſis diſceſſerunt, ſed vehementi turbine exorto perierunt omnes cum ſuis triremibus, x tantum nauibus exceptis, quarum v. à Romanis captæ ſunt, reliquæ elapſæ, cladis nunciæ domum redierunt.

CEDR. *Saraceni Chryſtianos perſequūtur.*

*Anno Leonis primo, magnus in Syria fuit terræmotus. Vmarus autem Chriſtianos Mahometicam impietatem amplecti iuſſit: & parentes decreto immunitate tributorum donauit: qui non obedirent, eos trucidauit, multóſque ita martyres fecit. Lege quoque lata, Chryſtianos teſtimonij contra Saracenos dictione prohibuit. Leonem quoque Imperatorem per literas ad Mahometicam ſuperſtitionem colendam hortatus eſt.*

*Cōſtantinus Copronym⁹.*

Tertio autem anno natus eſt Leoni catulus patre crudelior, cuius matrem Mariam diademate ornauit, & puerum in magna Eccleſia baptizauit, Conſtantini nomine indito: qui cum in ſacroſancta illa aqua mergeretur, fertur excreuiſſe ſtercus, vnde Copronymus eſt cognominatus. Sed & ſanctiſſimum Patriarcham Germanum dixiſſe aiunt, Id ſignum eſſe, quòd is puer ſacra cōtaminaturus eſſet, & pietatis ſtudioſis magno malo futurus.

*Artemij & Xylinitæ interitus.*

Artemio Theſſalonicæ degēti Nicetes Xylinites magiſter, vir ſummæ autoritatis perſuaſit, vt ad Bulgaros confugeret, eorúmque opera imperium recuperare conaretur. Quod cū feciſſet, & cum magna eorum multitudine Byzantium veniſſet, ſe à populo receptum iri exiſtimans, nemo autem eum curaret: Bulgari eo magna pecunia Leoni prodito domum redierunt. Ille cū Xylinite interfectus eſt, & Xylinitæ opes omnes quæ magnæ erant, publicatæ. Sunt & alij ex Artemij coniuratis occiſi, & præter cæteros ſummus Theſſalonicenſium ſacerdos. Poſt hæc Leo filium ſuum imperatorem creat, feſto coronationis à ſancto Germano celebrato.

CEDR. *Izedus ameras arabum.*

*Tunc etiam vita defunctus eſt Vmarus, cùm Arabum ameras fuiſſet per annos II, menſes IV. Succeſſit ei Izedus. Sed & alius Izedus in Perſide tyrannidem occupauit, cognomine Mualabis, atque huic multi ex Perſide ſe cōiunxêre. Verùm Izedus eum interfecit, Perſidémque ſubegit.*

*Quinto anno, extitit quidam Syrus, falſò Chryſtum ſeſe iactans eſſe, filium Dei, Ebræóſque decepit.*

*Anno ſexto, Imperator Ebræos ac Montanos ad baptiſmum adegit. Atque Ebræi quidem cōtra animi ſui ſententiam baptizati, abluerunt baptiſmum: cibóque antè percepto, ſacrorum myſteriorum participes ſe fecerunt. Montani autem ſibi inuicem vaticinati, conſtituta die domos errori ſuo deſtinatas intrarunt, ac ſeſe combuſſerunt.*



*Leonis pugna cū imaginibus.*

Exinde anno ſeptimo Leo cum Deo pugnare incipit, & contra venerandas imagines inſanire. Accerſitóque Germano Patriarcha, negat colendas eſſe imagines, earúmque adorationem idololatriam vocat. At Diuus ille pater: bona verba, inquit, imperator: ita ſentire noli. Nam iſta cogitatio planè impia eſt. Scio equidem cantari, fore vt iſta hæreſis agitetur. Tu verò illius autor eſſe noli. Nam Conon quidam eam auſpicaturus eſſe dicitur. Tum ille ſtatim: Ego, inquit, is ſum, & non alius. Conon enim infans à parentibus meis ſum appellatus: & inclytum Germanum aſſentiri nolentem, ac potius magno animo refragantem, & peruerſam illam opinionem arguentem, Eccleſia eiecit, cum eam XV annos gubernaſſet, & Anaſtaſium quendam ſibi aſſentientem, Patriarcham deſignauit. Nunc vnde Leo in iſtam opinionem adductus, & huc impietatis progreſſus fuerit, exponam.

## QVÆ LEONI IMPIETATIS occaſio fuerit.

*Hebræi duo prædicti Imperij mercedem, abolitionem imaginum impetrant.*

IZitho Arabum principatum modò adepto, Hebræi duo arte præſtigiatores, etſi futurarum rerum ex aſtrologia prædictionem profiterentur: imperium & diuturnam vitam pollicebātur, ſi Chriſti & matris eius imagines è Chriſtianis Eccleſiis eieciſſet. Paret haud ſegniter Barbarus, omnéſque venerandas imagines in templis omnibus ſuæ ditionis abolet: nec multo pòſt miſerum diuina vindicta conſequitur, anno nondum elapſo mortuum. Cuius filius regni ſucceſſor, cum falſos illos vates ob deceptum parentem ad ſuppliciū quæritaret: illi iam in Iſauriam transfugerant. Ibi cum in hunc Leonem tum adoleſcētem opificem incidiſſent, imperium ei Romanum prædicunt. Qui cum ſuam fortunam intuens, infinito interuallo à tāto imperio ſeiunctam, illorum oraculis fidem abrogaret: illi euenturum id quod prædixiſſent, conſtanter aſſeuerabant, eúmque iureiurādo obſtringebant, vt ſe, imperio potitus, voti compotes redderet. Iurat ille ſe facturum. Potitum igitur, vt dictum eſt, Romano imperio, ídque nouum iam annum tenentem, qui id ei vaticinati fuerant, conuenere, prædictionis mercedem flagitantes. Non recuſat Leo, ac dicere iubet quid petant? At profani illi duo Iudæi, neque diuitias, inquiunt, poſtulamus, neque dignitatis alicuius faſtigium ambimus, neque vllum Imperij ſplendorem, ſed illud dūtaxat, vt Nazareni & genitricis eius imagines vbique tollantur. Tum ille parum firma fide præditus, quaſi res leuis ac facilima eſſet, ſe ita facturum pollicetur, & decimum ſuæ tyrannidis annum auſpicans, vnà etiam bellum contra Deū auſpicatur, & cum terribili rugitu venerandas imagines inuadit, grauiſſimámque perſequutionem excitat, multos deteſtandæ ſuæ volūtati aduerſantes punit, ac martyres facit.

CEDR. *Inſula enata.*

*Aeſtate eius anni, inter Theram & Theraſiam inſulas, per aliquot dies ex profundo maris ſurſum ſe extulit caligo, quaſi ab ardente fornace ſurgens: qua paulatim denſata, ínque lapidem concreta, igniti incendij vi totus & locus & aer igneum adſpectū prætulerunt. & ob craſsiciem terræ materiæ magni pumices lapidū inſtar per totam Aſiam minorem, Lesbum, Abydumq́; & maritimam Macedoniam diſiecti ſunt, ita vt vniuerſa facies eius maris pumicibus in ſummo iacentibus tecta fuerit.*

*Inſula enata*

*In medio ignis huius, inſula in terram conſtipata, Hieraq́; inſulæ aggeſta eſt: quæ antè nunquam fuit. Sed quomodo olim Thera & Theraſia erumpunt, ita & iſthæc ætate Deo aduerſi Leonis.*

*Oecumenicus magiſter cum duodecim collegis exuſtus.*

Cæterum præter cætera, quæ Leo in pios auſus eſt, illud etiam deſignauit. Domus erat in Baſilica proximè forum ærarium regia, in qua multi codices & humanæ, & generoſioris ac diuinæ ſapientiæ aſſeruabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum attributa, qui eruditione excelleret, quem œcumenicū doctorem appellabant. Is XII contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præbebatur: hos eruditionis & cognitionis auidi accedebant: hos, Imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Eos Leo ſi cepiſſet, & in ſuam ſententiā pertraxiſſet, omnia ſibi confecta fore putabat. Accerſit igitur viros, improbámque ſuam de venerandis imaginibus opinionem cum eis communicat. Qui adeò non ſunt aſſenſi, vt & ipſum ab ea opinione prorſus abducere conarētur, partim demulcendo feram illam, & ſalutaribus carminibus incantando, partim confidentius aduerſando, & eius impietatem coarguendo. Sed ille inſtar aſpidis obturabat aures, & vocem incantantis non admittebat, neque medicinam accipiebat à ſapientibus. Quum igitur ſæpe cum eis egiſſet, perſuadendi ſpe abiecta: eos domum dimiſit in ædes illas regias, multámque materiam aridam circum eos collocatam noctu incēdi iuſſit, atque ita ædes cum libris, & doctos illos ac venerabiles viros combuſſit.

*Gregorius Papa Romanus ab Imperatore deficit, & pacē cum Francis facit.*

Qua de cauſa Gregorius, qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat, repudiata ſocietate pręſidis nouæ Romæ, necnon eorum qui illum ſequerentur, illos vnà cum imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia quæ ad id vſque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere. Vnde illi occupādæ Romæ occaſionem habuerunt. Neque enim Romani generis ſunt Franci, ſed (vt in Varia hiſtoria tradit Cæſarienſis Procopius) gens Germanica, quæ olim circa Rhenum flumen & Rhodanum & paludes illorum locorum habitauit. Cum autem Belliſarius ſub priore Iuſtiniano ductaret exercitum, & cum Gothis de Italia & vrbibus Italicis, ipſáque Roma, quæ tum à Gothis tenebātur, decertaret: tum Francos etiam narrat Italiam inuaſiſſe: & Gotthos qui ſimul & Romanis & Francis reſiſtere non poſſent, cum his, omiſſo bello, pacem feciſſe, conceſſis Galliis quæ eis acceſſerant: atque id factum, ipſum etiam Iuſtinianum, Francis petentibus, imperatoriis literis confirmaſſe, eo conſilio, ne Romanis Gotthos oppugnantibus impedimento eſſent, ſed eius confirmationis gratia, pacem agerent.

*Galliæ à frācis occupata.*

Vnde Germani Maſſiliam Phocæenſium

cæenſium coloniam & loca maritima omnia occuparint, & illo mari ſint potiti, & magnam etiã Venetiarum partem obtinuerint. Ita Francos cũ in Italorum vicinia conſediſſent, ab eo tempore non deſtitiſſe finitimos Romanos bellis laceſſere, eorúmque prouincias populari. Igitur Papa Gregorius deſerta imperatoris obedientia, vt dictum eſt, ob peruerſam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, quum prius ſæpe dediſſet operam, vt Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, atque ad cultum ſacrarum imaginum reduceret. Sed id planè erat Æthiopem lauare. Tantum enim aberat vt reſipiſceret, vt etiam furore contra Orthodoxos percitus, multos ſuplicio afficeret, & confeſſionis coronis ornaret.

CEDR. *Ioannes Damaſcenus.* *Tunc etiam veræ religionis defenſor Damaſci Syriæ fuit Ioannes monachus & presbyter Chryſorroas cognomento, Mãſuris F. quod Græcè ſonat Leutrabum, quem impius Iudaico ſenſu MãZerem appellauit. Hic ſanctus Ioannes, vnà cum Coſma Maiumenſi epiſcopo, & Theophane fratre Theodori Graptorum epiſcopi, melodi ſiue cantores ſunt agnominati, eò quòd melodiis comprehendiſſent eas cantilenas, quas decretum in Eccleſiis Chriſtianorum cani iubet. Erat enim ſanctus hic Ioannes & vita & oratione magiſter optimus, omni diuina humanáque cognitione repletus.*

Calabros inſuper & Siculos nouis tributis onerauit Leo, ac more Iudaico tributum capitum pendere, & mares qui apud illos naſcebantur, deſcribi iuſſit. *Conſtantini nuptiæ.* Filio iam adulto filiam Chagani Scytharum ducis deſpõdit, eámque baptizatam Irenem vocauit, quæ mariti errorem nõ amplexa eſt, ſed pium dogma quo imbuta fuerat, conſtanter tenuit. *Terræmotus* Terræmotu vehemẽti multa templa & domus Byzantij corruerunt, magna hominum multitudine ruinis oppreſſa. Tunc & Arcadij ſtatua in Xerolophi columna poſita cõcidit, & Theodoſij ſtatua in aurea porta & obuerſa continenti vrbis mœnia. Corruerunt & Nicomedia & Nicæa, Bithynianæ metropoles. Ruinã murorum tyrannus Leo ad lucri occaſionem detorſit. *Tributum nouum.* Nam vrbano populo per præconem edixit, eum mœnia celeriter inſtaurare non poſſe, neque verò expedire ciuitati, vt diu mœnibus careat, itaque ſe iuſſiſſe publicis tributis acceſſionem adiungi, vicenos quaternos denariolos in ſingula nomiſmata: quibus in fiſcum relatis, mœnia ſumptibus imperatoris inſtaurentur. Ea exactio ab illo tempore etiam nunc durat. *Obitus Leonis.* Sic infelix Leo, quum in Reipublicæ perniciem annos vigintiquatuor imperaſſet, ex morbo inteſtinorum animam infeliciter eructauit.

## IMPERIVM CONSTANtini Copronymi.

*Elogia Copronymi.* ROmanum imperium vnà cum paterna impietate ignominioſus eius filius ſuſcepit, qui patris improbitatem lõgo interuallo ſuperare ſtuduit. Neq; enim contra venerabiles imagines duntaxat inſaniit, ſed & præſtigiis fuit deditus, & victimarũ diſſectionibus, & euocationibus manium, aliiſq; infandis rebus. Denique nullo ſcelere abſtinuit, non vniformi, ſed multiplici improbitate præditus, non Chriſtianus, non paganus, nõ Iudæus, ſed colluuio quædam impietatis, inſtar Africanarũ ferarum, quæ ex diuerſi generis coitu multiformes confuſaque ſpecie & immanitate naſci perhibẽtur. Atque ob hæc omnibus inuiſus fuit. *Bellum ciuile inter Copronymũ & Artabaſdũ.* Secundo anno tyrãnidis ſuæ (neque enim regni dixerim) expeditione contra Arabes ſuſcepta, cum ad opificij prouinciam perueniſſet, cui prouinciæ affinis eius Artabaſdus Curopalates præerat, illi affini ſuo inſidias ſtruxit. Nam ſenatus & populus atque etiam legiones, cum, vt dictũ eſt, Conſtantinum odiſſent, Artabaſdo vt orthodoxo imperium decernebant. Verum Artabaſdus animaduerſis inſidiis, oratione apud populũ habita, Conſtantinũ aggreditur. Sed effugit Copronimus, & Amorium ſe contulit, miſſiſque ad ducem orientis Laucenum, & ad Thracenſem Siſinnacium legatis, magnificis pollicitationib[9] impetrauit, vt ſecum militarent. Hinc ciuilia bella orta ſunt, & Romani ſeſe mutuis cædibus confecerunt. Nam vtrique ſuo Imperatori adhærebant, & Artabaſdus etiam imperator iam declaratus erat. In vrbe regia Cõſtantinus Theophanem magiſtrum, rerũ adminiſtratorem reliquerat: qui Artabaſdo deditus, acceptis ab eo literis vulgabat, Conſtantino publicè interfecto, Artabaſdum à legionibus creatum eſſe Imperatorẽ. Sic vrbana multitudo in magna Eccleſia cõgreſſa, Conſtantinum anathemate notauit, & Artabaſdũ laudibus proſecuta eſt, eadem hæc & Anaſtaſio Patriarcha comprobante. Artabaſdus igitur ſuſceptus, & ab omnibus Imperator ſalutatus, ſtatim venerandas imagines vbique erexit. Anaſtaſius autem Patriarcha iureiurando affirmauit, dixiſſe Copronymum, Chriſtum non eſſe filium Dei, ſed nudum hominem ex Maria natũ, quemadmodum ipſe è ſua matre Maria natus eſſet. Artabaſdo vrbem egreſſo, denuò pugnæ cõmittebantur, & Conſtantinus Chalcedone trãſuectus, iacto circa terreſtria mœnia vallo, vrbem obſedit. Cum eo cõgreſſus Artabaſdus & victus, in vrbe ſe concluſit: & vt ea diligenter cuſtodiretur, operam dedit. Sed quia Copronymus mare tenebat, neque onerarias naues in vrbe appellere patiebatur, fame laboratum eſt, multíque ciues perierunt. Idem Artabaſdi filium nactus, in compedes coniectum patri oſtendebat. Deinde rurſus tentata oppugnatione, ô inſcrutabilia Dei iudicia, vrbe potitus eſt. Sed Artabaſdus elapſus, in caſtellum quoddam prouinciæ Opſicij ſe recepit. *Artabaſdus excæcatur.* Vbi comprehenſus cum duobus ſuis filiis excæcatur. Sunt & fœderatorũ eius multi à Copronymo interfecti, & præ cæteris Bactangius Patricius, vir illuſtris, cuius vxorem poſt plurimos annos in eam regionem abire coëgit tyrannus, vbi ille ſepultus erat, & refoſſa mariti ſui oſſa ipſam afferre, & proiicere in Pelagum, quò hoſtes & condemnati abiiciebantur. *In Bactangij cadauer ſæuitia.* Quum ludi equeſtres agerentur, Artabaſdo & filiis eius in medio theatro circumductis triumphauit. Sed & Anaſtaſium Patriarchã à Diippio duci iuſſit aſino inſidentem, facie verſus caudam conuerſa, & ignominioſum de eo triumphum egit, prius publicè verberato. *Germani prædictio Anaſtaſio.* Sic inclyti Patriarchæ Germani prædictio ipſo opere eſt comprobata. Nam cum aliquando eum à tergo ſequeretur Anaſtaſius, & veſtem eius pedibus calcaſſet, conuerſus Sanctus

Germ



Germanus, Ne, inquit, feſtina, Diippium te expectat. Eum poſt ignominioſam circumductionem, vt aſſenſorem ſuum, iterum Eccleſiam tenere, & ſacris operari paſſus eſt.

*Eodem anno, Iſamus Arabum princeps moritur. Hic, cùm ſanctiſſima Antiocheæ eccleſia per XL. annos patricarcha caruiſſet, Arabibus conſtitui aliquem vetantibus: cùm haberet charum ſibi Syrum quendã monachum, nomine Stephanum, pium hominem, ſed ruſticum, Antiochenſibus ſignificauit: ſiquidem cupiant ſibi patriarcham concedi, vt id muneris huic Stephano committant. Ii diuinitùs hoc fieri rati, Stephanum Theopolis throni patriarcham elegerunt. Hoc anno, & Cõſtantinus & Artabaſdus per legatos auxilia ab Iſamo petierunt. Magna quoque ſiccitas fuit, & multi terræmotus variis locis: adeóque & montes in ſolitudine Sabâ inter ſe coiuerunt, & pagus terra abſorptus eſt.*

*Eodem anno Coſmas Alexandreæ patriarcha cum ciuibus ab errore Monotheletarum ad veram religionem tranſiuit. Eodem anno ſignum in cœlo viſum eſt. Vualidus autem Petro ſanctiſſimo Damaſci metropolitæ, quòd is Arabum & Manichæorum errores argueret, linguam præcidit & in Arabiam felicẽ relegauit: vbi cum Chriſto teſtimonium perhibuiſſet, ac clara voce liturgiam ceciniſſet, ſupplicio affectus obiit.*

*Tunc etiam verſus Boream apparuit ſignum, ac cœlitùs in quædam loca puluis delatus eſt. Terra quoque ad Caſpias portas motu tremefacta. Et Vualidus ab Arabibus necatus, cum eorum princeps vnũ fuiſſet annum. Ei ſucceſſit IZidus Leipſus.*

*Eodem tempore, in Syria magnus cometa apparuit: &* Maruamus. *Maruamus in Arabes imperium cæpit. Hic Chriſtianorum qui per Orientem ſunt cohortationibus perſuaſus, cõceſſit, vt Theophylactus Edeſſenus presbyter Antiocheæ deſignaretur patriarcha, mortuo tum Stephano: eúmque publico edicto iuſſit ab Arabibus in honore haberi.*

*Expeditio Syriaca.* Arabibus autẽ inter ſe diſſentientibus, & bello inteſtino occupatis: Copronymus, arrepta occaſione, Syriæ bellum infert, & Germaniciam capit. *Terræmotus* In Palæſtina & Syria maximo terræmotu multæ & Eccleſiæ & Monaſteria & ædes corruerunt, multáque hominum millia perierunt, *Peſtilentia.* non ruina tantum, ſed & peſtilentia, in Sicilia, Calabria, Græcia & aliis prouinciis, quæ ipſum vſque Byzantium eſt graſſata, ac tanta fuit morientium multitudo, vt efferri non poſſent, ſed plura cadauera ſimul curribus impoſita euherentur. *Leo Copronymi filius.* Copronymo Chagani filia peperit filiũ, eum Leonem vocauit & imperatorem appellauit, coronatum ab Anaſtaſio Patriarcha eiuſdem opinionis. Potitus eſt Copronymus & Theodoſipoli & Melitina: quo ſucceſſu elatus, acerbior in Eccleſiam & orthodoxam fidem euaſit: edictis propoſitis, quibus vulgi fecem in ſententiam ſuam impietatis plenam pertraheret. Tunc & Patriarcha Anaſtaſius cum Eccleſia per annos vigintiquatuor impiè inſultaſſet, vitam cum morte commutauit. *Synodus contra imagines* Copronymus autem multis epiſcopis ſibi ſuffragantibus conuocatis, quorum princeps erat Theodoſius Epheſinus, & Paſtilas Perganus, per eos quicquid libuit, decreuit, nemine vel ex vetere Roma, vel ex aliis Patriarchis præſente. Eum concurſum profanorum hominum, Synodum œcumenicam appellare non dubitauit: cum quibus ædem ſacroſanctam Deiparæ Blacherniam ingreſſus, conſcenſo ſuggeſto, *Cõſtantinus patriarcha.* & Conſtantino quodam monacho, qui Sylæi Epiſcopus fuerat, illuc collocato, exclamauit: Cõſtantinus œcumenicus Patriarcha multos viuat annos. Poſt paucos dies tyrannus in forum venit, cũ patriarcha ſuo, & ſectatoribus epiſcopis, qui coram omni populo venerandarum imaginum adorationem interdixerunt. Idololatris iis appellatis, qui eas colerent, & anathemate notarũt inclytum Germanum, & Georgium Cypriũ, qui Conſtantinopolitanus Patriarcha fuerat, & doctrina virtutéque præſtantem Ioannem Damaſcenum, qui hunc Dei hoſtem & patrem eius per literas ſæpè impietatis arguit. *Bulgarica clades.* Bello contra Bulgaros moto Cõſtantinus, commiſſóque prælio victus, multis non gregariis duntaxat militibus, ſed illuſtribus etiam viris & tribunis amiſſis, cladem domum retulit. *Agarenorũ inſcitia.* Cum autem Chriſtiani ab antiquis temporibus vectigalium codices tractarent apud Agarenos (neq; enim ſcribere aut ſubtiliores rationes trientium, quadrãtium, beſſium & vnciarum, & ſi qua tenuiora ſunt, perſequi ſciunt) tunc ex inuidia ea tractatione ſunt interdicti: & tamen eam adminiſtrationem receperunt, quod Agareni eiuſmodi opus exequi nequirent. *Monachorũ quorundam cædes.* Infamis tyrãnus Andream quendam monachum, qui Calibytes vocabatur, virum ſanctum, quod ab eo reprehenſus & impius dictus fuerat, Iulianum item & Valentem flagris occidit. *Bulgaricus triumphus.* Bulgari ducibus ſuis, qui è principum familiis ortum ducebant, interfectis, alium elegerunt à principatu alienum, nomine Teleutzam. Eos Imperator terra maríq; illato bello, ad Anchialum eſt aggreſſus, cúmq; pugna ab hora diei quinta vſque ad veſperam duraſſet, & vtrinque multi cecidiſſent, victor tandem euaſit, duce Bulgarorum fuga elapſo, magnáque Barbarorum cæde edita, nec paucioribus captis: multi quoque vltrò ad Imperatorem ſe contulerunt, qui re bene geſta elatus, triumphum egit, ipſe armatus cum armatis legionibus antecedens, captiuóſque in vinculis adducens, victoria non diuinæ potentiæ, ſed ſuis armis adſcripta. Poſt triũphum captiuos omnes interemit. *Hyems ſæua.* Sub eius Imperio ſæuiſſima hyems fuit, adeò vt non fluuij tantum, ſed & mare Septentrionale ad complura ſtadia frigoribus conglaciarent, anguſtũ item fretum, & quo ex vrbe Chryſopolim traiicitur. Cúmque nix in glaciem cecidiſſet, eáque gelu denſata & in glaciem ipſa quoque conuerſa eſſet, homines fretum pedibus Chryſopolim vſq; tranſibant, & ſarcinis onuſta iumenta, & boues plauſtra magni ponderis trahentes. Idem tunc & in aliis maribus accidiſſe fertur. Pòſt, aëre tepefacto, continua glacies diſſoluta, & in fragmina redacta eſt, quæ venti vehementis impetu violenter per mare agitabantur, collibus & ſpatioſis inſulis non diſſimilia. His animantes inerant feræ & cicures exanimatæ aſtrictæque glacie. Eorum fragminum quædam vi ventorum ſub aquis impetu vehementi marinis impacta mœnibus, non ipſa tantum, ſed & vicinas ædes proſtrauerunt. *Aeſtus ingẽs* Hæc æſtus ingens eſt ſequutus, quo & perennes amnes ſiccati ſunt, & fontes penitus defecerunt. Verum ſtupidus Imperatoris animus his rebus nihil emendatus eſt, ſed pa-

triarcham ſuum archanò interrogauit: Si Maria Chriſtipara vocaretur, nunquid in eo eſſet incommodi? Tum ille ad preces conuerſus: Ne (inquit) aliàs, neq; apud alios Imperator iſtud proTuleris. Eſt enim Neſtorij ſententia. Non ignoras vt ille ab omni fidelium Eccleſia ſit proſcriptus, & anathemate notatus? Ad hoc ille, ſe non quod ita ſentiret, ſed cognoſcendi cauſa illud interrogaſſe: & eo impietatis eſt progreſſus, vt etiã ſanctorum reliquias igni traderet, & Sancti titulum, neque Deiparæ, neque vlli eorum qui Deo placuere, tribui iuberet, ſed dici vellet, Apoſtolus Petrus & Paulus, martyr Theodorus & Gregorius, & ſic in cæteris. Quum autem prophana illa Põtificia ſynagoga, de qua iam à me dictum eſt, impia ſua decreta ſcripto complexa eſſet: id ſcriptum Tomum Synodicum homo impius appellari voluit, vtque ei ſubſcriberetur ab omnibus Pontificibus, & virtute illuſtribus monachis poſtulauit. Quos monachos etſi vehemẽtiſſimè perſequutus fuerat, adeò vt ferè nullus, qui quidem prodiret in publicũ, in vrbe eſſet reliquus: tamen plures adhuc habitabant, & alij extra vrbem vitam agebant. Qui igitur immanitati eius metu cedebant, & impiam illam ſcripturam cõfirmabant, viuere citra noxam ſinebantur. Qui refragabãtur, acerbis mortibus, & atrocibus ſuppliciis vita priuabantur. Quo tempore magnus aſcetes & athleta celebris Stephanus acceptione & ſubſcriptione tomi illius recuſata, poſt multa tormenta crudeliter occiſus eſt, & è prætorij carcere protractus vſque ad Pelagium, illic cum cõdemnatis eſt proiectus. Nam quo in loco Pelagij martyris ædes fuerat, in eo, deſtructa illa, Sanctorum oſor, foſſa profundiſſima excauata, condemnatos abiici iuſſit. Multos etiam ſenatorij ordinis, ob ſacrarum imaginum cultum ſupplicio affecit, & iuſiurandum ab omnibus exegit, ne quis eas veneraretur, idémque iuſiurandum ab ipſo quoquè Conſtantino, quem Eccleſiæ præfecerat, poſtulauit, atque is in ſuggeſto ſtans iurauit. Cum claſſe magna contra Bulgaros Anchialum profectus eſt, ſed procella venti nauibus ferè omnibus colliſis, magna multitudo & naualium ſociorum & militum periit. Vnde re infecta rediit, nihilominus tamen furore percitus, quum in theatro ludi Circenſes agerentur, multos monachos comprehẽdit, ac triumphum de illis egit, per theatrum circumductis, quũ inhoneſtas mulierculas manibus tenerent. Quoſdam etiam illuſtrium Principum prodidit: alios ex inuidia, ob pulchritudinem & robur: alios per calumniam, quòd ſibi inſidiarentur, & ſua facinora monachis narrarent. Ac duobus inſignioribus capita reſecuit: reliquos, oculis erutis, certis locis incluſit, eóque lorariis quotannis miſſis, vnum quenque centum neruis bubulis cædi iuſſit. Ad hæc Conſtantino Patriarchæ à ſe deſignato crimini dedit, quòd cum eorum Principum vno colloquia contra ſe haberet: ſubornatis ad eum conuincẽdum accuſatoribus, quos, illo inficias eunte, iurare coëgit. quo facto Patriarcha relegatus eſt, & alius à tyranno creatus Nicetas eunuchus, non ingenuus, ſed ſeruili genere ortus, qui vix legere poterat, in muliebribus miniſteriis verſatus: deinde Cõſtantinum patriarcham ab exilio reductum, & ſæuiſſimè excarnificatum, vt ambulare non poſſet, in magnam Eccleſiam inſtar ſarcinæ portari iuſſit. Ibi quodam crimina quæ illi obiiciebantur recitante, præſentibus multis, qui ea de cauſa conuocati erant, & nouo patriarcha Niceta in ſolio ſedente, & illa auſcultante, alapis cæditur: ac diu ita exagitatus, tandem anathemate notatur, euulſiſque capillis, barba & ſuperciliis, ac aſino impoſitus, ludis Circenſibus in theatrum introducitur, ignominioſóque triumpho conſpuitur, & puluere conſpergitur. Poſt hæc procerum quibuſdam miſſis tyrannus eum percontatur, quid de fide ipſius ſentiat, déque ſynodo. Ille, crudelitatem eius placaturus, reſpondet, eum & rectè credere, & decreta ſynodi accurata eſſe. His miſer dictis in venationem abductus, obtruncatur. Indies autem homo prophanus furori contra Eccleſias & monaſteria adiecit aliquid: & quia intemperans erat, tres duxit vxores, è quarum prima filium Leonem ſuſcepit, quem Imperatorio nomine ornauit, è cæteris Chriſtophorum, Nicephorum & Nicetam, ac priores duos corona Cæſarea ornauit, Nicetæ nobiliſſimi titulum tribuit. Primo filio & Imperatori, vxorem Athenienſem deſpondit, & Auguſtam appellauit, indito Irenæ nomine, è qua Leoni filius Conſtantinus natus eſt. Poſt hæc denuò cum plurimis triremibus & expeditis nauibus contra Bulgaros eſt profectus, per Iſtrum in Bulgariam irrupturus. Sed quum audacioris conatus pœniteret, de reducendo exercitu cogitauit. Bulgari quoquè territi, miſſis Legatis pacem petierunt, eámque his conditionibus impetrarunt, vt neque ipſi prouincias Romanas vaſtarent, neque à Romanis inuaderentur. His peractis domum rediit. Quidam tamen è Bulgaris adducti largitionibus clàm Imperatoris ducis ſui conſilia aperuerunt: atque indicarunt, eum prædones in quandam Romanam prouinciam emiſſurum. Miſſis igitur exploratoribus, iámque inſtructus, quum illi prædatum exituri eſſent, derepente impetu in illos facto, multos interfecit, plurimos cepit, & cum multis captiuis reuerſus, iterum armatus triumphauit. Neque multo poſt multas triremes contra eoſdem ablegauit, quæ circa Meſembriam ferè vniuerſæ ventorum procellis ſunt demerſæ. At Telerichus Bulgarorum Princeps, ſua conſilia Imperatori à domeſticis ſignificata eſſe ſuſpicatus, qui tamen illi eſſent, ignorans: aſtu Copronymi leuitate circumuenta, ex ipſo quod ignorabat, reſciuit. Scripſit enim ſe clàm illum aditurum, petiítque vt ſibi ſignificaret: Num quos procerum apud Bulgaros amicos haberet, quibus arcanum committere auderet, ſibíque itineris comites adiungere. Ille præ ſtupore ingenij, quemadmodum apparet, conſilio Barbari non animaduerſo, ſui ſtudioſos ſtatim amenter prodidit, quos Barbarus omnes crudeliter atque immaniter interfecit. Idem imperator iterum, eámque poſtremam expeditionem contra Barbaros ſuſcepit, pedes eius carbunculus inuaſit. Vnde eum vehementes & calidæ febres vrebant, quarum nullum remedium excogitari poterat à medicis.

*Cõſtãtini in ſanctorũ reliquias et monachos graſſationes.* — *Pelagium* — *Monachorũ exagitatiõ.* — *Sæuitia in proceres.* — *Cõſtãtini patriarchæ ſupplicium.* — *Nicetas patriarcha.* — *Conſtantini liberi.* — *Bulgarica pax.* — *Bulgarici proditores callidè à ſuo principe inueſtigati.* — *Conſtantini mors.*

Inde



Inde lectica Selybriã perlatus, & triremi eſt impoſitus, vociferans, ſe viuentem in ignem coniectum eſſe: & ſtatim cum Strongylum adueniſſet, aciem offenſi numinis miſer ſenſit, atque illic vitam violenter finiit: ſublatis multis Orthodoxorum millibus, monachorum præſertim, quorum manſiones partim incendit, partim deſtruxit, partim profanauit, vt & Dalmatæ monaſterium vetuſtum, & omnium quæ Conſtantinopoli ſunt, antiquiſſimum, quod pulſis monachis militum diuerſorium fecit. Neque verò viuentes duntaxat Chriſti ſeruos exagitauit, ſed & Diuis Martyribus, & aliis Deo gratis inſultare non deſtitit, quos nihil poſſe aſſerebat, eorúmque interceſſiones ficulnum præſidium appellabat: reliquias autem partim per contumeliam terra obruit, partim demerſit, partim in cineres redegit, vt & glorioſæ martyris Euphemiæ ſanctum corpus de quo duplex rumor eſt: nam alij ferunt nefarium Copronymum in animo habuiſſe id cremare, canibus & aſinis vnà comburendis, ſed inſtitutum eius ſucceſſu caruiſſe, cum orthodoxi eo conatu cognito id clàm è loculo ſurreptum, aliò tranſtuliſſent, & cadauer aliud ſuppoſuiſſent, quod à nefario illo ſit crematum. Alij non crematum, ſed vnà cum loculo in mari demerſum eſſe corpus martyris affirmant: qui diuina gratia gubernante, Lemno inſulæ ſit appulſus, & à fidelibus illius loci agnitus, illícque aſſeruatus ſit, & ſub Irene eiúſque filio Conſtantino honorificè & magnificè in vrbem Imperatoriam relatus. Vita igitur tam fœdè acta, violentiſſimè interiit, vt narratum eſt, cum annos x x x i i i i & menſes i i i. rerum potitus eſſet, ſi eis id quoque biennium annumeretur, quo Artabaſdus illo ſuperior imperauit.

*De S. Euphemiæ corpore.*

## IMPERIVM LEONIS Copronymi.

*Leo largitionib⁹ et ſimulatione pietatis imperiũ conſtabilit.*

IMperio autem potitus eſt filius eius Leo Chazara natus, eodem impietatis morbo laborans, etſi principio religionem & obſeruantiam erga monachos ſimulabat, quorum nonnullos in illuſtrioribus vrbibus ad pontificatus euehebat. Quum autem magnam pecuniam in publicis theſauris reperiſſet, quam pater eius per iniuriam coëgerat, ea & ficta religione, ad ſubditos conciliandos eſt abuſus. Primo namque imperij ſui anno Tellerigus Longobardorũ rex ad eum Conſtantinopolim confugit, quem is ſuſceptum muneribus ſibi deuinxit. Igitur ciues, & è prouinciis multi congregati, in illius vtique gratiam poſtulabant, vt filius eius Conſtantinus imperator appellaretur. At ille viciſſim ab eis petiit, ſi id vellent, ne quem alium niſi ſe & filium ſuum, ſuámque progeniem in imperium admitterent. Iurarunt omnes non ſenatores tantum & milites, ſed & plebeia turba & mercatores & opifices, & hoc iuſiurandum in publicas literas retulerunt. Hęc ſexto die hebdomadis ſalutaris paſſionis ſeruatoris noſtri acta ſunt. Magno ſabbato fratrem ſuum Eudocimum Nobiliſſimum deſignauit, & in ipſa Paſchatis dominica filium ſuum coronauit, ſolennibus precibus à Patriarcha peractis.

*Anno ſecundo, Pellerigus Bulgarorum princeps ad Leonem confugit, ab eóque patricius creatur tradente etiam ſororis vxoris ſuæ filiam ei in matrimonium: ſuſceptúſque ab eo ex ſacro lauacro, magnopere charus honoratúſque ei habetur.*

*Anno tertio, Romanus exercitus ad Germaniciam profectus, multitudinem magnam Syrorum Iacobitarum captiuos abduxit: quos Imperator in Thracia collocauit.*

Quinto autem anno Mortuo Niceta caſtrato Patriarcha, cum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ per annos quatuordecim præfuiſſet: Paulus Cypri⁹ Patriarcha eligitur, qui lector fuit, & orthodoxus. Cum autem Leo proceres quoſdam aulicos diuinas imagines adorantes deprehendiſſet, exuta vulpina pelle, latitantem ſub ea Leonem in apertum protulit, eóſque crudeliſſimè excruciatos, ignominioſóque ſpectaculo per forum circumductos, cum prius pilis nudaſſet, in prætorium incluſit, vbi eorum quidam animas ſuas in manus Domini depoſuerunt. Obiit anno Imperij quinto. Adamata enim corona, quam Mauricius in magna Eccleſia Deo conſecrarat, eáque capiti ſuo accommodata, ſtatim vehementi febri eſt correptus, quæ vitæ finem ei attulit.

*Paulus Cyprius Patriarcha.* — *Leo proceres ob adoratas imagines malè tractat.* — *Obitus.*

## IMPERIVM IRENES ET filij eius Conſtantini.

EO mortuo, Irene Auguſta & filius eius Conſtantinus, decimum ætatis annum agens, ambo venerandarum imaginum adoratores, imperium ſuſceperunt anno mundi ıɔɔ cıɔ c c l x x i i i incarnati verbi ıɔ c c l x x i x: eóque nondum firmato, inſidiis appetiti ſunt à quibuſdã, Nicephoro Cæſari, mortui Leonis fratri, ſummam rerum deferre cupientibus. Cõiuratione detecta imperatrix inſidiatores excruciatos & pilis nudatos relegauit: mariti verò ſui fratres tam Cæſares quà nobiliſſimos radendos, & in ſacerdotum ordinem allegandos curauit, vt res ſacras populo impertirentur in feſto natiuitatis Chriſti, ipſaque cum filio Imperatoriis ſatellitibus ſtipata proceſſit, cúmque in Eccleſiam perueniſſet, coronam à marito ſuo ablatam, pluribus ornamentis additis, reſtituit. Miſit etiam Legiones ad reprimendas Arabum graſſationes. Agareni igitur prædatum egreſſi, cum in Romanum exercitum incidiſſent, in fugam vertuntur multis eorum interfectis. In Thracia quidam inter fodiẽdum in lapideam ciſtam incidit, quæ humanum cadauer continebat, inciſis in ea literis huiuſmodi: Chriſtus, naſcetur è virgine, & credo in eum. Verùm ſub Irene & Conſtantino rurſus me videbis Sol. Imperatrix filio vxorem datura, Legatos ad Carolum Regem Francorum miſit, ad eius filiã ambiendam. Deinde ea affinitate omiſſa ex metu & imperij cupiditate, ne filij opes Frãcorum neceſſitudine augerentur: ex Oriẽte puellam accerſiuit. quam quidam ex Armeniaca prouincia, alij è Paphlagonia originem ducere tradunt, Philareti benignitate in egenos celebris, filiam, eámque Conſtantino inuito & ab iis

*Coniuratio contra Irenem.* — *Arabica victoria.* — *Arcæ inſcriptio fatidica.* — *Carolus Magnus.* — *Conſtantini coniugium.*

*Arabica pax.*

nuptiis abhorrenti deſpondit. Supra modum enim Caroli filiam ducere cupiebat. Aaron dux Arabum ſuſcepta contra Romanos expeditione, Chryſopolim vſque proceſſerat: cõtra quem Conſtantinus miſſo exercitu Banes paludem occupauit: quo Arabes cognito, pacem à Romanis petiuerunt. Magiſtratus igitur, dum non acceptis prius illuſtribus ex ea gente obſidibus, ad Aaronem vt cum eo paciſcerentur, abeunt: retenti, & in vincula coniecti ſunt. Qua re coacti imperator & imperatrix propter magiſtratus, pacem cum Arabibus fecerunt, tributum polliciti. Illi igitur ea conditione diſceſſerunt.

*Elpidij defectio ad Arabes.*

Imperatrix verò cum Elpidium Patricium, quem Siciliæ prætorem crearat, Cæſaribus ſtudere cognouiſſet, reduci iuſſit. Quem quia Siculi à legatis capi non ſinebant, ira percita vxorem eius & liberos flagris cæſos & raſos in carcerem Prætorianum coniecit, & exercitum contra illum miſit, quodam ex fideliſſimis ſuis eunuchis ei præpoſito. Crebris verò præliis commiſſis profligatus Elpidius, in Africam ad Arabes confugit: à quibus ſuſceptus, & regio diademate ornatus eſt, ac Rex ſalutatus, quamuis ei nihil ex animi ſententia ſuccederet.

*Irenes ædificia.*

Imperatrix Arabico metu per pacem adempto, cum filio magníſque copiis & muſicis inſtrumentis in Thraciam abiit, ac Beroen profecta, caſtellum vrbis inſtauratum Irenopolim appellauit, ſed & Anchialum ædificauit, & Philippopolim vſque progreſſa, reuerſa eſt.

*Paulus Patriarcha fit monachus.*

Cum Patriarcha Paulus morbo affectus ab Eccleſia ſe ſubduxiſſet & raſus eſſet, imperatrix cum filio eum conuenit, ob ſeceſſum expoſtulantes. At ille: Vtinam, inquit, nunquam in Pontificatus ſolio conſediſſem, tyrannide oppreſſa Eccleſia, & diſſidio inter eam & alias Catholicas ſedes orto. Deinde rurſus eruditos ſenatorij ordinis viros ad eum miſit, ſciſcitans, quo pacto res ritè adminiſtrandæ eſſent? Tum ille, Niſi erratum ſynodo catholica correctum, & Eccleſiæ concordia reſtituta fuerit, ſalui eſſe non poſſumus. Senatoribus autem interrogantibus, cur ipſe quum eligeretur, non adorandas eſſe imagines aſſenſus eſſet? Reſpondit; Ob eorum inſaniam, qui rerum potiebantur, & veſtram crudelitatem. Sed hoc lugeo, ac per pœnitentiam ad Dei miſericordiam confugi, orans, vt de me, non tanquam de Pontifice, iudicium fiat. Ac ille hoc modo vitam finiit.

*Taraſius ſecretarius fit Patriarcha.*

Imperatores autem inclytum Taraſium à ſecretis Patriarcham, deſignarunt, approbante omni populo. Sed ipſe recuſauit. Neque enim ſe præeſſe poſſe Eccleſiæ à reliquis Eccleſiis auulſæ, & anathemati ſubiectæ. Inſtantibus autem imperatoribus & populo, Si permittis, inquit, vt ſynodus œcumenica conuocetur, & Eccleſiæ vniantur: & ipſe deſignationem admittam.

*VII. Synodus Nicæna*

Aſſenſis omnibus, Patriarcha electus Diuus Taraſius, & ipſe & Imperatores veterem Romam mittunt, cui Adrianus præſidebat, & ad cæteros Patriarchas, petentes, vt aliqui ab eis mitterentur, qui concilio intereſſent. Miſſi igitur ſunt ab omnibus, & cæteris pontificibus & monachis Nicææ Bithyniæ congregatis: etiam Patriarcha Taraſius eſt egreſſus, ibique ſeptimum œcumenicum concilium eſt conſtitutum, ac decretum venerabiles imagines & adorandas & colendas eſſe, & tres anathemate notati, qui Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfuerunt, Anaſtaſius, Conſtantinus & Nicetas, ſanctíque concilij decreta in commentarios relata ſunt. Deinde qui concilium celebrarent, in vrbem Imperatoriam profecti, commentaria in Regia, Imperatoribus præſidentibus, atque omnibus audientibus, recitarunt, qui ſtatim ab Imperatoribus approbati & ſubſignati ſunt, atque ita ſacræ imagines templis reſtitutæ, & Eccleſiæ vniuerſæ vnitæ.

*Irene Conſtantinum in ordinẽ cogit.*

Hactenus ab imperatrice eiúſque familiaribus regnum adminiſtratum eſt. Cæterum Conſtantinus annos pueritiæ egreſſus, factúſque adultior, (nam XX annos natus erat) cum matrem pro autoritate agere omnia videret, & Stauracium Patricium Logothetam nihil non poſſe, ſui verò nullam rationem haberi: ægrè illa tulit, & cõſilio cum quibuſdam ſenatoribus ſuíſque miniſtris inito, de magiſtratu Stauracio abrogando, eóque relegando cogitauit. Eo conſilio cognito Imperatrix, miniſtros imperatorios illius rei conſcios omnes verberibus affectos & pilis nudatos, alios aliò relegauit. Senatores ignominia notatos, partim domo exire vetuit, partim in exilium miſit. Sed & filium excruciauit, & conuitiis inſectata, prodire in publicum prohibuit. quin & legiones ſacramento adegit, ne ſe viuente filium ad imperium admitterent.

*Legiones Conſtantinũ denuò Imperatorem ſalutant.*

Ac cæteri vel inuiti iurarunt, ſed Armeniacæ legiones mulieri non ceſſerunt, ſéque Conſtantinum Imperatorem agnoſcere, & ante matrem initio proclamatum eſſe dixerunt, atque ita rurſus cum lætis omnibus proſequi voluerunt. His Irene cognitis, Alexium Moſolem Spatharium, eundémque Drungarium Biglæ, ad eas conciliandas miſit. At illi duce ſuo in cuſtodiam tradito, & Moſole prouinciæ præſide deſignato, ſolum Conſtantinum pro Imperatore celebrarũt. Hinc orto initio, etiam aliarum prouinciarum exercitus idem fecerunt, & congregati communiter eum proclamarunt.

*Irenæ abrogatum imperium.*

Igitur Irene legionum concordiã verita, filium produxit. Is Stauracium & honoratiores ex maternis miniſtris excruciatos ſtatim relegauit: ipſam verò matrem regia honorificè eductam, in ipſius ædibus, quas in Eleutherio ſtruxerat, vitam degere iuſſit. Et hæc ita acta fuerũt.

*Triclinij cõflagratio.*

Orto autem incendio magnum ſacri palatij triclinium, quod Thomaitem vocant, conflagrauit, vnáque cremata eſſe feruntur eo in loco ſita commentaria quædam in ſacras literas Ioannis Chryſoſtomi.

*Bulgaricum & Arabicũ bellum.*

Imperator Cõſtantinus Bulgaris, quorum princeps tum Cardamus erat, bellũ intulit: leui autem pugna cõmiſſa, terror vtrunque exercitum inuaſit. Itaque imperator in magnam vrbem rediit, Bulgari in ſuas ſedes ſe receperunt. Sed & contra Arabes profectus, nihil memorabile geſſit.

*Irenæ reſtitutio.*

Matrem ab ipſa & quibuſdam ex primoribus oratus, in regiam reduxit, & vnà ſecum celebrari paſſus eſt. omnes itaque prouinciarum legiones iteratam Irenes proclamationem admiſerunt, ſolis Armeniacis per ſeditionem aduerſantibus, & Alexium Moſolem ducem, vt dictum eſt, pridem ſuum accerſentibus, quem Imperator antè reuocatum, & patricij dignitate ornatum, apud ſe habebat.

*Armeniacorum ſeditio compreſſa.*

Sed quia fama erat



erat imperaturum eſſe, & quia à ſeditioſis accerſebatur: eundem ex metu in prætorianum carcerem coniecit, flagris prius cæſum, comáque detonſa.

*Bulgarica victoria.*

Principi Bulgarorum Romanã ditionem aggreſſo, Imperator incompoſito agmine obuiã profectus vincitur, multis & militibus & proceribus amiſſis.

*Cognatorũ Imperatoris et Alexij Moſolis ſupplicia.*

Quamobrem militares ordines in magna vrbe congregati, de Nicephoro Cæſare Conſtantini patruo ad imperium euehendo conſilia inierunt, ſed cum illa clam non fuiſſent, Nicephoro ipſi oculi ſunt effoſi, Chriſtophoro, Nicetæ Anthimo & Eudocimo linguæ præciſæ. Sunt & Alexio Moſoli de matris conſilio eruti oculi. Cuius excæcatione Armeniaci cognita, Camilianum patricium, ſuum ducem in cuſtodiam dederunt. Eo ad Imperatorem relato, Conſtantinum Artaſeram & Chryſochirem Bucellariorum ducem cum copiis contra illos mittit. Prælio commiſſo vtrinque multi ceciderunt, ſed imperatoriis profligatis, ambo duces capti, & ab Armeniacis cæcati ſunt. Pòſt ipſe imperator contra eos proficiſcitur, victoriaque potitus, proceres occidit, cæteros publicatione bonorũ mulctat. Sed mille ex eorum metropoli vinctos in magnam vrbem miſit, eorúmque vultus compunxit, atramento literis infuſo, quæ erant, Armeniacus inſidiator, eóſque in Sicilia & aliis inſulis diſperſit.

*Conſtantin⁹ Maria repudiata Theodotam vxorem ducit.*

Vxorem Mariam cum eius pertæſum eſſet, tonderi coëgit, de conſilio matris, vt aiunt, vt omnium odiis ab illo ſuſceptis, ſumma rerum denuò ad ipſam rediret. Etſi enim cũ filio in regia degebat, poteſtatis tamen particeps non erat, ſed nominis duntaxat, cum imperij cupiditate ſupra modum æſtuaret. Imperator igitur, cum vxor ornatum regium inuita cum nigro monaſtico veſtitu commutaſſet, Theodotam quandam cubiculariam duxit, & auguſtali corona ornauit.

*Expeditio Arabica & Bulgarica.*

Pòſt proſperè cum Arabibus dimicauit, & Cardamo Bulgarorum principi, qui per legatos tributa ſibi à Romanis pendi poſtulabat: quod niſi fieret, Thraciam ſe vſque ad vrbem populaturum minabatur; ſtercora iumentorum miſit, additis litteris: Quia ſenex eſſet, ſuperſedendum ei eſſe moleſtia itineris: nam ſe ipſum ad eũ venturum. Ac ſtatim Romanis legionibus coactis, contra Bulgaros eſt profectus. Cum ambo exercitus in propinquo eſſent, & Imperator Barbaros ad bellum euocaret: Cardamus cum ſuis copiis territus fugam cepit. Sed & Arabes Amorium aggreſſi, re infecta, præda duntaxat capta, diſceſſerunt.

*Platonis & Taraſij diſſidium.*

Plato monaſterij Saccidionis præceptor, cum Taraſio Patriarcha communicare nõ ſuſtinuit, quòd ille imperatorem ad communionem admiſiſſet, qui deſerta vxore, aliam contra inſtituta Chriſtianorũ matrimonio ſibi iunxiſſet, quod factum adulterium appellabat.

*Irene milites cõtra filium Conſtantinũ mittit.*

Eum Imperator in Palatinum carcerem cõpegit, ſed mater, illius defenſionem ideo ſuſcepit, quòd filium probro affeciſſet. Pruſa cum matre profectus, cum ſibi filiolum natum eſſe audiſſet, matre illic relicta properè reuerſus eſt. Tum illa nacta impunitatem, tribunis militum largitionibus & pollicitationibus conciliatis, perſuaſit, vt promitterent, ſe Imperium filio ademptum, in eam ſolam collaturos. Quo impetrato, occaſionem rei conficiendæ quæritabat. Verum Imperatore, filioli quem Leonem nominarat, obitum deplorante, ij qui matris contra eum inſidiarum conſcij erant, veriti ne mora interpoſita dilatóque facinore deprehenſi perirent: ei ſubitò ſub horam nonã oculos in palatio crudeliſſimè eruunt, parati non lumine duntaxat, ſed vita etiam ipſa priuare.

*Cõſtantino excæcato Sol non ſplendet.*

Tum accidit, vt Sol per dies XVII. non ſplenderet, ſed obſcuri & tenebroſi eſſent dies illi, quod haud ſcio fortuitóne acciderit, an ob Conſtantini excæcationem, vt tum hominibus videbatur, quaſi diuina prouidẽtia cladem illam auerſaretur filio à matre illatam. Oculi ei eruti ſunt eodem die, quo ipſe patruum ſuum Nicephorum, & Moſolem excæcarat, & reliquis (vt dictum eſt) linguas præciderat, annis interim quinq; elapſis. Irene verò denuò imperium conſecuta eſt.

*Leo Papa Carolũ magnum imperatorẽ creat.*

Adriano veteris Romæ Papa mortuo, Leo ſuffectus eſt, vir reuerendus & honorabilis: ſed Adriani defuncti neceſſarij populo contra illum concitato ei læſerunt oculos, nõ tamen ademerunt. Nam ij quibus mandata erat excæcatio, pepercerunt homini, eiúſque miſerti, extrinſecus oculos læſerunt, ſed lumine non priuarunt. Qui cum deinde ſe ad Carolum Francorum regem contuliſſet, ab illo ſedi Romanæ reſtitutus, inimicos ſuos vltus eſt: ab eóque tempore Roma prorſus Franci potiti ſunt, Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato. Nam ſub priore Iuſtiniano Franci Germanica ſtirpe oriundi, Italiam inuaſerunt, vt ſuprà eſt expoſitum, fuerúntq; Romanorum hoſtes. Sed ſub Leone Iſauro, temporis illius Papa Gregorius, ob peruerſam opinionem ab illo Imperatore impio defecit, eíque tributum pendere recuſauit, neq; ſibi quicquam eſſe rei voluit cum impiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ gubernatoribus, omiſſíſque bellis pacem cum Francis fecit: ſub Conſtantino porrò & Irene, Papa Leo eos etiam Romam admiſit. Sic & Italia vniuerſa & ipſa Roma ſunt potiti.

*Irene affines ſuos excæcat*

Irene monarchiam (vt dictum eſt) adepta, fratres mariti eius carcere elapſi, in magnam Eccleſiam cõfugerunt, à quibuſdam nouarum rerum ſtudioſis incitati. Aëtius igitur eunuchus qui multũ apud Imperatricem autoritate valebat, fide impunitatis data, eos Eccleſia eductos Athenas relegauit. Ibi cum agerent, Græci quidam Sclauicarum gentium principem conuenere, orantes, vt eos inde educeret, & vnum ex eis Imperatorem deſignatum, in vrbem Imperatoriam reduceret. Quæ res cum ad Imperatricem delata eſſet, omnibus pruti ſunt oculi.

*Aëtius eunuchus Caroli et Irenes nuptias impedit.*

At Francorum dux Carolus, Imperator Romanorum à Papa Leone (vt ductum eſt) appellatus, miſſis ad Irenem legatis nuptias illius ambiit, cum nec illa ab eo coniugio abhorreret, réſque confecta eſſet: niſi eunuchus Aëtius, poteſtatis particeps, omnem lapidem (vt aiunt) mouiſſet, ne id coniugium perficeretur. Nam cum in Regia multum poſſet, fratrem ſuũ Leonem ornare Imperio meditabatur, quem inſigni ſtudio ad præturam Thraciæ & Macedoniæ ſolum euexerat, cũ ipſe prouinciis Opſicij orientalibus præeſſet. Vnde elatus, viros honoratos deſpiciebat, & arroganter tractabat.

*Nicephorus dolo circumuenitis ſatel-*

Quod illi ægrè ferentes, conſilium contra Imperatricem inierunt, adhibitóque patricio Nicephoro, gene-

*ſtitibus imperio potitur.*

rali Logotheta, profunda nocte in Chalcem venerunt, Irene ægrotante, & in ædibus ſuis Eleutherianis decumbente: ac ſatellitibus dixerunt, ſe ab Imperatrice miſſos eſſe, vt Nicephorū Imperatorem deſignarent, vt Patricius Aëtius eam cogere deſineret ad fratrem ſuum Imperatorem decernendum. Illi viris patriciis ob eorum dignitatem fide habita, ipſi etiam vnà cum illis Nicephorum Imperatorem ſalutarūt, atque ita in Regiam illi admiſſi ſunt. Deinde ea ipſa nocte turba promiſcua collecta, Nicephori deſignationē per totum forum ante diluculum publicarunt, & Irenes ædibus, in quibus tum agebat, cuſtodiam adhibuerunt. Die iam illuceſcente, eam in Orientalem regiam traductam concluſerunt, poſtea magnam Eccleſiam ſunt ingreſſi, vt ibi Nicephorus diademate ornaretur, & Imperator proclamaretur, ídque factum eſt.

## IMPERIVM NICEPHORI generalis.

*Irene monaſterio includitur.*

IMperio ſic arrepto Nicephorus poſtridie ad Imperatricem venit, quæ à ſatellitibus cuſtodiebatur, ſéque dixit inuitum ad id dignitatis faſtigium euectum eſſe, quod ſibi cordi non ſit, eámque bono animo eſſe iuſſit, vt quæ nihil non impetratura eſſet, quod dominæ à ſeruo præſtari oporteret, & vt Imperatorij theſauri omnes ſibi monſtrarentur, petiit. Illa reſpondit, ſe res ſuas commendaſſe Deo, & amiſſionem Imperij peccatis ſuis aſſcribere, illiúſque proclamationem diuinitus contigiſſe iudicare, ac adorare eum, vt à Deo deſignatum, & petere, vt ſuæ imbecillitati parceret, ſéque in ædibus ſuis ætatem degere pateretur. Ad hæc ille, ſi nihil ex abſconditis theſauris cælaret, ſe & hoc ei conceſſurum, & ſi quid aliud placeret, promiſit, eáque de re iuſiurādum ab ea exegit. Cum illa iuraſſet, maximámque pecuniā demonſtraſſet: ſtatim eam in inſulam Principis, in qua monaſterium Irene ſtruxerat, relegauit. Fuit enim Nicephorus pecuniæ auidiſſimus, auaritia inexplebili, ſummáque perfidia, & (vt ita dicam) omnis improbitatis diuerſorium, ac ne ad exiguum quidem tempus benignitatem erga ſubditos ſimulare potuit, ſed ſtatim iniuriis impleuit omnia: ac ne iis quidem pepercit, quorum opera ad imperium peruenerat. Nam Triphyllium veneno ſuſtulit, Bardanem Patricium & ducem, cognomento Turcum, ab Orientalibus legionibus ſiue volentem ſiue nolētem Imperatorem ſalutatum (nam vtrunque fertur) accerſiuit, promiſſaque impunitate, factum monachum in inſulam Protam tranſuectum, vbi monaſterium ſtruxerat, luce priuauit, ſatellitibus clā miſſis, vt ipſo inuito id factū eſſe videretur, mœrorémque præ ſe ferens, iureiurando negauit, ſe illius facinoris eſſe conſcium. Cōſtantinum Irenæ filium aſciuit, ab eóq; obſequiis delinito impetrauit, vt ſibi magnā pecuniam in muro quodam ædificiis obſepto conditam demonſtraret. Cum autem ſe omnibus inuiſum eſſe cerneret, veritus ne Irenem in propinquo degētem in imperium reducerent, eam cuſtodibus adhibitis, Leſbum relegauit, vbi præ mœrore mortua eſt.

*Nicephori improbiſſimum ingenium.*

*Irenes relegatio.*

*Stauracij coronatio.*

Filium Stauracium hominem odioſiſſimum & ſimplicem, neque forma neque prudētia, regno digna præditum, coronauit. Patriarcha Taraſio prima ieiuniorum hebdomade defuncto, inclytus Nycephorus à ſecretis, dominica Paſchatis communi ſuffragio Patriarcha eſt electus: cui electioni Plato & Theodorus qui magiſter Studienſis monaſterij fuerat, ſe oppoſuerunt, quòd Nicephorus homo planè laicus epiſcopatū adeptus eſſet, quamuis id ſæpè acciderat. Eos Imperator vrbe pellere in animo habuit, ſed id conſilium nō eſt executus. Sunt qui illos crimen illud laicæ conditionis ambitioni ſuæ prætexuiſſe dicant, cum re vera ipſi Eccleſiæ dominari, & pontificium Conſtantinopolis ſolium conſcendere impenſè cuperent. Imperator filio vxorem daturus, Theophanonē Athenienſem, Irenes Imperatricis cognatam, iam viro deſponſam, matrimonio nefariè dirempto, Stauracio coniunxit: cúmque colluuio quædam & ſentina omniū vitiorū eſſet, alia atque alia ad ſubditos atterendos comminiſci non deſtitit. quorum pleriſque omiſſis, paucorum mentionem faciam, guſtum duntaxat tanquam de pleno dolio lectoribus præbiturus. Inopes prouinciarum militare iuſſit, eíſque à finitimis arma & ſtipendia præberi, & inopum veſtigalia exigi à locupletibus, quæ conſtituto Allelengyon, quod alij pro aliis ſponderent, appellata eſt. Deſignauit & inſpectores, quibus mandauit, vt publica vectigalia augerent, & pro chartiatico in ſingula nomiſmata binæ ſiliquæ poſcerētur. Illi etiam fundos optimos quoſque dominis ereptos, fiſco aſſignarūt. Huius inuentum peſſimum eſt etiam Capnici impoſitio, parœcis Eccleſiarum, monaſteriorum, earúmque ædium in quibus vel pauperes vel ſenes alebantur, mandati, & cuiuis eorum qui neq; fundos neque reditus habebant. Ab iis etiam, qui quomodocunque è pauperibus diuites euaſerāt, tanquam theſauros reperiſſent, pecuniam exigi iuſſit. Naucleros agros emere à publico coëgit, homines vel quid eſſet agricultura, ignorantes ídque ad prouinciales naucleros pertinuit. Qui autem Conſtantinopoli degebant, ſinguli duodenas auri libras fiſco pro vſura penſitabāt, vltra cætera onera quæ nauibus incumbebant. Præterea quos vel mercatores, vel officinarum magiſtros pecunioſos eſſe norat: iis, maxima parte adempta, perexiguum quiddam relinquebat, vt cuidam cæreorū venditori fecit, quem cum magnæ pecuniæ dominum eſſe cognouiſſet, accerſitum, manu illius ſuo capiti impoſita, iuratum dicere coëgit, quantum auri haberet: illo centum libras affirmante, vt eas afferret, hominem hortatus eſt. Iis allatis: Non tibi opus eſt (inquit) tanto auro: & decem libris illi relictis ipſe reliquas ſibi vēdicauit, eúmque ſuæ menſæ adhibuit, vnum imperatorium prandium x c. libris auri non ſponte mercatum. Huiuſmodi multis rationibus excogitatis Nicephorus, ad quas ſolertiſſimo erat ingenio, ſubditos omnes afflixit, omnibus odio fuit. Quamobrem vir quidam ignotus ſtricto gladio in regiam ad eum occidendum accurrit, concurſúque facto, quoſdam enſe percuſſit, comprehenſus & quæſtionibus adhibitus, nihil de quoquam protulit, ſimulatáque inſania, incluſus eſt. Nicephorus

*Nicephorus Patriarcha.*

*Theophano Stauracij vxor.*

*Nicephori ſordes, rapacitas et exactiones.*

*Prandium Imperatoris x c. libris auri emptum.*



*Manichæi et Athingani.*

rus Manichæis, & iis qui Athingani vocantur, in oraculis auguriis & arcanis cerimoniis vſus eſt. Vnde in Romanis prouinciis diſperſum id hominum genus, multorum ſimplicium fidem corrupit. Agareni ſub eo, Romanis prouinciis crebris expeditionibus multas clades intulerunt, ac præter cætera, etiam Euchaitorum metropolim ceperunt. Ac illi Orientem populati ſunt, Bulgari occidentem. Imperator igitur quum bellum aduerſus Bulgaros ſuſcipere decreuiſſet, & quidam ex eius intimis ei ſuaſiſſet, vt ſubditos clementius tractaret. Nam omnes, inquit, contra nos vociferātur: & ſi quid aduerſi nobis acciderit, omnes caſu noſtro lætabuntur. Reſpondit ille: Deus cor meum quemadmodum Pharaonis indurauit. Ne quid igitur à me bonum iis euenturum expectato, qui in manu mea ſunt. Accerſitis igitur vndique legionibus, in Bulgariam profectus, Crumo genti imperante, principiò ſecunda fortuna vſus eſt, vt & aulam illius caperet (ſic enim Bulgari ſui principis habitationem appellabant) & conclauib⁹ vt ſuis, ſigilla imprimeret, & multos ſuorum, ob ſpoliorum rapinā mulctaret. Crumo autem fractis animis ſupplicante, vt genti parceret, & quibus ipſe vellet conditionibus pacem daret, ſucceſſu elatus nullas conditiones admiſit. Crumus igitur deſperatis rebus, ſibi iam de ipſa vita dimicandum ratus: coactis ſuis copiis, eáſque cohortatus, caſtra Romanorum noctu inuadit, omnibus ſine excubiis dormientibus. (Neq; enim in tanta deſperatione vnquam auſuros ſecū Barbaros congredi putabant) ſtatim in tabernaculū Imperatoris facto impetu Nicephorus occiſus eſt: quo autē pacto, ignoratur. Fertur enim à ſuis ex odio per inſidias interfectus, ſiue cædē hominis peſtilētis auſpicatis, ſiue à Barbaris inchoatā, executis. Eſt & Stauracius inter humerū dextrū & iugulum vulneratus, cæſíque ſunt multi viri excellentes, multi magiſtratibus præditi, multi duces, & dignitatibus illuſtres, gregarij verò milites, Imperatorij comites, aliique miniſtri innumerabiles. Direptum eſt vniuerſum imperatoris inſtrumentum, & totum Romanorum vallum. Barbari magnis opibus ſunt potiti, multis armis equíſque plurimis. Stauracius ægrè euaſit, & alij quos nox texit, in dumetis, paludib⁹, & aliis eiuſmodi locis latitantes. Crumus Nicephori caput amputatum, per aliquot dies crucibus ſuffixum, ſpectandum præbuit, & rei bene geſtæ pompam celebrauit. Deinde oſſe verticis reſecto, cute direpta, capite argento inducto pro calice vſus eſt, infuſóque vino ſuis ex eo propinauit. Romanorum interitu & imperatoris cæde Byzantij nunciata, luctus vbique magnus fuit, cæſorum neceſſariis eiulantibus. Calamitatem tamen leuabat Imperatoris interitus, quo omnes lætabantur. Regnauit homo peſſimus annos I X,

*Agarenorū incurſiones.*

*Nicephorus ſe Pharaoni comparat.*

*Expeditio Bulgarica.*

*Crumus Bulgarus Nicephori calua pro poculo vtitur.*

## IMPERIVM STAVRACII Nicephori filij.

NIcephorus vti vir peſſimus fuerat, ita turpiſſimè periit. Stauracius autem vulneratus, Adrianopolim peruenit, vbi magiſtratuum quorundam ſtudio Imperator eſt ſalutatus, & ex vulnere malè affectus, magnam vrbem ingreſſus, Michaeli Curopalatæ cognomēto Rangabi, cui ſoror eius Procopia nupta erat, inſidias ſtruxit, Imperium ſuæ coniugi relicturus. Cæterum ſenatus Stauracij conſilio cognito, reliquiis legionum conuocatis, Michaelem Curopalatem ſub diluculum Imperatorem dixit. Stauracius autem ſtatim detonſa coma, monachi habitū ſumpſit.

*Stauracius fit monachus*

## IMPERIVM MICHAELIS Rangabis.

MIchael vbi diluxit, magnam Eccleſiā ingreſſus, à Patriarcha Nicephoro, imperatorio diademate eſt ornatus, poſtulato pri⁹ ſcripto, quo promitteret, ſe nulla Eccleſiæ inſtituta violaturum, neq; Chriſtianorum ſanguine manus contaminaturū eſſe. Poſt dies aliquot Procopiam vxorem Auguſtam ſalutauit & coronauit, vir pius atque ingenui animi. Eos quibus à Nicephoro factæ erant iniuriæ, & militum bello cæſorum vxores pecuniæ diſtributione conſolatus eſt. Theophanonē Stauracij coniugem, quæ tonſa coma nigram ſtolam induerat, magna pecunia donauit, ædibus ei ad habitandum aſſignatis, quas illa in monaſterium conuertit, quod à Stauracio ibi ſepulto nomen eſt ſortitum. Nam ex vulnere, quod ſuprà memorauimus, deceſſit, cum duos dūtaxat menſes & ſex dies imperaſſet. Id monaſterium appellatione corrupta vulgo Braca dicitur, & à nonnullis, qui vocem ad Græcam formā detorquere conantur, originis eius ignari, Hebraica. Cum autem Studienſis Monaſterij moderatores, Platonem & Theodorum, & fratrem eius etiam Ioſephum Theſſalonicēſem archiepiſcopum, eiuſdémq; monaſterij monachos inſigniores in carcerem coniectos reperiſſet, propterea quod cum Patriarcha & Eccleſia non conſentirent, vt ſuprà dictum eſt, operam dedit vt eos in concordiam redigeret, ídque perfecit. Filium Theophylactū imperatorio nomine dignatus eſt, & à Patriarcha diademate ornandum curauit. Pòſt, expeditione contra Bulgaros ſuſcepta, qui Thraciam populabātur, quibuſdam legionibus ſeditioſis, à quibus apertè maledictis inceſſebatur, benignis alloquiis & liberalitate placatis, in Regiam reuerſus eſt. Cum multi inſaniam contra venerabiles imagines renouare ſtuderent, quibuſdam comprehenſis & mediocriter multatis, cæteros à ſimili conatu deterruit, & Monacho cuidam qui oſtentandæ forſitan pietatis ergô, Deiparæ imaginem eraſerat, linguam præcidit. Agarenis autem rurſus orientem vaſtantibus, orientalium dux Leo Armenius cōmiſſo prælio, ad duo millia cæcidit, multis equis & ſpoliis potitus. Crumus porrò Bulgarorum princeps legatos ad imperatorem miſit, pacem iis conditionibus petēs, quæ ſub Theodoſio Adramytteno & Patriarcha Germano conceſſæ eſſent. Quòd ſi pacem repudiaret, ſe Meſembriam inuaſurum minabatur, cúmque qui bellum maluiſſet, exitij Chriſtianorum autorem fore aſſerebat. Eas conditiones cū Michael de conſilio ſuorum renuiſſet, Crumus Meſembriam inuaſit, machinis ad expugnationem vrbis adductis. Nam Arabs quidam ſolers

*Michael fidem ſuā Patriarchæ obſtringit.*

*Michaelis benignitas.*

*Stauracij monaſterium.*

*Expeditio Bulgarica.*

*Leo Armenius Agarenos vincit.*

*Bulgari Meſembriam occupant.*

mechanicus, cùm ſe ad Nicephorum aliquando contuliſſet, & ſacro baptiſmate initiatus, ob Nicephori ſordes pro dignitate non tractaretur, déque ſui neglectu cõqueſtus acerrimè vapulaſſet: ex deſperatione ſe ad Bulgaros contulit, à quo Barbari omni generis machinas fabricari didicerunt: quibus abũdè inſtructi, vaſtationem Meſembriæ non cunctanter ſunt aggreſſi. Imperator autem cum Patriarchæ & primorum ſacerdotum quibuſdam deliberationem de pace Bulgarica & transfugis quibuſdam Crumo tradendis propoſuiſſet (nam id etiam inter cætera Barbarus poſtularat) Patriarcha & ſacerdotes præſtare cenſuerunt, transfugis traditis, paucos male tractari, quam turbas innumerabiles. Sed ſenatores aulici & Theodorus Studites pace repudiata ſupplices tradendos eſſe negauerunt. Quæ res paci Bulgaricæ impedimento fuit. Nam imperator hic ingenio leni & fide recta præditus fuit, ſed ad res gerendas tardior, facilè ſecutus, quocunque à proceribus duceretur. Tum ſtella crinita apparuit, quæ varias formas exprimebat, quarum vna fuiſſe fertur etiam hominis ſine capite. *Cometa.* Bulgari autem Meſembria potiti, cum multa alia ibi repererunt, tum ignis Græci non parũ. Cum verò Imperator è quibuſdam captiuis didiciſſet, velle Crumum Thraciã populari, vrbem egreſſus eſt. Barbarus igitur omiſſis ſuis conatibus, multíſque ſuorum amiſſis, receſſit, & imperator Romanis copiis vndique accerſitis rurſus in Thraciam abiit, etiam Auguſta ad Cedoctum vſque comitante. Quod milites ægrè ferentes, Imperatori conuitiabantur. Deinde illa domum rediit, Michael verò Thraciam obiit, neq; quicquam duce dignum, aut hoſtibus fraudi futurum egit, fuerũtq; legiones prouincialibus nõ minus prædæ quàm Barbari. Sed & Crumus ſuis ſedibus relictis, caſtra è regione imperatorij exercitus poſuit, commiſſáque pugna Romani ſuccubuerunt, *Romani cæduntur à Bulgaris.* ducis Oriẽtalium copiarum Leonis Armenij culpa, qui Imperij cupidus, Michaelem apud exercitum initio pugnæ vt effœminatum & rei bellicæ imperitum calumniatus, ſuas legiones ſe ſequi iuſſit, deſertíſque ordinibus fugam cepit. id quod alios quoquè in fugam vertit, adeò vt Crumus id non crederet ob abſurditatem, & inſidias eſſe ratus, ſuos contineret. Vt autem Romanos temerè effuséque fugere vidit: tunc ſuis, inſequi iuſſis, maximam cædem militum & ducum edidit, imperatore vix cum paucis Conſtantinopolim elapſo, vallum & tabernaculum imperatorium à Barbaris direptum. Ex eo ſumpta fiducia Leo, conſiliorum ſuorum conſcios in reliquias legionum dimiſit, qui dicerẽt, Romanos ex inſcitia Imperatorum vinci, & res ſtrenuum virum poſtulare, qualis ſit Leo dux Oriẽtalium, *Leo Armenius per ſeditionem Imperator factus, Michaelem in ordinem cogit.* itaque milites ad ſeditionem cõcitauit, vt & Michaeli maledicerent, & Leonem, eius tabernaculum circumſtantes, Imperatorem ſalutarent. Illum verò ſimulatè detrectantem, ac deprecãtem ſcilicet imperium, Michael Balbus tribunus, ſtricto gladio, monitis etiam cæteris coniuratis vt idem facerent, adigit, vt inuitus nimirum imperij titulum admitteret. Quibus nũciatis Michael, neque ad reſiſtendum ſe parauit, neque de imperio vindicando cogitauit, ſed poteſtatis inſignia ſtatim Leoni miſit: eóq; Regiam ingreſſo, cum vxore & liberis in ædem quæ eſt in Pharo, ſupplex confugit. Inde auulſi, Michael in inſula Prota, monachus factus vitam exegit: Theophylactus filius eius, qui Imperator appellatus fuerat, virilibus execti cum matre & fratribus eſt relegatus.

## IMPERIVM LEONIS. Armenij.

HVnc exitum habuit Michaelis imperium, cũ id biennium tenuiſſet. Leo verò ingreſſus Regiã, ſtatim exutam veſtem quam gerebat, Michaeli Balbo dedit, quam idem ſtatim induit: vnde multi coniecerunt, eum Leoni in Imperio ſucceſſurũ. *Omnia Michaeli Balbo Imperiũ portendentia.* Neque hoc ſolum poteſtatis augurium illi fuit, ſed illud etiam, quòd Leonem ponè ſequens, veſtis imperatoriæ extremitatem calcauit: ídque malum omen Leoni quoque viſum eſt. Horum vtrique prædictum fuerat, fore vt imperarent. Nam Bardanes dux & patricius, cuius ſuprà facta eſt mentio, imperium, priuſquam id inuaderet, animo agitans, cum monacho quodam in Philomelio degente, qui futura prædicere credebatur, arcanum communicauit, percontatus, an voti compos futurus eſſet? *Monachus quidam Leoni & Michaeli vaticinatur imperium.* Is eum à conatu illo dehortatus, neque voti compotem futurum eſſe, & opibus ac luminibus priuatum iri reſpondit. Quibus ille auditis, triſtis abiit, hic verò Leo, & Balbus Michael, & alius quidam Thomas, equum ei adduxerunt. Quos cum monachus ſupernè proſpectans vidiſſet, duci accerſito ait: Tibi quidem, vt dixi, regnum Deus non largitur. Eorum verò duos, qui tibi equum adduxerunt Leonem & Michaelem, ſuis vtrunque temporibus, imperio potituros ſcito. Tertius autem conabitur ille quidẽ, & diadema ſibi imponet, ſed voto ſuo fruſtratus, male peribit. Hæc ille prædixit, ſed Bardanes fide ei non habita, tyrannidem inuaſit. Quo pacto autem regno exciderit, & oculis ſit orbatus, opibus etiam ereptis, antè à me narratum eſt. Cæterum Leo imperio potitus Balbum Michaelem patricium fecit, & ſcholæ excubitorum Comitem: Thomam qui & ipſe ex iis fuerat, qui Bardani equum adduxerãt, iuxta Monachi ædes, Turmarcham legionis fœderatorum deſignauit. Bulgaris autem Thraciam vaſtantibus, legatos ad ducem eorum de pace miſit: quẽ, cum recenti victoria inflatus, pacis conditiones repudiaret, bello adortus eſt. *Leonis Bulgarica victoria.* Sed Barbari victoria rurſus ad ipſos inclinante, Romanos in fugã verſos, à tergo cõtemptim nullóque ordine ſunt inſecuti, alij aliò diſperſi. Quo Imperator animaduerſo (nam in editiore loco ſtabat) ſuos ad pugnam cohortatur, Barbaros fortiter aggreditur, & ſubita conuerſione perterrefactos, maxima ex parte cædit, magnámque turbã capit: nec multum abfuit, quin ipſe Crumus ſagitta ictus, equóque delapſus occideret, ni ſatallites conglobati ſcutis protecto, & alteri equo impoſito, fugam aperuiſſent. Imperator igitur triumphans multáque præda parta, regiã ingreſſus, non multò pòſt inſaniam contra ſacras imagines eſt auſpicatus. Vnde autem in eum furorem inciderit, iam



iam exponam. *Qua occaſione Leo, imagines oppugnare cœperit.* Ei monacho, à quo imperium ipſi prædictum fuerat, gratiã relaturus per quendam ex intimis ſuis dona miſit. Is non in ipſum incidit, quippe iam mortuum, ſed cum alium inueniſſet ibi habitantem, eum, vt quem non noſſet, acceſſit. Ille verò (erat enim oppugnator imaginum, eiúſque ſectæ vehementiſſimus propugnator) neque munera accepit, & eo à quo afferebantur, dimiſſo: Se à ſimulacrorũ adoratore nihil accipere dixit. Leoni & regni & vitæ iacturã breui comminatus, niſi adoratione ſimulacrorũ (ſic enim venerandas imagines appellabat) abſtineret. Hæc nunciata ſolicitum fecerunt Leonem: rem igitur cum quodam ex familiaribus Theodoto Meliſſeno communicat, qui oppugnatoribus imaginum ſtudebat. Is eum dolo aggreſſus, monet, vt negocium cum quodam monacho, quem eiuſdem ſecum opinionis eſſe norat, communicet, & quod ille ſuaſiſſet, exequeretur. Virum enim eum plenum eſſe gratia ſpiritus, ac res futuras & præuidere & prædicere. Aſſenſo imperatore, monachum conuenit, Imperatorem habitu priuati hominis ad eum venturũ eſſe indicat, & qua gratia ſit venturus, quæque cum eo diſſerenda ſint, inſtruit. Imperator noctu ad monachum abit, mutata veſte, ne agnoſceretur, Theodoto comitante. At monachus, vt ab illo ſpiritu commẽtum edoctus, Leonem pro imperatore ſalutat: &, Ne (inquit) maieſtatem tuam cælaris, neque imponere velis noſtræ vilitati. ſed ſcito te de religione perperàm ſentire, & planè ſimulacrorum cultorem eſſe & te & omnes eos qui tibi parent. Quòd ſi ex eccleſiis ſimulacra ſuſtuleris, & vita & imperium tibi diuturnum & fortunatum eſt futurum. Sin minus, ſcito te breui vtrunque amiſſurũ, prætereáque ſupplicia æterna ſubiturum. His Leo auditis, miratus monachũ, ob prædictionem, vtique ignarus impoſturæ Theodoti, verbis illius captus eſt, & cõtra ſacroſanctas imagines vehementiſſimè ſæuiit, & eas omnes edicto tolli iuſſit: qúmq; ſanctiſſimum Patriarcham Nicephorum quoquè in ſuam ſentẽtiam pertracturus eſſet, ille verò acriter aduerſaretur, & edictum illud & ſcriptis & oratione impietatis argueret: *Præſagium impietatis Leonis.* virum iuſtum relegat, qui quidem improbos Leonis mores præſenſiſſe fertur, qui Orthodoxis offendiculo futurus eſſet, Eccleſiæque tumultus occaſio. Nam cũ eius capiti diadema imponeret, manum ſuã ſpinis cõpungi putauit. *Theophanis et Nicephori Patriarchæ abſentiũ cõſpectus mutuus.* Dum autem Præconneſum exulatũ abducitur, Magni Agri magiſter Theophanes confeſſor, tranſitu illius ſpiritu cognito (neque enim videbat ſanctum) cæreis incenſis & ſuffitu, eminus eum excipit, & proſequitur, atque ille viciſſim eum flexis genibus veneratur, cum neque videret neque videretur. Quod Patriarchæ comitibus admirantibus, &, cui honorẽ illum præberet, percontantibus: reſpondit, confeſſori Theophani Magni Agri magiſtro: cõfeſſionem vaticinatus, nec dum enim ea dignatus fuerat. *Nicephoro Patriarcha relegato Theodotus ſuccedit.* Venerando Nicephoro ſic Eccleſia pulſo, in eius locũ introductus eſt Meliſſenus Theodotus; cui duplex erat cognomentum. Nam & Caſſiteras dicebatur, qui vnde in Leonis notitiã peruenerit, non eſt prætermittendum. *Lunatica puella imperium Leoni per Theodotum vaticinata.* Michaelè Rangabe imperante, muliercula quædam ex gynæceo imperatorio, ad lunares circuitus furore percita, ad eum clamitabat, Deſcende, alienis cedito, id non ſemel, ſed ſæpiſſimè factum, turbauit imperatorem: itaque Theodoto, quo familiariter vtebatur, mulierculæ vociferationes exponit. Tum ille, vbi, inquit, mente alienata fuerit, & de more clamitarit, interrogetur, ab aliquo: Ad quem regia pertineat? quod ei nomen ſit? qua forma? quam aliam notam habeat? Id conſilium prudens viſum: interrogãdi munus ipſi commiſſum. Cum igitur pro ſua conſuetudine inſania correpta vociferaretur, rogat eam. Illa & nomen Leonis & formam narrat: atque ait, ſi iam arce egrederetur, obuiam ei futuros eſſe duos viros, quorum alterius, qui mulo veheretur, eſſet imperium. His Theodotus auditis Imperatori nihil retulit, ſed verba puellæ ab inſania proficiſci dixit, certi nihil declarantia. Ipſe verò arcem egreſſus, in Leonẽ incidit, ac indiciis quæ muliercula prædixerat, agnitis, ſeducit virum, fidéque data & accepta, imperium ei prænunciat, quod diuino afflatu cognouiſſet, petítq; prædictionis poſt euentum remunerationem. Hoc pacto Theodotus innotuit, & familiaris fact⁹ eſt Leoni, & poſt amotum S. Nicephorum vice remunerationis ſedem Conſtantinopolitanam obtinuit. ô iudiciorum Dei abyſſum incomprehẽſibilem? quem quis eſt ſecutus? *Imaginũ oppugnatio.* Cæterum homo nefarius ſacra cathedra modò indignè conſcenſa, cum Imperatorem ſuffragatorem haberet, audacter in ſacras imagines eſt graſſatus. Leo item inſtar belluę tractabat eos, qui venerandas ſtatuas honorare vellent. Nam & à Theodoto ipſo exaſperabatur, & ab imperatoriis cubiculariis præfecto, quẽ Protopſaltem vocari receptum eſt. Qui cum ſectæ Iconomachorum turbidam peruerſitatem ad ſatietatem hauſiſſet: inſtigabat Imperatorem, vt imagines paſſim tolleret. & cum aliquando diuina Eſaię verba illa in Eccleſia recitarentur: Cui aſſimilaſtis Dominum? *Leonis elogia.* Num imaginem eius facit faber? aut aurifex ſimilitudinem eius parauit? & reliqua. Acceſſit, & Imperatori in aurẽ dixit: Audi Prophetam domine, éique obtempera. Ex eo citra verecundiam Leo ſectam illam ſectabatur, quíque impietati eius non cedebant, & dilacerare & deuorare cupiebat: etiam alioqui ſæuus & implacabili ira contra delinquentes, ob modica delicta pœnas atroces irrogans. Talem igitur ſe Leo præbuit erga pios, & alios quibus offenſus erat. In Rep. verò adminiſtranda, non ſegnis erat, ſed acer admodum & vigilãs, iniurióſque coërcebat. Oratus igitur à quodam, qui vxorem à ſenatore quodam ſibi raptam eſſe querebatur, & addebat, ſe fruſtra præſidis opem implorasſe: crimine probato, ſtatim præſidi poteſtatem abrogauit, raptorémque legibus puniendum tradidit. Magiſtratus tam ciuiles quam militares, delectu ex optimis habito, cõferebat, Romanarúmque prouinciarum præfecturas neque pecunia venum exponebat, neque ex gratia viris ineptis ad magiſtratus aut auaris, & ius pecunia vendentibus largiebatur. Quod ſi etiam nũc fieret, res benè ſe haberent.

## DE MICHAELE BALBO.

*Michaelis cõdemnatio.*

MIchael verò Balbus Amorio ortus, cum ad magnam fortunam peruenißet, ac præter alia vitia linguam etiam intemperantem haberet: delatus eſt apud imperatorem, quaſi clam inſidias ei ſtrueret ac perniciem moliretur. Ea delatio pridie eius diei facta eſt, quo feſtum natiuitatis Chriſti Eccleſia celebrare conſueuit. Statim igitur comprehenditur, imperator ipſe quæſitor earum rerum, quarum accuſatus erat, præſidet. Cõuincitur ab accuſatoribus Michael, crimina & ipſe confitetur, condemnatur vt igni cremetur. abducitur vt comburendus, locus ſupplicio deſtinatus erat balnei regij caminus: ſequitur imperator, ſiue quod aliis ſupplicium nõ credebat, ſiue quod illius interitu lætabatur. At imperatrix eo cognito, id facinus prohibebat, maritum partim orans, vt damnati ſupplicium propter feſtum differret, partim etiam audacius increpans, & impium appellans, qui diem venerandi myſterij natiuitatis Seruatoris non vereretur.

*Imperatrix pro Michaele intercedit.*

His verbis, eius aſperitate mitigata, perſuaſus, vt Michaelis interitum differret, ad cõiugem dixit: Ecce obtempero tibi, ſed tu liberíque tui cognoſcetis, quæ vobis ex eo euentura ſint. Ac Michael hoc pacto necem effugit. Miretur autem aliquis, vnde Leo futura prædixerit quæ vtique non ex diuino afflatu cognorat, quippe homo infeſtus Deo & ſanguinarius, vitámque degens perturbationibus minimè puram? Fertur oraculum à quodam accepiſſe, fore vt die natiuitatis Chriſti, & imperium & vitam amitteret. Perhibetur etiã in regia Bibliotheca fuiſſe liber, quo oracula de Imperatoribus continerentur, formæque & hominum & ferarum expreſſæ, atque inter cæteras Leo etiam fera illic pictus, litera. x. tergo eius inſculpta: ponè beſtiam vir ſtabat, qui Leonem per medium. x. confodiebat. Et hæc liber continebat, quæ Sibyllina oracula putabantur. Eius picturæ obſcurum inuolucrum, quæſtor illius temporis explicaſſe fertur, & dixiſſe, Imperatorem die natiuitatis Chriſti occiſum iri: nam feram ſignificare Leonem, literam. x. diem illum innuere, & quia per medium. x. haſta in Leonem infigeretur, Imperatorem eo die occiſum iri. Hæc Imperatorem turbabant, neç minus matris terrebat inſomniũ. Videbatur illa ſibi in æde Deiparæ Blachernia eſſe, & cernere matronam quãdam, quam adoleſcẽtes candidis induti veſtibus comitarentur, & ædis ſolum ſanguine redundare, audiréque matronam illam iubere dari matri Imperatoris vas eo ſanguine plenum. quæ cum id aduerſaretur, dicere illuſtrem illam matronã:

*Leo diuinat clementiam erga Michaelem exitio ſibi futuram.*

*Præſagia cõplura interitus Leonis.*

*Pictura fatidica.*

*Matris Leonis ſomnium*

„ At filius tuus eos qui me venerantur, ſanguine
„ implet, neq; intelligit, ſe & Deum & filium meũ
„ ad iram commouere. Hæc in ſomnis vidit Leonis mater, filióque expoſuit, obteſtata, vt in venerandas imagines ſæuire deſiſteret. Sed miſer homo obſurduerat, Deúmq; laceſcere pergebat. Eſt & Diuus Tharaſius iam ex hac ærumnoſa vita trãſlatus, cuidam in ſomnis viſus, qui Michaelem quendam inclamaret, eúmque ad inuadendum & occidendum Leonem hortaretur. Sed & Philomeliani monachi prædictio & alia quædã Leonem turbabant & terrebãt. Interea Michaelem compedibus vinctum Papiæ cuſtodiendum tradidit, clauem ſeræ ferreæ ipſe aſſeruauit, eámque noctem ſolicitam & ex ſolicitudine inſomnem egit. Quare Papiæ conclaue ingreſſus, Michaelem in lecto ocioſè dormientem videt, Papiam verò humi iacentem: quod vel vt honoraret Michaelem faciebat, vel, vt putabatur inſidiarum contra Imperatorem conſcius. Vt igitur Michaelem ſomno profundo & ſuaui oppreſſum vidit, nullam ſollicitudinem præ ſe ferentem: receſſit iratus, irámque agitatione manus declarauit. Ac cæterorum nemo eius præſentiam animaduerterat præter vnum Papiæ vigilem, qui ſomno ſimulato, quid feciſſet viderat, & vt iratus ac minitabundus abiſſet: omnémq; rem ſuo domino nunciat, ille Michaeli communicat: ambóque territi, quo pacto Imperatoris indignationẽ effugerent, deliberant. Ibi Michael Papiæ ait, ſi
„ ipſe vellet, ſe non periculum modò vitaturos, ſed
„ etiam conſilia ſua ad exitum perducturos. Papias hortatur, vt quod animo concepiſſet, ageret, ſe nuſquam ei defuturum. Itaque Michael literas ad conſcios ſcribit, quibus minabatur, niſi celeriter adeſſent, & quod conſtituiſſent, perpetrarent (ídque facilè eſſe, quemadmodum ipſe inſtruxiſſet) ſe omnes Imperatori indicaturum, neque ſolum in periculo futurũ eſſe. Eas literas per quendam Papiæ miniſtrum miſit, eíque mandauit, vt illos noctu ad reginam ire iuberet clericorũ habitu, & occultos pugiones geſtare. Illi Michaelis monitis obtemperantes, ſe ad reginã conferunt. Sub diluculum imperatorij cantores ad matutinas odas canendas adſunt, cum quibus Michaelis cõſcios Papias vnà introducit, qui ſeſe in obſcuro quodam angulo abdiderunt. Pſaltæ cum hymnorum plus media parte cecinisſent, etiam Imperator ædem ingreditur, qui cum magnam vocem haberet, ſed grauiſſimam & cum aſperitate auribus inſonantem, ſe benè cantare ac præclarum eſſe muſicum opinabatur, & hymnos auſpicari cõſueuerat. Ac tum ſtans exclamauit: Regis ſupremi cuncta deſiderio Spreuere. Inſidiatores verò ſtatim ſtrictis enſibus ex angulo proſilierunt: ille territus in ſacrarium accurrit, quem hi cõſecuti, multis vulneribus cõfecerunt, amputata manu & capite, cum crudeliter atque impiè annos VII & V menſes imperaſſet. Cadauer eius in circum equeſtrem pertractum, ibíque abiectũ eſt. At Michael compeditus (nam clauis non ſtatim reperiebatur, quam Leo in ſinu geſtabat) lætis acclamationibus vt Imperator adoratus eſt. Deinde, claue nõ inuenta, compedes ferreæ diſſectæ ſunt.

*D. Taraſij apparitio.*

*Michael Papia adiutore Leonem per cõiuratos occidẽdum curat.*

*Michael ex carcere et cõpedibus ad imperiũ euehitur.*

## IMPERIVM MICHAELIS.
### Balbi Amorræi.

MAne Michael in magnam Eccleſiam venit, vt diademate ornaretur & publicè proclamaretur, ſacrámque ædem, non habita nefariæ cædis ratione, ingreſſus eſt, & voti compos factus. Leonis vxorem & quatuor filios, Sabbatium (cui cum Imperator appellaretur, nomen Cõſtantini fuerat inditum) Baſilium, Gregorium & Theodoſium,

*Leonis vxor fit monacha, filij caſtrati relegãtur.*



ſium, regia eduxit ac mulierem in monaſterio Dominorum incluſit, adoleſcentes in inſulam Protam relegauit, omnes virilibus exectis. Ex his Theodoſius obiit, Conſtantinus vocem amiſit. Qua de cauſa Deum feruẽtiſſimis precibus orauit, ſed & magni patris Gregorij Theologi ſtatuam continenter acceſſit, vt ſibi loquendi facultas reſtitueretur: nam vnà cum Imperio etiã paterna impietate liberi Leonis exciderunt. Aliquando igitur ſanctus in ſomnis ei aſtare viſus eſt & iubere vt ſurgeret, ac illud, Iterum Ieſus meus, legeret. Eo viſo fretus, Eccleſiam ingreſſus eſt, ac citra impedimentum vllum vocis legit. Etſi autem Michael Leonis vxorem & liberos intra certos limites circumſcripſerat, vt dictum eſt, nõ tamen egere paſſus eſt, quibuſdam ex eorum poſſeſſionibus, vnde neceſſaria ſuppeterẽt, & ſeruis ad miniſterium attributis. Oriũdus fuit Michael Amorio ſuperioris Phrygiæ vrbe, in qua Iudæi, Athingani, & aliorum impiorũ turba habitabant, vnde confuſa quædam ſecta exiſtebat, cuius & ipſe particeps fuiſſe creditur. Ea tametſi ſacroſanctum baptiſma admittebat, Moſaica tamen inſtituta, præter præputij reſectionem obſeruabat. Aluit domi Iudæum quendam à quo erudiebatur. Vnde nihil ſynceri apud eum reperiebatur, ſed erat, vt ita dicam, ſentina quædam ſectarum: eáq; de cauſa diſputationes oderat, vt quæ eius peruerſæ opinioni euertendæ eſſent.

*Cõſtantinus miraculo vocẽ recuperat*

*Michaelis cõfuſa religio.*

CEDR. *Quæ vero ſua erant & ſibi quaſi à natura inſita maximi ducebat vt pote prædicere porcorum recẽs natòrum qui præclarè adulturi eſſent, aut contrà: poſſe equis calcitrantibus propè aſiſtere: aſinos calcitrantes arte quàm longißimè vitare: de mulis optimè iudicare, & diſcernere qui oneribus aut qui ſeſſori commodißimè ferendo apti forent, vt nullo pauore conſternati eum excuterent: equos ſolo intuitu dinoſcere, qui vel curſu celeres, vel bellica fortitudine nobiles eſſent futuri: item de ouium & boum fœcunditate, ac lactis abundantia, & de recenti fœtu iudicare, cuius quiuis matris eſſet. Hæc eius fuerũt prima ætate ſtudia, quibus & poſtremis ſuis ſeſe iactauit temporibus.*

In adoleſcentia autem cum ob inopiam militaret, aliquãdo tribunum adiit, aliquid ab eo petiturus. Ei tribuno quidam Athinganus aſtans, clam dixit, Is qui tibi nunc ſupplex eſt, aliquando Romanis imperabit. Eo augurio ille motus, ſtatim cum Michaele familiaritatem contrahit, eíque filiam deſpondet. Cum autem recens imperio occupaſſet, vt dictum eſt, S. Nicephorus Patriarcha exulans, per literas ab eo petiit vt venerabiles imagines reponerentur. Cui ille reſpondit, ſe neque in religione quicquam nouaturum neque Eccleſiæ ſtatum mutaturum, neque coacturum eſſe quẽquam, vt aliter quam vellet, de Deo ſentiret. Sed hæc verba fuere. Neq; enim multo pòſt, animo ſuo declarato, orthodoxos oppugnauit, ac præter multos alios crudeliter tractatos, etiam in D. Methodum graſſatus, Euthymium Sardium archiepiſcopum ob ſanctarũ imaginum cultum in exilium miſit. Deinde Methodium in Acrita concluſit, inclytum verò Euthymium à filio ſuo Theophilo crudeliter flagris cæſum, in martyrum numerum retulit. Copronymum in omnibus imitans & Iudæis addictus, ſabbata ieiunari iubebat. Reſurrectionem mortuorum non credebat, eóque futura bona ſugillabat, & Prophetas irridebat, Dæmones eſſe pernegabat, ſcortationem peccatum non iudicabat, iurandum ſeſe Deum vniuerſi moderatorem monebat. Iudæ ſalutem ominabatur. Paſcha alieno celebrari tempore affirmabat.

*Athinganus Michaeli imperium prædicit.*

*Michael etſi ſe in religione nihil nouaturum eſſe præ ſe fert tamẽ in pios graſſatur.*

*Michaelis opiniones.*

*Literaturam quoque adeò eſt auerſatus, vt ne pueros quidem ea permiſerit erudiri: ne vel veſaniæ ipſius coarguendæ atque refellendæ inſtrumenta alij inde pararẽt: vel diſciplina adiuti, cum oculorum ac linguæ velocitate in legendo vterentur, ipſi palmam eius rei præriperẽt. Adeò enim in literis componendis tardus erat, & ſyllabis conficiendis, vt librum alius facilius perlegeret, quàm ipſe ſui nominis elementa recenſeret.* CEDR.

Hæc pauca è multis improbitatis ac potius dementiæ illius indicia conſcribenda cenſui. Nunc oratio ad res geſtas & bella multa illorum temporum progrediatur. Thomas vnus trium eorũ de quibus Philomelianus ille monachus Bardanæ vaticinatus fuerat, vt ſuprà dictum eſt, quorũ duo imperio potituri eſſent, tertius (is verò Thomas erat) inuaſurus ille quidem tyrannidem, & diadema ſibi impoſiturus, regni verò non compos futurus, ſeditionem excitauit. Is igitur, vt antè ſcriptum eſt, à Leone fœderatorum legioni præpoſitus, vt principem de ſe bene meritum à Michaele cæſum cognouit, per ſpeciem necis illius vindicandæ, cum reuera imperium cogitaret. Michaelem eſt aggreſſus, coactíſque non cõtemnendis copiis, vniuerſas ferè orientales prouincias occupauit, & publica earum vectigalia ſibi afferenda curauit. Vnde auctis opibus etiam Agarenos inuaſit, qui tum omnes Prouincias & ipſas inſulas ob inteſtinum bellum audacius populantur, eorúmque impetum repreſſit, & caſtris propè poſitis habitóq; colloquio, pepigit, ſi imperio potiretur, ſe Romanis finibus eis ceſſurum eſſe. His peractis, caput diademate regio ornat, & ab Iobo Antiocheno Patriarcha imperator appellatur. Inde cum magno exercitu profectus (Nec enim Agarenos dũtaxat, ſed & plures alias gẽtes ad belli ſocietatẽ aſciuerat) tyrãnidem maiore animo inuadit. Fuit hic Thomas non ex gẽte Patricia, ſed admodum obſcura eáque Barbara, tantáque inopia conflictata, vt mercede ſeruiret. Sed à fortuna euectus, vt dictum eſt, regnóque affectato, Conſtantini nomen aſſumpſit, & filium adoptiuum, imperij conſortem, vt putabat, allegit. Cum exercitu Michaelis contra ſe miſſo congreſſus, aliis occiſis, aliis fugatis, tyrannidem ſtabiliuit, & claſſe comparata, imò etiam claſſe imperatoria potitus. Abydo in Thraciam traiecit, oriẽtalibus penè omnibus ſubactis, præter Opſicianam prouinciam, cui Cataquila, & Armeniacam, cui Olbianus præerat, qui tyranni adoptiuum filium inſidiis exceptum, ſtatim ſuſtulit.

*Thomæ ſeditio.*

*Thomæ natales.*

*Thomas Byzãtiũ fruſtra oppugnat.*

*Hi namque extremum vſque in fide imperatoris perſeuerauerunt. Ideóque Imperator referendæ gratiæ cauſa publicum vectigal, quod Fumariũ dicitur, & in ærarium Principis inferri ſolebat, iis dono dedit.* CEDR.

Cum Thomas ſtatim, vt dictũ eſt, in Thraciã veniſſet, omnes ad eum ſe contulerunt. Itaque Imperatorem denuo terra maríque vicit, profligatis exercitibus, & in demortui filij locum, aliũ adoptauit, nomine Anaſtaſium, qui ſacro mona-

chi habitu abiecto, ciuilem ſumpſerat, eóque redegit Michaelem, vt ferrea cathena ex arce in oppidulum è regione ſitum extenta, tyrannum prohibere conaretur, ne intrò penetraret. Sed Thomas terra maríque ſimul, impetu in vrbem facto, cathenáque facillimè rupta: putabat, ſi à ciuibus tantum conſpiceretur, fore ſibi ob Imperatoris odium aperta omnia. Quum autem viros fortes ſe præberent, qui vrbem tuebantur, ſpe deiectus, tum quidem receſſit, ac vallum muniit circa ſacroſanctam diui Anargyrorũ ædem, qui locus Paulini vocatur. Diebus aliquot elapſis, vrbem denuò terra maríque oppugnat, machinis & ſcalis adhibitis. Vt verò ſe omnem operam & impenſam ludere vidit: tunc frigida Thracia relicta (nam hyems erat) exercitus in prouincias diſtribuit, vt ibi ocio recreati, hyemis ſæuitiam euitarent. Sub veris initium, legiones denuò vtrinque contra vrbem adduxit, eámque & pedeſtribus & naualibus copiis circundedit. Sed & Michael interea & claſſem & milites comparat, ſuóſque cohortatus, pluribus portis ex improuiſo impetum in tyranni populum fecit. Illi verò & inexpectata aggreſſione, & audacia hoſtium territi, terga dederunt, multíſque cæſis victoria penes vrbanos fuit. Ac terra ſic actum eſt cum deſertore, maríque nihilo melius. Nam tyranni naues, quum Imperatoriam claſſem contra ſe ire vidiſſent, non reſtiterunt, ſed congreſſu euitato, aſſidua remigatione ad continentem appulerunt, ibi alij diffugerunt, alij ad Michaelem defecerunt. Verùm deſertor tyrannidem adhuc vrgebat, neque vallo ſoluto, & claſſe quam in Græcia paratam habebat, accerſita. Quæ quum veniſſet, & iuxta Berydas, naues ſubductę eſſent, Michaelis claſſiarij ea re cognita, noctu eas aggrediuntur, & quaſdam hoſtilium nauium ceperunt, & quaſdam igni Græco incenderũt, vt perpaucæ admodum ſupereſſent. Terra autem crebra prælia fiebant, Theophilo Imperatoris filio duce, ſed æquo ferè Marte pugnabatur, victoria ad neutram partem inclinante. Interea verò aliquid accidit, quo res illius Thomæ labefactatæ ſunt. Nam rumore defectionis Thomæ, & vrbis obſidionis paſſim ſparſo: Martagon Bulgarorũ Princeps, qui annorum triginta inducias cum Leone fecerat, Romanis amicus, vltro ſuppetias Imperatori venit, caſtris ad Cedoctum locatis. Ea res deſertorem turbauit, Nam quum è re ſua eſſe non putaret, vt ſimul & vrbem oppugnaret, & cum Bulgaris dimicaret, quòd diuiſis copiis, neutris par futurus eſſet: contra Bulgaros cum omni exercitu eſt profectus, pugnáque commiſſa victus, multos ſuorum amiſit partim cæſos, partim captos. Qui verò & Barbaricum enſem, & captiuitatem effugerant, expectatione rerum futurarum ſuſpenſi, quieuerunt. Bulgari captiuis & magna præda adducta, elati victoria, receſſerunt. Ea clade deſertoris cognita, claſſis eius reliquiæ ad Michaelem defecerunt. Eo rerum ſtatu tyrannus, etſi vires eius vndique minuebantur, tamen ab obſidione non recedebat: ſed cum ne tum quidem quicquam proficeret, omiſſa vrbe longius abſcedit, & locum opportunum nactus, vallum communit, atque inde ſuburbana diripit, eorúmque amœnitatem vaſtat. Sed Michaele eũ aggreſſo: commiſſáque pugna, Thomæi de induſtria in fugam verſi, partim ad Imperatorem ſe contulerunt, partim ad ſua redierunt. Tyrannus cum pauciſſimis Adrianopolim abit. quem Michael è veſtigio inſecutus, vrbem non machinis, ſed annonæ penuria oppugnat. Ciues vrgente fame, petita delictorum ab Imperatore venia & impetrata, Thomam vinctum ei tradunt. Is ei & manus & pedes amputat, & aſino impoſitum ignominioſo triumpho circumducit. Poſtea de conſciis quærit, quorum ille multos nominaſſet, niſi Hexabulius patricius Imperatoris impetum hoc dicto repreſſiſſet, inimicis amicos deferentibus non habẽdam eſſe fidem. Thomas verè alias aliis tormentis excruciatus, miſerrimè expirauit. Adoptiuus item eius filius, quum in Bizyam oppidum confugiſſet, à caſtelli habitatoribus vinctus, ad Imperatorem eſt adductus, & eodem quo fictitius pater ſupplicio affectus, violenter & ipſe periit. Thomæ ſeditione ad hunc modum compreſſa, maritimæ Thraciæ ciuitates nihilominus, etiam illo ſublato, motum eum vrgebãt, ac præ cæteris Panium & Perinthus. Sic enim Heraclea olim, appellata eſt, ídque Imperatoris odio factum. Cæterum, Panium mœnibus terræmotu collapſis, captum eſt, Heraclea mari expugnata. Michael his rebus bene geſtis, triumphans in vrbem rediit, & ludis Circenſibus Michaelis adiutores aſinis inſidentes in theatrum introductos, ſola relegatione contentus grauioribus ſuppliciis nõ affecit, duobus exceptis Chærea & Zagoreno, qui quum caſtella quibus præerant, ne poſt Thomæ interitum quidem tradere vellent, iis expugnatis, in crucem acti ſunt. Dum Romanæ copiæ, Thomæ defectione, belliſque ciuilibus occupantur, Agareni occidentales, ſinus Iberici incolæ, qui Hiſpani vocantur, arrepta occaſione, à ſuo Duce, quẽ Amermumnem vocant, locorum coacti anguſtiis, petierũt, vt coloniam deduceret. Annuit ille, & cum eis triremibus impoſitis ſoluit, inſuláſque Romanas obiens populatur. Vt autem in Cretam quoque venit, eius fertilitate cognita, maximam partem prædatum mittit, ipſe cum paucis ad nauiũ cuſtodiam relictis, igne iniecto omnes cremat. Ob quod factum Agarenis tumultuantibus, & cauſam eius requirentibus, Achaps (id enim duci eorum nomen erat) Coloniã inquit petiiſtis. En regionem lacte & melle manantem. Hanc occupate & incolite. Cum verò illi dicerent, Noſtra verò chariſſima vbi ſunt? Reſpondit, Mulieres ſunt, è quibus paulo pòſt liberos ſuſcipietis. His Agareni perſuaſi, inſula ſubacta indigenas in ſeruitutem redegerunt.

*Thomas à Michaele terra marique vincitur.*

*Bulgari vltro Thomã inuadunt.*

*Thomæ crudelis interitus.*

*Panium & Heraclea captæ à Michaele.*

*Agareni ex Hiſpania in Cretam traiiciunt.*

*Breui admodum tempore fama rei ad Photinum protoſpatharium Orientis præfectum peruenit: iſque Imperatorem de ea certiorem faciens, copias ad profligandos ex inſula hoſtes mitti petiit.*

Quo tempore Cyrillus Gortynius epiſcopus pro Chriſti defenſione Martyrij coronam accepit. Interea Imperator, vxore mortua, ſe à ſecundis nuptiis abhorrere palàm præ ſe ferens, clàm ad ſenatus principes miſſitando perfecit, vt ipſi peterent, vt alteram duceret vxorem. Ea ſimulatio, honeſta ſpecie non carebat. Neque enim cõuenire, vt ipſi ab imperatore regerentur, vxores verò ſuæ Imperatricem non haberent. Michael eã petitionem principiò tergiuerſando repulit, ſed illis inſtantibus, fidem ſibi dari petiit, ſi vellent vt imperatricem duceret, vt eam ſe quoque mortuo imperatricem agnoſcerent, & liberos ea natos vt imperatores honorarent. Quæ cum ſenatus ſcripto promiſiſſet, & ipſe de ficta illa pertinacia deceſſit, vxore ducta Euphroſyna, quæ filia Conſtantini Imperatoris, quem mater Irene (vt diximus) excæcauit, eſſe dicebatur, & multò ante tonſa inter monachas religioni in Inſula principis deditas, à primò capillo vitam agebat. Patriarcha Theodoto mortuo, qui ſex annos Eccleſiæ impiè præfuerat: Antonius cognomento Caſſimatas in eius locum eſt ſuffectus, peruerſa & ipſe religione præditus. Imperator miſſa contra Agarenos in Cretam claſſe, victus eſt, quíque cladi ſuperfuerãt, ipſi nuncium eum attulerunt. Pòſt, aliam ingentem claſſem contra eoſdẽ mittit, duce Cratero, qui principiò rem contra Agarenos benè geſſit, multis eorum captis & interfectis. Deinde & ipſe & eius milites victoria freti, quaſi aduerſariis iam eneruatis, neque vnquã auſuris ipſos aggredi, ſe voluptati & poculis dederũt, eáq; nocte ſine excubiis comeſſati ocioſè dormierunt. Quo hoſtes intellecto, noctu eos cum maximo clamore adorti, omnes ita cæciderũt, vt vix nuncius cladis ſupereſſet. Nam & ipſe claſſis præfectus Craterus, quum in naue mercatoria fugiſſet, captus, atque in crucem actus eſt. Poſt hæc, alia claſſis Ooryphæ cuidam eſt commiſſa, qui inſulas obiens, piraticarum nauiũ impetum, iis ſpoliandis, repreſſit, & Cretenſiũ quoque priorem ferociam compeſcuit. In Sicilia quoquè, alia mota eſt ſeditio. Nam quidam populi princeps Euphemius, monacham quãdam, cuius inſano amore flagrabat, rapuit. Qui cum à prætore ad ſupplicium quæreretur, ad Africæ Amyram confugit, eíque pollicitus eſt, ſe Siciliã proditurum, & magna tributa penſurum, ſi Romanorum Imperator appellaretur. Ille hominẽ voti compotem facit, magnis copiis datis. quibus Euphemius acceptis Siciliam ei prodit. Sic illa in poteſtatem Agarenorum venit, Tyrannus autem non multò poſt ſui ſceleris & deſperationis dat pœnas, crudeliſſimè interfectus.

*D. Cyrillus Gortynius.*

*Michaelis ſecundæ nuptiæ.*

*Antonius Caſſimatas Patriarcha.*

*Agareni Cretẽſes imperatorias claſſes profligãt.*

*Ooryphas Agarenos coercet.*

*Sicilia per Euphemiũ Agarenis prodita.*

CEDR. *Et ſanè operæprecium videtur referre, quo modo fuerit interfectus. Cùm obiret Siciliam Imperatorio habitu, vt ab omnibus Imperator ſalutaretur, Syracuſas quoque petiit: vbi cum à ſuis ſtipatoribus longius prouolaſſet, & ad vrbem tanto, quantum ſagitta arcu emiſſa conficit, ſpacio acceſſiſſet, cum oppidanis colloquens eorúmque beneuolentiam oratione ſua captans: duo Syracuſani fratres ſolum & à ſuis amotum videntes, de eo interficiendo conſpirãt. itaque ſimulato ſtudio & adulatorio geſtu ad hominem accedunt, atque vt Imperatorem debito honore afficiunt. Euphemius, qui eorum dolum non intelligeret, gratam eorum Imperatorij nominis delationem atque ſalutationem habens, comiter ad ſe eos vocat, dignis modis reſalutaturus. ergo cùm capite inclinato alterum oſcularetur, ab eo crinibus arripitur, ac validè tenetur: alter ei caput amputat. has ſuæ improbitatis pœnas luit Euphemius.*

Michael porrò Imperator, cum octo annos & nouem menſes imperaſſet, phrenitide & retentione vrinæ ſiue inteſtinorum dolore (Nam vtrunque fertur) obiit, imperio filio Theophilo relicto. Sub illo etiam Dalmatia Romani imperij iugum excuſſit, ídque vetuſto hoc oraculo prædictum ferunt.

*Michaelis obitus.*

*Dalmatiæ defectio.*

*Babylone quando Balbus imperauerit,*
*Draco ſubactus auri amore perdito,*
*Tellus malorum ſentiet primordia.*
*Fuit autem Michael omnino auariſſimus.*

## IMPERIVM THEOPHILI.

Imperio potitus Theophil⁹ nihil pri⁹ habuit, quàm vt eos qui patri ad regnum obtinendum adiumento fuerant, Leonémque interfecerant, ſuppliciis afficeret. Quorum ne quis lateret, toto ſenatu in Regiam conuocato, ſe mandatum paternum exequi velle dixit. Nam cum is imperij parti adiutores pro dignitate remunerari cuperet: tempus ei defuiſſe, quò minus id re ipſa præſtaret, primum bellis impedito, deinde morbo & obitu. Sibi igitur mandaſſe, vt id debitum liberaliter perſolueret. Proinde hortabatur eos, qui patri ad Leonem tollendum operam nauaſſent, vt à cæteris ſegregarentur. Illi dolo non intellecto, ſeorſim ſteterunt, ſe profeſſi eos eſſe, qui patri eius opem tuliſſent. Tum is ſtatim perſona ſimulationis depoſita: Cur, inquit, vncto Domini ſceleratas manus attuliſtis, neque homicidæ duntaxat, ſed & Imperatoris parricidæ extitiſtis? Et mox ad præfectum conuerſus, iubet, vt eos abductos digna facinore pœna afficeret. Illi igitur pro homicidis ſunt mulctati. Theophilus verò etiam nouercam Regia eiectã, in priſtinum eius monaſterium in inſula Principis incluſit, neque quicquam ei iuſiurandum, quod Michael à Senatu exegerat, profuit. Vxorem ducturus multas formoſas puellas vndecũq; accerſiuit, inter quas & Icaſia virgo fuit, tum forma præſtantior cæteris, tum erudita, tum genere illuſtri nata. Dũ igitur eas ſpectãs circuit, aureum pomum manu tenens, quod ei quæ placuiſſet, coniugi pignus daret: cum ad Icaſiam veniſſet, pulchritudinẽ eius admiratus, A muliere, inquit, emanarũt mala. cui illa placidè & cum honeſto rubore ſolerter reſpõdit, Sed & res meliores è muliere exuberant. At ille virginis oratione velut attonitus, ea prætерita, malũ aureum Paphlagonię Theodoræ dedit. Icaſia verò cũ regno excidiſſet, monaſterium de ſuo nomine cõdidit, in quo ſibi & Deo vixit, eruditione literarum nõ neglecta. Vnde & ſcripta eius reperiuntur, in quibus neq; doctrinam, neq; gratiam deſideres. Et ſic illa res ſuas adminiſtrauit, & mortali rege fruſtrata, Regi omniũ nupſit: pro terreno imperio, cœleſte ſortita. Imperator verò Theodorã ſimul & nuptiali corona & regio diademate ornat, nuptiáſq; celebrat. Et quia iuſtitiæ cultor erat, grauem ſe & inexorabilẽ delinquẽtibus prębebat. Singulis igitur hebdomadibus eques per forũ cum ſatellitibus imperatoriis in ædem Deiparæ Blacherniam iuit. Etſi enim ſacris imaginibus honorẽ nõ habebat, Seruatori tamen & Dei matri ſe fidem ſeruare profitebatur. Cum autem ſic in publico verſaretur, facilis aditu fuit, rerúmq; vænalium curã habuit, & quanti quæque venderentur, curioſè indagauit. Quòd ſi qua magno veniret, præfecto de iis interrogato vel Magiſtratum abrogabat, ſi pec-

*Theophilus de Leonis percuſſoribus ſuppliciu ſumit.*

*Euphroſyna in monaſterium redit.*

*Theodora Theophilo nubit.*

*Icaſia fit mõnacha nuptiis Imperatoris fruſtrata.*

*Theophili iuſtitia & ſeueritas.*

caſſet, vel obiurgato eo, quid agẽdum eſſet, præſcribebat. Sic igitur aliquãdo prætereuntem mulier quædam acceſſit, quæ ſibi iniuriam fieri à Drungario Biglæ querebatur (is Auguſtæ frater erat, nomine Petronas) qui cum in vicina habitaret, ædibus in altum educendis, ſuis luminibus obſtrueret. Ac illa ſic Petronam accuſabat. Is verò ab Imperatore accerſitus, & quid mulier diceret interrogatus, nugas eam agere dixit. Tum Imperator: Caue, inquit, ne denuo eadem de re me appellet, quod tibi bono non eſt futurum. ac mulierem ad Petronam abire iuſſit, & niſi ei damnum reſarciretur, ad ſe redire. Quod cum illa feciſſet, neque à Petrona quicquam impetraſſet, re deſperata rurſus Imperatorem interpellauit. Is ſtatim quibuſdam ſenatoribus mandauit, vt viderẽt, num damnum mulieri daretur? Abiere illi ſtatim, damnúmque cognitum Imperatori renunciarunt, qui in forum progreſſus, atque ibi certo loco ſtans, Petronam veſtibus direptis & in tergo & in pectore verberari iuſſit, & quæ in fraudem mulieris ſtruxerat, deſtrui, materiámq; & ſolum ipſum mulieri attribui.

*Petronæ Drungarij mulcta.*

CEDR.

*Porrò miles quidam manu promptus equum habuit egregium, qui ipſum ſæpe ex prælio incolumem extulerat. Huius equi amore captus dux, ſub quo is militabat, cum neque pollicitationibus neque minis impetraret, hominem timiditatis accuſatum apud Imperatorem exautorat. Cum autem Theophilus equum inſigni virtute cuperet habere, & miſsis in omnes partes mandatis talem ſibi quæri atque afferri iuberet, eam nactus occaſionem dux iſte, militi ei equum inuito adimit, & tanquam ſuum Imperatori mittit. Poſt cum neceſsitas bellica plures milites requireret, mandatóque Imperatoris omnes qui arma ferre poſſent in exercitum allegerentur: ille etiam miles arma ſumpſit, & in prælio fuſis ſuis, quod equum à quo ſeruari conſueuerat non haberet, occubuit, vxore & liberis relictis. Vidua amiſsi mariti deſiderio accenſa, & quòd neceſſaria pupillis ſuppeditare nequibat, iuſticiæ Imperatoris fama inſtigante Cõſtantinopolim venit: Theophilúmque ad templum Blachernenſe equitantem de more cõſpicata mariti ſui equo vehi concitato curſu, aggreſſa, frenum equi apprehendit, ſuum hunc eſſe vociferans: & non alium, ſed ipſum Imperatorem cædi mariti ſui cauſam præbuiſſe. Perterritus Imperator, manere eam iubet dum in palatiũ ipſe rediret: ac reuerſus ſtatim ad ſe vocat, ac de re tota accuratiùs inquirit. Quam cum ea à principio ad finem vſque recitaret, illicò etiam dux iſte ſiſtitur, & muliere iuſſu Imperatoris occultata, de equo acriter interrogatur: quem cum aſſeueraret ſuum fuiſſe, neque raptu paratum, producitur extra velum mulier, reum de vi peractura. Quia is conſpecta diriguit, & aliquandiu mutus adſtitit: tandémque ad ſe reuerſus, ſupplex pedibus Imperatoris ſeſe aduoluit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imperator eius facultates viduæ eiúſque liberis hæreditariò addicit: ipſúmque dignitate ſpoliatum exilio perpetuo damnat. Adeò infenſus erat & iis qui iniuſtè opes parare intenderent.*

*Iuſtitiæ exemplum.*

Atque hoc ſpecimen eſto quantopere iuſtitiæ ſtuduerit Theophilus. Sed & aliud referatur, quo & eius obſeruantia æqui, & ſolicitudo de ſubditis declaretur. Appulit aliquando ad Regiæ portum nauis oneraria pondere ſarcinarum grauis, eóque vſque ad extremum vinculũ demerſa. Imperator ſupernè proſpectans, nauémq; admiratus, per pediſſequum cuius ea ſit percontatur? Vt Auguſtæ eſſe cognouit, recens à mercatura reductam, quam ab imperatrice miſſi in Syriæ partibus feciſſent: Si quid ſarcinarũ in naui haberent, id ſtatim efferre iuſſit, & nihil quod ad Auguſtã pertineret, attingere. Quo facto pulſis inde nautis, Græco igni iniecto, nauim cum ipſis ſarcinis cremauit, Imperatricem maledictis inſectatus. Nam cum me Deus, inquit Imperatorẽ deſignarit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem mercaturã priuatis hominibus eſſe attributam, vt ea tolerandæ vitæ occaſionem habeant. Quòd ſi nos præter imperij opes, etiã mercaturæ emolumenta interceperimus, vndenam fortunæ tenuioris homines victum comparabunt? Imperatrici patria fuit Paphlagonia, parẽtes Marinus & Theoctiſta, ex nobili illius prouinciæ familia, ambo pij & ſacrarũ imaginũ adoratores. Theodora verò Imperatori deſpõſa, etiam mater eius Theoctiſta, Florina cognomento, Zoſtæ & patricię dignitatem eſt conſecuta. Habitauit autem iuxta Gaſtria monaſterium, ídque, vt quidam aſſerunt, condidit. Filiolæ igitur Imperatoris numero quinque, ad eam vt auiam aliquãdo adducebantur, quarum nomina fuerunt, Thecla, Anna, Anaſtaſia, Pulcheria & Maria. illa puellas munuſculis ſibi conciliabat, ac ſeorſim hortabatur ad ſacrarum imaginum venerationem, curabátq; vt ſacras effigies, quas è ciſtella proferebat, neptes adorarent ac deoſcularentur, earúmq; capitibus & faciebus eas admouebat. Puellas aliquãdo inde reuerſas rogat Imperator, vt ab auia tractatæ eſſent, & quid illa diceret? Cæteris tacentibus Pulcheria adhuc infantula cũ cætera balbutienti voce refert, tum addit, auiam in ciſtellã pupas habere (ſic enim imagines vocabat) quas ipſarum capitibus & faciebus admoueret atq; oſculandas præberet. Ex eo cum cognouiſſet filiolas ab auia cultum ſacrarum imaginũ doceri: eas nõ amplius ad illã accedere paſſus eſt, neque alia moleſtia Theoctiſtam affecit, quam & propter affinitatem & magis etiam ob virtutem verebatur: cum quidem ſæpe ab ea reprehenderetur, quod orthodoxos puniret, & ſacris imaginibus contumeliam faceret, iiſque rebus omnium ſubditorũ odia ſuſciperet. Simile quiddam etiam imperatrici accidit. Erat in Regia quidã homuncio delirus & impedita lingua, quem Imperator in deliciis habebat, cui etiam in gynæconitidem patebat aditus. Aliquando igitur in Imperatricis thalamum ingreſſus, cum illa ſacras imagines oſcularetur & adoraret. (Eas enim clam marito ſupra modum honorabat) ſacras effigies conſpicatus, quid eſſent, rogat? reſpondet illa ſimpliciter, Pulchras ſuas pupas eſſe. Egreſſus væcors homuncio, Theophilum in conuiuio reperit: interrogatus vnde veniret? à Manna reſpondit, ſic enim dominam vocabat, eamque pulchras pupas habere dixit. Imperator autem pupas imagines eſſe ſuſpicatus, commotus & ira æſtuans Imperatricem accedit, & contumelioſis dictis inſectans, idololatram appellat, eáque refert quæ à Dendere (id enim fatuo nomẽ erat) audiuiſſet. Verum illa maritum ſolerter decepit. Neque enim, inquit, imagines vidit Denderis, ſed quum ſpeculum intuerer, formas quæ in eo repræ-

*Auguſtæ merces incenſa.*

*Marinus & Theoctiſta parẽtes Theodoræ.*

*Theodora Imperatoris iracundiam callido commento eludit.*



repræſentabantur, pupas appellauit. Eo probabili commento, Imperatoris iram declinauit, furorémq; leniit. Nam quum omnes in ſuam impietatem pertrahere ſtuderet, ſæuus admodum erga pios fuit, & vt iuſtitiæ, ſic & eius quam ipſe probabat pietatis acerrimus defenſor, ſubditos à cultu imaginum abducere inſano ſtudio contendebat, eáque de cauſa multos puniebat: vt eos, quemadmodum intemperanti lingua dicebat, ab idolomania depelleret, ac multos confeſſores fecit. Ioãnem Syngellum, quo magiſtro vſus fuerat, impietatis ſuæ ſociũ, ad Agarenos cum maximis opibus ablegauit, imperij Romani diuitias oſtentaturus, quarum nonnullas eorum principi dono miſit, nonnullas Ioanni ad miniſterium aſſignauit, inter quas duo quoquè malluuia aurea, gemmis diſtincta fuerũt, exquiſitæ artis elegantia adornata, prætérque cætera omnia ſignati auri cẽtenarios quadraginta ei dediſſe perhibetur, vt Agarenos quos vellet, liberaliter & magnificè donaret, itaque percelleret Barbaros, qui quum tantas opes miniſtrorum Imperatoris eſſe cernerent, cogitarent, quantis ipſe diuitiis potiretur. Syngelus igitur in vrbem Bagdam profectus (ea vetus Babylon eſt) quum in principis cõſpectum veniſſet, oblatiſque Imperatoris muneribus cum eo collocutus eſſet, quum ob hæc, tum propter dicendi vim (erat enim in congreſſibus perquàm diſertus) & in honore & in admiratione fuit. Barbaros tamen ſua erga eos munificẽtia magis obſtupefecit. Nam ſi qui eum conueniebant, ſiue à ſuo Principe miſſi, ſiue aliis de cauſis: eos magna pecunia donabat, vt qui eam acciperent, & gauderent, & mirarentur. Quum autem ipſe aliquãdo ab Amermumne ad conuiuium in ædes illius inuitatus eſſet: alterũ ex aureis illis malluuiis ſecum attulit, vt aquam manibus illius affunderet. Quod quum negligenter alicubi poſitum eſſet (ita enim miniſtris ſuis Ioannes mandarat, vt periret) à quodam eſt ſurreptum, quæſitúmq; nuſquam comparuit. Barbari igitur murmurarunt, & precium illius & elegantiam exaggerãtes: ipſe verò cum eam iacturam ſibi curæ non eſſe dixiſſet, eos obſtupefecit quem tãtam rem negligere cernerent, & à miniſtris alterum afferri iuſſit, quo allato magis etiam admirati ſunt. Sed & Agarenorum princeps viciſſim magnificentiam oſtentãs, Ioannem magnis muneribus affecit, & poſt cætera omnia cẽtum ei captiuos dedit, ſplẽdidis veſtibus exornatos. Qui ex ea legatione reuerſus, cum Imperatori quid actum eſſet, expoſuiſſet, ac principalium ædium figuras & varietatem narraſſet: cupiditatem eius excitauit eiuſcemodi Regiæ ædificandæ, ac iuſſu illius in Briante Regiam Syriacæ per omnia ſimilem, auſpicatus eſt, & architectis, figuris menſuríſque latitudinis, longitudinis & altitudinis demõſtratis, opus celeriter abſoluit. Idem Imperator etiam maritima mœnia cum vetuſtate tum ob alios caſus ruinoſa, magnificè inſtaurauit, in maiorem educta altitudinem, & maximum hoſpitium de ſuo nomine condidit, quo in loco prius impudicarum mulierum diuerſorium fuerat. In libidinibus fuit continens, cúmque ſemel amore puellæ formoſiſſimæ, quæ Imperatrici inſeruiebat, captᵘ eſſet, ídq; Theodora ægrè ferret: cum deieraſſe ferunt, ſe nunquam alias alterius mulieris noticiam habuiſſe, eóque lapſu dolentem, veniam ab illa petiiſſe. Sed furore eius cõtra ſacras imagines effecit. vt illa pro nihilo putentur. Prorſus enim inſania quadam & rabie maiore quàm ſuperiores Imperatores, cultores atque etiã pictores ſacrarũ imaginum perſequebatur, eáque de cauſa monachum quendã Lazarum, pictorem tum celeberrimum, crudeliter excruciatũ in carcerem coniecit. Qui cum ex plagis illis recreatus, iterum manus ſacrarum imaginũ picturæ admoueret, ignitas laminas tyrãnus eius manibus admoueri iuſſit, ne labores manuum eius pij adorare poſſent. Ac is quidẽ id ſupplicium ea de cauſa tolerauit, tyrãnus autem ſpe ſua fruſtratus eſt. Fertur enim confeſſor ille, poſt ea tormenta carcere eiectus, plagas adhuc in manibus geſtans, diuina adiuuãte gratia, venerãdas imagines depinxiſſe, ac poſt tyrãni interitum, Seruatoris imaginem in Chalce pinxiſſe, ac qualis nũc cernitur, reſtituiſſe, quũ prius imago iam olim eraſa fuiſſet. Idem fratres Theophanem, & Theodorum vtrunque confeſſorem, ob ſuam impietatem Prophetarum oraculis & ſcripturarum teſtimoniis reprehenſam, primum grauiter excruciauit. Deinde facies eorum compunxit, ac notis illis hos iambicos verſus atramento infuſo expreſſit:

*Theophili legatus ad Agarenos Ioãnes Syngelus*

*Bagda vetus Babylon.*

*Theophili ſubſtructiones.*

*Theophili caſtitas, & ſimulacrorũ odium.*

*Lazarus monachᵘ pictor*

*Theophanes Theodorus.*

*Cunctis eam vrbem viſere exoptantibus,*  
*Puriſsimi quam Chriſti preſſerunt pedes*  
*Totius orbis vnde manauit ſalus:*  
*Sacro loco iſti vaſa conſpecti improba*  
*Superſtitionis errore ex incredulo*  
*Multíſque factis inquinati turpibus*  
*Apoſtatæ velut reiecti inde procul,*  
*Se contulere mox in vrbem regiam:*  
*Tamen nefanda non relicta amentia,*  
*Notis peruſta fronte, more ſontium.*  
*Condemnatique rurſus verterunt ſolum.*

Sed & alios multos perſquutor hic confeſſores fecit, & in martyrum numerum retulit, quos enumerare alterius & operis & temporis fuerit. Studuit etiam melodiis componendis, ac præter cætera illud etiã carmen, quòd in feſto Palmarũ canitur, Exite Gẽtes, exite populi: eius eſſe fertur.

*Theophili melodiæ.*

*Quia verò à natura paucos capitis capillos habebat, & erat recaluaſter: ideo edicto edito iuſsit crines ab omnibus tonderi, neque ab vllo Romano vltra collum demiſſos geſtari: ſanxítque edictũ graui flagrorum ſupplicio, priſcorum Romanorum virtutẽ reuocare ſtudens.*

*Lex de crinibus.*

Quum autem quinque filiarũ pater eſſet vt dictum eſt, filium nondũ ſuſceperat, filiámq; Mariam natu minimã ſupra modum dilexit, & Alexio Moſoli deſpondit, viro Armenio, ex genere Crinitarum, florenti ætate, & vultu venuſtatis ac gratiæ pleno, quem prius aliis quoquè dignitatibus honeſtatum, progreſſu temporis etiam Cæſarem ſalutauit, ac deinde cum exercitu in Longobardiam miſit. Sic euectus Moſoles inuidiam effugere non potuit. Criminati autem eum ſunt inuidi, vt Imperij cupidũ, ſed filia Imperatoris ſuperſtite, calumnia contra eũ nihil valuit. Filio autem Michaele Imperatori nato, & cõiuge ſua defuncta: ſtatim vitæ ratione mutata, vltro comam tondet, viliq; pallio indutus, monachorũ inſtitutum amplectitur, ædificato Anthemij monaſterio, in quo vita exacta ſepultus eſt. Quũ autẽ Ara

*Alexius Meſoles ex genere Imperatoris & Cæſaro fit monachus.*

*Theophili contra Arabes expeditio.*

bes Romanas prouincias inuaſiſſent, Theophilus expeditione contra illos ſuſcepta, ſecũ eduxit Theophobum & Manuelem, viros ſtrenuos & bellicoſos, quorũ Manuel nobilis erat apud omnes, ipſóſque hoſtes, vt qui & exercitũ ſæpe duxiſſet, & rem benè geſſiſſet, & Michaelis Rangabis protoſtrator fuiſſet.

*Theophobus Manuel.*

Theophobus autem genus à Perſis ducebat, & in vrbe Imperatoria, vbi educatus eſt, obſcurus viuebat atque ignobilis. Fertur autem pater eius ex regia Perſarum tribu fuiſſe ortus, quúmque Regiæ familiæ apud Perſas defeciſſent, cognouiſſe dicũtur, apud Romanos eſſe virum regio genere oriũdum, & ad eum inquirendum veniſſe. Vt inuentus fuit, in notitiã Imperatoris quoque peruenit, & ampliſſimas fortunas eſt conſequutus, patricij honore ornatus, & Imperatoris ſorore in matrimonium accepta. Iis igitur ambobus fretus Theophilus, hoſtes aggreſſus eſt.

*Theophili quinque expeditiones cõtra Arabes.*

Cum autem proximè inter ſe caſtra communiſſent exercitus, Saracenorũ dux Imbrael, vno ex ſuis Satrapis cũ nonaginta millibus ad decernendum cum Romanis relicto, ipſe cæteris cum ſiue ex metu ſiue per arrogantiam receſſit. Exercitibus congreſſis, multi vtrinque ceciderunt. Sed tãdem legionibus ad fugam inclinatis, ipſe etiam Imperator captus fuiſſet, niſi Theophobus cum ſuo Perſico exercitu, & manu opem tuliſſet, & ſtrategemate Agarenos circumueniſſet. Ac tum Conſtantinopolim reuerſus eſt Imperator. Anno verò ſequẽte iterum cum Agarenis congreſſus, fit ſuperior, magna hoſtium multitudine cæſa, & pluribus captis, inter quos vir fuit legionum Domeſtico notus, cui is teſtimonium perhibebat, vt & manu prompto, & ambidextro, & ſolerti equiti, & qui binas haſtas tractare ſciret.

*Agarenus ambidexter à Cratero Theodoro ſuperatus.*

Cum igitur ludis Circenſibus ob victoriã triumphus duceretur, Imperator laudatum illum Agarenum, equitare, & bina haſtilia tractare iuſſit. Oſtentauit ille, vt iuſſus erat, dexteritatem ſuã ſpectatoribus. Eum Imperator & laudauit & admiratus eſt. At Craterus Theodorus, qui paulo pòſt corona martyrij eſt ornatus, vnus è XLII. martyrum numero Theophilo aſtans, Agarenum ſubſannabat. Qua de cauſa iratus Theophilus: Tu verò inquit, effœminate (nam eunuchus erat Craterus) tale aliquid præſtabis? Tum Craterus, Binis quidem, inquit, haſtilibus vibrandis me non exercui, quod in prælio non luditur, ſed res ſeria agitur: vna verò haſta, Deo annuente, eum proſternam. Imperator ob ea verba furore percitus, per ſe ipſum iurauit, ſe ſtatim eum occiſurum, niſi è veſtigio illũ proſtrauiſſet. Ibi Craterus nihil cunctatus, haſta ſine ferro Agarenum equo deiecit. Cum autem Imperator denuo expeditione ſuſcepta cum Agarenis pugnaſſet, euentus prælij Romanis parũ auſpicatus fuit.

*Theophilus Manuelis opera Agarenis ereptus malam ſeruatori gratiam refert.*

Parum enim abfuit, quin & Imperator ab hoſtibus circumuẽtus captiuus adduceretur. Quo Manuel cognito ſuis inclamatis in confertiſſimos hoſtes inuectus Imperatorem ſe ſequi iubet: ſtabat enim metu attonitus, ſed ad velãdam ignauiam derelicto populo nolle fugere dicebat. Cum autem ſæpè monitus, vt pugna excederet, timore tanquam compedibus vinctus ſtaret. Manuel ſtricto enſe, Niſi me, inquit, ſecutus fueris, te perimam. Præſtat enim te mori, quã ab hoſtibus captum, Romanæ reipublicæ tãtum imprimere dedecus. Iis Manuelis minis ægrè ſoluto metus ſtupore, eúmq; ſecutus, euaſit: qua de cauſa virum ſeruatorem appellauit, munificéque remuneratus eſt. Verũ non multo pòſt, inuidorũ linguæ eius animum in contrariũ verterunt, eóq; redegerunt affectati regni calumniis, vt Manuelẽ excæcare in animo haberet.

*Manuelis fuga ad Agarenos & reditus ſolerti cõmento impetratus.*

Quo ille cognito in Agarenorum viciniam aufugit. eorúmq; duci ſignificat, quis ſit: quòd ſi fides ſibi detur, nõ coactum iri ſe religionem eiurare: ſe ad ipſum defecturum. Ille ſtatim data fide lætus eum ſuſcipit. Manuel dũ ibi verſaretur, præpoſitus exercitui, ſæpe rem bene geſſit contra Perſas, magnóſque triumphos adeptus, Agarenis & charus & admirationi fuit. Theophilus autem Manuelis fugam ægrè ferens, de eo reuocando cogitabat. Scribit igitur ad eum literas, quibus iureiurando fidem ſuam ei obſtringebat, eáſque aureo ſigillo confirmatas, per monachum quendam ad eum mittit, hortãs vt redeat. Ille redit, ſed qua ratione, id verò referre eſt operæprecium, habet enim expoſitionem non iniucundam. Congreſſus cum Monacho, qui fidem ab Imperatore afferebat, ſéque reuerſurum pollicitus, Iſmaelitarum principem adit, petens exercitum ſibi dari, vt profectus in Cappadociam, delatores ſuos (ibi enim eos habitare) vlciſceretur, eiúſq; filium vnà mitti, vt in re militari exerceretur. Princeps Manueli morem gerit, & quia fidem ei habebat, ſuum filium vnà mittit: ita diſcedit Manuel cúmque prope fines Romanos ventum eſſet, aſſumpto principis Agareni filio cum paucis Sarracenis, ſe venatum ire ſimulat, multis miniſtris comitãtibus, cúmq; iam in Romana prouincia verſaretur, adoleſcentem amplexus: Tu quidem, inquit, fili, ad tua reuertere: ego verò ad Romanos proficiſcor.

*Michael Theophili filius.*

Conſtantinopolim reuerſus, magna cum lætitia eſt exceptus ab imperatore, ſtatímque Magiſtri honore ornatus, Imperatoris filium Michaelem è ſacro baptiſmate ſuſcepit, quem pater diademate cinxit, & Romanorũ Imperatorem declarauit.

*Ioannes Syngelus Patriarcha.*

Antonio patriarcha mortuo, cum XIII annos Eccleſiæ præfuiſſet, Ioannes quem ſuprà diximus Theophili pręceptorem & ſuffragatorem fuiſſe, patriarcha deſignatur, quẽ & Iannem vocabant, tum ob hæreſin, tũ propter præſtigias, in quibus verſatus erat.

*Methodij excarnificatio & Theophanis verſiculi.*

Sanctiſſimũ verò Methodium, qui deinde patriarchicã ornauit ſedem, peruerſę opinioni refragantem, poſt multos cruciatus, malarúmque cõtuſionem & dentium euulſionem, in inſulam Panormum, quæ nunc Antigoni cognomẽtum habet, impius relegat Theophilus, & intra monumentum cum duobus latronibus concludit: quorum altero mortuo, quantam violentiam, & moleſtiã vir ſanctus ex teterrimo cadaueris fœtore tolerarit, nulla quiſquam oratione conſequi poteſt. Illic igitur inclyto illo patre incluſo, fratres illi cõfeſſores Theophanes & Theodorus, poſt facierum compunctionem relegati, cum ad Cartæ portum appuliſſent, per quendam piſcatorẽ Methodio familiarem hęc ſcripſerunt:

*Viuenti mortuo, atque mortuo ſimul*
*Vitam ferenti, qui cum tellurem colat*
*Polos pererrat, litterati litteras*
*Vincti miſere vinculis adobruto.*





*Quibus per eundem piſcatorem vir ſanctus reſcripſit,*
*Quorum notata nomina in cœleſtibus*
*Libris leguntur, & decentibus votis*
*Compunctæ frontes, vinculo oppreſſis pari*
*Dicit ſalutem, qui viuens ſepultus eſt.*

Cum autem ſeptimum annum in ſepulchro exegiſſet, inde eiectus atq; in regia concluſus eſt, nemine eum vidente, præter miniſtrum eius & Theophilum: qui cũ ſtudioſè legeret, diuinũ virũ de locis dubiis interrogabat, eáque de cauſa etiã in peregrinationibus ſemper habebat ſecum.

CEDR.

*Porro Theophilus imperator accuratè de ſuis ſucceſſoribus inquirens, mulierculam quandam bello de Saracenis captam, & vaticinandi gnaram, acciuit, ac de iis quæ volebat interrogauit: præcipuè vaticinari eam iubens, qui ab ipſo eſſent Imperio potituri.*

Vaticinia.

*Iſta ergo muliercula, ſiue diuino inſtinctu, ſiue dæmonica efficacitate mota: Tibi quidem, ait, ô Imperator, filius tuus ſuccedet, matre Imperij ſocia. Poſt eum verò genus Martinaciorum per multos annos imperium tenebit. Vix hæc dixerat illa, cùm illicò Theophilus Martinacem, quanquam ſibi dilectum, capite raſo monachum facit, domúmque eius monaſterium redigit. Præter hoc, alia quoque futura ſunt ab illa muliere prædicta: nimirum, patriarcham Iannem ſuo patriarchatu exutum, ſacríſque imaginibus ſuum cultum venerationémque redditum iri. Quare vehementi dolore concitus Theophilus, ſæpenumero*

208. *Auguſtam & Theoctiſtum dromi logothetam hortatus eſt, ac iuramentis ſibi religioſiſſimis deuinxit, ne ſe mortuo Iannem patriarchatu dimouerent, néue idolorum (ſic venerandas appellabat imagines) paterentur reduci cultum. Neque muliercula tantummodò vaticinata erat: ſed & Iannes diuinatione per peluim vſus, ſucceſſorem Imperatori perſpicuè demonſtrauit.*

Lecanomantia.

*Præter Imperatorem, aliis quoque ad interrogata reſpondit muliercula iſta, quomodo & Conſtantino, cuius tum ſumma erat apud Triphyllios potentia, fore prædixit, vt is cum filiis facultatibus priuarentur, habitúmque clericorum induerent: quòd etiam euenit, Baſilio imperante. & Georgio militiæ præfecto oſtendit, eum in Funda Circi interiturũ: atque eo loco is, Baſilio imperante, capite eſt truncatus, cum defectionis eſſet accuſatus.*

*Vere ineunte, Agareni & Theophilus ad bellum inter ſe gerendum facta expeditione, alter alterius metu domum nulla re geſta redierunt. Reuerſus Theophilus, legatos à Chagano Chazariæ regulo accepit, petente, vt caſtellum cui nomen Marcel conderetur.*

Marcel.

*Ea enim videbatur valida fore munitio ad Petzinacarum incurſiones prohibendas, quos verſus Tanain fluuium arceret. Horum poſtulatis acquieſcens Theophilus, Petronam quendam miſit, & quòd iſti petierant confecit.*

Petronas. Cherſon.

*Petronas reuerſus Imperatorem monuit, non poſſe eum Cherſonem tutò in ſua poteſtate retinere, niſi eò peculiarem mittat præfectum. nam ad id vſque temporis nemo noſtrorum eò miſſus fuerat, ſed indigena aliquis nomine Primarij ciuitatem gubernârat. Imperator approbato hoc conſilio, ipſi Petronæ prouinciam hanc committit: mittítque eum eò cum mandatis ad primarium, reliquóſque indigenas proceres, Petronæ eos dicto ſine tergiuerſatione audientes eſſe iubentibus. Ex eo obtinuit, vt præfecti Cherſonem mittantur.*

*Theophili quarta cõtra Agarenos expeditio.*

Sequentis anni vere incipiente Imperator rurſus Agarenis arma intulit, & magna Syriæ parte vaſtata, vrbibus eſt potitus, ipſaque Sozopetra, patria Amermumnis: quamuis ille multum, ſed fruſtra, oraret, vt patriæ ſuæ parceretur. Ac Imperator feliciter domũ rediit.

*Perſæ Theophobum per ſeditionem Imperatorẽ ſalutans.*

Theophobus autem ad gubernãdas legiones relictus, cum Perſarum ſtipendia tardius ſoluerentur (habebat enim Imperator exercitum Perſicum) ab illis indignantibus vel inuitus, atque ab ea deſperatione fruſtra dehortãs, ne & ſe & ſemetipſos in extrema mala coniicerent, Imperator ſalutatur. Quo facto, clam Perſis, id Imperatori ſignificat, eíque fidem facit, ne quid ſiniſtri de ſe ſuſpicetur. Reuerſus Imperatorem accedit, & cupidiſſimè excipitur, priſtina felicitate recepta. Eſt & Perſis omnibus data venia, neque alia irrogata pœna, niſi quòd vnà eſſe ſiti nõ ſunt, ſed cum tricies mille eſſent, diuiſi ac diſperſi ſunt, cuilibet prouinciæ binis millibus attributis, earúmque Prætoribus ſubeſſe ac parere iuſſi. Atque hæc cum Perſis & Theophobo acta ſunt.

*Amermumnes patriæ ſuæ cladem Amorij excidio vlciſcitur.*

Amermumnem autem patriæ ſuæ vaſtatio tanto dolore affecit, vt vitam ſibi acerbam putaret, niſi Theophilum vlciſceretur, cuius patriam eſſe Amorium vbi cognouiſſet, eã vrbem oppugnare cõſtituit. Sed Imperator præmonitus, eam cũ ſtructuris tum exercitibus miſſis communiit, quibus Theodorus Craterus, cuius ſuprà facta eſt mentio, præerat, cæteríque qui apud Agarenos in martyrij ſtadio decurrerunt, numero XLII.

*Theophili clades.*

Exiit & Imperator Agarenis occurſurus, & cum Amermumnis filio cum iuſtis copiis aduentante congreſſus, in fugam vertitur.

*Perſarum proditio.*

Nocte inſecuta Manuel dum vigilias obit, quoſdam Perſas (nam linguam eorum intelligebat) audit de proditione cum Agarenis colloquentes, eóque nunciato Imperatori perſuadet, vt ſub diluculum caſtris excedat. ſic ille diſceſſit, totis habenis equo laxatis. Amermumnes autem ex eo ſecurus, Amorij obſidionem aggreſſus, cum crebras impreſſiones faceret, nihil proficiebat, iis qui intus erant, fortiter reſiſtentibus, adeò vt Agareni expugnationis ſpe abiecta diſceſſuri fuerint, & vrbs incolumis permanſura, niſi quidam intus cognomento Boidizes ob contentionem quandam furore percitus, eam prodidiſſet. Vrbe capta, quantus populus cæſus fuerit, dici non poteſt. Mulierum verò puerorum & adoleſcentum multa millia, & duces primarij, Calliſtus, Conſtantinus, Craterus, Theodorus, patricij, aliíque multi partim præturis inſignes, partim dignitatum honoribus illuſtres, in captiuitatem ſunt abducti.

*Theophilo mœror ob captiuos nõ receptos, fit morbi & mortis occaſio.*

His Theophilus, qui Dorylæi tum agebat, cognitis, miſſis ad Iſmaelitarum principem legatis, illuſtres captiuos & genere ſibi iunctos, XXIIII centenariis ſibi reddi petiit. Quos ille arroganter dimiſit, ſe fatuum fore dicens, ſi captiuos tantilla pecunia reſtitueret, cum ſibi expeditio circiter mille centenariis cõſtitiſſet. Legatis re infecta calamitas illa ſic Theophili animum perculit, vt ei nulla conſolatio adhiberi poſſet, ſed & cibo abſtineret, neque vllũ potum admitteret, niſi aquam gelidiſſimam, (uiuſmodi eſt niualis: cuius frequẽti vſu læſis interioribus, in dyſenteriam incidit. Itaque in Regiam reuerſus, deſperata iam ſalute, ſenatum accerſit, petens vt vxori ſuæ & filio fidem ſeruarent, iiſque imperium tuerentur.

*Theophili cædes.*

Quòd cum illi ſe facturos promiſiſſent, Imperator, qui Theophobum iam antè, ex quo à Perſis Imperator ſalutatus fuerat, ſuſpectum haberet, magis etiã ei ſuſpi-

cioni indulſit, ob proditionem quam Perſæ, vt iam expoſui, moliti fuerant, cum delatores affirmarent, illos id impulſu Theophobi feciſſe. Vt igitur corpore morbo conſumpto viribus deſtituebatur, veritus, ne ſe mortuo Theophobus tyrannidem inuaderet, circa Regiam eum in carcerem cōiicit, cúmque iam vitam ſuam de tenui filo pendere cerneret & mox defecturam, illo interfecto, caput eius ſibi afferri iuſſit, manúque impoſita & contrectatis capillis dixiſſe fertur: Iam neque ego Theophilus ſum, neque tu Theophobus. iiſque dictis animam exhalauit, cum regnaſſet annos XII & III menſes: vxorem & Caniclio præfectum Theoctiſtum, qui imperij quodammodo particeps erat, multum obteſtatus, ne paterentur venerādas imagines reponi, aut Ioannem Eccleſia pelli.

## IMPERIVM MICHAELIS FILII Theophili & Theodoræ matris.

THeophilo ad hūc modum defuncto, imperium ad Michaelem eius filium eſt tranſlatum, puerum adhuc, cui pater tutores reliquit, Manuelem magiſtrum, & Theoctiſtum Patricium. Rerum autem adminiſtratio penes Theodoram Imperatricem fuit, cuius illa prima cura fuit, vt perſecutio orthodoxorum ob venerandas imagines inſtituta, compeſceretur, etiam Theoctiſto Patricio aſſentiente. Nam Manuel euerſionem ſectæ non probabat, eáque de cauſa res differebatur. Sed eum prouidentia numinis morbo, eóque tam vehementi, vt de vita eius deſperaretur, frangit. Cum autem Monachi quidam ad eum viſendum veniſſent, & vt ſe haberet, interrogaſſent: ille tenui & imbecilla voce reſpondit, ſe iamiam deficere. Cui monachi: Si, inquiunt, cultui ſacrarum imaginum ſuffrageris, & Imperatricem ad eumdem cohorteris: non multo pòſt & corporis vires recuperabis, & animi ſalutem adipiſcêris. Quod cū recepiſſet, & morbus decreſcebat, & valetudo cōfirmabatur, ſanitate recuperata Imperatricem adit, & de venerādis imaginibus diſſerit, earúmque reſtitutionem vrget, cum eadem & mater eius & fratres Patricij poſtularent. Illa verò erat, quod aiunt, nouacula in cote: cúmque prius relegatos à Theophilo reuocaſſet, & vinctos aliíſque ærumnis conflictantes dimiſiſſet: poſtea inquiſitionem de ſecta fieri iuſſit, qua facta, orthodoxorum multitudo ſuperior fuit. Sed ante eam inquiſitionem, Patriarcham Ioannem, indignum illum quidem eo nomine, pontifica ſede detraxit, quam per ſexēnium nefariè tenuerat, in eiúſque locum introduxit ſacrum & diuinū Methodium, quo populum orthodoxum gubernante inquiſitio facta eſt, & ſacræ effigies palàm & reſtitutæ & adoratæ. Tum aiunt Imperatricem inſtantiſſimè oraſſe, Patriarcham, alióſque Pontifices & monachos, vt communibus precibus Imperatoris & coniugis ſui ſalutem à Deo exorarent. Quod quum illi feruentibus animis feciſſent, Deum preces ſeruorum ſuorum non eſſe aſpernatum, ſed ignouiſſe Imperatori Theophilo. Celebrantur hæc, & ab eis qui Dei humanitatem intuentur, & recipiuntur, & creduntur.

*Theodora imagines reſtituit.*

*Monachi Manueli ſalutem pollicentur.*

*Ioanne pulſo Methodius fit patriarcha.*

*Theophilo venia ſanctorum precibus à Deo impetrata.*

Neque verò quiſquam eis fidem abrogarit, niſi qui parum poſſe interceſſiones ſanctorum apud Deum ſenſerit, & Dei bonitatem cum humanis erratis cōponere ignorarit. Ita igitur ſacræ imagines reſtitutæ ſunt, Ioānes verò Patriarcha eiectus, aut Iannes potius, & in monaſteriū quoddam relegatus, quum illi Chriſti imaginem, & eius quæ eū ſine ſemine peperit, reperiſſet, oculos ſacrarum effigierum effodit. Quo Imperatrix cognito, ſancto zelo incitata, impio homini oculos erui iuſſit, ſed mandatum eius nō eſt peractum, iuſta illius ira à nōnullis mitigata: nihilominus tamen eum flagris cædi iuſſit, plagis ducentis illatis.

*Ioannes flagris cæditur ob violatas imagines.*

CEDR.

*Iannis præſtigiarum hiſtoria.*

*Plura inſuper de iſto Ianno eiúſque præſtigiis nobis dicenda ſunt. Natus fuit Iannes iſte Conſtantinopoli, ſtirpe MorocharZaniorum. & iam ad ſenectam ætatem accedens, in præſtantiſſimorum martyrum Sergij & Bacchi princeps fuit monaſterio, ibi in eccleſia veluti coluber quidam in antro deliteſcens. Paulatim deinde progreſſus ad altiora fecit, per omnen vitam impiæ ſimulachri perdarum hæreſi impenſè deditus, præſtigiarum ſtudioſus, & diuinationum per peluim. Chariſsimus fuit Michaeli Balbo, ſiue ob hæreſis ſocietatem, ſiue ob doctrinæ opinionem, & præceptor Theophilo eius filio datus. Theophilus imperio occæpto, primùm ei Syncelli dignitatem contulit. deinde patriarcham creauit Conſtantinopolis. Solitus fuit eis peluis vaticinio & præſtigiis futura prædicere. Etenim aliquando cum inſida atque ſæua quædam gens tribus ductoribus vſa Romanām ditionem infeſtaret, eáque res Theophilum, vti par erat, ſolicitum teneret: Iannes eum dimiſſa animi ægritudine optimè de rebus ſperare iuſſerat, modò ipſius conſilio parēre vellet. Conſilium tale erat. Inter æreas ſtatuas, quæ erant in Euripo Circi, ſtatua quædam extare ferebatur triceps. tres ergo malleos æreos fabricari iubebat Iannes, eóſque tradi viris manu validis, qui conſtituta noctis hora ſecum ad ſtatuam illam accederent, iiſque cum ipſe mandaſſet capita fortiter ferirent, dum ea veluti vno ictu atque impulſu in terram deiicerent. Gratum hoc conſilium Imperatori fuit, iuſsitque ita fieri. Ergo magna iam parte noctis exacta cum viris iſtis Iannes (qui ne agnoſceretur, profano habitu ſe induerat) ad ſtatuam venit, magicóque carmine recitato, iiſque robore quod inerat ſtatuæ adempto, viros omni vi percutere capita ſtatuæ iubet. Eorum duo validiſsimis ictibus duo capita ſtatuæ decuſſerunt: tertius remiſsiùs aliquanto feriens inclinauit quidem, non tamen à corpore totum auellit caput. Eodem modo cum gentis eius ducibus actum fuit. nam ſeditione coorta, atque ea in pugnam inteſtinam euadente, duo de ducibus ceciderunt: tertius vulnus accepit, ſed non lethale. nihilominus tamen rei gerendæ eo facto inutili, gens ea viribus ſuis deſtituta domum rediit.*

*Fuit huic Ianni frater carnalis, nomine Arſauerus, patricius ordine. is ſuburbanum habuit ad Steni ſiniſtram partem proximè. S. Phocæ monaſterium, ædificiis ſumptuoſis inſtructum, porticibus, balneis, aliiſque ad amœnitatem paratis operibus. Ibi Iannes crebrò ſolens diuerſari, ſubterraneum quoddam domicilium Trophoniano adſimile fecit, in cuius poſtico fores erant ad intromittendos homines. in iſtam ſceleratam officinam modò monachas aliáſque inſignes forma mulieres condebat, cúmque iis rem habebat: modò iocinorum inſpectiones, diuinationes per peluim, præſtigiáſque alias & mortuorum euocationes exercebat, ac ſæpenumerò malis genijs*



*genijs adiuuantibus futura aliqua prædicebat. Hoc ſuburbanum, poſteà temporis Imperatoris cubicularius nactus, ſolo æquauit, monaſteriúmque ibi à magno martyre Phoca denominatum condidit.*

*D. Methodius ſtupri calumniam re ipſa refutat.*

Cæterum eo quo dixi ſtatu impoſtor eiúſque ſuffragatores, eodémque modo ſuis priuati dignitatibus, quieſcere non potuerunt, ſed facinus contra S. Methodium machinati ſunt, ſua deſperatione & væcordia dignum. Mulierculam quādam multo auro corruptam ſubornarunt, quæ ſe corruptam eſſe ab inclyto illo viro quereretur. Eius accuſationis principes ſenatus quæſitores fuêre: aſtitit muliercula, eáque dixit, quæ ab impiis illis ſycophantis edocta fuerat, virúmq; ſanctum in faciem ſcilicet arguit. At ille ad tempus quietus, quum Eccleſiæ frequentiam triſtem videret, ac præ cæteris Manuelem magiſtrum: ſurgit, & in conſpectu omniū fimbria veſtis ſublata, pudenda detegit, quæ omnino erant frigefacta & contabuerant: vt ſatis appareret, ea inutilia eſſe ad rei Venereæ vſum. Ea res rectè ſentiētibus lætitiæ & ſtupori fuit, ſycophantis pudori & deſperationi magnæ. Quum autem vir ſanctus rogaretur, vnde verenda contabuiſſent, reuera verendus ille ad hunc modum reſpondit: Profectus aliquādo ſum Romam negocij cuiuſdam conficiendi cauſa, ibi degenti mihi carnis inflammationem intulit dæmon, & fuit affectus ille vehementiſſimus, neque amoris deſinebat ardor, ſed indies vehementius incendebatur. Igitur de ſana mente ſolicitus, ne fortè neceſſitate carnis opprimeretur: principes Apoſtolorū Petrum & Paulum adeò oraui, vt mihi periclitanti ſuccurrant. Noctu dormiens, illos aſtantes vidi, ac Petrus mihi viſus eſt pudenda mea contrectare digitis, mihíque dicere, ne terrerer: ego verò putabam igni virilia mea conſumi, adeò vt præ dolore expergiſcerer. Ab eo tempore mihi partes hæ ſunt mortuæ, neque vlla mihi flamma libidinis moleſta fuit. Manuel magiſter his viſis & auditis, ſtatim mulierem in medium productam interrogat, vnde ad virum ſanctum calumniandum impulſa eſſet? comminatus, niſi veritatem coram omnibus profiteretur, ſe mox eam iis quæſtionibus adhibiturum, quibus commentum perſpicuè declarare cogeretur. Illa igitur nihil cælat, ſed & fabulæ primos inuentores, & ſuā impoſturam, & aurum partim acceptum, partim promiſſum recenſet. Itaque homines malefici pœnas temerè litigantium ſubiiſſent, niſi diuus Methodius pro eis interceſſiſſet.

*Methodius à flamma libidinis miraculo liberatus.*

CEDR.

*Vnam hanc vltionem cum petiiſſet, vt quotannis ſolenni piorum conuentu ſibi liceret à fano Deiparæ Blachernenſi ad S. Sophiæ templum prælucentibus facibus ire, & in ipſorum aures deteſtationem obnunciare. quod & per omnem eorum vitam obtinuit. Hoc modo ſimulacriperdarum hæreſis euerſa, & eccleſia piorum ſua ornamenta, nimirum ſacrarum imaginum reſtitutionem, recepit. Qua de re feſtum agens diem Theodora, in palatio quod eſt in Cariani regione cœtum eccleſiaſticum conuiuio accepit. Fuère in conuiuarum numero, Theophanès quoque, & eius frater Theodorus, quos à notis faciei impreſsis Graptos vocant. Vergente iam ad finem conuiuio, cum placentæ & bellaria apponerentur, Auguſta crebrò horum frontes intuens, & quæ iis inſcripta erant legens, ingemiſcebat ac lacrymabatur. quod alter eorum ſentiens, cauſam tam crebri obtutus quæſiuit. Cúmque reſpondiſſet, mirari ſe eorum patientiam, quòd tam multas ſibi inſculpi literas ſubſtinuiſſent, miſerarique eius in ipſos odium à quo hæc eſſent paſsi: Theophanes, Huius (inquit) ſcripturæ cauſam aduerſus maritum tuum* DEO *incorrupto iudice diſceptabimus. Hoc dictum Theodoræ animum perculit, plorānsque ad Theophanem ait: Hæc ergo eſt veſtra promiſsio, & ſcripta obligatio? qui non tantùm non ignoſcitis, ſed etiam in ius vocare vultis? Eam patriarcha & pontificum cœtus vt conſolaretur, ac graui dolore leuaret, ſurgens ſtatim dixit: Noſtra quidem promiſſa & pacta firma & immota manent, huius verò contemptui vale dicere expedit. atque ſic dolor Auguſtæ mitigatus eſt. Sub hoc tempus hæreſis quædam Zilicum nomine exorta, ſimul cum principe ſuo Zilice, qui à ſecretis dignitate erat, extincta & diſsipata eſt, ipſo & ſectatoribus ad veram religionem conuerſis, ſacróque vnguento delibutis & perfectis. Is fuit rerum vrbanarum ſtatus.*

*Zilicum hæreſis.*

*Theodora Bulgaros imperioſo reſpōſo à perfidia deterret.*

Atque hæc ita acta ſunt. Bulgarorum autem princeps cum Romanorum imperium à muliere & tenello puero gubernari cognouiſſet, ſuorū quoſdam miſit, ſe rupto fœdere arma illaturum Romanis minitans. Ei reſcribit Imperatrix, ſe omnino ei reſiſtere velle: quòd ſi Deo annuente ſuperior fuerit, eum à muliere fore victū. Quod quàm ignominioſum ei futurum ſit, cogitādum eſſe. Sin victa fuerit, ſucceſſum illum parum fore honeſtum, muliere ſuperata. Hæc nunciata, impetum Barbari ita repreſſerunt, vt vtilius ſibi iudicarit renouare fœdus, ídque factum eſt. Soror porrò Bulgariæ principis aliquando capta, dum in aula degit, ſacro baptiſmate eſt initiata & literis erudita. Eam frater repetitam recepit, eius loco reddito viro erudito Theodoro Cuphara. Quæ quum in Bulgariam rediiſſet, fratrem ad Chriſtianam religionem perducere ſtuduit, aſſiduè de ea cum illo diſſerens, & Chriſtianorum myſteria, vt diuina celebrans. Quamuis autem ille eadem è Cuphara quoquè audiuiſſet, nō prius tamen à patriis moribus recedere voluit, quàm peſtilentia, fames, & ipſum & gentem ad pietatem perduxit. Quæ quum populum vniuerſum premeret, neque vllum eſſet mali effugium, plurimis pereuntibus: Princeps ea de cauſa æger & animi dubius, ad eum confugit, qui ſibi à ſorore annunciabatur, eúmq; depulſorem famis & interitus populi inuocat. Quæ inuocatio quum depulſis malis efficax eſſet: cognita inuocati numinis potentia, petiit mitti ſibi aliquem, à quo arcanis Chriſtianæ religionis erudiretur, & ſacro baptiſmate initiaretur. Idque miſſo pontifice factum eſt. Quum autem eum Bulgari ob deſerta maiorum inſtituta, per ſeditionem è medio tollere conarentur: ille præcedente crucis ſigno fretus, victis aduerſariis, effecit, vt omnes Chriſtianiſmum amplecterentur. Deinde per legatos ab Imperatrice petiit, vt, quia gens ſua locorum anguſtiis premeretur, Romani agri aliquid ſibi cōcederetur, perpetuam pacem & belli ſocietatem pactus. Annuit Imperatrix, & quicquid inter regionem, quæ Ferrea dicitur, ac prius Romanos & Bulgaricos fines diſtinguebat, ac Debelzum interiacet, eis conceſſit. Eam regionē Bulgari cum accepiſſent, Zagoram appellarūt. Hinc pax in Occidente conſtituta eſt. Verum in Oriente

*Bulgari Chriſtianā religionem amplectuntur.*

*Bulgarica pax.*

*Manichæi à Romanis alienantur.*

magna fuit Manichæorũ multitudo, qui & Pauliciani vulgò imperitius appellãtur, vocabulo ex Paulo & Ioanne compoſito, qui etſi apud illos celebres, hæreſiarchæ tamen & peruerſę opinionis autores non fuerũt, ſed eius ſectatores & ſtudioſi ſupra modum, & præcones. Eos Imperatrix quum in animo haberet, à ſecta ad veram religionem retrahere, viros illuſtres mittit: qui cũ negocium nulla dexteritate nullóque ingenio adminiſtraſſent: non modò inanem laborem ceperũt, ſed & ad defectionem populum omnem, cuius multa millia numerabantur, impulerunt: vt cum Iſmaelitis coniunctus, Romanos oppugnaret, eíſque multas clades inferret. At Imperator Michael, annos pueritiæ egreſſus, & iam adoleſcens, iniquo ferebat animo regni adminiſtrationem eſſe penes alios, ſimúlque ab auunculo Barda, vno è ſuis tutoribus, ad principatus, ſuo arbitratu, gerendi cupiditatem incitabatur.

*Theoctiſtus fraude Bardæ occiditur*

Manuel verò quodam tempore orta cum Logotheta Dromi Theoctiſto controuerſia (erant & hi ambo tutores Imperatoris) Regia, in qua tum degebat, relicta, in ſuas ædes remigrat, atque inde Regiã frequentans, rerum adminiſtrationem capeſſit. Ea res Bardæ ſingulari voluptati fuit, & Theoctiſtum etiam amouere ſtuduit. Nam cum regni cupiditate flagraret, metuebat, ne ab illo impediretur. Imperatori porrò pædagogus erat homuncio vilis & improbus, ſed adoleſcẽti adeò gratus, vt eum illuſtriore dignitate ornatum vellet, eámque rem à matre peteret. Verum Theoctiſtus negabat pædagogo tribuendam dignitatem, quæ illius conditionem ſuperaret, ne dignitates indignitate afficerentur. Ex eo Theoctiſtus pædagogo inuiſus fuit, ídque Bardæ peropportunum accidit ad deſiderium ſuum exequẽdum. Per pædagogum igitur varias contra Theoctiſtum calumnias imperatoris auribus inſtillat, eiúſque facilitatem in illum concitat, denique eius etiam amouẽdi fit autor. Id verò aliter poſſe fieri negabat, quàm ſi occideretur. Nam cum viuentem ab Imperatrice defenſum iri, & autoritate valiturũ. Decreta viri cæde, obſeruatur eius è thalamo Imperatricis egreſſus. Nam ad eam & quid actum, & quid agendum eſſet, referebat. Egredienti percuſſor immittitur. Quum autem ille ſtrictum enſem contra ſe elatum cerneret, ſcamnum ſubiit, percuſſor enſem in ventre eius defigit, Barda etiam ſtrictum enſem vibrante, & necem ei minitante, qui morienti illi opem ferret. Theoctiſto ad hunc modum ſublato, Imperatrix facinore cognito, eiulans thalamo exiliit, conuiciis filium & fratrem inſectata, & vtrique ſimilem interitum imprecata.

*Huius etiam interitu cognito, Manuelus ſtatim in aulam venit: fertúrque ad Bardam quaſi diuino furore concitus dixiſſe:*

*Semel enſe diſtricto in Theoctiſti necem,*
*Quotidianis accingere porrò cædibus.*

*Theodora è Regia cũ filiabus in monaſteriũ detruditur.*

Bardas verò malum malo cumulans, & ad conſilia ſua exequenda viam præparans: ipſam quoque Imperatricem è regia remouendam eſſe ſuadet. Quo conſilio Theodora intellecto, ad vitãdas cognatorum cædes, non reſiſtendum eſſe illis cenſuit, ſed accerſito ſenatu: Ipſa quidem, inquit, regia cedo. Ne verò Imperator dicere poſſit, ſe theſauris vacua inueniſſe conclauia imperatoria: ea de cauſa repoſitam pecuniam vobis ſignifico. Et quæſtores ſtatim auri argentíq; numerum referre iuſſit. Illi, ſe centenarios auri mille & nonaginta argenti, circiter ter mille habere affirmarũt. Imperatrix verò, Præter hæc, inquit, multæ omnis generis opes ſunt repoſitæ. His dictis, Regia exceſſit.

*Michaelis profuſiones & impietas erga matrem & ſorores.*

Michael verò rerum potitus, tantas copias breui tempore dilapidauit, in Mimos, adulatores, & aurigas inſumptas, cum quidem eas totis plauſtris, vt aiunt, effunderet. Theſauris iam exhauſtis, quum tempus inſtaret pecuniæ iis diſtribuendæ, qui dignitatibus præditi ſunt, neque haberet vnde largiretur: auream platanum, duos leones, totidémque gryphes, & organa, ex auro facta omnia, quæ & Regiam ornabant, & exteris gentibus admirationi erant, conflauit, atque inde numiſmata cudi iuſſit. Idem & in regiis ſtolis fecit, quarum nonnullas adhuc integras, poſt illius interitum imperio potitus Baſilius recepit, tribus duntaxat centenariis de tanta ſumma repertis. Matrem verò ſuam Michael Regia digreſſam, quieſcere non eſt paſſus, ſed Bardæ inſtinctu, & ipſam & ſorores capillis tonſis, in ædibus Cariani includit, ademptis omnibus quæ habuerat. Theodora his rebus animo ſauciato, in illius loci monaſterium commigrat, neque diu tantæ calamitati ſuperſtes manet. Eius verò filiæ, Imperatoris ſorores, mala in quæ coniectæ erant, tolerabant: donec eas Baſilius Macedo rerum potitus, in monaſterium auiæ maternæ, quod Gaſtriæ nomen habet, deduxit. Matre Imperatoris è Regia amota (vt dictum eſt) totius Imperij adminiſtratio ad Bardam venit, cui nepos Curopalatæ honorẽ detulit.

*Michaelis expeditiones Arabicæ.*

Poſt hæc Michael prima ſuccreſcẽte lanuguine bellũ Agarenis infert, corúmque vrbem Samoſata ad Euphratem ſitam, obſidere aggreditur. Iſmaelitæ portis, vectibus occluſis, vltra vrbem manent, hoſtibus opinionem afferentes, quaſi timerent, eo quod ſe muris tuerentur. Ea res Romanis auxit audaciam, vt & incircumſpectè tentaria figerent, & incautè palarent. Agareni verò timore per triduum ſimulato, tãdem portis ſubitò apertis, cum impetu vehementi & clamore Romanorum caſtra ſunt aggreſſi. Neq; verò quiſquam eorum impetum ſuſtinuit, ſed fugam fecerunt omnes, atque ab hoſtibus oppreſi, partim cædũtur, partim capiuntur. Manichæi quoque Iſmaelitis opem ferẽtes, multos illuſtres duces captos magna pecunia vendiderunt. Nec multum abfuit quin Imperator ipſe caperetur, niſi equi velocitate hoſtibus euitatis, euaſiſſet. Caſtra & Imperatorium tabernaculum cum omni inſtrumento capta ſunt, cæteráque direpta omnia. Ac tum receſſit Michael. Cũ verò Agarenos denuo Romanas prouincias inuaſiſſe cognouiſſet: cum maioribus copiis contra eos proficiſcitur. Illi verò per inuia compendia ſubitò Romanos aggreſſi, in fugam verterunt, ac ipſe captus eſſet Imperator, niſi Manuel magiſter legionũ Domeſticus, eum conſeruaſſet.

*Petronas rẽ bene gerit cõtra Agarenos.*

Cum autem hoſtes Romanas ditiones vaſtare non deſiſterent, Petronas auunculus Imperatoris, cum Romanis copiis contra eos mittitur: qui cum prælium committere non auderet, ſed à bello abhorreret, monachũ quendam



dam in monte degentem, virtute & rerum futurarum præuiſione celebrem conſulit, an Martis aleam experiri debeat? Qui cum annueret, eíque victoriam polliceretur: cum hoſtibus congreditur, Agarenorum exercitus ſuccumbit, eiúſque princeps Amer cadit. Cuius filius qui prælio non intererat (prædatum enim exierat) clade patríſq; interitu cognito, fugam capeſſit, è qua tamen retractus eſt, & Duci traditus.

*Ameris de ſua clade præſagium.*

Fertur autem Amer ante pugnam hanc è captiuo quodam percontatus, quomodo caſtrorũ locus vocaretur? vt amnis præterfluens diceretur? quæ toti ei regioni indita eſſet appellatio? Quum autem ille reſpondiſſet, Regionem Lalacaonem: valli locũ Proſantem, fluuium Gyrem appellari: omine è nominibus ſumpto dixiſſe: inauſpicatum ſibi belli exitum, iis vocabulis portendi. Nam Lalacaonem, populi afflictionem: Proſantem, caſum interpretabatur: è fluuij autem nomine ſuos ab hoſtibus circumuentum iri diuinabat. Petronas victoria parta triumphans Byzantium reuerſus, honorificè excipitur, & Legionum Domeſticus deſignatur. Iam enim Manuel magiſter, in viuis eſſe deſierat. Neque multo pòſt & ipſe naturæ debitum perſoluit.

*Michaelis futile ingeniũ.*

Bardas autẽ his omnibꝰ amotis, ſuopte arbitratu adminiſtrabat omnia. Michael enim nihil curabat, ſed theatris tantum & equitationibus vacabat, non aliis habenas moderantibus, ſed ipſo Imperatore Auguſto regente currum, & decertante, ac pro Regia chlamyde aurigæ veſtitu induto. Neque verò malum ibi ſiſtebat, ſed viros etiam dignitatibus & honoribus præſtantes, partim à ſe, partim contra ſe ſtare in equorũ certaminibus, & currus agitare cogebat. Quum verò aliquando ipſe colore Veneto, Dromi Logotheta Praſino, atque alij viri illuſtres, cæteris veſtiti coloribus, iam currus aſcenſuri & decurſuri eſſent: Protonatorio Dromi, à quodam qui recens aduenerat, literæ afferuntur, quibus continebatur, Sarracenos in Melangeis caſtra poſuiſſe. ea ſunt quæ nunc minus eleganter Malagina dicuntur. Protonotarius igitur ob eum nuncium triſti vultu Imperatorem adit, rem exponit, & literas oſtendit. At ille iracundè & toruè eum intuitus, Cum, inquit, in tali certamine ſim, & qui medius eſt, eum ad læuam propellere properem: tu inepte de Sarracenorũ incurſione verba mihi facis? Talis fuit præclarus ille Imperator, itáque de communibus rebus & Imperio ſolicitus.

*Bardæ potẽtia et inſtauratio Philoſophiæ.*

Eo autem ſic affecto, Bardas verſabat omnia, eóque pertrahebat, quò erat libitum, & ad Cæſaris faſtigium euectus, Imperij inuadendi opportunitatem quæritabat. Nihil autem fecit boni, niſi quòd eruditionis prouehẽdæ magnum ſtudium habuit. Nam Philoſophia neglecta iacebat, ac propè omnino extincta erat, vt ne ſcintilla quidem eius ſupereſſet: in cauſa fuerat Imperatorũ inſcitia. Sed hic cuique diſciplinæ ſcholas conſtituit, & doctores deſignauit, & ſingulis publica ſtipendia decreuit, & omnibus magnum & communem doctorem præfecit Leonem Philoſophum, cuius doctrinæ inclita fama erat, etiam ab Imperatore Theophilo honoratum, hac occaſione: Cum multos haberet diſcipulos, accidit vt eorum quidam accuratè in Geometria eruditus, dum in Oriẽte peregrinatur, à Sarracenis captus, cuidam inter Barbaros illuſtri in ſeruitutem traderetur.

*Leonis Philoſophi celebritas quomodo aucta.*

Agarenorum porrò princeps theoremata erudita & Philoſophica ſtudioſè audiebat, pręcæteris tamen geometricis methodis erat deditus. Cum autem captiui herus auditorium frequentaret, aliquando & ipſe eum comitatus, auditis doctoribus, qui figuras geometricas delinearant, & triangulum omnis figurę principium eſſe docebant, omnéſque figuras ex eo & oriri, & in eundem reſolui, & circulum omnium figurarum quæ ambitu æquali contineantur, eſſe capaciſſimum, & eius generis alia: rogauit dominũ, an liceret magiſtros de iis quæ docerent, percõtari? Quod cum ille permiſiſſet, petiit, rationes eorum quæ docuiſſent, ſibi declarari. Verum illis quod reſponderent, non habentibus: Agarenorum princeps captiuo accerſito, Num ipſe id poſſet, interrogauit? eúmque ſe ſcire affirmantem, afferre in medium iuſſit. Captiuus igitur ab initio declarat ſingula, rationibus adductis & cauſis expoſitis. Auditores verbis eius intellectis, theoremata acutius perſpexerunt, quaſi dilatatis ingeniis, virúmque admirati rogarunt, an Conſtantinopolis alios ſimiles haberet? At ille: Multos, inquit, me præſtantiores habet, ſed vnũ magiſtrum omnium, virum in Philoſophicis rationibus incomparabilem. His auditis Agarenorũ princeps amore illius magiſtri captus, eum & videre & audire deſiderauit, ac literas, quibus hortabatur vt ad ſe veniret, ſuámque ſapientiam ſibi communicaret, captiuo liberaliter & benignè tractato, ad illum perferendas tradit. At Leo veritus ne in crimen veniret, ob miſſas ab hoſte literas, epiſtolam Dromi Logothetæ tradit, captiuo etiam adducto, qui argumentum eius exponeret. Ex hoc Theophilo innotuit, & beneficiis affectus, publicè docere iuſſus eſt. Pòſt etiã Theſſalonicæ Pontifex deſignatus.

CEDR.

*Sed Mamumus Agarenorum princeps Leonis ad ſe aduentu deſperato, Geometricas aliquot aſtronomicáſque & aliarum ſcientiarum quæſtiones ad eum mittit, ſolutionem earum poſcens. Quas cum Leo rectè omnes diſcußiſſet, & admirationis excitandæ gratia ſimul quædam futura prædicendi ſigna adſcripſiſſet: Mamumus literis iſtis acceptis, animum deſiderio eius ſauciatus fertur magna voce exclamaſſe, admiratione tantæ eius viri doctrinæ. Statim ergo ad Theophilum legatos mittit, cum literis hæc ſignificantibus: Statueram, quod eſt genuini amici officium, ipſe ad te venire. ſed cum à Deo mihi commiſſum imperium, populúſque mihi ſubditus, cuius ſumma eſt poteſtas, id non concedant: peto, vt virum quem philoſophia aliiſque ſcientiis celebrem habes, ad me mittas, vt exiguum tempus mecum degens, ſua me doctrina, cuius amore flagro, impertiat. neque ob religionis & gentis diuerſitatem hoc differas: ſed quod bonis amicis debetur, quam primum præſtes. Pro hoc officio tibi auri centenaria C reddemus, pacémque & fœdus perenne componemus. Has literas cum accepiſſet Theophilus, abſurdum ratus barbaris prodere ſcientias, ob quas Romana gens in admiratione eſſet, petitioni huic non annuit: Leonem verò maiori porrò in honore habet, ac Theſſalonicæ epiſcopum creat, opera Iannis patriarchæ, cuius illum fuiſſe cognatum docuimus.*

*Leonem Theſſalonicenſes ſummoperé ſunt venerati doctrinæ ergò, & in rebus mathematicis ſolertiæ: præcipuam autem, cur ita admirarentur hominem, cauſam*

hanc

*hanc habuerunt. Sterilis & infrugifera eo tempore erat tellus: quique Theſſalonicam & circumiacentia loca incolebant, fame premebantur: erántque in eo omnes periculo, ne aut patrium ſolum vertere, aut penuria conſici oporteret. Leo conſolatus eos, capto tempore, quod ei ſiderum certorum ortus atque emicatio indicabant, terram eos cōſerere iuſſit. quo facto, tantæ fertilitatis autor fuit, vt eius meſſis fructus ad multos annos ſuffecerint.*

*Literis & Poetis Leo (vt ipſe ferebat) initiatus fuit Byzantij. Rhetoricam, Philoſophiam, Arithmeticam, & reliquas ſcientias in Antro inſula didicit. ibi verſatus cum Michaelo Pſello, præſtante viro, ab eóque principiis tantum & quibuſdam præceptis occaſionibúſque diſcendi inſtructus, neque tantum quantum deſiderabat adeptus, monaſteria peruagatus eſt, libróſque in iis repoſitos perquirens atque ſcrutans, ſtudioſéque meditans, ad tantæ doctrinæ faſtigium euaſit. Abundè ergo eruditionis conſecutus, Conſtantinopolin rediit: & qui opera ipſius vti vellent, eos bonis artibus inſtituit.*

Verùm Theophilo mortuo, inter cæteros Iconomachos pontifices, & ipſe ob honorem ſacris imaginibus non delatum, eſt ea dignitate priuatus. Hunc igitur Bardas cum ocium agentem inueniſſet, cæteris magiſtris præpoſuit, itáque effecit, vt literæ refloreſcerent, exiguóque tempore incrementa caperent. Idem etiam leges ciuiles, quarū cognitio iam penè omnino obſoleuerat, reuocauit, cū ipſe iudicia frequentaret. Ob quod diſciplinarum & eruditionis ſtudium vt laude dignus eſt: ſic ob alia ſupra modum vituperandus & deſpuendus. Nam cum D. Methodius Eccleſia annis IIII gubernata, in cœleſtes manſiones migraſſet: Ignatius Monachus Imperatoris Nicephori generalis, ex filia nepos, Michaelis Rangabis filius, quo regno pulſo, à Leone caſtratus comam detondit & longo tempore aſceticis ſudoribus carnem domuit, ab Imperatrice Theodora rerum potiente, in Pontificiam Conſtantinopoleos ſedem eſt euectus. Is D. Ignatius Bardā Cæſarem, qui vxorem ſine cauſa dimiſerat, & cum ſua nuru conſueuiſſe dicebatur, ſacram ædem ingredi vetuit. At ille Pontificem ea de cauſa Eccleſia pellit, & multis malis exagitatum ſepulchro tandem includit. Pòſt inde extractum, in Mitylenen Inſulam relegat. Neque verò hunc ſolum ita tractauit, ſed alios etiam Pōtifices, qui D. Ignatio, à quo ſacris interdictus fuerat, aſſentiebantur: & in eius locum ſuffecit Photium virū inſignem, primarium à ſecretis, & eruditionis nomine celeberrimum. Cum autem Papæ Romani legati contra Iconomachos miſſi adeſſent: iis etiam Bardas perſuaſit, vt in ſuam ſententiā irēt. Igitur in æde Sanctorum Apoſtolorum congregati, S. Ignatio ab exilio reducto, dignitatem abrogant. Atq; hæc adhunc ferè modum acta ſunt. Gens autem Scythica Rhoſſi, Tauri montis accola, claſſe Euxinum pontum aggreſſa, ipſi Byzantio agro minabatur. Sed conſilium ei nō ſucceſſit, diuina prouidentia impeditum, quæ effecit, vt inuita, vel potius iram numinis experta, rebus infectis diſcedere cogeretur. Sed & Cretenſes, Agareni Cyclades inſulas & oram maritimā prædabantur. Terra etiam ſæpius vehementer concuſſa, maximè autem horrendus is terræmotus fuit, qui in diem Aſſumptionis ſeruatoris noſtri incidit. Verùm nihil horum Michaelem ab equeſtribus certaminibus, eorúmque ſtudio abduxit: quò minus ipſe in anguſtiis illis, quæ D. Mamantis appellantur, exerceretur. Idem etiam ignes ſuſtulit à priſcis imperatoribus inſtitutos, ne Agareni Romanas prouincias ex improuiſo aggreſſi, omnibus obuiis vaſtatis, homines in ſeruitutem abducerent: eáque de cauſa Tarſi in edito colle Lulum caſtellum ædificarant, in quo qui erant, cognita Iſmaelitarum incurſione, ignem incendebāt, quo in Argeo colle conſpecto, alius, Iſmaiitem alius, atque inde ad Ægilum, ad Mimantem, necnon Cyzicy & ad Mocilum, ac poſtremò omnium in D. Auxentij colle ignis incendebatur. Iis igitur ignibus prouinciales breui cōſpectis, locíſque munitis occupatis, Barbarorum graſſationes declinabant. E colle porrò Auxentij, hoſtium incurſio Imperatori ſignificabatur. Ne igitur ab equeſtribus certaminibus impediretur, iis ignibus illorum tempore ſæpe elatis: præclarus ille vir ignes locorum Byzantio vicinorum abrogauit. Superiorum temporum Imperatores reprehendere ſolebat, quòd ſpreta frugalitate, luxui & faſtui regio ſtuduiſſent. Vnde ipſe moderationem præ ſe ferens, cum aliquando in mulierem incidiſſet, quæ è balneis domum redibat: de equo deſcendit, eámque cum paucis adoleſcentibus arcanorum ſuorum conſciis domum comitatus eſt, & cum ea cœnatus, pedes in Regiam eſt egreſſus. Huiuſmodi nugis quaſi re bene geſta gloriari ſolebat, cum aliis delirare videretur, atque odium ſibi concitaret. Eam tamen ob cauſam maximè inuiſus fuit, quòd nefarios adoleſcentes alebat, à quibus ad mala omnia inflammabatur. Ij Pontificum ſibi habitum ſumebant, & incruentam victimam ſe immolare ſimulabant, ipſo etiam Michaele in eo cœtu verſante: ludum minimè ludicrum, ſed horrendum potius ludentes, & aceto ac ſinapi in vaſis aureis & gemmatis temperato, eam potionem ſodalibus & colluſoribus ſuis impertiebant. Enimuero illius collegij, cuius & ipſe Imperator erat particeps, omnem licentiam recenſere, ineptum ac permoleſtum fuerit. Quare ad obitum Bardæ & ipſius Imperatoris ſe conuertat oratio, & ad narrandam occaſionem, quæ Baſilio fuit contrahendæ cum Michaele familiaris. Fuit Baſilius ex Macedonia, parentibus obſcuris ortus, etſi quidam rerum eius geſtarū ſcriptor, eum * genus ab Arſacidis ducere comminiſcitur. Occupata verò à duce Bulgarorum Crumo Adrianopoli: etiam parentes eius capti, in Bulgariam abducuntur, hunc infantem & lactantem adhuc ſecum geſtantes. Crumo defuncto, ſucceſſor eius multis cladibus à Romanis acceptis, pacem cum Imperatore fecit: captiuis quos habebat (ita enim conuenerat) dimiſſis: quo tempore adoleſcens erat Baſilius, cui infantili ætate multis oſtentis imperium ſignificatum eſſe ferunt, quorum id quoq; fuit, quod referam. Cum infans eſſet, ac parentibus meſſe occupatis ſub ſole dormiret: aquila prope terram circumuolans, expanſis alis vmbrā ei faciebat: quam mater cum infanti appropinquantem videret, ſublata voce accurrit, & aquilam lapididus, adegit. Ea ad opus reuerſa, eadem aquila idem officium infanti dormienti præſtās, adeſt: & mater perterrita, denuo illam abigit.

*Bardas Ignatiū Patriarchā relegat.*

*Photius Patriarcha.*

*Papæ legati Iconomachis aſſentiuntur*

*Rhoſſi Scytho Tauri Pontum Euxinum infeſtant.*

*Agareni Cycladas prædantur.*

*Terræmotus*

*Michael ineptias incolumitati Imperij anteponit*

*Ignes quibus aduentus hoſtium ſignificatur.*

*Michaelis inepta comitas.*

*Adoleſcentum vecordium cœtus, Michaelis deliciæ.*

*Baſilij natales, & occaſio adipiſcendi imperij.*

* *quod etiā fecit Cedr.*

*Augurium aquilæ.*

Sed



Sed cum idem ſæpius fieret, re cogitata, bonum augurium eſſe iudicauit. Cum iam adoleuiſſet, pater eius obiit, mater vltra paupertatis incommoda, viduitatis etiam malis premebatur: ipſe, qui non haberet vnde viueret, decreuit operam ſuam alicui mercede locare. Profectus igitur in magnam vrbem, & veſperi per auram portam ingreſſus, iuxta ædem D. Diomedis proſtratus obdormiuit. Noctu æditu (necdū enim ibi erat monaſterium) martyr apparet, & Imperatorem introducere iubet. Qui egreſſus cum Baſiliū humi dormire videret, ſomnium nugas eſſe ratus eſt. Cum ſanctus idem denuo iubere videretur, rurſus egreſſus, nemine præter Baſilium inuento, eadem opinione rediit. Sed martyr tertium æditu apparet, eúmque introduci iubet, qui foris iaceat, eum enim eſſe Imperatorem. Egreſſus igitur Baſilium excitat, exceptúmque hoſpitio pro ſuis copiis, tractat. Erat autem æditu frater medicus, Theophilizi inſeruiens, qui Cæſari Bardæ & Imperatori Michaeli genere coniunctus erat, & ob ſtaturam breuiſſimam, per diminutionem Theophilizes vocabatur. Ab eo fratre ſuo æditus, arcano ſomnio detecto, petit, vt hominem principi alicui ad miniſterium commēdet. Is eum ad ſuum dominum deducit. Sed in primis ambo fratres Baſilium illo ſomnij oraculo communicato, iureiurando obſtringunt, vt imperio potitus ipſorū meminiſſet. Theophilizes Baſilio delectatus (erat enim procerus, formoſus, manu promptus & agilis, promiſſúmque capillum alebat, eúmque criſpum) ſuis equiſonibus eum præfecit, quo munere qui fungitur, vulgò Protoſtrator dicitur. Quærebat & Imperator equiſonem ſtrenuum & ſolertem. Allatus enim ei fuerat equus, omnibus ille quidem equi virtutibus præditus, ſed præfractior, & ſeſſorem ægrè patiens. Ad quem ſpectandum Imperator cum veniſſet, aliquem conſcendere iubebat. Quod cū plures tentarent, ille ferox atque inſolens, excutiebat omnes. Id imperatori moleſtum fuit, ſe idoneo equiſone carere indignanti. Ibi Theophilizes, ipſe talem ſe habere ait, eúmque, ſi vellet Imperator, affore. Illius igitur iuſſu Baſilius accerſitus, freno prehēſo, equum cum poppyſmo demulcet, ſeſe leuiter alleuans conſcendit, ac eo principiò parum excitato, poſt etiam toto flagello concitato, excurrit. Ea re delectatus Imperator, Baſilium inter imperatorios equiſones refert, ac progreſſu temporis Protoſtratorem deſignat, qui honos inſignis eſt, & à familiaritate Imperatoris non alienus. Tantum autem Imperatoris beneuolentia erga illum indies augebatur, vt & Cæſari inuidioſus eſſet. Cum verò Imperator aliquando matrem ſuam conuiuio excepiſſet, iuſſu illius etiam Baſilius Protoſtrator eſt aduocatus. Eum Imperatrix continenter defixis oculis eſt intuita, eóque curioſius perſpecto, veluti numine afflata, dixit,
„ Illum eſſe peſtem fami-
„ liæ ſuæ: ídque ſe noſſe de ſignis quibuſdam ſibi olim à marito indicatis. Verum Michael pro nugis id habuit, nulla re à beneuolentia erga Baſilium ſe abduci paſſus, eúmque tandem etiam cubicularium fecit. quo Cæſaris erga Baſilium inuidia aucta eſt, vt virum inſidiis appeteret, ab eóque viciſſim appeteretur. Cum autem Imperator Michael expeditionē contra Cretenſes Agarenos edixiſſet: Cæſar ad Deiparæ ædem cognomento Hodegiā, quaſi viæ ductorum dicas, abiit, Dei genitrici ſalutem dicturus. Cúmque iam aræ appropinquaſſet, chlamys nulla euidenti de cauſa ei humeris delapſa eſt. Id omen & Cæſari, & aliis qui id viderunt, inauſpicatum viſum. Multis porrò Imperatorem vituperantibus, quòd omnē Cæſari poteſtatem dediſſet, vt quiduis ageret, multáque contra officium faceret: aſſiduitate reprehenſionum tandem nonnihil è profundiſſimo veterno experrectus eſſe viſus homo ille væcors, quædam à Cæſare conſtituta correxit & reuocauit. Id Bardæ intolerabile viſum, autoritatē imminutam grauiter & iniquo animo ferenti. Imperatorem tamen in militiam profectum, comitatus eſt, quem Baſilius cum ſuis ſæpius apud Michaelem detulit, comparatæque iam erant inſidiæ: ſed iis quibus id negocij datum erat, Cæſaris opes & potentiam reformidantibus accidit, vt quodam tempore Bardas mane cum ſplendore & comitatu magno tabernaculū ſuum egréſſus, Imperatorem adiret, atque illi aſſidens colloqueretur. Tum Baſilius à tergo ſtans, minitabundus manum agitauit. Cum autem Cæſar alia de cauſa ſubitò reſpexiſſet, manúque Baſilij viſa, intellexiſſet, quid is ſibi vellet: pedibus Imperatoris aduolutus eſt, neque cōiurati eum prius aggredi auſi fuerunt, quàm Baſilius primus enſem in eo defixiſſet. Tum etiam alij receptis animis circumſtetere, & membratim hominem diſſecuerunt. Atque ille hunc vitę exitum eſt ſortitus. Imperator autem expeditione omiſſa Byzātium reuerſus, Eudociam Inceris filiam, concubinam dudum ſuam, Baſilio deſpondet. Pòſt, etiam Imperatorem ipſe in magna Eccleſia deſignat, ac per Photium Patriarcham diademate ornat. Baſilio filius Leo ex Eudocia naſcitur, qui Michaelis eſſe potius credebatur, quaſi prægnans fuiſſet Eudocia Baſilio collocata. Michael porrò, qui omnem ætatem equitando & compotando conſumeret, frequentérque inebriatus, mente alienaretur, quam ne ſobrius quidem ſanam admodum habebat: Baſilium in ſui cædem irritauit. Nam cum poſt equeſtre ad D. Mamantis certamen, in quo ipſe cum proceribus ſuis aurigarat, victor ad cœnam accubuiſſet, eíque Baſilius & Eudocia intereſſent: Baſilinus quidam dudū Imperatoriæ triremis remex, ſed ob corporis elegātiam in Imperatoris familiaritatem aſcitus, eiq; tum cœnanti aſtans: illius aurigandi ſolertiam & dexteritatem diuinis laudibus extollebat. Quibus laudibus ille, multo iam exhauſto mero, & mente turbata, delectatus, calceos purpureos ei tradit, ac induere iubet, & Imperatorem ſalutat. Illo verecundante & Baſilium intuente: Imperator iraſcitur, Baſilius autem ei innuit, vt obtemperet & calceos induat. Qui cum paruiſſet, Imperator Baſilio iratus ait: Imperij inſignia iſti aptiora ſunt quàm tibi. An verò mihi non licet, quemadmodum te Imperatorem feci, ita & aliū facere? Ex eo Baſilius & de Imperio & de vita ſolicitus, vim facere quàm pati maluit, conſilióque ſuo cum aliis cōmunicato, cum denuo Michael vino in cœna obrutus torperet, manúque ductus in cubiculum Regiæ, quæ eſt ad D. Mamantis,

*Æditui S. Diomedis ſomnium.*

*Baſilius fit Michaelis Protoſtrator.*

*Theodoræ de Baſilio præſagiū.*

*Omen Bardæ interitum portendens.*

*Bardæ cædes*

*Baſilij cum Eudocia nuptiæ.*

*Leo ſeu Baſilij ſeu Michaelis filius Michaelis occidendi occaſio vel potius neceſſitas.*

*Baſilinus ex remige imperator.*

*Michaelis cædes.*

ſomno

ſomno profundiſſimo oppreſſus iaceret: egreſſus primum clauſtra cubiculi imperatorij cõfregit, ne fores à cubiculariis claudi poſſent. Deinde cum cõiuratis aduenit. Iis autem qui ante cubiculum excubabãt, pauci adeò, percuſſores aditu prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus, quodam cum ſtricto gladio ingreſſo, manus ſuſtulit, quibus ille ambabus reſectis, ad cæteros rediit. At Michael quum ex vino titubans ebrietate impediente, fugere nõ poſſet, miſerabiliter eiulans iacebat: quem alius quidam ex Baſilianis, adhuc viuere conſpicatus, inſiliit, enſémque ita in eius pectus adegit, vt ventre etiã traiecto inteſtina elaberentur.

## IMPERIVM BASILII. Macedonis.

Ichaele digno acta vita exitio ſublato: Baſilius regia ſtatim occupata, quendam ex cubiculariis miſit, qui funus illi faceret. Is miſerũ equino ſago inuolutũ, in monaſterio Chryſopolitano ſepeliit. Regnauit cum matre annos XIIII, ſolus XI. Baſili⁹ Imperio firmato, & iam ab omnibus Imperator ſalutatus, ſenatus principib⁹ aduocatis, Imperatorios theſauros aperuit, in quibus nihil præter auri tres centenarios eſt repertum. Re deliberata, conſentientibus ſuffragiis eſt decretum, vt qui nulla probabili de cauſa pecuniam accepiſſent, eam, aut ſaltem eius ſemiſſem reſtituerent. Cum igitur ex decreto ſemiſſis exigeretur non minus CCC centenariis in fiſcum eſt relatum.

*Semiſſis profuſæ à Michaele pecuniæ fiſco reſtitutus.*

CEDR.

*Cæterùm Baſilius principio ſui imperij, magiſtratus commiſit iis qui à capiundis muneribus perhiberentur quàm maximè alieni, & quos teſtatum eſſet manus omnis capturæ puras habere. Deinde operam dedit, vt iuſticia vigeret, & æquo iure inter ſe viuerent ſubditi, neque à diuitibus inopes opprimerẽtur: propoſitis paßim decretis, quibus iniuſticia exterminabatur. Iudices quoque conſtituit, ampliſque ſtipendiis & honoribus auxit, iuſſos per diem ſedere pro tribunali, & litigantium cauſas diiudicare. ad eam rem loca iis deſignauit commoda, Magnauram, Circum, & Chalcen (æream portam) quam temporis culpa laborantem, ruiuámque minantem, ad hoc inſtaurauit atque adornauit. Alimenta etiam pauperioribus quibus iudicio erat diſceptandum, ordinauit, ne inopia coacti vadimonia deſererent. Ipſe etiam his rebus operam dedit, quoties à bello & audiendis legatis vacaret: & deſcendens ad Genicum, vbi reipublicæ nomine vectigalia & tributa accipiuntur, proſpexit ne ab vllo quicquam iniuſtè exigeretur, & iniuriam paßis opitulabatur.*

*Baſilij in leges & iuſticiam ſtudiũ.*

*Ferunt eum, cum aliquando ad Diatribam (loci nomen eſt, in quo iudicia exercebantur) deſcendiſſet, neminémque inueniret conquerentem, ſuſpicatum eſſe, arceri à certis hominibus eos qui ipſum compellare cuperent: & ſatellites per vrbem dimiſiſſe quæſitum, ſi qui eſſent Imperatoris auxilio indigentes, quibus reuerſis ac neminem ſe reperiſſe dicentibus, eum præ gaudio lachrymas emiſiſſe, egiſſéque Deo gratias.*

*Animaduertens porrò occaſionem maleficij prauis hominibus eo dari, quòd numeri, quibus (verbi gratia) ſemißis, ſextans, vncia, & ſimilia deſignantur, per notas recepta antiquitùs conſuetudine ſcriberentur: loco notarum literis vti iußit, quas etiam ruſtici legere poſſent: & de ſuo ſumptus in chartas, literas, atque ſcribas ipſe ſuppeditauit.*

*Sed & ciuiles leges videns multum habere confuſionis atque obſcuritatis, operam dedit, vt iis conuenientem faceret medicinam. itaque abrogare inutiles, iiſque amputatis multitudinem bonarum expurgare intendit. Sed mors eius hoc inſtitutum intercepit, res à filio deinde perfecta eſt.*

Baſilius die feſto magnam Eccleſiam ingreſſus, vt incruentæ victimæ particeps eſſet, à Photio Patriarcha eſt prohibitus, eum homicidam appellante: ob quam repulſam iratus, indicto cõcilio, Photium Eccleſia expulit, quaſi D. Ignatius contra leges, à Barda Cæſare ſede pontifica deiectus eſſet, & ille, non ritè diuinum thronum eo ſuperſtite occupaſſet. * eóque prætextu abuſus D. Ignatium in Pontificatus ſpeculam reſtituit. Baſilio recens ſceptris potito, quidam ex Patriciis ſe oppoſuere, Georgius & Sabbatius, qui deprehenſi & capti, pœnas corporibus dederunt. Filios tres Conſtantinum, Leonem & Alexandrum auguſtalibus coronis ornauit. Quartũ natúque minimum Stephanum Patriarcham creare volens, in numerum cleri Eccleſiæ retulit. Filias quatuor in regio monaſterio S. Euphemiæ collocauit.

*Photio eiecto Ignatius in patriarchatum reſtituitur.*

*Inſidiatores occiſi.*

*Baſilij liberi.*

CEDR.

*Ad hunc modum rebus domeſticis ſatis, vt videbatur, commodè conſtitutis, expeditionem etiam in Romani imperij hoſtes ſuſcipere ſtatuit. Cúmque deprehenderet numerum militum à Michaelo imminutum, quòd is ſtipendia accidiſſet: cohortes tironibus allectis impleuit, & in barbaros duxit.*

Bello contra Cretenſes Agarenos ſuſcepto, victus eſt, multíſque cæſis, & ipſe captus eſſet, niſi Theophylactus Abaſtactus Romani Lacapeni, qui pòſt imperauit, pater, eũ eripuiſſet. In magnã vrbem reuerſus, affinem ſuum Chriſtophorum in Cretam contra Agarenos miſit, qui cum eos acie viciſſet, Barbaricam audaciam fregit. Idẽ Baſilius etiam contra Orientales Agarenos & Manichæos, qui cuidam Chryſochiri parebant, eſt profectus, & caſtellis quibuſdam captis, actáque præda, etiã Tephricam eorum Metropolim obſidere ſtatuit, ſed cum eam & lõgam obſidionem poſtulare, & alioqui expugnatu difficilem eſſe cognouiſſet, inde diceſſit: & Euphratẽ exundantem, nauibus iunctum tranſiit, ac circumiacentia loca populatus, multis caſtellis expugnatis, cum Barbarorum aliis pace facta, aliis in deditionem acceptis, triumphans per mediam vrbem inuectus, in Regiam eſt reuerſus. At Manichæorum principe Chryſochire, Romanas prouincias inuadente, eáſque populante: Imperator Domeſticum legionum contra eum mittit: qui quia iuſtas copias non adducebat, acie cum hoſte decernendum eſſe non putabat, ſed vbi res ferebant, in excurſionibus palantes & malè tractatos, inhibuit, quo minus ſecuri prædatum exirent. Quare Chryſochir, abducta quam ceperat præda, domum rediit. Ac legionum Domeſticus duos duces ſe cum ſuis legionibus ſequi iuſſit, neque pati Manichæos palantes prædas agere. Veſperi cũ Chryſochir cum ſuis ad radices montis caſtra haberet, iugo à Romanis præoccupato: cõtentio de præcellẽtia & vi bellica inter vtriuſque ducis milites eſt exorta. Vt verò ſinguli ſe præſtare aliis gloriabantur: quidam litem ſedaturus, Quid, inquit, commilitones fruſtra nos iactamus, cum hoſte propinquo, non verbis ſed factis iam demonſtrare liceat, qui ſint viri fortes? Eo conſilio probato, ſtatim hoſtes inuaſerunt, quos ſubita aggreſſione perculſos terga dantes diu perſequuti, tantam eorum ſtragem ediderunt, vt interiecta planicies cadaueribus impleretur. Cecidit & Chryſochir, multíque capti & vincti ad Imperatorem miſſi, vnà cum Chryſochiris capite. Ignatio Patriarcha defũcto, poſt Eccleſiã vndecim annis gubernatam: Photius à Baſilio ſecundum in pontificia ſede collocatur. Inſidiæ Imperatori ſtructæ non latuerunt, eiúſque princeps Romanus Curcuas oculis eſt priuatus, reliqui flagris cæſi, raſiſque pilis relegati. Sub vernum tempus Imperator vnà cum filio Conſtantino Syriæ bellum infert, caſtella quædam capit: quædam, iniecto ex aliorũ expugnatione terrore, in deditionẽ accipit. Deinde Germaniciam inuadit, & ſuburbiis incenſis, vrbem Adatam obſidet. Ciuibus negligenter ſe defendentibus, Baſilio rogante qua re freti ſe non dederent, vrbe iamiam capienda? quidam prouectę ætatis homo ait, ſe certò ſcire, non eſſe in fatis, vt nunc vrbs ab ipſo capiatur, ſed ab alio, qui ex eius lumbis deſcenderet, nomine Conſtantino. Cum verò Imperator filio demonſtrato, eum eſſe Conſtantinum dixiſſet, & ſenex eum eſſe Conſtantinum à quo ſua vrbs capienda eſſet, negaret, ſed alium quendam ex eius poſteris: Baſilius ob eam diuinationem iratus, oppugnationem acrius vrget, ſed cum nihil proficeret, ac frigus exercitum infeſtaret: ſoluta obſidione, reditum cogitat, captiuis interfici iuſſis, ne cuſtodia opus eſſet, néue oportunitatem nacti, aliquid nouarent.

*Domeſtic⁹ legionũ Chryſochirem & Manichæos cædit.*

*Photio Patriarchatus reſtituitur.*

*Inſidiatorũ pœna.*

*Baſilij bellũ Syriacum.*

*Germanicia Adata. iuxta Cedrinũ Adapa.*

*Falſum oraculum.*

CEDR.

*Itaque leuato exercitu iter ad vrbem inſtitutum proſecutus eſt, magno Agarenis terrore incuſſo. Quos cum inſidias ſibi in anguſtiis ſtructuros præſagiiſſet, ſuis militibus ad opportuna loca dimißis incidiatorum multos viuos cepit. Quibus rebus Ab delomeleri, qui iis locis præerat, animus ita eſt fractus, vt mißis legatis veniam pacémque petiuerit. aſſenſitque Imperator, & hunc deinde ſpontaneum contra eius gentiles ſocium habuit. Inde per Argæum profectus, ad Cæſaream venit, ibíque & ex Colonia & ex Meſopotamia nuncios rei feliciter geſtæ accepit, allatis ſimul ſpoliis, ac multis captiuis Curtis atque Saracenis, quos omnes gladio occidi iußit. nam exercitus iam antè ſpoliis onuſtus erat Syriacis atque Tephricanis, & nolebat Imperator captiuorum inutilem ſecum trahere cateruam. Vt ad Medæum peruenit, præmia iis quorum virtus in bello fuerat eximia diuiſit: militibúſque hyematum dimißis, ipſe expedito cum comitatu Conſtantinopolin rediit, ibíque de more victoriæ coronam à patriarcha accepit, & populus ei cantilenis gratulatus eſt.*

Cum autem Tarſenſes & Melitenæi Agareni prouincias Romanas incurſarent, Dux Andreas eorum inſolentiam reprimebat, & miſſis ad ſe ab Amera blaſphemis literis, quibus ſcribebat, ſi ipſe illum inuaſiſſet, nihil ei Mariæ filium profuturum, de imagine matris Dei ſuſpenſis, dixit: Domina, remunerare fremitum hominis arrogantis. His dictis contra blaſphemum eduxit copias, commiſſáque pugna, hoſtes in fugam verſi maxima ex parte cadunt, ipſéque Ameras iugulatur, paucis fuga elapſis. Sed Dux ex inuidia delatus, quum Tarſum etiam capere potuiſſet, noluiſſe: Imperator ducatum illi ademptum Styppiotæ tradit, & Tarſi excidium pollicenti, & alia magnifica iuueniliter iactanti, qui adeò nihil eorum quæ gloriabatur, effecit, vt etiam ex negligentia & inconſiderata caſtrametatione in cladem inciderit. Nam Barbari caſtra eius, in quibus nullas agi excubias cognorãt, noctu aggreſſi, multos cædunt, ſed plures à ſeſe inuicem obtriti perierunt, itáque ſuperiores fuere Agareni. Eo rerum Orientalium ſtatu Occidens peius etiam ſe habebat. Nam Italia quæ Romanis Imperatoribus parebat, & maxima Siciliæ pars, multæque gentes aliæ, ſub Michaele tributariæ factæ ſunt Carthaginenſibus. Carthaginenſes enim Agareni, claſſe inſtructa, multíſque oppidulis captis: Raguſium obſident. Raguſinis per legatos auxilia petentibus, Baſilius centum naues bellicas ſubſidio mittit, quas contra ſe ire Agareni vbi cognouerũt, ſoluta obſidione Longobardiam inuaſere, captáque Bari vrbe, eiúſque tuto receptu vſi, totam Longobardiam occuparunt. Cæteræ quoque gentes quæ ab Agarenis premebantur, cum audiſſent quid Raguſij accidiſſet, & vt hoſtes, reformidatis Imperatoris auxiliis, ab obſidione deſtitiſſent: auxilia & ipſæ petunt, ſe Romano imperio ſubiicientes. Baſilius recepta legatione, ſupplicibus & claſſe illa & per Francorum Regem opem tulit. A quo per literas petiit, vt Romanis legionibus in bello Agarenico adeſſet, ab iiſque Agarenorum exercitu deuicto, eorum princeps, quem Sultanum vocant, captus, & à Rege Capuam perductus. Vbi quum biennium verſatus eſſet: nunquam à quoquam riſiſſe viſus eſt, vt Rex miratus, diceret, ſe ei qui Barbarum riſiſſe nunciaret, præmium daturum. Quem quum quidam ſemel riſiſſe nunciaſſet, accerſito Sultano riſus cauſam quæſiuit? At ille: Rotas curtus (inquit) vidi, quarum quum altera terræ incumberet, altera ſurſum tolleretur: mox ea quæ ſublimis fuerat, depreſſa: quæ humilis, in altum elata eſt. Vnde coniectura capta, res humanas etiam eodem modo moueri & transferri, in riſum erupi: poſſe fieri cogitans, vt & mearum rerum idem ſtatus eſſet: ac me, quemadmodum è ſublimi ſum humi depreſſus, ſic ex humili loco in altum elatum, ſublimem fore. Rex & veritate orationis conſiderata, & Soldani ob fortunæ commutationem miſertus: eum liberius habitum in familiaritatem ſuam aſciuit, & eius vt viri prudentis conſiliis vſus eſt. Is verò, homo callidus, Regem dolo circumuenit. Nam cum Capua & Beneuento recens potitum vereri cognouiſſet, ne eæ vrbes de vindicanda libertate cogitarent: Si, inquit imperium iſtarum vrbium firmum habere ſtudes: ciues clariores aliò transferto. Nam vulgus per ſe, nouis rebus non ſtudebit. Id conſilium Rex ſibi vtile futurum ratus, exequi ſtatuens, clam vincula ferrea fabricabatur. At improbus ille vir, cum vtriuſque ciuitatis principibus colloquens, atque in eorum familiaritatem ſeſe inſinuans, ſecretò dicit, Regem in animo habere pri

*Andreas Dux Amerum Agarenum cædit.*

*Styppiotes ab Agarenis profligatur.*

*Agarenorũ Carthaginẽſium in occidente graſſationes, Baſilij & Francorum auxilia retundũtur.*

*Sultanus Agarenorum à Francis captus, Regem eorũ doloſo conſilio Capua & Beneuento pellit.*

*Res humanæ rotis curruum ſimiles.*

marios ciues vinctos in ſuã trãſferre regionem. Quod verè à ſe dici, illud argumento eſſe quod ferreas cathenas, manicas, aliáque vincula fabricaretur. Id illi quum verum deprehendiſſent, hominem ſibi bene velle opinati, Regi venatum egreſſo portas clauſerunt. Is igitur non admiſſus domum rediit, Sultanus autem à ciuibus libertate remunerationis ergò accepta, priſtinóque Imperio recuperato, iiſdem Capuanis & Beneuentanis bellum infert. Qui cum obſidione vrgerentur, per legatos admiſſi facinoris veniam à rege precati, ſuppetias ſibi ferri enixè petunt. Sed vt ille, repudiata legatione, ſe interitu illorum lætari dixit: ad Imperatorem Baſilium alia legatione miſſa, vt ſibi periclitantibus ſubueniret, cum legatus impetratis auxiliis rediret, ciues ſuos bonis animis eſſe iuſſurus: captus eſt ab hoſtibus, ex quo cum Sultanus cognouiſſet, vnde veniret, & quàm lætum ciuibus nuncium afferret: ait illi, Si viuere volueris, tuis de muro proſpectantibus renunciato, Imperatorem auxilia negaſſe. Quòd ni feceris, te è veſtigio moriturum ſcito. Promiſit ille ſe facturum quemadmodum iuberetur, & vinctus aſtans ante mœnia, dum ſe legationem obiiſſe, & auxilia ſtatim ab Imperatore ventura dicit, gladiis diſſecatur. Sultanus verò vrbium expugnatione deſperata, receſſit. Tarſi quoque Ameras Eſman cum magnis nauigiis, quæ Agareni Cumparia vocant, Euripi vrbem aggreſſus, nihil effecit, ſed & ipſe lethali accepto vulnere periit, & maxima pars exercitus illius. Cretæ porrò princeps Saet Apochaps, Photium virum ſtrenuum alteri claſſi à ſe inſtructa præfecit, qui & Ægæi maris oram, & inſulas populabatur, Cui cum Romana claſſis, cuius nauarchus erat nauticus Drungarius Patricius Nicetas Ooryphas, occurriſſet: multas hoſtilium nauium vnà cum vectoribus igni Græco in cineres redegit, multas ferro confecit, ac plures demerſit. Qui multiplex hoc diſcrimen turpi fuga euaſerant, incolumitate non contenti, piraticis nauibus paratis, Peloponeſum & vicinas inſulas vexauerunt. Sed eos idem Drungarius cum ad portum Cenchrearum applicuiſſet, ac naues hoſtiles circa Methonam, Pylum & Patras crebro ſtationes habere didiciſſet: triremibus per Iſthmum Corinthiacum celeriter terra traductis, ſubitò aggreditur: iiſque improuiſa impreſſione perculſis piraticas naues partim cremat, partim cum ipſis viris demergit, duce quoque hoſtium Photio interfecto. Et ſic claſſis Cretenſium periit. Verum ex Aphrica aliæ naues ſexaginta ingentes Romanis prouinciis vaſtandis vſque ad Cephaleniam & Zacynthum proceſſerunt. Contra eas Narſan claſſis præfectus miſſus eſt. Sed cum multi ex remigibus fugam cepiſſent, & triremes ſemiuacuæ eſſent: nauarchus ita cum hoſtibus non congrediendum eſſe ratus, caſum illum ad Imperatorem refert, & deſertores inquiſiti, ac citò reperti ſunt. Vt autem terrorem incuteret nautis, nec vllum tamen Chriſtianum ſupplicio afficeret: triginta captiuos Agarenos carcere noctu extractos, fuligine inungi ne agnoſcerentur, flagríſque cæſos per forum circumduci, & in Peloponeſum perductos palis affigi iuſſit. Quo facto claſſiarij perterriti, noctúque hoſtes aggreſſi profligarunt, aliis cæſis, aliis captis. Deinde in Siciliam quoque tranſuecti, vrbes Carthaginenſibus obnoxias vexarunt & vaſtarunt.

*Sultanus eiectis Francis Capuam & Beneuentum fruſtra obſidet.*

*Capuanus Legatus pro patriæ ſalute ſe deuouit.*

*Agarenorũ Tarſenſium Cretenſium & Carthaginenſiũ clades.*

*Captiui pro deſertoribus ſupplicio affecti.*

CEDR.

*Eadem claſsis etiam ad Italiæ fines tranſuecta, cum equeſtribus Romanorum copiis ſe coniunxit (quas Procopius ducebat, Imperatoris protoueſtiarius, & Leo patricius, Thraciæ ac Macedoniæ præfectus, quem à Stypeo vocabant) & laude dignas res geſsit. Nam & claſſem ex Aphrica rurſum progreſſam ad inſulam cui Stelæ (id eſt columinæ) nomen, deuicit: & quæ in Calabria ac Longibardia ab Agarenis tenebantur caſtella, paucis demptis, omnia è barbarorum manibus eripuit, Romanæque ditioni reſtituit. proinde Naſar, & quæ cum eo erat Romana claſsis, tot victoriis diuino fauore potiti, amplis cum ſpoliis & victoriæ coronis ad Imperatorem redierunt. At quæ in Longibardia erant terreſtres copiæ, inuidiam fortunæ, proſpera quæque carpere ſolitæ, non effugerunt. Etenim rebus præclarè geſtis, orta ſub ipſius prælij tempus inter duces contentione, eorum dignitate prior periit. Inciderat Leoni aliquid cum Procopio diſcordiæ. Nondum autem redintegrata horum gratia, pugnæ cum hoſtibus committendæ ſe obtulit occaſio. Ea in pugna Leo cum Tracibus & Macedonibus dextram aciei tenens partem, Saracenos fudit, magnámque eorum ſtragem fecit. Ab altera autem parte Procopium Slauinos & Occidentales ducentem, hoſtes cum premerent, neque ei à Leone diſcordiæ tenace ſubſidium mitteretur, euenit vt is inclinata ſuorum acie fortiter pugnans caderet. Leo, vt præclaro facinore illatam ob diſsidium cladem oblitteraret cum ſuo exercitu, iis etiam qui ex Procopianis militibus cladem euaſerant ad ſe receptis, Tarentum caſtrum, quod Agareni adhuc tenebant, expugnauit, captis qui in eo erant omnibus: quo facto & milites præda haud parum iuuit, & ſpolia ad Imperatorem attulit. Neque tamen Imperatorem ea res placauit. ſed is vbi cognouit cauſam Procopij interitus, Leonem dignitate ſua exutum in Cotyaeium, vbi habitare ſolebat, relegauit.*

*Ducum diſcordia pernicioſa.*

*Leo à Stypeo.*

*Procopius.*

*Exinde Baianus, qui Leonis equiſonum priceps erat, aliique nonnulli olim Leonis famuli, actionem de maieſtate Leoni intendunt. quod cum reſciuiſſent Bardas & Dauidus, huius filij, Baianum interficiunt: metuentéſque ſibi ab irato huius facinoris cauſa Imperatore, aſſumpto patre fugam in Syriam moliuntur. Imperator de re hac certior factus, præfectum ſodalitatis cum quibuſdam militibus mittit, celeriter inſequi & comprehendere eos iubens. Hi nihil morati, in Cappadocia eos aſſequuntur, in Syriam properantes. Cúmque eos progreſſu prohiberent, atque ij vi reſiſterent, ad manus ventum, & inter dimicandum filij Leonis ceciderunt. Leo captus, & ad Imperatorem perductus eſt. De eo legibus actum, damnatóque alter oculorum effoſſus, & altera manuum amputata: & in Meſembriam relegatus, ibi conſenuit.*

*Leonis calamitas.*

Cæterum Meſembriaci Arabes, cognito Romanæ claſſis ocio, nauibus aduecti, Phœniciæ & Syriæ oram infeſtarunt. Baſilius enim cædem Michaelis deceſſoris ſui expiaturus, multis in locis vrbis regiæ Archiduci Michaeli noua templa, atq; in ipſa Regia magnificam & ſumptuoſam ædem, nouæ Eccleſiæ indito nomine, conſtruxit. Nautis igitur his ſubſtructionibus occupatis, cum eorum terga à tollẽdis oneribus nunquam vacarent, cum manus in cophinis occupatæ eſſent, claſſis ocioſa fuit. Qua de cauſa Agareni



ni oram maritimam impunè prædabantur. Neque verò illam duntaxat infeſtarunt, ſed Syracuſas etiam deuaſtarunt, Imperatore nautas ædificationibus defatigante, qui etiam Eliæ Theſbitæ, quem eximia veneratione colebat, ædem extruxit, fore ſperans vt ab eo, curru igneo, in cœlũ tolleretur. Tamẽ Syracuſarum captiuitate & reuerſione cognita, miſit qui nefariis Agarenis reſiſterent: ſed nihil profecit. Deinde Phocam Nicephorũ, eius Phocæ qui pòſt imperauit, auum, cum iuſtis copiis ablegauit, virum fortiſſimum, & rei militaris peritiſſimum, qui Agarenos ſæpe profligauit. Dum autẽ Baſilius Imperator Theophilitzi, vt ſuprà dictum eſt, adhuc inſeruiret, vnà cum illo in Peloponeſum deſcendit, & templum Andreæ eſt ingreſſus, in quo degebat monachus quidam virtutis ſtudioſus, qui Theophilitzæ nullam rationem habuit, ſed Baſilio conſpecto, honoris cauſa ſurrexit, eúmq; adoratum amanter excepit. Eo mulier quædam vidua illius loci primaria, & magnis opibus affluens cognito, hominem pro familiaritate accerſitum interrogat, Cur Theophilitzem principem illuſtrẽ, & Imperatoribus cognatum neque alloquio neque vllo officio dignatus eſſet, miniſtrum verò eius affatus eſſet & honoraſſet, longè ſupra conditionem eius? Nam cum monachum noſſet, id eum non temere feciſſe arbitrabatur. At ille, Theophilitzem, inquit, priuatum vidi, Baſilium verò Imperatorem, eáque de cauſa honorem ei vt Imperatori habui. Scito enim eum à Deo Imperatorem deſignatum eſſe. Quibus mulier auditis, Baſilium poſt diſceſſum ſui domini, ægrotum illic relictum, in ſuas ædes recepit, curataq; & confirmata valetudine perſuaſit, vt ſui filij frater adoptiuus eſſe vellet, ac data pecunia, Imperium ei prædixit, orans, vt principatum adeptus, filij ſuíque (ſi adhuc in viuis eſſet) non obliuiſceretur. His actis Baſilius diſceſſit, illa verò, ei recens Imperio potito, cum filio Conſtantinopolim profecto, multa precioſa munera obtulit. quam ille honorificè excepit, eiúſque filium, quem ſpiritus impulſu fratrem nactus fuerat, Protoſpatarij dignitate ornauit. Ædes ſacras diuerſis terræ motibus collapſas inſtaurauit, atque etiam magnum fornicem templi D. Sophiæ ruptum ruinámque minitantem, machinis artificum conſtrinxit, & firmauit.

*Phocas Nicephorus.*

*Peloponenſis monach⁹ imperium Baſilio prædicit.*

*Vidua Peloponenſis callidè ſibi Baſilium conciliat.*

CEDR.

*Cumque reditus eccleſiaſtici eſſent attenuati, & periculum eſſet ne penuria olei ſacræ lucernæ extinguerentur: ampliſsimi prædij, cui Mantia nomen, donatione & lucernis proſpexit, & eius è reditibus liberaliora cantoribus templi ſtipendia conſtituit. Apoſtolorum præterea fanum quod priſtinam pulcritudinem amiſerat, fulcris & collapſarum partium refectione firmans, redegit ædem (vt ait poeta) vigentem. Renouauit etiam Deiparæ quæ ad Fontem erat ædem, quæ antiqua ele-*
230. *gantia exciderat. Aliud Deiparæ templum, cui Sigma nomen, terræ motu proſtratum, ex fundamentis refecit, ſtabiléq; & priore pulchrius extruxit. Hoc modo etiam inſtaurauit ædem Stephani martyrum principis, quæ in Aurelianis condita humi procubuerat. Baptiſtæ fana duo, quorum hoc in Strobelo, illud in Macedonianis, alterum maiore ſui parte reparauit, alterum è fundamentis ſubſtruxit. itidémque Philippi apoſtoli, & quæ ab hac verſus occaſum ſolis ſita erat Lucæ euangeliſtæ ædem, grauem paſſas ruinam, necnon templum magnum Mocij martyris, eiúſque penetrale ſolo æquatum, fracta etiam ſacra menſa, è parietinis excitauit. Reſtituit & priſtinæ pulcritudini refectam ex collapſa ædem Andreæ apoſtoli ante alios vocati, iſtis vicinam: item S. Romani, & S. Annæ in Deutero, & magni martyris Demetrij, martyris Aemiliani in Rabdo, de antiquis nouas redegit. Reſtituit & S. Nazarij ædem collapſam: & in roſtris Domini, templum reſurrectionis Chriſti, & Anaſtaſiæ martyris refectum ornauit faſtigio, quòd ligneum antè fuerat, lapideo. Platonis inclyti martyris fanum, quod corruerat, erexit: viciniúmque huic fanum nobili victoria inſignium martyrum Heſperi & Zoæ condidit. Ruinæ, quæ imminebat, ſubtraxit Acacij quoque martyris ædem in Heptaſcalo (Septigradium verteres:) & Eliæ vatis fanum in Petrio ſplendidè reſtituit. Inſtaurauit & templa palatina Seruatori Chriſto, Michaelo angelorum principi, & Eliæ vati dedicata, & Deiparæ: ac Nicolai inter proceres eccleſiaſticos celeberrimi, quod nouam nominant eccleſiam, inſuperabili pulcritudine exornauit, reditibus ad lucernas & neceſsitates doctorum ſufficientibus ditatam. de qua quòd attinet prolixè narrare, cum ipſum opus pulcritudinem ſuam & ſumptuum in id impenſorum demonſtret magnitudinem? Multa alia etiam delubra in palatio condidit, de nomine Eliæ vatis, Clementis martyris, Ieſu ſeruatoris, Pauli apoſtoli, principis exercituum cœleſtium, quorum in declaranda venuſtate vel poetica deficeret magniloquentia.*

*Multa etiam in Palatio pro Imperatoribus verè regia ædificia condidit: quæ omnia enumerare nihil attinet. Opus Baſilij eſt etiam domus, quæ Manganorum nomen gerit, & alia quæ Noua appellatur. Has, vt qui nollet publicos reditus in vſus priuatos vertere, ædificauit: & reditus eis ex agriculturæ emolumentis conſtituit idoneos, vnde Imperatorio conuiuio pro ſe, & iis qui toto anni decurſu inuitarentur, ſufficientes & iuſtè parti ſumptus ſuppeditarent. Condidit etiam palatium ad Fontes, & id quod in Eriis erat decorauit, ciſterna repurgata, quam Heraclius imperator terra ingeſta complanatam in hortum arboribus ac oleribus plantandis mutauerat: vt & ciſternam eam quæ eſt ad Magnauram, & quæ inter triclinium Iuſtinianeum ac Lauſiacum. Etenim Heraclius imperator, cum ei Stephanus philoſophus examinato ſiderum qualis fuerat ipſo naſcente poſitu prædixiſſet, aquam interitum ipſi allaturam, ciſternas terra congeſta oppleuerat. itaque Baſilius ciſternam in Eriis repurgauit, locóque horti receptaculum aquæ copioſæ ac pellucidæ confecit. Et in foro ædificauit templum pulcherrimum Deiparæ ſacrum, vt ibi negociatores domum precibus faciundis aptum haberent, cùm eo loco ob negotiationes commorarentur. S. Phocæ fanum in Steno adornauit, monaſteriúmque redegit, conſtitutis pro iis qui in eo religioſam exercerent vitam ſufficientibus reditibus. Renouauit etiam magnum S. Michaeli in Soſthenio templum, quod antea temporis corruerat, & ad eam qua hodie viſitur elegantiam perduxit.*

*Ædificia Baſilij.*

Multis etiam Iudæis præbita promiſſaque pecunia perſuaſit, vt Chriſtiani fierent. Pace cum gente Rhoſſica facta, effecit, vt illa in cognitionem arcanorum noſtrorũ perueniret: & cum ſe baptizari velle promiſiſſent, Põtificem eis miſit. Cæterum à ſua religione ad noſtrã tranſituri, tergiuerſabantur & dubitabant: ac niſi miraculum viderimus, inquiunt Pontifici, qualia tu multa à

*Rhoſſ Chriſtianiſmum amplectũtur*

*Euangelium ab igne inuiolatum.*

Chriſto facta eſſe doces: nunquam doctrinam tuam amplectemur. Tum is: Petite, inquit, quod vultis. At illi dixerunt: Liber qui de Chriſto docet, eſt in ignem coniiciendus: qui ſi inuiolatus manſerit, argumento nobis erit, verè Deum eſſe, qui à te prædicatur. Aſſenſo Epiſcopo, rogus eſt incenſus: Pontifex cum manibus & oculis in cœlum ſublatis dixiſſet, Glorifica nomen tuũ Chriſte Deus: ſacrum euangelium in rogum imponit, quod diu in flamma relictum, illæſum manſit. Eo miraculo Barbari obſtupefacti, prædicationi crediderunt, & vt ſacro baptiſmate initiarentur flagitarunt.

*Interim reipublicæ proceres Imperatori ſuadent, vt in prouincias inſpectores emittat, quòd hoc dicerent ad incrementum redituum publici ærarij facturum. Imperator probare ſe hanc ſententiam ſimulans, deligi ad hoc munus homines aptos iubet, & ad ſe adduci. Ibi cum Generalis delegiſſet, quos eam rem rectè adminiſtraturos putabat, & eorum nomina ad Imperatorem attuliſſet, in magnam apud eum reprehenſionen incurrit, quòd tales homines tanto negocio idoneos iudicaſſet. Meliores ſe in tota ciuitate non inuenire cauſanti, Imperator: Tantum inquit, hoc munus exiſtimo eſſe vt ſi ita liceret, me ipſum ad id obeundum proficiſci debere putem. quod quia indecorum eſt, neque fieri poteſt, neceſſe habeo ſpem meam deſpondere duobus reipublicæ magiſtris, qui tempore & vſu rerum, multiſque in longa vita geſtis magiſtratibus fidei ſuæ integritatem & virtutem probarunt. nam ab his negocium rectè confectum iri fido. Tu ergo abi, & iis rationes huius adminiſtrationis, meámque voluntatem expone. ſi volunt ad eam obeundam exire, mihi hoc probatur. Magiſtri hoc nuncio perterriti, ſupplices deprecantur, ætatis ſuæ & laborum pro republica iam antè exhauſtorum innitentes excuſationi: petúntque, vt hoc miniſterium aliis imponatur. Generalis re infecta ad Imperatorem redit, eorúmque excuſationes exponit. Ad ea Baſilius: Quando, ait, fieri non poteſt vt ego exeam, & hoc munus illuſtriſſimi recuſant obire magiſtri, inſpectorum huiuſmodi conſtitutionem ego omitti volo. præſtat quippe aliquos lucrum iniuſtum ex publico percipere, quàm malè metuere mulctam quæ eos opprimat aliquam.*

*Hoc modo factum eſt, vt ſubditi Romano imperio prouinciales, quandiu ei Baſilius præfuit, verbo quidem non ſint ad æqualitatem cenſus adacti, reipſa autem liberi & ab exactionibus immunes manſerint.*

*Santabarenus ſpectrum Conſtantini mortui Baſilio offert.*

Et hæc ſic acta ſunt. Cæterum vnus ex Imperatoris filiis Conſtantinus, patri præ cæteris charus, ex morbo obiit, cuius mortem grauiter ferens, omni conſolatione repudiata, illum ſibi viuentem offerri cupiebat. Fuit autem quidam monachus Theodorus, cognomento Santabarenus, Imperatori ob ſummam de ipſius virtute perſuaſionem, vt etiã miracula edere crederetur, familiaris, idémq; Metropolis Euchaitarum antiſtes. Is igitur fertur Imperatori defunctum filiũ oſtẽdiſſe viuentem, cum effeciſſet, vt Conſtantinus equo inſidens patri occurrere videretur, quem quum amplexus & deoſculatus eſſet, nõ amplius viderit Imperator. Sed & aliis ſimilibns factis Santabarenus Imperatore in admirationem adducto, effecerat, vt is totus ex ipſo penderet, vt fidem ei haberet, neque vlla in re diffideret. Imperator igitur hoc modo erga Santabarenum affectus fuit. Sed Leo filius eius iam adultus, & Martinacij filia vxore ducta, à patre imperator ſalutatus, Santabareno non delectabatur, ſed cũ veneficum appellabat, & præſtigiatorem, & Imperatoris deceptorẽ. His ille veluti ſpiculis quibuſdam ictus, ad vltionem inſurgit, ſimulatáque erga Leonem beneuolẽtia. Cum ſis, inquit, adoleſcens, Imperator, & cum patre veneris atque equites: pugio etiam tibi ferendus eſt, quo & cõtra feram vtaris, & patri porrigas, cum res tulerit, aut etiam inſidiatores eius vlciſcaris. Is dolo non animaduerſo, pugionem, vt ille ſuaſerat, in calceo fert. Eo pugione Santabarenus ad vltionem Leonis vſus, Imperator, inquit, filius tuus tibi inſidiatur, indicio illud eſt, quod in venatu pugionem occultum gerit. His auditis, venatum exit Baſilius, Leo Patrem comitatur, inuentus eſt pugio in calceo Leonis occultatus. Viſus eſt vera dixiſſe delator. Rei defenſio non admittitur, ardet iracundia pater contra filium: in quodam imperatorio cubiculo concludit, &, vt quidam tradunt, ei oculos eruere in animo habebat, Santabareno ad id inſtigante: ídque omnino futurum fuiſſè, niſi Patriarcha & principes Senatus, multis precibus Imperatorem à ſententia deduxiſſent. Ea ira durat, Leo in cuſtodia tenetur, longum tempus intercedit, donec Imperator quibuſdam ſenatoribus in conuiuio adfuit. id quod veteri quadam conſuetudine certis temporibus fiebat. Erat autem in iis ædibus, vbi conuiuium agitabatur, Pſitacus in corte ſuſpenſus, qui, vt id genus auium ad imitationem procliue eſt, cum quendam continenter Leonem deplorantem & appellantem audiſſet, vocem imitatus ſubinde clamabat, O Leo Leo. Ex ea volucris voce conuiuæ occaſione arrepta pro Leone deprecandi, è conuiuio ſurrexerunt, & oppleti lachrymis dixerunt, An non iſta volucris nos accuſabit, Imperator, cum ipſa dominum ſuum appellet, nos autem potentiæ tuæ epulis fruentes, illius iam longo rempore incluſi obliuiſcamur? Omitte iram Domine, contra illum conceptam. Deme illi cuſtodiam, placido eum ac potius paterno vultu aſpicito. His verbis ira mitigata Imperator, cum filio in gratiam rediit, dignitate priſtina reſtituta. Pòſt, cum venatum exiſſet, in ceruum incidit inuſitata magnitudine, elata in altum cornua geſtantem, quem perſequendo aſſecutus, cum ſtricto gladio percuſſurus eſſet, bellua ſe defendit, & ramo vno cornuum zonæ Imperatoris infixo, illum ſublimem fert cornibus ſuſpenſum. ac forſitan ita periiſſet, niſi à quodam enſe diſſecta zona, fuiſſet ereptus. Cui mercedem ſalutis ſuæ præclaram reddidit ille, capitis truncationem: ſpecioſa cauſa quæſita, quod enſem contra Imperatorem ſtrinxiſſet, neq; reputauit, pro Imperatore potius ſtrinxiſſe, ac remuneratione magníſque præmiis eſſe dignum. Is igitur ſui erga Imperatorem ſtudij hunc fructum cepit. Imperator verò cornu percuſſus, conuerſíſque inteſtinis, ſuperuixit ille quidem, ſed non diu, mortémque obiit. Regnauit cum Michaele annum vnum, ſolus decem & nouem, Imperio Leoni filio ex ſuperſtitibus natu maximo relicto.

*Santabarenus doloſo cõſilio & calumnia Leonem in periculum capitis coniicit.*

*Pſittacus occaſionẽ præbet Leonis liberandi.*

*Baſilius à ceruo ictus obit.*

*Seruator à conſeruato occiſus per calumniam.*

IMP



## IMPERIVM LEONIS. Philoſophi.

*Stephanus Patriarcha.*

IMperator factus Leo, ſtatim de vlciſcendo Santabareno cogitat. Sed cũ timeret, ne is à Photio amico defenderetur, Patriarcham cauſas quaſdam commentus, Eccleſia eiectum, in Armenianorũ relegat monaſterium, fratrémque ſuum Stephanum Patriarcham deſignat. Qui quia Heracleæ Pontifex nullus erat, à Protothrono electus eſt. Santabarenum Euchaitis, cuius vrbis Eccleſiæ præſidebat, adduci iuſſit. Miſit & Chryſopolim in Philippici monaſterium, vbi Michael Imperator ſepultus erat, eiúſq; cadauer loculo eductum, cũ magno comitatu & regio honore in ſanctorum Apoſtolorum æde, in marmorea arca repoſnit: etiam fratribus ſuis Alexandro & Patriarcha Stephano præſentibus. Zauzem Stylianũ, cuius filiam, ſuperſtite adhuc Theophanone coniuge, ſubigebat: Magiſtrum deſignauit & Dromi Logothetam, pòſt etiam, nouo excogitato nomine imperatoris patrem. Ædem D. Thomę apoſtoli, vnà cum aliis ædificiis incenſam, renouauit. Santabarenum iam adductum in Regia Pegana cuſtodiit, & inclementer flagris cæſum Athenas relegauit, neque multo pòſt, oculos ei effodi iuſſit. Verùm pluribus annis elapſis, hominem ab exilio reuocatum benignè tractandum curauit. Cæterum Hagio Longobardiæ dux, regis Franciæ gener, audita Baſilij morte, Romano fœdere ſublato, omnem ſibi prouinciam vendicauit. Quare imperator Menſæ præfectum cum Occidentalibus legionibus contra eum miſit, qui prælio victus, ferè omnibus quos adduxerat, amiſſis, fuga ægrè elapſus eſt. Stephano Patriarchæ defuncto Antonius cognomento Cauleas ſucceſſit. Cum Bulgari pace facta, cum Romanis commercia haberent, & telonæ iniqua ab eis vectigalia exigerent: id Symeoni illorum principi iamdudum occaſionem captanti, ſatis cauſæ viſum ad bellum Romanis inferendũ. Sed Romanus exercitus contra eum miſſus, ſuccubuit, multis cæſis, ipſóque duce interfecto, multis captis, quos Symeon naſis pręciſis, Byzantium redire paſſus eſt. Ea fœditate irritatus Imperator, Turcos Iſtrum accolentes, qui & Vngri vocãtur, muneribus impulit, vt Bulgaros vlciſcerentur, & pro virili affligerent. Ipſe quoque terra maríque arma inferre eiſdem parat, ſumma rerum Patricio Nicephoro Phocæ, quem Domeſticum legionum deſignauit, mandata. Verùm ante bellum, quæſtorem de pace legatum ad Symeonem mittit. Quem Barbarus dolo adeſſe ſuſpicatus, in vincula coniectum includit, & Phocæ reſiſtit. Quo bello dum occupatur, Vngri eius ditionẽ populantur. Quare Phoca omiſſo, contra illos proficiſcitur, & acie congreſſus, ſuperatur, multis Bulgaris interfectis, pluribus captis, Symeon ipſe vix Doroſtolum, quæ Driſta eſt, confugit. Captiuos Bulgaros imperator ab Vngris emit, ad quem Symeon legatos de pace miſit. cuius verbis Leo fide habita, Chæroſphactem ablegauit ad pacem faciendam. Sed Barbarus eo detento & vincto, Turcos inuaſit, iíſque in fugam verſis, & agris eorum vaſtatis, Leoni ſcripſit, ſe cum eo pacem non facturum, niſi captiuos Bulgaros receperit. quos cum recepiſſet, tamen pacem non fecit. Igitur Imperator contractis in vnum omnibus & orientalibus & occidentalibus legionibus, contra Bulgaros vſus eſt: quæ tamen cum Symeone congreſſæ, ſuccubuerunt. Deinde cum in agris quibuſdam Zoës, Zauzis filiæ, conſuetudine vteretur: inſidiis à quibuſdam eſt apperitus. quas cũ Zoë ex murmure animaduertiſſet, ac Imperatorem dormientem excitaſſet: ſtatim in Regiam reuerſus, euitauit, eandémque Zoën paulo pòſt Imperatricis Thephanonis obitum, Auguſtam appellauit, & dudum concubinam, legitimam vxorem duxit. Verùm breuis illa felicitas fuit. Nam cum annum vnum & octo menſes in Imperio vixiſſet, obiit. Sunt & aliæ inſidiæ Imperatori nunciatæ, quas Zauzis conſobrinus, Baſilius Pectes ſtruebat. Is arcanum cum ſpadone Samona communicauit, quem iureurando prius adegerat, ne id quod auditurus eſſet, effutiret. Erat autem Samonas Agarenus, & cognitum in Imperatorem facinus, ſtatim ei indicat. Sic Baſilius & conſcij conſilij, comprehenduntur. Samonas Protoſpatarij honorẽ & Imperatoris familiaritatem adipiſcitur. Leo tertiam quoque vxorem duxit, Eudociam, genere Opſicianam, excellenti forma. Sed & hæc non diu cum eo vixit. Nam quum vterum ferret, inter parturiendum vnà cum fœtu edito periit. Verùm Imperator ſuſcipiendæ prolis auidus, præſertim quum id à vatibus ei prædictum eſſet (fuit enim doctrinarum omnis generis amator, & arcanæ quoque illius quæ per incantationes futura diuinat: verſatus etiam in doctrina de motibus ſiderum, eorúmque effectibus, in qua inueniebat, ſe filium habiturum Imperij ſucceſſorem) quartam etiam vxorem ducit Carbonopſinam Zoën: quam non ſtatim honore Imperatorio eſt dignatus, ſed diu ſine diademate habuit, donec filiolum peperiſſet, qui à Patriarcha Nicolao ſacro baptiſmate eſt initiatus. Nam quum Antonius ſede Conſtantinopolitana annis * gubernata deceſſiſſet, Myſticus Nicolaus Patriarcha eſt deſignatus. Imperator poſt filij partum, cui Conſtantini nomen indidit, coniugem etiam ſuam Auguſtam appellauit. Sed ob quartas nuptias à Patriarcha Leo cenſura Eccleſiaſtica eſt notatus, & nomine B. Theophanonis primæ cõiugis ſuæ, honoris ergò, ædem extruxit proxime S. Apoſtolorum templum, in eáque corpus illius repoſuit. Condidit & aliam ædem S. Lazari nomine, in qua ſacrum eius corpus è Cypro tranſlatum, necnon Mariæ Magdalenæ condidit. Quum autem nautis ædificando impeditis, claſſis vacaret: Agarenorum claſſis Taurominium vaſtauit, & Lemnum inſulam occupauit, in quibus multi mortales perierunt. Imperator verò cum in Pentecoſte in diui Mocij ædem de more ſupplicatum iret, iámque ſacrarij cancellis appropinquaret: quidam è ſuperiore loco prodiens, baculum grauiſſimum, quem manibus geſtabat, Imperatoris capiti impegit: quod planè cõtudiſſet, niſi fuſtis dependenti candelabro illiſus maximã vim amiſiſſet. Proceres cum ſanguinem è capite Imperatoris manantem viderent, turbati ſunt: & quia frater eius Alexander non

*Michaelis cadauer in vrbem tranſlatum.*

*Zauzes Stylianus.*

*Santabareni vltio.*

*Bulgaricum bellum.*

*Turci. Vngri.*

*Inſidiæ Leoni detectæ.*

*Zoe Leoni nubit.*

*Samonas Agarenus ſpado, Leoni ob detectã Baſilij coniuratione charus*

*Eudocia tertia Leonis vxor.*

*Leo ob quartum coniugium Eccleſiaſtica cenſura notatus*

*Nicolaus Patriarcha.*

*Leonis ſubſtructiones.*

*Agareni Leone templis condendis occupato, prouincias vaſtant.*

*Imperatori in templo factæ inſidiæ.*

aderat, apud pleróſque ſuſpicio inualuit, eum inſidiarum fuiſſe conſcium. Sed qui id facinus auſus fuerat, quæſtionibus adhibitus, nullo conſcio nominato, pedibus & manib⁹ amputatis, in ignē eſt coniectus. At Marchus monachus qui Tetraodium magni ſabbathi ſuppleuit, tum præſens, Imperator, inquit, iſtud à Dauide prædictum eſt, his verbis: Quæ hoſtis tuus in ſancto improbè egit, & qui te oderunt, in medio feſtiuitatis gloriati ſunt. Scito igitur te ab hoc tempore decem annos regnaturum. Quemadmodum dixit, ita factum eſt. Nam Leo poſt decennium ea ipſa die, qua caput ictus fuerat, eſt mortuus.

*Marci monachi diuinatio.*

*Cùm verò Bulgari incurſionibus rem Romanam atterent, Agareni ea occaſione percepta claſſem adornarunt, & contra maritimam Romanorum ditionem emiſerunt, duce Leone Attaleo, qui Chriſtianam eiurauerat religionem: & quia Tripoli habitabat, inde Tripolites appellabatur. Eius expeditionis nuncium maturè accepit Imperator, qui tum apud emporium Boæcij erat, dedicando Chriſtophori protoueſtiarij monaſterio intentus. & addebatur hoc à nunciis, à Tripolita ipſam peti Conſtantinopolin. Emittit ergo Euſtathium, Drungarium rei naualis, cum claſſe. qui pugnæ cum Tripolita committendæ impar, re infecta rediit. cúmque inſecutus Tripolita, fauces Helleſponti intrauit, & vſque ad Parium venit. Huius rei indicium Imperatori mœrorem perturbationémque animi grauem attulit. Itaque Himerio ſecretariorum primario claſſem aduerſus Tripoliten ducendam committit. Is Abydum præteruectus, Aegæo mari emenſo, ad Strobelum appellit: inde ad Imbrum applicat. ac Samothraca ſuperata, hoſtes Thaſi cùm ſentiret naues in ſtatione habere, multitudine & alacritate ſuis ſuperiores, ne appropinquare quidem iis auſus eſt. Tripolites autem retrò auerſus, Theſſalonicam expugnat, deprehenſo in ea etiam Leone præfecto cui ChatZilatius cognomentum: multúmque ibi ſanguinis facit, multos captiuos abducit.*

*Leo Tripolites Agarenorum dux.*

*Himerius.*

*Theſſalonica ab Agarenis capta.*

*Fortè quidam de cubiculariis, nomine Rodophyllus, neceſſariæ rei cauſa in Siciliā miſſus cum C. auri libris, in itinere morbo correptus, Theſſalonicam ſe contulerat curandi corporis cauſa. eum Tropolita ibi tum captum, eius auri cauſa diu tortum, cum ſe quicquam habere pernegaret, necauit. Et verò aurum in itinere Rodophillus reliquerat, idque Simeon ſecretarius eà tranſiens ſuſtulerat. Hic Simeon Tripolitam vrbis euerſionem animo agitantem hortatus eſt, vt excidio abſtineret, eóque nomine aurum illud acciperet: ac perſuaſit. quod Simeonis factum ita gratum fuit Imperatori, vt eum patricij ac ſecretarij primarij dignitate ideo remuneratus ſit. Himerius cognito à Theſſalonica Saracenos receſſiſſe, inſequendis iis ſe parat. Verùm hi ad Cretam appellunt: prædaque parte Cretenſibus data, incolumes domum redeunt, ocioſum Lemni relinquentes Himerium.*

*Secundum hæc Imperator duos fortiſſimos duces in Orientem emittit, Euſtathium ſtirpis Argyrorum, & Andronicum genere Ducam. hi multas de Agarenis reportarunt victorias.*

Samonas autem, de quo ſuprà diximus, cum apud Imperatorem multum poſſet, cum magnis opibus fugam ad Agarenos, vnde ortus erat, capeſſit. Sed in tranſitu Halys captus, quamuis ſe ex voto crucem Sirichanam adire diceret, nihilominus à Conſtantino Ducis Andronici filio, Byzantium eſt reductus. Cui Imperator, conſeruato priſtino erga Samonam affectu, mandauit, vt coram Senatu interrogatus, diceret, eum non cœpiſſe fugam, ſed ad Sirichanam crucem peregrinatum eſſe. Cum autem poſtridie Senatu pręſente Cōſtantinum iureiurando obſtrictum rogaret, an fugiſſet Samonas? ille periurio reformidato dixit, Eum in patriam ſuā Melitenen abiiſſe, & per iracundiam ab Imperatore dimiſſus eſt. Samonas autē præter veterem neceſſitudinem, etiam Patricij dignitate ornatus, & cubicularius deſignatus, Imperatorem ſæpe impulit, vt ab officio decederet: quorum illud fuit, quod Patriarcham coegit, vt ſe reciperet, & cenſuræ eximeret: quem cum accerſiſſet, neq; vlla ratione exorare poſſet: ſtatim è Regia in Iriam naui tranſuehendum, atque inde pedeſtri itinere in Galacrenæum monaſterium, quod ipſe ſtruxerat, tranſferendum curat, cum annos vndecim Eccleſiæ præfuiſſet. Eius verò loco Patriarcha deſignatus eſt Syngelus Euthymius, vir ſacer, qui omni ſtudio obſtitit, ne lex ab Imperatore promulgaretur, vt ipſius exemplo cuiuis liceret ſecundam, tertiam, & quartam etiam vxorem ducere. Cum autem Agareni Romanas prouincias infeſtarēt, Imperator Himerium Dromi Logothetam, claſſi præfectum, contra illos miſit, mandauítque vt etiam Ducem Andronicum aſſumeret. Verùm doloſus Samonas internecinas cùm familia Ducica inimicitias exercens, quendam ex Andronici amicis ſubornat, qui eum moneat, ne cum Himerio proficiſcatur, qui ei iuſſū Imperatoris oculos ſit effoſurus. Itaque Himerium comitari noluit Andronicus, & cum ille ſolus prælio victor hoſtilem claſſem ſubegiſſet, deſperatis rebus, aſſumptíſque cognatis & ſeruis ſuis, Cabalem occupauit, munitum caſtellum, non procul Iconio diſſitum. Cū autem Samonas Imperatorem irritare, & contra illum inflammare non deſiſteret, atque is Patriarcham Nicolaum eccleſia pulſum eſſe cognouiſſet: ſpe omni deſtitutus, cum tota familia ſe ad Agarenos confert. Quo Imperator cognito, ſupra modum doluit, ſe illum habiturū hoſtem, quo defenſore vſus eſſet. Literas igitur ſcribit, quibus Andronico & delictorum venia concèdebatur, & reditus permittebatur, & multa beneficia promittebātur. Eas literas in ceram candelæ inſtar effictam cōiectas, Sarraceno cuidam è carcere educto tradunt, Andronico reddendas. Cui Samonas accerſito, clàm ait: Nunquid ſcis te totius Syriæ interitum geſtare in manibus? Vt igitur patriam, & populares conſerues: ceram iſtam Vzeri tradito, id enim hoſpiti Andronici nomen erat. Facit ille vt iuſſus fuerat. Agareni cognita literarum ſententia, Andronicum cum omnibus ſuis in vincula coniiciunt. in quibus ille obiit: quidam verò ex illis, carceris ærumnas non ferentes, fidem obiurarunt. At Cōſtantinus, & quidam cum ipſo, carcere elapſi, in Romanos limites, perſequentibus Agarenis fortiter profligatis, euaſerunt. Eum Imperator & hilariter excepit, & magnificè donauit, & exquiſitis honoribus affecit. Deinde etiam ei dixit: Ne te decipiat nomen Conſtantine tuum, nec putaris, eo quòd Conſtantinus Romanis imperaturus ſit, te imperio potiturum. Certò enim ſcito, filium hunc meum, illum eſſe. Quòd ſi tu Spartam tuam ornaris, bene tibi erit. Sin rebus nouis

*Samonæ fuga.*

*Nicolai Patriarchæ relegatio.*

*Syngelus Euthymius Patriarcha.*

*Himerius Agarenos profligat. Samonas Alexio Ducī perniciē machiuatur.*

*Conſtantin⁹ dux Byzantij honorificè exceptus, ab affectādo regno deterretur.*

ſtud



ſtudueris, & tyrannidem affectaris: noli dubitare, quin per hanc portam (demonſtrata occidentali aurei triclinij porta) caput tuum abſque reliquo corpore ſit tranſiturum. id quod poſtea factum eſt. Cum Samonæ pater cum quibuſdam aliis Melitena veniſſet, viſo honore & opulentia filij, cum eo viuere voluit. Nam Imperator eos honorificè exceperat, & contrá quàm decebat, homines profanos in magnam Eccleſiam introduxerat. Sed à filio prohibitus eſt, ſuadente, vt ſuam religionem conſeruaret, atque in patriam reuerteretur, quod & ipſe per occaſionem facturus eſſet. In feſto Pentecoſtes, Leo filium ſuum coronauit, & Imperatorem appellauit. Cæterùm odioſus Samonas eunuchum miniſtrum ſuum Conſtantinum, ex Paphlagonia oriundum, dominæ ad miniſterium tradidit. qui cum & Imperatrici & ipſi Imperatori percharus eſſet: profanus Samonas inuidia ſtimulatus illum apud Imperatorem detulit, quaſi ab Imperatrice amaretur. quem Leo ex æmulatione, pro monacho tōderi, nec multo pòſt reuocari, & monaſtico habitu exuto, ciuilem veſtem reſumere iuſſit, eóq; familiarius etiam quàm prius vſus eſt. Id Samonę intolerabilius viſum. Curat igitur per ſuorum quendam, libellum cōuiciis plenum ſcribi, eúmque abiicit, quà Imperator trāſiturus erat: quo is inuento & lecto, doluit, autorémque requiſiuit. Vnus igitur ex eius rei conſciis, Samonam ſcripti autorem eſſe indicat. Cum autem eclipſis Lunæ tum fuiſſet, Imperator Metropolitam Synodum de ea quæſiturus accerſit. quem cum Samonas priuatim de illa ſciſcitaretur: reſpōdet, Tuum infortunium portendit iſta Lunæ affectio. Sin decimatertia Iulij dies ante tuam calamitatem præterierit: & tu infortunium euitabis. Deinde ab Imperatore quoque interrogatus Synodus, reſpondet, malum iſtud in eum qui eſſet ab illo proximus, graſſaturum. Imperator porrò perſonam proximam Alexandrum fratrem iudicabat, ſed falſò. Nam homini peſſimo tandem malè eſſe oportebat. Leo igitur, vbi cognouit eum eſſe famoſi libelli autorem, & regia exigit, & raſum certis finibus includit. ídq; accidit ante diem Iulij XIII. Conſtantinus cui Samonas & inuidebat & inſidiabatur, illius loco cubicularius eſt deſignatus, eíque monaſterium in Noſſiis extructūm. Imperator autem cæliaco morbo laborás, viribus ita exhauſtis fuit, vt de ieiunio apud Senatum de more orationem habere non poſſet, quæ oratio Silentium appellatur. Pauca tamen eſt locutus, petiítque, vt patres conſcripti ſui memores, cōiugi filióq; ſuo fidem ſeruarent. quamuis autem diceret, ſe eos nunc poſtremò affari, non tamen ſtatim defecit, ſed ad Maium vſque vixit. Tum verò moriens, imperium fratri Alexandro reliquit, eidémq; filio ſuo tradito, petiit, vt eum curaret, regalitérque educato, imperium relinqueret. quem cùm iam moribundus ad ſe venire vidiſſet, dixiſſe fertur: Ecce infauſtū tempus poſt XIII. menſes. Imperauit annos XXV. & III. menſes.

*Conſtantin⁹ Leonis filius deſignatur Imperator.*

*Conſtantin⁹ eunuchus fruſtra à Samone defertur.*

*Samones ob famoſum libellum Regia exactus.*

*Eclipſis Lunæ à ſynodo declarata.*

*Leo cæliacus obit.*

## IMPERIVM ALEXANDRI fratris Leonis.

ALexander firmato imperio, patriarcham Nicolaum ſtatim è Galacrenis in ſedem Cōſtantinopolitanam reduxit, pulſo in exilium Euthymio, & dignitate pro ſuggeſto abrogata, cùm quidem Nicolai ſectatores multis hominē contumeliis affeciſſent. Rerum potitus nihil Imperatore dignum geſſit, deliciis, venationibus, ebrietati comeſſationibus, luxuriæ deditus. Res imperij & Reipub. mandauit circulatoribus & hominibus è triuiis, quos ante imperium clandeſtinorum facinorum habuerat ſocios: quorum vnum Baſilitzem ſucceſſorem imperij declarare in animo habuit. Nam fratris filium Conſtantinum & priuatum eſſe, & virilibus priuare volebat. Idque, niſi vitam celeriter finiſſet, conſiliis eius à diuina prouidentia euerſis, quantum quidem in ipſo fuit, re ipſa fortaſſe factum eſſet. Cū præſtigiatores percontaretur, an diu victurus eſſet? audiuit ex eis, ſe fore longęuum, ſi apro æneo in theatro, dentes & pudenda addidiſſet. Eum enim ipſius elementum eſſe, qui aduerſus Leonē fratrem eius ſtaret. Neque vlla in re alia rectè iudicarunt, niſi quòd hominem gulæ conuiuiíſque mancipatum, luxúque continenter diffluentem, ſui compararunt. Credidit homo porcis amentior, illorum verbis, eáſq; partes æneo operi adiecit. Cum Bulgarorum princeps Symeon per legatos ex eo quæreret, an pacem cōſeruaturus eſſet? eos Alexander contemptim excepit, ſuperbè allocutus eſt, & arroganter comminatus. Cuius contumeliæ Symeon impatiens, ſe contra Romanos armauit. Alexāder verò cōuiuiis & ebrietati perpetuò indulgens, cum à balneo pranſus, ventre epulis meróque diſtento, pila luderet: equitando, & pilæ inflexionibus vaſis quibuſdā ruptis, multóq; ſanguine per nares & veretrum reiecto, vno die pòſt extinctus eſt: cùm nepoti ſuo tutores, & imperij adminiſtratores ſcripto ordinaſſet, Patriarcham Nicolaum, Magiſtrum Stephanum, Magiſtrum Ioannem Eladam, Rectorem, & duos, quos è circulis vocatos, ad ſenatoriam & Patriciam dignitatem euexerat, Baſilitzem & Gabrielopolum.

*Euthymio Patriarcha pulſo, Nicolaus reſtituitur.*

*Aper æneus ab Alexandro armatus*

*Bulgarica legatio.*

*Alexandri obitus.*

*Conſtantini tutores.*

## IMPERIVM CONSTANTINI filij Leonis.

ALexandro, cum imperium annum vnum & menſem ludificatus eſſet, defuncto, poteſtas ad Conſtantinū Leonis filium deuoluta eſt, admodum puerum adhuc. Septimū enim agebat annum. Enimuerò Conſtantinus Alexij ducis filius, Domeſticus legionū, Alexandri obitu audito (nam tum aberat ab vrbe) partim veluti ſcintillas cupiditatis imperij, quas ſub cineribus tegebat, detegens & ventilans: partim ab aliis quoque incitatus, quorum vnus fuiſſe perhibetur, & Patriarcha Nicolaus (nam Alexandri teſtamento nondum lecto, ignorabat, ſe quoque relictum eſſe tutorem) tyrannidem inuaſit, delectíſq; militibus aſſumptis, Byzantium

*Conſtantin⁹ Dux, dum regnum affectat caput amittit.*

noctu per quandã portam ingreſſus, Circi equeſtris portam, cum facibus occupat, conciliatis ſibi Senatoribus quibuſdam, & magna plebis turba congregata, qui eum fauſtis ominibus proſequebantur, & Imperatorem ſalutabant. Cuſtodibus autem portam non aperientibus, Conſtantini protoſtrator, manibus fretus, dum eã audacius cædere & reuellere nititur, per foramen lancea cõfoſſus, ſtatim concidit exanimis. At Conſtantinus inde in equeſtrium certaminum theatrum diſcedit. Deinde in Chalcen, & vſque ad excubitores progreditur. Verùm vnus tutorum, magiſter Ioãnes Eladas, quoſdã ex ſodalitatibus & claſſiariis collectos miſit, vt tyranno reſiſterent. Pugna commiſſa, multi vtrinque ceciderũt, cæſus Gregoras Ducis filius, & patruelis eius Michael & Curticius Armenius. ob hos amiſſos Conſtantinus dolens, dum exercitum ſuum confirmaturus, cõcitato equo in primam aciem prouehitur, equo in ſolo tabulis lapideis ſtrato prolapſo, præcipitatur: cui quidam ſtatim caput amputat, idque Imperatori Conſtantino offert, per occidentalem aurei triclinij portam ingreſſus, quemadmodum Leo Imperator vaticinatus fuerat. Conſtantinum autem Ducem imperio non potiturum, Imperatori & aulicis etiam aliunde innotuerat. Erat quidam publicanus Nicolaus, qui grandi ære alieno Reipublicæ obſtrictus, abiurata religione, ad Iſmaelitas ſe contulerat, & aſtrologiam tractabat. Is Dromi Logothetæ literas miſerat, quarum hæc ſumma erat: Nolite timere à Duce. Nam temerè nouis rebus ſtudebit, & ſtatim funditùs peribit. Defectione compreſſa, ſeditioſi ſocer magiſter Gregoras, & Leo Chęroſphactes, in magnam Eccleſiã ſe contulerunt.

*Nicolai publicani prædictio.*

Quos tutores inde eiectos totonderũt, vt in monoſterio Studij monachi eſſent: alios flagris cæſos in triumpho circumduxerũt, nonnullis oculos effoderunt, quoſdam obtruncarunt, alios à Chryſopoli vſque ad Leucaten trabibus affixerũt. Ac plures eorum licentia periiſſent, niſi quidam ex iudicibus eos à temeritate illa puniendi retraxiſſent, huiuſmodi verbis: Cur vos iſta facitis iniuſſu Imperatoris? qui cùm puer ſit, in ea quæ geruntur, conſentire non creditur? Sed & Conſtantini vxorem tonſam, & filium eius Stephanum virilibus exectis, in Paphlagoniam domum ſuam ire permiſerunt. Imperatoris igitur tutores tam Patriarcha quàm cæteri, ſuo arbitratu res gerentes, multa contrà quàm oportuit, egerunt, neque conſenſerunt inter ſeſe: aliis id quod alij ſtatuerant, abrogantibus, vt imperium non vnius, ſed multorum eſſet. At Symeon Bulgarus, opinatus ſe, quòd nullus eſſet Imperator, vrbis Regiæ facilè potiturum: Byzantium cum maximis copiis aggreditur, & extra muros caſtris locatis, expugnationem meditatur. Sed quũ firmitatem mœnium vidiſſet, & multitudinem ea defendentium, & frequentes in iis machinas: veluti vertigine oborta, ad Hebdomum regreſſus, pacem facere ſtuduit. Patriarcha igitur & cæteri tutores, Imperatorem ſecum in Blacherniã Regiam adduxerunt, quò & Symeon venit, obſidibus datis & acceptis, & à Patriarcha, ſubmiſſo capite, fauſta cõprecatione accepta, cum Imperatore cibum cœpit. Sed quum ei pacis conditiones diſplicerẽt, diſceſſit ſine pactionibus: muneribus & ipſe & liberi eius donati. Iam quia Imperator matrem perpetuò reuocabat, & eius abſentiam deplorabat: quã Alexander pridem Regia eduxerat, tutores reducere ſunt coacti. Reuerſa, curam rerum ſuſcepit, & cubiculario Cõſtantino duobúſque fratribus Gongyliis aſcitis, primùm Patriarcham Regia mouet. deinde Alexandri miniſtros, Rectorem Baſilizem, Gabrielopolum, & cæteros etiam. Conſtantinus autem cubicularius poterat omnia. Cæterùm Bulgarus Symeon Thraciam incurſionibus populatus, vallo excitato ſe Adrianopolim expugnaturum confidebat. Quo conatu cum ſe fruſtrari videret, alia via rem aggreditur, & quibuſdam præſidiariis pecunia corruptis, vrbem proditam vaſtabat, quam Imperatricis ſtudium Romano imperio recuperauit. Quæ cũ crebras Symeonis in Thraciam excurſiones non ferret: pace cum Iſmaelitis facta, & legionibus tam orientalibus quàm occidentalibus cõuocatis, Magiſtro Leoni Phocæ Legionum Domeſtico, bellum Symeonium mandat. qui pugna commiſſa, Bulgaros inſigni victoria ſuperat, multis eorum cæſis. Sed præ defatigatione & ſudore vix ſui compos, equo deſcendit, ſéque ad fontem quendam recreauit. Interea equus miniſtri manibus elapſus, in planicie caſtrorum ſine ceſſore exultabat. Qui cùm inſignis eſſet, tantum terrorem incuſſit exercitibus, Domeſticum cecidiſſe ratis, vt & pugna & perſecutione hoſtium abſtinerent. Quòd quum Symeon è ſpecula quadam vidiſſet: ſuos cohortatus, contra Romanos ducit, ſubitóque in perturbatos impreſſione facta, vniuerſos in fugam cõuertit, in qua alios Bulgari aſſecuti occiderunt, alij inuicem conculcati perierunt. Legionúmque Domeſticus ægrè Meſembriam euadere potuit, multis ducibus etiã & tribunis interfectis, Ioannes autem Bogas miſſus eſt, vt Pazinacas ab belli Bulgarici ſocietatem adduceret, Romanus verò Lacapenus Patricius, claſſis Drungarius, littus claſſe legere iuſſus, ſimul ad opem ferendam legionum Domeſtico, ſimul, vt adductos è Boga ſocios tranſueheret. Ac venit Bogas cum ſociis. Orta autem inter ipſum & Lacapenum rixa, Pazinacæ videntes eos inter ſeſe cõuiciantes, ipſorum tranſuectionem parum curare: ad ſua redierunt. Quidam igitur hæc ita narrant, & negata ſociorum auxilia Romanæ cladis fuiſſe cauſam tradunt, alij aliter. Nam cùm Phocas Barbaros profligatos perſequeretur rumorem eſſe ortum, Drungarium cum claſſe abire, vt regnum occupet. Quo Domeſticus audito, ita perturbatus fuerit, vt & à perſequendo deſiſteret, & in vallum rediret, rumorem certius cogniturus, & ſic Martis alea mutata, fugiſſe Romanos, Domeſtici in caſtra reuerſionem, fugam interpretatos, Bulgaros verò ex fuga conuerſos, illorum terga cæcidiſſe. Vt autem Domeſticus ad vallũ rediret, in cauſa fuit regni cupiditas: qua quum æſtuaret, ſi rumor de Drungario verus eſſet, anteuertere, & ſibi vendicare principatum cupiebat. Lacapeno & Boga à clade reuerſis, iudicióque de eorũ controuerſia facto, Romanus damnatus eſt, vt ei oculi effoderẽtur, vt qui acceptæ cladis autor, ſiue de induſtria, ſiue per negligentiam extitiſſet. Sed

*Seditioſorũ ſupplicia.*

*Tutorum licentia.*

*Bulgarica expeditio.*

*Zoe Conſtãtini mater, adminiſtrationem imperij capeßit.*

*Adrianopolis excidium.*

*Bulgaricæ expeditiones & clades.*

*Pazinacæ populi.*

*Lacapeni cõdemnatio.*





ab illo ſuffragio per quoſdam apud Imperatricẽ gratioſiſſimos eſt ereptus. At Bulgarus Symeon victoria elatus Imperatoriam vrbem aggreditur, cui legionum Domeſticus Phocas eſt oppoſitus, commiſſáque in Cataſyrtis pugna, Barbari ſuccubuerunt. Cum autem multi iíque viri illuſtres, regni amorem alerent: nemo tamẽ eo magis flagrabat, quam Leo Phocas, Legionũ Domeſticus, quum ſe ipſo fretus, ob genus & potentiam, tum verò Conſtantino eunucho cubiculario, qui in Regia poterat omnia, cuius ſororem in matrimonio habebat. Quæ cùm Imperatoris Conſtãtini pædagogus cerneret, illíque timeret, perſuadet, vt claſſis Drungarium Romanum ſibi deuinciat, & cuſtodem adiungat. Imperator igitur literas ſua manu ſcriptas Drungario mittit, quibus ille acceptis, pollicetur, ſe cubicularij poteſtatem (modò poſſit) euerſurum. Qui quum ad claſſis ſtationem perueniſſet, ac properè ſolui iuberet: Drungarius ſeruilem in modum ei obuiam proceſſit, ac reuerenter colloquens, paulatim ad triremes hominem deduxit. Vt verò naui prætoriæ appropinquauit, multis viris ſtrenuis, quos ſecũ paratos habebat, Tollite iſtum, inquit: à quibus comprehenſus eſt, & triremi impoſitus, comitibus illius ſtatim diſperſis. Eius facti nuncius & Imperatricem & proceres turbauit, cúmque ad Drungarium miſiſſet, percontatum quid id ſibi vellet: ij à claſſiariis lapidibus repulſi ſunt. Poſtridie Imperator, Patriarcha & Magiſtro Stephano accerſitis, miſit qui matrem è Regia abducerent. Sed eam ſuis amplexibus cum lachrymis inhærentem, miſericordia victus, reliquit: ac poteſtate in ſe tranſlata, Domeſticum legionum deſignauit Magiſtrum Ioannem Garidam. Drungarius verò Lacapenus, claſſe haud ſecus atque ad pugnam inſtructa, die Annunciationis ad Regiã in Bucoleonte appulit. Ac Patriarcha & Magiſter Stephanus, ſtatim ex Regia diſceſſerunt. At Romanus quum prius ſanctiſſimo iureiurando adactus promiſiſſet, ſe nunquam Imperatori inſidiaturum, neque regnum affectaturum: in Regiam aſcendit, & cum Conſtantino Phari ædem ingreſſus, fide data acceptáque, magnus Hetæriarcha, hoc eſt, ſummus amicus deſignatur. Iuſſit autem Imperator Phocam bono eſſe animo, neq; ſpem abiicere, ſed pauliſper expectare. Nã paulo pòſt, eius rationem habitum iri. Romani porrò filia Helena Imperatori Conſtantino deſponſa, tertia feria Paſchatis nuptiæ celebratæ ſunt, ſacras preces Nicolao Patriarcha peragente. Statim igitur Romanus, Imperatoris pater: filius eius Chriſtophorus, magnus Hetæriarches eſt appellatus. Quibus Phocas cognitis, tyrannidem inuaſit, Cõſtantino cubiculario & aliis proceribus aſcitis, ſe quæ ageret, pro Imperatore Cõſtantino agere, affirmans. Romanus autem literas quæ Phocæ prætextum euerterent, ſubſcriptione Imperatoris & aureo ſigillo munitas, peruulgati corporis mulierculam in Phocæ caſtra mittit. quas quum ea multis clàm oſtenderet, effecit, vt multi Phoca deſerto, ſe ad Imperatorem conferrent. At Phocas Chryſopolim profectus, & à ſuis deſtitutus, in fugam conuertitur, & in caſtello quodam, quod ab antiquis temporibus Goëleon, à lamentatione Leonis vocatur, comprehenditur, cæcatúſque Byzantium perducitur. Et hic tyrannidis illius fuit exitus. Enimuerò aliæ quoque inſidiæ Imperatori ſunt paratæ. Nam adoleſcentes per quoſdam conducti ſunt, qui eum venantem aggrederentur. ſed illo conſilio cognito, de autoribus facinoris ſupplicium ſumptum. Eſt & Imperatoris mater Zoë regia eiecta, quaſi patri Imperatoris inſidiaretur ſcilicet, tonſóque capillo D. Euphemiæ monaſteriũ ingreſſa. Romanus verò vigeſimaquarta die Septembris, ad Cæſaris dignitatem eſt euectus, & in Decembri, imperij Diademate ornatus à Patriarcha Nicolao, permiſſu Conſtantini ſcilicet.

*Bulgari victi.*

*Romanus Conſtantino cubiculario capto, Cæſar & Imperator deſignatur.*

*Leo Phocas ob regnũ affectatũ oculos amittit.*

*Inſidiæ detectæ.*

## IMPERIVM ROMANI Lacapeni.

ROmanus Lacapenus iis honoribus non contentus, paulo pòſt vxorem quoque ſuam Theodoram diademate ornat. Deinde & filium Chriſtophorum, voluntate, vt videri volebat, Conſtantini, ſed re vera inuito illo & conquerente apud eos, quibus fidebat, & acta illa abominante, quãuis refragari non auderet.

*Romanus Conſtantino velut in ordinẽ coacto, ſibi & ſuis vendicat omnia.*

*Iulio autem menſe, indictione octaua, ad concordiam redierunt metropolitæ & clerici, Nicolai & Euthimij patriarcharum cauſa, hactenus diſiuncti. Cæterùm Romanus Imperator Stephanum magiſtrum in Antigonij inſulam relegat, Imperij affectati ſuſpectum, & monachum facit: & cum eo Theophanem Teichiotã, & Paulum orphanotrophum, eius intimos. Cum proceſſus fieret in Tribunalio, inſidiis delatis, Imperatores ſubito in palatium abiuerunt. earum capti autores, Arſenius patricius, & Paulus Manglabyta, oculi iis effoßi, & relegati ſunt, bona eorum publicata. Eodem anno Romanus filiam ſuam Agatham in matrimonium collocat Leoni Argyri F. viro generoſo, ac corporis pulchritudine & prudentia præſtanti.*

*Mãglabyta.*

*Sub idem tempus Rentacius natione Græcus, ſuum patrem interficere cum conaretur, pater filij intemperiem metuens, conſcenſo nauigio Byzantium verſus nauigauit, ab Imperatore petiturus vt filij libidinem compeſceret: éſtque à Cretenſibus Sarracenis captus. Filius paternarum opum compos factus, cum iis ſe Conſtantinopolin contulit ad Sophiæ templum: ibique deſidẽs, paterna bona prodegit. Romanus re comperta, templo eum educere & caſtigare intendit. quod Rentacius cum ſubodoraretur, litteris ab Imperatore ad Simeonem confictis, ad Bulgaros transfugere inſtituit: conuictúſque criminis, oculis eſt & bonis ſpoliatus.*

*Impietas Rentacij in patrem.*

*Mortuo Adraleſto ſcholarum domeſtico, Pothus Argyrus ſufficitur. Is, Bulgaris graſſando vſque ad Cataſyrta progreßis, copias contra eos educit: caſtriſque ad Thermopolin poſitis, Michaelum cohortis præfectum, patricij Moroleonis F. ſpeculatum emittit. qui improuiſo in barbaricas delapſus inſidias, cum fugæ locus non eſſet, vim parat: multiſque Bulgaris deiectis ac pulſis, accepto lethali vulnere, Conſtantinopolim redit, paulóque pòſt moritur.*

*Bulgaricæ incurſiones.*

Inſidiis quas Romano Anaſtaſius ſacellarius princeps coniurationis, pro defenſione vtique Conſtantini pararat, deprehenſis, conſcij, arbitratu Romani, puniti ſunt, Sacellarius tonſus, eáque Romano occaſio fuit Conſtantini infra ſe collocandi, cùm is hactenus in proclamationi-

*Inſidiatores deprehenſi.*

bus & ſalutationibus priorem locum tenuiſſet. Cúmque Symeon exercitum contra vrbem miſiſſet: Romanus quoque milites illi oppoſuit, ne ſuburbanæ amœnitates ab hoſte vaſtarentur. Quos cùm Bulgari aggreſſi eſſent, multi etiam ex principibus ceciderunt, milites partim ad prętereuntes triremes feſtinantes, in mare prolapſi à fluctibus ferebantur, partim ab hoſtibus interibant, partim viui capiebantur. Romano exercitu ad Pegas ſic accepto, Bulgari Regiam illius loci cremarunt, & cætera quæ in eo littore ſunt è regione vrbis, interiacente freto. Mortua Romani vxore Theodora Auguſta: Imperatoris Chriſtophori vxor Sophia, Auguſtæ nomen accepit.

*Bulgaricæ graſſationes.*

CEDR. *Rurſum deinde Bulgari impreſſione facta, vſque ad palatium Theodoræ Auguſtæ peruenerunt, idque nemine defendente cremauerunt. Romanus conuiuio ſumptuoſè inſtructo, ad id duces militarium ordinum uocauit, intérque hos Sancticium cohortis excubitorum præfectum. Procedente conuiuio, illatus eſt de Bulgaris ſermo: & Imperatore: multa ad calefaciendos animos, adq; virtutem concitandos idonea locuto, cohortatóque eos vt fortiter in hoſtem irent, ac pro ſua propugnarent patria, vniuerſi alacrem ſuam operam in defendendis Chriſtianis promiſerunt. Poſtridie prima luce armatus Sacticius, Bulgaros à tergo ſubſecutus eſt: ingreſſúſque eorum caſtra, pleriſque prædatum per agros vagãtibus, omnes qui in caſtris erant occidit. Ex iis qui effugerant Bulgari, re cognita, in caſtra redeunt: commiſſáque pugna, ipſi integri viribus, defatigatos ante greſſo prælio Romanos fundunt, Sacticio cum paucis aliis eorum impetum fortiter ſubſiſtentibus. Atque is cùm aliquandiu præclaré pugnaſſet, multoſque hoſtium deieciſſet, cùm premeretur, equo habenas laxat, ac fugæ ſe dat. In cuiuſdam autem amnis tranſitu equus in cœno cùm hæſiſſet, Bulgari eum aſſequũtur, vulnúſque in anum & femur mortiferum accipit. Equo tamen è cœno euulſo induſtria famulorũ: atque iis modò fugientibus modò ad ingruentium Bul-*

242. *garorum depulſionem ſe vertentibus, vſque ad Blachernas euadit: poſitúſque in templo ſancti ſepulchri, proxima nocte vitam cum morte commutat, magno luctu nõ Imperatori modò, ſed vniuerſo exercitui ac populo Romano relicto.*

*Sacticius.*

*Alia deinde ab Imperatore facta defectio in Chaldia, inſtinctu patricij Bardæ, cognomento Boilæ, qui ei præſidebat. Principes nouarum rerum moliendarum fuerunt, Adrianus quidã Chaldæus, & TatZates Armenius, homines prædiuites. ij occupato caſtello Paipertis, contra imperatorem arma ſumebãt. Sed Ioannes Curcuas ſcholarum domeſticus, qui tum fortè Cæſareæ erat, celeriter ſuperuenit, & coitionem eam diſſipauit. deprehẽſorúmque primariis oculos eruit, & bona eorum publicauit, obſcuros ac pauperes impunè quo libêret diſcedere iuſſit. Vnus TatZates caſtello quodam occupato, quod in ſublimi erat ſitum colle, fide impunitatis à domeſtico ſcholarum accepta, Conſtantinopolim venit, ibíque manglabitæ honore præditus, in domo manganorum cuſtoditus eſt. Cúmque fugam moliretur, deprehenſo oculi ſunt effoſſi. Bardas Boilas, quòd ei Imperator bene volebat, nullam aliam pœnã dedit, quàm quòd raſus & monachus eſt factus.*

Rebellio in imperatorem

At Bulgarorum princeps Symeon, denuò Adrianopolim obſedit: neq; ſanè quicquam effeciſſet, niſi ciues commeatu deſtitutos, & ſemetipſos & vrbem hoſti dedêre, fames coëgiſſet. Tunc etiam Leo Tripolitanus cum naualibus copiis Romanos inuaſit: ſed triremes Romanæ circa Lemnum inſulam eis obuiam profectæ, Agarenos penè omnes occiderunt, nauéſque demerſerunt, Tripolita ægrè fuga elapſo. Symeon verò Macedoniam & Thraciam cum ingenti exercitu deuaſtatus, ad vrbem profectus, prope Blachernas caſtris poſitis, colloquium Romani Imperatoris petiit, qui cùm ab eo non abhorreret, claſſe ad Coſmidij littus abiit, eodémque Symeon cum ſuis copiis venit: & inter ſe collocuti ſunt. ſed quamuis Romanus Symeoni magnifica munera dediſſet, rebus infectis diſceſſerunt. id quod par aquilarum ſignificare videbatur, quas ſupra eos volitaſſe ferunt, & cum clangore inter ſeſe congreſſas, ſtatímque ſegregatas eſſe, altera verſus vrbem volante, altera in Thraciam tendente. Romanus poteſtate imperij inſatiabilis, ac veluti oblitus ſacramenti, quo ſeſe aſtrinxerat, ſuo & filij natu maximi diademate non contentus: etiam reliquos duos filios, & nepotem ex Chryſtophoro coronauit, Romano imperio quod hactenus penes vnum eſſe cõſueuerat, in multa capita diſtributo. Filium natu minimum Theophylactum, cui pontificatum vrbis Imperatoriæ ambiebat, deronſa coma clericum fecit, à Patriarcha Syngelum quoq; deſignatum. Poſt obitum Nicolai, qui reſtitutus ſedem Conſtantinopolitanã per annos tredecim tenuit, Stephanus Metropolita Amaſenus, Patriarcha deſignatus eſt.

*Tripolitanæ claſsis interitus.*

*Augurium irrita pacificationis.*

*Stephanus Amaſenus patriarcha.*

*Porrò Miſticus affectati Imperij defertur, ad hoc vſus conſilio Coſmæ patricij logothetæ dromi, qui eum ſibi generum ambiebat, & Palatio eiicitur: promiſſo tamen, vt adorandi Imperatoris cauſa id ingrederetur. nã Imperator eum diligebat, ideóque prorſus excludere nolebat. Inſtantibus tamen accuſatoribus, & crimina vera eſſe demonſtrantibus, Imperator rẽ perſcrutatus, cũ deprehenderet non aliter quàm ij retulerant habere, capere Myſticũ, & quæſtiones de eo exercere ſtatuit. quod is præſentiens, in monaſteriũ Monocaſtanũ confugit, ibíque monachus eſt factus. Patriciũ Coſmã logothetã in horologio Imperator malè mulctatũ officio depoſuit. Loco Myſtici ſubſtituit protoueſtiariũ Theophanẽ, & eadẽ poteſtate auxit. Sub idem tempus in Thracia terræ motus hiatúſque terribiles fuerunt, multæq; domus & templa vnà cum ipſis hominibus abſorpta ſunt.*

CEDR. Patriarcha. 243.

At Bulgarorum princeps Symeon, homo ſanguinarius & quietis impatiens, genti Crabatorum bellum intulit, ſed ab illis victus, in montium anguſtiis exercitum amiſit. Interea quidam Imperatori nunciat, ſtatuam in ſummo fornice Xerolophi verſus occaſum poſitam, in Symeonis Bulgari formam conuerſam eſſe: cuius ſtatuæ caput ſi amputetur, Symeonis interitum conſecuturum. Quo paulo pòſt facto, eadem hora Symeoné ex dolore ſtomachi vita defecit, vt pòſt, Imperatori tẽpus obitus eius diligenter ſcrutato, eſt ſignificatũ. Symeone rebus humanis exempto, Bulgarorum principatus ad Petrum ex altera vxore filium eius venit, qui, quum gens ſua fame premeretur, & finitimarum gentium, ac Romanorum in primis arma timerentur: legatos ad Imperatorem de pace, &, ſi placeret, etiam de affinitate iungenda, mittit. Cui quum vtrunq; cordi eſſet, ipſe Petrus Byzantium venit, ac pace facta, neptem Imperatoris ex Chriſtophoro filio natu maximo, vxorem ducit. Romanus porrò Conſt

*Symeon à Crobatis victus, trũcata ſtatua quadã moritur.*

*Petrus Bulgarorũ princeps, pace cũ Romanis facta, Romani neptem matrimonio ſibi iungit.*



Conſtantinum infra ſe collocaſſe non cõtentus, occaſionẽ quæritat etiam Chriſtophori illi præponendi. Itaque inſtructa Bulgarorum turba, vt per ſeditionem poſtularet, vt Chriſtophorus ante Conſtantinum nominaretur: quaſi propter motum illum, neceſſitati parendum eſſet ſcilicet, poſtulatis illorum annuit. Deinde neq; Deũ veritus, cuius numine inuocato, pactiones firmarat, neque ſubditorum pudore deterritus: etiam duos reliquos ſuos filios ante Conſtantinum ſalutari iuſſit, & primus quintus eſt factus, eíque minor etiam Romanus præpoſitus fuiſſet, niſi antè deceſſiſſet. Ita indigena Imperator, ad quẽ hæreditario iure imperium pertinebat, inſtar adſcriptitij fuit.

CEDR. *At Ioannes Curcuas, magiſter ac ſcholarum domeſticus Syriæ, res agendo ac ferendo, & obuia omnia proruendo, plurimáque caſtella & munitiones atque vrbes barbaricas euertendo, vſque ad nobilem illam Melitenã peruenit: eámque obſeſſam eò neceſſitatis redegit, vt ad pacificationem obſeſſi cogerentur ſpectare. Venit ergo ad eũ Apochapſus Amere prognatus, Melitenæ Ameras: & Apoſblathus, qui militibus Melitenæ degentibus præerat: quos comiter exceptos domeſticus ad Imperatorem miſit: iique pacificatione confecta domum redierũt, ſociis ac amicis Romanorum adſcripti, & cum iis contra Saracenos populares ſuos armati. Mortuis autẽ Apochapſo & Apoſalatho, pax ea rupta eſt. Itaque domeſticus Melitenis bellum infert, cum quo etiam Melias erat magiſter, Armenios ducens. ac initio quidem hoſtes caſtra ſub dio locare auſos, intra muros vrbis cõpellunt: deinde verò vrbem obſeſſam magna vi oppugnantes, expugnant: ſed & circùm ſita omnia populantur atque ſubigunt, ac Romanis ſeruire cogunt. Imperator Melitenam, & quod circùm eſt regionis in præfecturæ (Curatoreiam ipſi vocabant) formã redegit, ac magnos inde reditus ærario cõfecit. Cæterùm Niceta magiſter & Chriſtiferi ſocer accuſatus, quòd generum incitaſſet ad deturbandum imperio patrem, vrbe pulſus, raſúſque & monachus factus eſt. Die menſis Iulij ſexta, Stephanus patriarcha mortuus eſt: cum ei muneri præfuiſſet biennium, & menſes XI.*

*Io. Curcuæ res cõtra Saracenos geſtæ.*

*Melitena Romanis ſubdita.*

Cæterùm Vindicta, ſui muneris nõ oblita, etſi lento gradu proceſſit, tamen venit tandem: ſed hoc alio loco narrabitur. Stephano autem Amaſeno, quum ſedem principis vrbis per triennium occupaſſet, mortuo: Tryphon monachus quidã ea conditione ſucceſſit, vt poſt certum tempus, Theophylacto Imperatoris filio, puero adhuc, vltrò ſede cederet. Hoc tẽpore ſæuiſſima hyems fuit, & fames maxima, & horrendum incẽdium.

*Tryphon Patriarcha dignitatẽ quã vi retinet, dolo amittit*

*Hyems. Fames. Incendium.*

CEDR. *Sub idem tempus Petro Bulgarorum principi Ioannes frater ipſius, & nonnulli alij potentia inter Bulgaros primi inſidias ſtruunt: quibus patefactis, Ioannes verberibus mulctatus in carcerem deditur, de reliquis omnibus capitis ſupplicium ſumitur. Ea de re à Petro certior factus Romanus, Ioannem monachum (eum qui aliquando rector fuerat) mittit ſub prætextu pactorum ſanciendorum, qui omni modo Ioannem quæreret, ac Conſtantinopolim duceret. Et ſanè rector Ioannem ſuffuratus, nauigio à Meſembria eum ſecum in vrbem perduxit. Pauloque pòſt monaſtico abiecto habitu, vxorem ambiuit atque duxit: domum quoque & opes permagnas accepit. Michaelus porrò alter Petri frater, cupiditate Bulgarici imperij ductus, caſtellum munitum occupauit, Bulgaróſque concitauit, multóſque ad ſe attraxit. qui eo paulo pòſt mortuo iram Petri metuentes, Romanam inuaſerunt ditionem: ac per Macedoniam, Strymonem & Græciam profecti, & obuia quæque populati, Nicopolim tandem occuparunt, inque ea ſubſederunt. Verùm hi poſteris temporibus variis bellis à Romanis ſubacti ſunt. Ea tempeſtate lapis quidam de fornice fori decidit, quem ſolebant coſmiten, id eſt mundanum, vocare: & interfecit L X viros.*

*Fratrum in Fratrem inſidiæ.*

Tum quoque Chriſtophorus Imperator obiit. Iam præfinito tempore elapſo, Patriarcha Tryphon ſede pontificia, vt conuenerat, cedere noluit, ſed eam retinere manibus pedibúſq; eſt conatus. Imperatore autẽ verba ſibi data eſſe ægrè ferente: Cæſarienſis, vt ei gratificaretur, Patriarchæ ſimplicitatem dolo circumuenit, aſſumptáque amici perſona, illi ait: Imperator vehementer ſanè te oppugnat, ſed deſunt ei crimina, ob quæ loco moueri poſſis, & iã qui contra te ſtant, eò ſunt redacti, vt te literarũ penitùs eſſe rudem dicant. Sed propera, vt tuis accuſatoribus iſtam quoque calumniam præripias quam facilè propulſabis, ſi coram multis charta ſumpta, nomen tuum & pontificatus dignitatem ſcripſeris. qua ſcriptura ad Imperatorem perlata, nihil porrò erit, de quo te criminentur. Huic conſilio parer, ille, & coram multis in charta pura hæc ſcribit. Tryphon ex Dei miſericordia Archiepiſcopus nouæ Romæ, & œcumenicus, Patriarcha. Eam chartam Cæſarienſis Imperatori offert ſyngrapha ſupra ſubſcriptionem, Patriarchæ nomine, in ea contexitur: Tryphon, quaſi renunciarit, eccleſia eiicitur, & Imperatoris filius Patriarcha deſignatur.

*Sub idem tempus Baſilius quidam Macedo ſe Conſtantinum Ducæ F. eſſe iactans, multos deceptos ſibi adſciſcit: & hinc inde vagans, per vrbes tumultus concitat, & ad defectionem mouet. Comprehenſum hunc quidam Elephantinus turmæ præfectus ad Imperatorem perducit: is eum altera truncatum manu dimittit. Dimiſſus æream manum ſubſtituit abſciſſæ, ingentémque accinctus enſem Opſicium peragrat, ſimplicioribus perſuadens ſe eſſe Conſtantinum Ducam. Ita magna manu contracta, defectionem facit: & occupato caſtello cui latum ſaxum eſt nomẽ, eò omnis generis res reponit: eáque vſus arce, proxima quæque deprædatur. Imperator miſſo exercitu hunc cum ſuis capit: cúmque diligentiſſimè inquirendo an procerum aliquos facinoris habuiſſet conſcios, nihil deprehendiſſet, in Amaſtriano eum cremat. Romanus porrò filio ſuo Stephano vxorem collocat Annam Gabalæ filiam: ſimúlque cum ſerto nuptiali auguſtæ coronam ei imponit.* CEDR.

*Pſeudo Conſtantinus Ducas.*

*Romani filiorũ nuptiæ*

*Menſis Aprilis die V I I Turci facta impreſſione, occidua omnia vſque ad Vrbem populantur. Miſſus patricius Theophanes protoueſtiarius, cum iis pacem cõponit, Romano vt captiuos reciperet nulli rei parcente. Nuptum quoque Conſtantino tertio Romani filio datur puella Helena, Adriani patricij filia, ſtirpis Armeniacæ. Et hac paulopòſt mortua Theophano Mamante genus ducens, ei matrimonio iungitur.*

*Turci.*

Poſthæc claſſis Roſſica non mille, ſed decies & quinquies mille nauium vrbem aggreſſa eſſe dicitur. Contra eam Romana claſſis iuxta Pharum in procinctu ſtetit, ac ſubitò inuecta Barbaros profligauit, multis eorum nauibus igni græco crematis. Reliquæ verſus Orientem profectę, in Bardam Phocam Patriciũ, qui exercitui præerat,

*Roſsica claſſis X V. mille nauium interitus.*

erat inciderunt, qui multos ad conquirenda neceſſaria nauibus egreſſos, ſuſtulit. Idem & Curcuas Legionum Domeſticus fecit, multis & occiſis & captis. Sic terra marique malè accepti, ſe in nauibus continebant, donec commeatu deſtituti, ad ſua redire decreuerunt. Sed quum ſoluiſſent, denuò Romanę triremes eos aggreſſę, duobus naualibus prælis deuicerunt. Paucæ igitur Barbaricæ naues interitu vitato ad ſuos redierũt, nunciæ malorum & acceptæ cladis. Roſſij igitur pluribus malis acceptis, quàm vt ſperarant, datis, à laceſſendis Romanis abſtinuerunt. Sed & Agareni à Legionum Domeſtico Curcua & fratre eius Theophilo, Ioannis qui pòſt imperio potitus eſt, auo ſæpè victi ſunt & oppreſſi, atque vrbes complures quas occuparant, eis ademptæ.

*Agarenorũ clades.*

*Ob has victorias Imperator protoueſtiarium probans, primarium cubicularium facit. Ioannem porrò Curcuam domeſticum ſcholarum Imperator, quòd eius filiam Euphroſynam nepoti ſuo Romano, Conſtantini natu filiorum minimi filio, vxorem facere volebat, eáque res odia Cæſarum in Curcuam inflammaſſet, coactus eſt officio eo dimouere. Geſſerat id minus Curcuas continentibus* XXII *annis, & ſeptem menſibus, vniuerſámque propè Syriam peruagatus ſubegerat. Si quis præclara eius facta ſcire deſiderat, volumen à Manuelo quodam protoſpathario atque iudice compoſitum legat, (is enim octo libris res à Curcua præclarè geſtas deſcripſit) inde cognoſcet, quantus hic vir belli rebus fuerit.*

*Inuidia.*

*Ioan. Curcuæ laus.*

*Theophilus quoque frater eius, auus Ioannis, eius qui poſtmodò imperio potitus eſt, Meſopotamiæ præfectus, eodem modo Saracenorũ in ea prouincia vrbes tractauit, oppreſſis atque adeò deletis Agarenis. Et Romanus patricius Ioannis domeſtici F. exercitui præpoſitus, multa caſtella recepit, & Romanis plurima ſpolia parauit. In locum Curcuæ factus eſt ſcholarum domeſticus Pantherius, Romani imperatoris cognatus.*

At Imperator Romanus, conſiderato, vt apparet, periurio ſuo, violatáque quam cum Conſtantino fecerat, pactione: beneficientia placare Deum ſtatuit. Præter igitur alias diſtributiones, etiam æs alienũ pro debitoribus diſſoluit, cuius ſumma ad XIX. centenarios excreuerat, tabulis in medio foro crematis: item precium pro iis qui Conſtantinopoli in conductitiis domibus habitabant, numerauit. Ac debitoribus illa ſanè profuerunt, Romano autem parum opinor, ac nihil potius vtilitatis attulerunt: cum quòd de alieno largiebatur, quippe ex publico, tum quod imperio, quod ex rapto tenebat, fruebatur, eóq; fraudato cuius erat, cum imperatoria felicitate ex aſſe potiretur, perexiguam beneficẽtiæ portionem tribuebat: quod perinde eſt, ac ſi quis vicini boue immolato, extremos pedes largiatur pauperibus, totúmque corpus ipſe deuoret: aut ſpreto legitimo coniugio, in alienæ vxoris ſtupris volutetur: déque mariti illius pecunia pauperibus largiatur, vt ſibi adulterij gratia fiat ſcilicet. atque hæc ſecundum humanum iudicium. Si quis autẽ diuinam bonitatem intueatur, fortaſſe ne hæc quidem inutilia dixerit.

*Romanus liberalitate, vel odiũ ſui mitigare, vel peccata redimere ſatagit.*

*Prima indictione cum rurſus Turci impreſſionem in Romanorum fines feciſſent, Theophanes cubicularius egreſſus, pacem cum iis compoſuit, acceptíſque obſidibus rediit. Indictione ſecunda, Paſchalium protoſpatharium & Longobardiæ præfectum ad Hugonem regem Franciæ mittit Romanus, filiam eius petens in matrimonium Conſtantini Porphyrogenniti filio Romano, nepoti ſuo. quæ & adducta eſt magnis cum opibus: & cum Romano exactis in coniugio annis* V, *è vita migrauit. Menſe Decembri violentus ventus extitit: & corruentes qui vocantur Demi, contriuerunt eorum qui infrà erant pectora atque pedes.*

*Turci.*

245.

Romano rerum potiẽte, Chriſti effigies nullis facta manibus & diuinitùs in linteo expreſſa, in imperatoriã vrbem eſt trãſlata. Eam tum Edeſſa habuerat, quæ cùm in periculo excidij eſſet, Agareni qui tum vrbem tenebant, incolumitatem hac effigie à Romanis redemerunt. Tum etiam ex Armenia venêre duo adoleſcentes concreti, quorum altero mortuo, cùm medici nexum reſecuiſſent, alter quoque nihil ea re adiutus, nec diu fratri ſuperſtes, obiit. Quemadmodum Romanus ſine vllo iuſto titulo imperium ſibi vendicarit, ſuóſque liberos Imperatorio honore & nomine ornarit, & principe loco cum ſuis occupato, natiuum imperij ſucceſſorem Conſtantinum, nullo penè numero habitum, infra cæteros omnes collocarit: iam eſt à me expoſitum. Nunc cætera exequenda ſunt, vt oſtendatur, etiamſi Prouidentia tardius inuadat iniurios, conceſſo pœnitentiæ ſpatio: tamen niſi à malitia diſceſſerint, lento gradu eos aſſequi & pœnas exigere. Romanus igitur annum iam ſextum & vigeſimum imperitabat. Conſtantinus autem qua ratione imperium recuperaret, animum in omnes verſabat partes, vtq; voti cõpos fieret, per alios, filios contra patrem concitat. vel vnum potius Stephanum. Nam Conſtantinus maiore animi conſtantia præditus, inſtigatoribus non obtemperabat. Alter verò ſociis aſcitis, aggreſſus eſt patrem, eúmque cõprehenſum, & in inſulam Protem relegatum, tonderi iuſſit: ipſe cum affine & fratre imperatoria munia obiit. Sed fieri non poterat, vt tres conſentirent, cúmque nonnullis in rebus diſſiderẽt & inuicem aduerſarentur, ſuſpicionibus ortis, Stephanus affinem Conſtantinũ pellere ſtuduit, & Conſtantinus viciſſim Stephanum, qui quidem ad rem patrandam multò celerior, etiam Helena vxore incitante, aſcitis quibuſdã militaribus præfectis, ambos fratres ſecũ prandentes comprehendit, atque alterum ſtatim in inſulam Panormum ſeu Antigoniam, alterũ Terebinthum mittit, & vtrumque tonderi clericum iubet. Vnde cùm transferendi eſſent, in patris venire cõſpectum deſiderarunt. quos quum ille vidiſſet, filios, inquit, genui, & euexi, ipſi verò me ad nihilum redegerunt. Stephanus igitur inde in Præconneſum ex ea Rhodum, Rhodo Mitylenen eſt tranſlatus, Conſtantino Samothracia aſſignata, quam egredi non liceret. Qui quum ſæpè fugam molitus eſſet, eáque de cauſa cuſtodum principem veneno ſuſtuliſſet: à cæteris eſt interfectus. Stephanus verò Leſbi deceſſit, quum XIX annos ibi vixiſſet. Pater eorum in inſula Prota vitam exegit. Sic eorum quiſq; ſcelerum pœnas dedit.

*Edeſſa. effigie Chriſti permutata.*

*Duo adoleſcentes concreti.*

*Romanus cũ filiis regno pulſus.*





## IMPERIVM CONSTANTINI filij Leonis, recuperata poteſtate.

Conſtantinus cùm primùm recuperaſſet imperium, filium quoq; Romanũ diademate ornauit, vota faciẽte Theophilacto Patriarcha, & vt iis quorum ope collegas amouerat, referret gratiam: Phocam Bardã Magiſtrum fecit, & legionum orientalium Domeſticum renunciauit. Nicephorum eius filium, qui pòſt imperio potitus eſt, prætorem orientis, alterũ Leonem Cappadociæ præſidem deſignauit, & ex cæteris, aliis alios honores habuit. Filiũ autem Imperatoris Stephani Romanum iuniorem, itémq; Romani ſenioris filium Baſilium, ex ancilla procreatum, caſtrauit, Chriſtophori filiũ Michaelem clericũ fieri iuſſit. Fuit Conſtantinus religioſus erga Deum, & ſtudiis literarum deditus. quod ex ſcriptis & epiſtolis eius apparet, quę licet ad artem oratoriã perpolita nõ ſint, tamen Rhetoricis ornamẽtis & figuris quibuſdam ſcatent. operã quoq; rythmis & omnis generis verſibus dedit. quod in iis ſcriptis cernitur, quibus obitum coniugis ſuæ deplorauit. Ipſius etiã philoſophiæ rationem habuit, quæ penè in obliuionem venerat, aliarúmq; diſciplinarum: quas doctoribus ordinatis iam deficientes refocillauit. Atque has virtutes habuit. In regno autem adminiſtrando fuit ſegnior, iracundus, & ſæuus in delinquentes: in pœnis ſumendis inexorabilis: vini auidior. In conferendis magiſtratibus, nõ dignos præturis aliiſque muneribus præficiebat, ſed minus bonos ac potius improbos, & quos vel Imperatrix vel cubicularius Baſilius cõmendabant, qui magiſtratus vænales habebant. Ita fiebat, vt imperium nõ in omnibus benè adminiſtraretur. Imperatori autem ſtructæ ſunt inſidiæ, primùm à cubiculario Theophane, qui multos habebat cõſcios, & Romanum è Prota inſula. Deinde ab aliis, qui Stephanum Leſbo in Regiam reducere conabantur. Seb Imperator vtraſque deprehendit, ac inſidiatoribus ſupplicio affectis: imperij cupidis, diligentiorem cuſtodiam adhibuit. Turci (Vngros autem ſic vocari ſuprà diximus) aliàs Romanas prouincias incurſare ſoliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam Dux eorum Bologudes, & partis cuiuſdã princeps Gylas, Imperatorem conuenerunt, ambóque ſacroſancto regenerationis lauacro initiati, & arcanis noſtræ religionis imbuti, ac Patricia dignitate ornati, onuſtique pecuniis in ſuas ſedes redierũt, adducto Pontifice, per quem multi ad Dei cognitionem peruenerunt. Ac Gylas quidem in fide permanſit, pacémque ſeruauit. Alter fœdere quod cum Deo icerat, rupto, arma Romanis intulit, idémq; contra Francos facere aggreſſus, captus eſt, & in crucẽ actus. Elga quoque vxor ducis Roſſorum, qui Romanos claſſe infeſtarat, defuncto marito, ſe ad Imperatorem contulit, ac baptizata & pro dignitate tractata, domum rediit. Imperator autem, defuncta nuru ſua, Regis Francorum Hugonis filia, de alia filio Romano deſpondenda cogitans, vxorem ei dat puellam, humilis illam quidem generis ac potius ſordidi (nam cauponibus orta dicebatur) ſed forma præditam elegantiſſima, & naturæ miraculum quoddam, quæ cum Anaſtaſia diceretur, id nomen in Theophanonem eſt mutatum.

*Conſtantin⁹ & amicis et inimicis refert gratiã.*

*Conſtantini virtutes & vitia.*

*Inſidiæ comparatæ Imperatori.*

*Turci ſeu Vngari Chriſtianiſmum amplectũtur*

*Elga Roſſorum regina.*

*Theophano Imperatoris Romani vxor.*

CEDR.

*Cum Ameras Tarſi bello Romanos petens, partem exercitus in pagum Herculis prædatum emiſiſſet, presbyter quidam nomine Themelus tunc incruentum peragens ſacrificium, cognito Sarracenorum aduentu, omiſſo ſacrificio ita vt erat, veſtes ſacras indutus, templi cuſtodis * corripuit, eóque hoſtes irruentes defendit: eorúmque multos vulnerauit, complures interfecit, reliquos in fugam vertit. Excluſus deinde ab epiſcopo ſacris, cum admiſsionem non impetraret, ad Agarenos ſe contulit, eiurauitque Chriſtianam religionem: cúmque iis exiens, non Cappadociam modò & vicinas regiones eſt populatus, ſed & vſque ad minorem Aſiam perrexit: & ne ſcribere quidem fas eſt, quæ eius fuerint ac quàm dira facinora.*

*Themeli presbyteri facinora.*

*At Bardas Phocas domeſticus ſcholarum creatus, vti indicatum ſuprà eſt, nihil memoratu dignum egit. Etenim aliorum auſpiciis rem gerens, iis dux videbatur, qui laudem & admirationem mereretur. omni ſibi imperio commiſſo, nihil aut parum Romanæ proderat rei: quòd auaricia laborans vitio, ſanis conſiliis excutiebatur. Vnde & quodam tempore in Chabdani exercitum de improuiſo incidens, ab omnibus ſuis (vt fertur) deſertus, in hoſtium poteſtatem viuus veniſſet, niſi eum cuneo acto miniſtri eripuiſſent. Vulnus quidem in fronte accepit magnum atque profundum, cuius craſſam cicatricem vſquem ad mortem circumtulit.*

*Bardæ Phocæ & filiorũ res geſtæ.*

*Nicephorus autem, & Leo, filij eius, omni inhoneſta captura ſuperiores, ac ſubditos inſtar liberorum ex ſe natorum tractantes, plurimum reipublicæ Romanæ contulerunt vtilitatis. Ac Nicephori quidem egregia facta, ne in præſentia narrationis continuam ſeriem interrumpamus; quo loco de ipſo dicere iubebit ordo, exponemus. Leo autem Apolaſaerum, illuſtrem virum, & Chabdani cognatum ingenti cum multitudine Romanis bellum facientem, fudit, captúmque Conſtantinopolin miſit, militibus eius partim in prælio interfectis, partim captis. Eum Imperator in triumpho duxit, collúmque eius calcauit: ac honoribus & muneribus Leonem demeritus eſt.*

*Conſtantinum, tertium Phocæ filium, Chabdanus cepit, & Chalepum abduxit: cúmque multis tentatis rationibus non poſſet eum à vera religione abducere, veneno ſuſtulit. Hoc auditũ Bardæ tantum attulit dolorem, vt quotquot captiuos Chabdani cognatos habebat, eos omnes gladio concideret. Quare factum eſt, vt Paulus magiſter, cognomento Monomachus, miſſus ab Imperatore ad pacem componendam, re infecta redierit. Porrò Chabdanus indomito ob necem cognatorum dolore correptus, in Romanos duxit, ſecum ducens & Nicetam patricium ChalcutZam; multóſque alios præſtantiſsimos ac fortiſsimos Romanos, quos cæperat. Ibi Niceta occultè Phocæ omnia barbari conſilia indicat, & quibus itineribus domum is repetiturus eſſet. Phocas ergo loco quodam, acceſſum habente arctum atque præruptum, inſidias ponit. quò cum perueniſſet Chabdanus, circumuentus eſt ab iis qui in inſidiis latuerant. hi nãque ſe proripientes, in hoſtem ingentia ſaxa deuoluerunt, & omnis generis tela coniecerunt. ChalcutZes cum ad id iam antè paraſſet quoſdam Saracenos, & ad expediendam ſibi fugam muneribus corrupiſſet, cum omnibus ſuis fuga elapſus eſt. Agarenorum ineffabilis multitudo ibi periit: & Chabdanus interfectis quos in vinculis habebat, cum paucis turpiter & promiſcua fuga periculo ſe eripuit.*

*Theophylacti Patriarchæ mores et obitus.*

Anno Imperij Conſtantini x i i. Patriarcha Theophylactus deceſſit, pontificatu annis i i i. & x x. functus. Nã ſacerdotio cõtra morem maiorum potitus, annorum fuit x v i. regnantéque patre, pædagogis adhuc paruit: pòſt, eorum iugo excuſſo, multa præter decorum, aut (vt rectius dicam) contra officium fecit. Nam alendi equos & canes ac venationum ſimiliúmque rerum inſano ſtudio tenebatur. Cum igitur inter equas plurimas quas alebat, vnam inſigniorem ſacro magnæ Quintæ die peperiſſe ſacra celebrãti Patriarchæ nunciatum eſſet: lætitia elatus, diuinóque ſacrificio properanter abſoluto, ad Coſmidium feſtinauit (nam ibi eius equi ſtabulabãtur) viſóque pullo recẽs nato, in Eccleſiam reuerſus, feſtum ſanctæ paſſionis Seruatoris peregit. Mortis ei cauſa fuit equitatio, qua cũ audaciſſimè vti ſoleret, ſemel ad caſtellum quoddam maritimũ alliſo corpore, ſanguinem per os reiecit. Vnde cùm bienniũ ægrotaſſet, ex aqua intercute obiit.

*Polyeuctus Patriarcha.*

Ei ſucceſſit Polyeuctus monachus ſpado, & eloquentia & virtute præſtans, à Cæſarienſi epiſcopo electus. Nam Heraclienſis, offenſo Cæſare, ius ſuum vſurpare non potuit. quæ res criminandi Patriarchæ anſam obtrectatoribus præbuit. Sed cùm renunciatus eſſet, Imperatorem cõuenit, cognatíſque ſenioris Romani accuſatis, monuit, vt eorum auariciam coherceret. Quod nec ille citra moleſtiam audiuit, & Imperatrix Heléna, Baſilio ſpadone inſtigante, qui pòſt cubicularius extitit, maritum contra Patriarcham incitauit, cauſam quærităs qua Pontificatum ei eriperet. Eo tempore veneranda manus Præcurſoris, per quendam diaconum Iobum Antiochia Byzantium eſt tranſlata.

*Agarenorũ Cretenſium victoria.*

Porrò Cretenſibus Agarenis maritimam Romanorũ oram infeſtantibus: Imperator maximam bellicarũ nauium claſſem contra eos miſit. Verùm ea nauarchi imperitia & negligentia impegit, maxima parte claſſiariorum vel capta vel interfecta, pauciſſimis elapſis. Ac ipſe etiam Nauarchus captus fuiſſet, niſi eius ſatellites eum cõglobati circumſtetiſſent, ac pulſis Agarenis, prætoriæ triremis conſcendendæ, & fugæ facultatem præbuiſſent.

*Bardas Phocas rem bene gerit in Oriente.*

Cæterum Bardas Phocas, Legionum Domeſticus, rem aliter geſſit contra Orientales Agarenos, qui cum bellum arte Imperatoria peritéque adminiſtraret: multas hoſtibus vrbes ademit, & obuia quæque prædatus eſt.

*Conſtantinꝰ à filio Romano veneno petitus.*

At Imperatoris filius Romanus, * ex imberbi iam vir factus, poteſtatis ad ſe pertrahendæ cupiditate, vitæ patris, adiutante vxore, inſidiatur, medicamento purganti, quod Imperator hauſturus erat, toxico clàm admiſto. Sed eo, cum illi offerendum eſſet, ſiue diuinitus, ſiue fortuitò, maxima ex parte effuſo, & exiguo, quod ſuperfuerat, hauſto: doloribus quidem, & terroribus periculorum nõ paruis eſt conflictatus, vitæ tamen diſcrimen, quanquam ægrè, euaſit.

*Conſtantini odium in Polyeuctum & obitus.*

Anno autẽ Imperij decimoquinto in Olympi montem egreſſus eſt, per ſpeciem ſeſe precibus monachorum contra Agarenos armandi, cũ re vera id ageret (vt ferunt) vt Theodorum Cyzicenum conueniret, cum eóq; deliberaret, quomodo Polyeuctum Eccleſia pelleret. Inde malè affectus in Regiam rediit, nec multo pòſt eſt defunctus, ſiue ex intemperie corporis, ſiue inſidiis filij repetitis. Vixit annos quinquagintaquatuor, menſes duos. Regnauit cum patre Leone, Alexandro patruo & matre annos tredecim cum Lacapeno tyranno vigintiſex, poſtremò ſolus quindecim: & vſque ad mortem anxiè cogitauit de Pontificatu Polyeucto abrogando.

*Lapides incerto autore miſſi.*

Fertur autem, aliquot diebus ante eius obitum, noctu multos lapides cum magno ſtridore contra Imperatorios thalamos eſſe delatos. Quod cum pluribus noctibus fieret, Imperatorem ratum, eos ab hominibus iaci multos circum Regiam obſeruatores eius rei collocaſſe: ſed neminem eſſe viſum à quo mitterentur: vnde exiſtimatum ſit, non fieri illud humanitus.

## IMPERIVM ROMANI PVERI.

*Cognomentum pueri.*

Conſtantino ad hunc modum defuncto, Romanus filius eius Imperium capeſſit, qui puer dicebatur, nõ quod puerili ætate regno potitus eſſet (iam enim vir erat) ſed ad diſcrimen Romani aui materni, ſenis prouectæ ætatis. Si quis autem eum puerum dictum putet, ob vitã pueriliter actam: id quoq; moribus eius eſt conuenientiſſimum.

*Baſilius Cõſtantinus.*

Sceptrum recens adeptus, filium ſuum Baſilium diademate & Imperatorio nomine ornat. Sed & alter ei filius natus eſt, cui aui Conſtãtini nomen indidit. Ipſe deliciis voluptatibúſque deditus, & luxu diffluens, cum hominibus corruptis & peſtilentibus vitam agebat, rerum adminiſtratione præpoſito & cubiculario Bringæ Ioſepho mandata.

*Nicephorꝰ Cretẽſes Agarenos domat.*

Nicephorus Phocas Magiſter, Domeſticus legionum, cum iuſtis copiis contra Cretenſes Saracenos miſſus, & ſeptem menſibus ſæpiſſimè cum eis congreſſus, atq; omnibus obſidionalibus machinis eorum oppidis admotis, ea ſubegit: Chandacem Metropolim eorũ vaſtauit: Curupem Ducem eorum, & ab illo autoritate proximum. Ac niſi ob cõſtantem famam, qua ferebatur, Romanum qui Agarenos Creta pulſurus eſſet, omnino Romana ſceptra arrepturũ, Phocas inde reuocatus fuiſſet: fortaſſis inſula penitus ſubacta Saraceni pulſi eſſent.

*Leo Phocas Orientales Agarenos profligat.*

Leonem quoque Phocam Nicephori fratrem Romanus cum exercitu contra Chamadam Chalepi dominum miſit, qui Barbaro acie ſuperato, magnam partẽ exercitus eius in prælio cæcidit, reliquam cepit, ipſo duce cum admodum paucis ægrè elapſo. Leo igitur reuerſus honorificè exceptus eſt, & ob victoriã triumpho ornatus.

*Coniuratio clementer vindicata.*

Deprehenſis conſiliis cõtra Imperatorem initis, autores & cõſcii comprehenſi, non tamen crudeliter puniti ſunt.

*CEDR. Romanus Saronita.*

*At enim magiſter Romanus Saronita, gener ſenis Romani, quæ Volucri & aliis eueniſſent cernens, veritúſque ne idem ſibi contingeret, quia ob ſplendorem ſuum inuiſus ſuſpectúſque eſſet: opes ſuas ſuo arbitratu inter liberos ſuos diſtribuit: & reliqua pauperibus elargitus, in monaſterium Elegmôn ſe contulit, ibique monachus multos per annos vixit, éſtque ab Imperatoribus ſubſequentibus in magno honore habitus.*

*Mira agilitas.*

*Per idem tempus vir quidam extitit Philoræus nomine, ſtipator magiſtri Romani Moſelis, prognati à Romano ſene. Is vir iniecta veſte equo celerrimo, ei inſiſtebat rectus, gladium manibus geſtans, quem equo concitaſſimè currente rotans euripum Circi percurrebat, gladium*



*ſurſum deorſúmque verſans, & ne minimum quidem veſtigio ſuo elabens.*

*Boum peſtis.*

*Tunc etiam intendit ſeſe morbus peſtilens, nomine Craca, iamdudum boues Romanorum tentans atque perdens. Ferunt id cœpiſſe imperante Romano ſene. Cum enim proximè Boni ciſternam palatium ille conderet, in quo ſe ab ardore ſolis æſtiuo refrigeraret, dum fundamenta parantur, effoſſum ferunt bouis marmorei caput. quod ab iis qui repererant confractum, & in fornacem calcariam iniectum eſt. ex eo tempore in hunc vſque diem peſtis armenta boum per vniuerſam Romanorum ditionem infeſtare nunquam deſiit.*

*Porrò Imperator vxoris inſtinctu Helenam matrem & ſorores ſuas aula amouere, & in palatium Antiochi relegare ſtatuit. Quod vbi reſciuit Helena ad quiritationes & execrationes conuerſa, filium earum metu à propoſito deterruit: éſtque permiſſum ei, vt in palatio maneret. Sorores tamen, opera Ioannis qui Studiani monaſterij erat præfectus, abduxit Imperator, & monachas fecit: quæ ſtatim eo digreſſo veſtem monaſticam exuerunt, & carnes vorarunt. Helena filias aula motas ægerrimè tulit, neque diu ſuperuixit: ſed diem ſuum obiit die x x Septembris, indictione v. & regali funere elata, in arcam patris eſt recondita.*

*Nicephorus Berrœã capit.*

Phocas autem Nicephorus magiſter è Creta reuocatus, nõ ſitus eſt recurrere Byzantium, ſed cum omni exercitu in Orientem ire iuſſus. Nam altera Chamadæ impreſſio expectabatur. Profectus igitur in Syriam, pugnáque commiſſa, hoſtes illuſtri victoria ſuperauit, & Berrœa, præter arcem, vaſtata, maximis diuitiis eſt potitus, & captiuis penè innumeris, multóſque Chriſtianos vinctos liberauit.

*Nicephori induſtria in inſtaurãda Republica.*

Romanus initio Imperij ſui, Agarenis omnes prouincias vaſtantibus, animo æſtuãs, Phocam Nicephorum rogaſſe fertur qui fieret, vt Romana res ita pellum iret? cui ille magna libertate reſpõdit: ideò fit, quod tu imperas, & pater meus exercitum ducit. Nam & tu Imperium perperam adminiſtras, & ille pecuniæ ſtudet. Verum ſi tu volueris, & animi & res Romanorum mutabuntur. Eam tamen mutationem noli putare fore ſubitam. His dictis, ab Imperatore iuſſus rem ſuo arbitratu adminiſtrare: ſtatim diſciplinæ militari animum intendit, & legiones veteres ordinauit, & nouas conſcripſit, omnibúſque bellicis ſtudiis exercuit. Sic cohortibus expletis, & foſſoribus armatis, contraríaq; Prophetico dicto ratione inita, falcibꝰ in gladios & aratris in iacula conflatis, celebres illos triumphos facilè eſt adeptus.

*Romani obitus*

Romanus autem cum trienniũ & vltra Imperio inſultaſſet, ex hac vita deceſſit, vel, vt quidam tradunt, veneno hauſto, vel voluptatibus & libidine viribus corporis exhauſtis, Imperio vtrique filio & matri eorum Theophanoni relicto. Eo mortuo Nicephorus Phocas ab Imperatrice Byzantium accerſitus, de manubiis Berrœanis triumphauit: vnde etiam partem quãdam venerabilis veſtis Ioãnis Baptiſtæ apportauit.

*Nicephorus regni cupiditatem callidè diſſimulat.*

Bringam autem cui de cupiditate Imperij ſuſpectus erat, ſic eluſit. Cum vno famulo veſperi ædes eius ingreſſus, eóque in ſecretum locum ducto, iureiurando, & diris execrationibus confirmauit, ſolitariæ vitæ ſe longo iam tempore fuiſſe cupidiſſimum, eámque iampridem fuiſſe amplexurum, niſi Imperatorum ſe beneuolentia remorata eſſet. Non igitur fruſtra ſuſpectũ eſſe debere de regni cupiditate. Se enim iamiam rerum adminiſtratione ceſſurum. ea verba cõfirmabat, oſtenſa lacerna è pilis contexta, quam nudo corpore cæteris veſtibus tectam geſtabat. Ea oratione & lacerna effecit, vt cubicularius pedibus eius aduolutus veniam peteret.

*Stephani interitus.*

Stephanus porrò Imperator, Lacapeni filius, qui Methymnæ Leſbi cuſtodiebatur, & ipſe ſuſpectus erat: ſubitò nulláque cauſa mortuus ab Imperatrice Theophanone ſublatus eſſe credebatur.

*Bulgarici principes.*

At Petrus Bulgarorum princeps, vxore ſua mortua, fœdus renouaturus, filios Boriſem & Romanum Byzantium obſides miſit: quibus poſt illius obitum, ad ſua ſe recipere eſt permiſſum, & patrium principatum firmare. Nam Comitis cuiuſdam Bulgarici quatuor filij, Dauid, Moſes, Aarõ & Samuel, Bulgaros ad defectionem ſolicitabant.

*Nicephorus Imperator Romanorum fieri cogitur.*

Cum autẽ Phocas Nicephorus domum ſe in Cappadociam contuliſſet: Cubicularium id ei conceſſiſſe pœnituit. De eo igitur amouendo ſolicitus, ſcribit ad Ioannem magiſtrum, & ad Romanum magiſtrũ Curcuam, vtrunque illuſtrem in re militari virũ & Orientis ducem: ſi Phocam comprehenſum, vel Monachum totonderint, vel aliàs è medio ſuſtulerint: Ioannem imperio legionum orientis accepto, Domeſticum fore Orientalium copiarum; Romanum verò Domeſticum Occidentis deſignatum iri. Eas literas ad ſe perlatas vterque Phocæ oſtendit, & ad defectionem virum extimulant. Tergiuerſanti, & ſiue ex animo, ſiue ſimulatè detrectanti, ſtrictis gladiis necem minitantur, niſi obtemperet. Ea igitur neceſſitate victus, non repugnauit, quo minus ab omnibus Orientalibus copiis Imperator Romanorum appellaretur. Fertur autem non Imperij duntaxat, ſed & Theophanonis amore in primis flagraſſe, & dum in magna vrbe degeret, cũ ea conſueuiſſe.

## IMPERIVM NICEPHORI Phocæ.

*Tumultus in vrbe ob Nicephorũ Imperatorẽ deſignatũ.*

Phocæ rebus in vrbe recẽs nunciatis, cubicularius Ioſephus angebatur. Nicephori pater Phocas Bardas in magnam Dei Eccleſiam confugit, cuius alter filius Leo fuga elapſus, cum fratre ſe coniunxit. Hæc cubiculariũ animi valde dubium reddiderunt, qui ob moroſitatem omnibus adeò inuiſus erat, vt optarent, eum, alio rerum potito, è medio tolli, eáq; de cauſa omnes in magnũ Dei templũ cõcurrerunt. Quo Bringas cognito, cum blãdis verbis demulcẽdus eſſet multitudinis impetus, eam minis & ſæuitia magis etiam exaſperauit, cum diceret, ſe motum illum oppreſſurum, qui ordinaſſet, vt ſinguli empti frumenti preciũ, in ſuũ ſinum afferrent. Quo audito, populi furor vehementius exarſit: & Baſilius quondam cubicularius, Bringæ infenſus, cũ magnum comitatũ circũ ſe haberet, vbi aduesperaſſet, miniſtros ſuos armatos in diuerſa vrbis loca dimiſit, qui vrbanę multitudini cõiuncti, aduerſariorũ ædes, & ipſius etiã Bringæ euerterunt, multis quoq; interfectis. Quæ dum facerent, Nicephorum paſſim Imperatorem proclamabant. Vnde fortuna Bardæ & Bringæ commutata eſt. Nam ille recepto animo Eccleſiã egreſſus, hic ſuppplex & miſerabilis in-

greſſus eſt. At Baſilius cubicularius cum ſuis claſſe inſtructa, ipſa etiam Imperatoria naue adducta, Chryſopolim profecti, Nicephorum inde in Hebdomũ, ex Hebdomo, vniuerſo populo proſequente, in magnam Eccleſiam perduxerunt, vbi à Patriarcha Polyeucto coronatus eſt.

*Nicephori coronatio & nuptiæ.*

Cæterũ Theophano Imperatrix ſtatim ex Regia pulſa, in Petrium abducitur, & Ioſephus cubicularius in Paphlagoniã relegatus, biennio pòſt moritur. Bardas verò Nicephori pater, Cæſar ſalutatur, & paucis diebus elapſis, Theophano Imperatori nubit. qui cùm ex eo tempore, quo filius ſuus Bardas inter colludendum à patrueli Pleuſe caſu haſta interfectus fuerat, carnibus abſtinuiſſet: tum iis denuo veſci cœpit. Cũ autem Patriarcha in noua Regiæ Eccleſia nuptialia ſacra perageret, & Imperator in ſacrarij aditu iam cancellis appropinquaret: non paſſus eum Patriarcha de more ſecum ingredi, dixit, Non debere tam confidentem eſſe, vt ſacrarium intraret, niſi prius pœnas ſubiret repetiti matrimonij. Eam rẽ ægrè ferens Imperator, Patriarchæ iratus fuit.

*Secundæ nuptiæ ignominioſæ.*

Sed deinde rumore vulgato, eum etiam Theophanonis liberos è ſacro baptiſmate ſuſcepiſſe: ab eodem omni conſecrato ſolo eſt prohibitus, poſtulante, vt aut diuortium faceret, aut procul à ſacris faceſſeret. Verùm ille Theophanone nõ abſtinuit, flagrante adhuc amore, ſed quæſtionẽ ad ſummos ſacerdotes, & Senatus principes retulit: qui reſponderunt. Eum canonem qui à Copronymo homine impio conſtitutus eſſet, valere non oportere, ſcriptóque ratum eius matrimonium habuerunt.

*Compatriatus matrimonij obſtaculum.*

Sed Patriarcha ſuum propoſitum vrgebat, donec Imperatoris pater Bardas Cæſar iureiurando negauit, Theophanonis liberos ab illo ex baptiſmate ſuſceptos eſſe: & Regiæ Protopapa Stylianus, qui eum rumorem princeps vulgaſſe ferebatur, ſe ea de re neque ſcire quicquam, nec dixiſſe ad quenquam in concilio iurauit. His demũ factis Patriarcha Nicephorum recepit. Cum autem Sicilienſes Sarraceni ex antiquis pactis tributum à Romanis poſtularent: Nicephorus non ferendum eſſe ratus, ſi ſe imperãte Romani illis eſſent tributarij: Manuelem patricium, patrui ſui Leonis nothum filium, qui Leo cum ſub priore Romano Legionum domeſticus eſſet, ob regnũ affectũ cæcatus fuit, cõtra eos miſit. Is cũ in Sicilia cũ illuſtri claſſe appuliſſet: nõ modò nihil memorabile geſſit, ſed etiã ex imperitia, & iuuenili ferocia vel potius temeritate, grauiter impegit, ipſe cũ omni exercitu cæſus. Ac in Sicilia res ita actæ ſunt.

*Manuel cæditur à Sicilienſibus Agarenis.*

contra Ciliciã autem, quã & ipſam Agareni tenebant, magiſtrum Ioannem Zimiſcem Oriẽtis domeſticũ deſignatũ, ablegauit. Qui cũ Adaniã veniſſet, de eius loci Agarenis triũphauit. Qua victoria celebritas nominis eius, vt ſtrenui ducis, multũ aucta eſt.

*Zimiſces rẽ bene gerit in Cilicia*

Nicephorus porrò ſecundo Imperij ſui anno, ipſe cum magna manu Ciliciã inuadit, Theophanone quoque cum liberis eius adducta, eáque Dricibij, quod eſt caſtellum in Ciliciæ aditu collocata, Anabarzam, Roſum & Adanam eius prouinciæ vrbes capit, aliáque plura caſtella. Tarſum verò & Mopſiheſtiam oppugnare nõ ſtatuit, ſiue ob hyemem, ſiue amore Theophanonis auocatus, cum qua Cappadociam petiit,

*Nicephori victoriæ in Cilicia.*

Vnde veris initio in Ciliciam reuerſus, fratre Leone contra Tarſum miſſo, ipſe Mopſiheſtiam obſedit, quam cum mediam flumen Sarus diuidat, altera eius parte expugnata, Agareni igni iniecto, in alteram ſe receperunt: qua & ipſa capta, nemo effugit. Tarſenſes quoq; audita Mopſiheſtiæ expugnatione, Imperatori accerſito vrbem tradiderunt. Triduo elapſo claſſis Ægyptia Tarſenſibus auxilio miſſa, ad terrã appellendi facultatem non habuit, eadémque in reditu & ventorum procellis, & Romanarum triremium incurſionibus maiori ex parte periit.

*Ægyptiacæ claſſis interitus.*

Imperator Conſtantinopolim reuerſus, æreas Tarſi & Mopſiheſtiæ portas exquiſiti artificij, nouis ornamentis additis, partim muro iuxta arcem Orientali, partim Occidentali accommodauit, atq; etiam Deo quaſi primitias expeditionis ſuæ obtulit: venerãdis crucibus, quibus Barbari potiti fuerant, cum Stippiota Legionum Domeſticus, in obſidione Tarſi, re per imprudentiam malè geſta, cladem accepiſſet, diuæ Sophiæ templo dedicatis.

*Spolia Cilicica.*

Cyprũ quoque ab Agarenis occupatam, Romano Imperio reſtituit. Deinde Syriam inuaſit, & vrbibus ad Libanum, & iuxta mare ſitis partim expugnatis, partim vaſtatis, ad Antiochiã venit. Sed Antiochenis acrius reſiſtentibus, accedente etiã cõmeatus penuria, & ſolo imbribus inundato, ſoluta obſidione in vrbem principem eſt reuerſus, allata ſeruatoris Chriſti ſacra diuináque effigie, Hierapoli Syriæ in olla reperta: & parte capillorum Ioãnis Baptiſtæ ſanguine concreta. Ac in rebus bellicis talis fuit hic Imperator, Romaníque Imperij fines lõgè latéque propagauit.

*Cyprus & Syria recuperatæ.*

Sed certis de cauſis, omnium odia ſuſcepit. Eæ fuerunt, quòd, cum ii milites, quos defectionis ſocios habuerat, obuia quæque vaſtarent, eos qui damna fecerant, non curabat, & multis ædibus tum illuſtrium tum plebeiorum hominum direptis, ſic affectus erat, quaſi nihil mali accidiſſet: ſed delectabatur potius iniuriis, quibus ciues onerabantur, quamuis eorum ope ad Imperium perueniſſet. Præterea, continentium bellorum prætextu nouis tributis inſtituendis, & veteribus augẽdis: omnis generis exactionibus ſubditos premebat, quos milites quocunque venerant nihilo clementius tractabant quàm hoſtes.

*Nicephorus ob impunitatẽ militum & auaritiã vulgo inuiſus.*

Ad hæc ob frequentes expeditiones, pecuniæ inopiam cauſando, Imperatorias largitiones ſenatui dari ſolitas, ex parte imminuebat, & annua dona ab antiquis temporibus tẽplis & aliis piis domibus attributa penitus ſuſtulit. Decreto quoque ſanxit, ne fundi Eccleſiarum augerentur, quod (vt ipſe aſſerebat) à ſacerdotibus non in Eccleſiarum vtilitatem opes illæ conferrẽtur. Orta porrò inter ſummum paſtorem & primarios ſacerdotes de ſuffragiis contentione, cùm hi decernendi licentiam & approbandi poteſtatem ſibi vendicarent, ille ſuffragia reprehenderet, vt quæ nec ſine affectibus, nec recto iudicio ferrentur, operámque daret, vt ab iis iudicium facturis & ipſe in conſilium adhiberetur: Imperator ex hoc ſumpta occaſione, & omni autoritate deſignandi epiſcopos ſibi vendicata, edixit, ne quiſquam iniuſſu ſuo in vllam eccleſiam mitteretur. Mortuo igitur Epiſcopo, ex miniſtris ſuis in Eccleſiam vacantem mittebat aliquem, quo ſumptus neceſſarios



ſarios parce faciente, ipſe reliqua ſibi vẽdicabat. Neq; verò eo imperãte in vllis prouinciis vnquã defuerunt deſcriptores, inſpectores & Militares & Protonotarij: qui ſubditos omni malorum genere oppreſſos ad ſummam egeſtatem redegerũt, ne egentiſſimorum quidem habita ratione. Nam eos in Dromicos exercitus referebant: qui prius in iis fuerant, in nauticos transferebant: claſſiarios in pedeſtres exercitus, pedites in turmas equitum, equites in cataphractos inſerebãt: ſingulis grauius militiæ munus aſſignantes. Nã ad vnam rem militarem referebat omnia.

*Nicephorus ſolius militiæ ſtudioſus.*

Vnde, quod in ſe fuit, decreto ſanxit, vt milites in bellis interfecti, pari cum Martyribus honore colerentur, & ſimilibus hymnis ac veneratione celebrarentur. Quòd ſi Patriarcha & quidam ex primariis ſacerdotibus & ſenatus principibus non ſtrenuè reſtitiſſent: rogaſſentque, quo pacto ij qui in bellis & cæderent & cæderentur, Martyres iudicari poſſent, aut Martiribus pares, quos ſacrorum canonum cenſura notaret, triennium à tremenda illa & ſancta communione arcẽs? forſitan egregium illud decretum ratum fuiſſet. Apparet eundem auariciæ quoque ſordibus fuiſſe contaminatum. Nam cum vſque ad eum quoduis numiſma * exagium penderet, ille * tetarterum excogitauit pondere imminuto, & exactiones grauiore, largitiones & omnes impẽſas mutilato numiſmate fecit.

*Monetæ nouæ imminutio & exaggeratio veteris.*

Iã cũ antiquitus receptũ eſſet, vt omnis vetus ſtater, Imperatoris imagine inſignitus, tãtundẽ valeret, quantũ recẽs ab Imperatore excuſi: ille ſuam monetã pluris fieri iuſſit. Quo fine? vt illã ſolã mercatoribus expetẽtibus, è cõmutationis auctario, quod magnũ exigebat, multũ ſibi lucri accederet. Quibus rebus cũ ciues vexarentur, fori curatores rerũ vænaliũ nullã rationẽ habebãt, ſed quiſque mercator ſuo arbitratu precium ſtatuebat. Vnde qui res neceſſarias emebant, indies fiebant pauperiores. Hæc aliáque plura (nã omnia perſequi difficile fuerit) atrox omnium odium Nicephoro concitarunt, vt optarent omnes, eius tyrannide liberari. Illud tamen vel in primis, hominibus moleſtum fuit, quod Regiam muro circundedit. Nam cum oraculum accepiſſet, ſe in ea interfectũ iri: putabat ſe mœnibus tutum fore. Enimuero ſic ei ratiocinandũ fuit: Si verum eſſet oraculum, etiã fatũ (vt ita loquar) diuinitus ordinatũ, eſſe ineuitabile & immutabile. Sin id aliqua ſolertia prohiberi poſſet, non vtique eſſe verum, omnẽque ſolertiã ſuperuacaneã. Sed ille nulla harũ rerũ cõſiderata: magnis ſumptibus Regiam eo muro, qui etiam nunc cernitur, coronæ inſtar circundedit, quem ciues arcem & caſtellum tyrannicum contra ſe extructum iudicabant. Verùm munitione perfecta, cũ ſe iam res ſuas in tuto collocaſſe putaret, tum demum cùm intra eam ipſam cæderetur, intellexit, inuentum illud nihil ſibi profuiſſe.

*Nicephorus fati neceſſitatem mœnibus Regiæ propulſare ſtuduit.*

*Dilemma.*

Sed hoc in præſentia omiſſo, res eius geſtas exequamur. Antiochia, quam flumem Orontes alluit, reuertens, caſtellum in Tauro monte, quem hodie vulgò Maurum vocant, conſtruxit: Michaele Burze, quem Patricium fecit, & Tauri montis ducem nominauit, ad infeſtandos Antiochenos ibi relicto: Petrum verò quendam ex miniſtris ſuis, caſtratum illum quidem, ſed ſtrenuum hominem, conſtantem, & militum regundorum peritum, caſtrorum præſidem deſignauit: vt locum exercitui daret ad hybernandum in Cilicia.

*Antiochia, Burzæ induſtria capitur.*

Imperatore Byzantium reuerſo, Burzes crebris excurſionibus Antiochenos Agarenos infeſtabat, aſſiduè de capiendæ vrbis facultate, parandáque ſibi gloria cogitans. Quodam igitur tempore turris cuiuſdam altitudinem clam menſus, paratis ſcalis illi paribus: nocte hyberna, illuni & niuoſa tacitè mœnibus vrbis ſuccedit, affixíſque ſcalis cum trecentis (tot enim aduertente nemine adduxerat) aſcendit, cuſtodes turris & obuios quoſq; cædit, ſtatimque caſtrorũ præſidi nunciat quid fiat, & ad opẽ ferendã accerſit. Id ille detrectabat. Ferebatur enim Imperator illi mandaſſe, ne Antiochiã inuaderet, quod vrbis eius captiuitatẽ interitũ Imperatoris cõſecuturũ vulgata fama erat. Antiocheni cũ turres occupatas eſſe cognouiſſent: eò alacriter conuenere, ad Romanos expellendos. Caſtrorũ verò præſes, quãuis ancipiti cura diſtineretur, & mandati Imperatoris, & exitij Burzæ, cum cohorte ſua: tamen non committẽdum eſſe ratus, vt tot viri perirẽt: cum omnibus copiis Antiochiam inuadit. Quo facto ſtatim & manus & animi Barbarorum cõciderunt. Burzes verò cum ſuis iam deſperata ſalute, reuixit, & porta bipenni reſecta, liberum ingreſſum caſtrorum duci præbuit. Tanta facilitate, illuſtris Antiochia in Romanorum poteſtatem venit. Id Imperatori nunciatũ plus doloris attulit quã voluptatis, & præclarũ facinus, iratus caſtrorũ præſidi & Burzæ, contumeliis & minis eſt remuneratus, adéptoque Imperio, illum domo exire vetuit. Accidit & aliud quiddam, quod & populum cõtra Imperatorẽ, & Imperatorem cõtra populum exacerbauit. Quodã feſto Dominico Imperatore, ex veteri conſuetudine in Peganũ templum ſupplicatum egreſſo accidit, vt Armenij & nautæ orta cõtentione cum magno murmure & tumultu inter ſe congrederentur, & vtrinque viri aliquot caderent.

*Seditio Armeniorũ & nautarum.*

Quo ante reditum Imperatoris, ciuibus nunciato, temeraria plebs in cohortes diuiſa, Armenios redeuntes, obuiam egreſſa, fuſtibus cædebat, & ipſum Imperatorem iam in forum panarium progreſſum maledictis inſectabatur: ortóque tumultu & cõcurſu facto, & clamore ſublato, alij lapidibus Imperatorem petunt, alij puluerem in eum ſpargũt, & maledictis vſque in forum tabulis lapideis ſtratum proſequuntur, in quo columna rotunda porphyretica ſita eſt. Ac niſi quidam ex honoratioribus illius loci ciuibus Imperatore ſuſcepto, inſectantes eum & maledicta ingerentes, nullóque ordine tumultuãtes, repreſſiſſent ac depuliſſent, illumque corona cinctum cum fauſtis acclamationibus in Regiam vſque perduxiſſent: fortaſſe magnum ex ea ſeditione malum extitiſſet.

*Alienatio populi à Nicephoro ob ludum militarem.*

Inde rumor emanauit, Imperatoris diſſimulatam iram ludis equeſtribus in populi vltionem erupturam. Aliquanto pòſt cùm certamen equeſtre ederetur, Imperator milites armatos in medium theatrum produxit, ſiue vt populo bellici congreſſus imaginem adumbrarent, iucundam & ipſam futuram ſcilicet, ſiue terroris incutiẽdi cauſa. Vt autem milites gladios ſtrinxerunt, populus qui in theatro erat, illud eſſe ratus, quod diu ho-

minum ſermonibus iactatum eſſet: cum impetu fugiebat, inter exeūdum autem in anguſtiis multi inuicem conculcati perierunt, ac periculum latius vagatum eſſet, niſi viſo Imperatore in ſua ſede immoto fugere deſtitiſſent. Mortuorum verò propinqui ſuos lugentes, publicè Imperatorem dicteriis inceſſerunt, ob quæ cum ſe ciuibus inuiſum eſſe ſciret: Regiam muro cinxit, quo abſoluto relatis ad ſe clauibus, tum demū id ei quod timebat, euenit, neque vlla excogitatæ munitionis fuit vtilitas. Turcis autē, Vngris ſcilicet, Thraciam vaſtantibus, Bulgariæ principi ſcripſit, ne illos Iſtrum tranſire pateretur, & Romanas prouincias infeſtare. Id ille recuſauit, quòd Imperator ipſi quoque auxilia negaſſet, cum ab iiſdem inuaderetur. Nunc autem poſtquam pacem cum eis facere coactus ſit, poſtulare vt fœdus rumpat, & armis ſumptis bellum ſuſcipiat, cuius rationē reddere non poſſit. Ibi igitur repulſam paſſus, Calocyrum Cherſoniis Principis filium, ad Roſiæ principem Sphendoſthlabum contra Bulgaros cōcitandum ablegauit. Roſſicus igitur exercitus Bulgariæ agros longè latéque populatus, prædam penè innumerabilem abegit, ídque ſequenti anno æquè factum. Phoca regnante fuit terræmotus horrendus, qui etſi Conſtantinopoli planè innoxius, aliis tamen vrbibus plurimum nocuit. & menſe Maio ſpirarunt venti, qui fruges peremerunt. Vnde fame laboratum, quam Nicephorus in ſuum lucrum conuertit, in granaria congeſto frumento, & eſurientibus magno vendito, non reputans, ſe (vt in Prouerbiis Salomon ait) publicis execrationibus obnoxium eſſe, ſed benignitatem potius ſuam erga ſubditos iactans, quòd binos medimnos aureo venderet, quamuis exemplum Baſilij Macedonis haberet, qui in tali penuria ſe, nō ita olim, magnificè geſſerat. Nam cum aliquando de more in D. Apoſtolorum ædem iret, & ciues quoſdam grauitatis aliquid præ ſe ferentes, mœſtos cōſpexiſſet: cauſam triſtitiæ quæſiuit: Illi reſponderunt, Domine, quî non triſtes eſſe poſſumus, cùm mortem nobis inſtantem videamus, & bini frumenti medimni aureo nummo ſint emendi? Quibus ille auditis ingemuit, datáque pecunia triſtitiam illorū diſcuſſit, ciuiles Magiſtratus execratus, quòd ab iis de penuria non factus eſſet certior, ac ſtatim Imperatoriis granariis apertis, duodenos medimnos vno aureo vendi iuſſit. Ac ille quidē, vt Imperatorem decet, egit: hic pro caupone ſe geſſit, qui populo penuria laboranti, non modò nihil opis tulit, ſed & calamitatibus inſultauit: vulneribus eorum, quos fames ſauciarat, inhumaniter diuellendis. Sed & frater eius Leo, & ipſe cauponando, nihilominus & vrbanum populum & prouinciales premebat. Qui cum ſe tales erga afflictos præberent, viciſſim dicteriis à populo inceſſebantur. Nam cum aliquando Imperator nouitios milites luſtrans, canum quendā inter cæteros vidiſſet, rogauit, Cur homo ſenex militiæ nomen dediſſet? Ibi ille ingenioſè reſpōdit, Se nunc multò robuſtiorem eſſe, quam in iuuentute. Tum enim ne dimidij quidem aurei frumentum tollere potuiſſe: nunc verò duorum aureorum faciliùs in humeros ſublaturum. Intellexit cauillum Imperator, eóq; diſſimulato ad aliū tranſiit. Quamuis autem Theophanonem priùs vehementer deperiſſet, pòſt, eius congreſſu abſtinuit, ſiue ex ſatietate, ſiue ex continentia. Nam vel in adoleſcētia parum procliuis ad libidinem fuerat. At illa maritum vel ob eam alienationem exoſa, vel de filiis ſolicita (quidam enim murmurabant, velle Nicephorum regiis pueris caſtratis, imperium in fratrem Leonem transferre) clàm cum Ioāne Zimiſce colloquitur, ſiue amore eius capta (nam formæ excellentia & venuſtate, hominum oculos in ſe conuertebat) ſiue eū parem Nicephoro aduerſarium rata. Quidam etiam tradunt, eam conſueuiſſe cum illo, & homine contra Nicephorum inſtigato, plauſtrum per ſe nutans, vt prouerbio dicitur, oportunè perculit. Nam Ioannes alioqui ſuccenſebat Imperatori, cui ex fratris inuidia & calumniis ſuſpectus, à militari poteſtate, ad ciuilem tranſlatus fuerat, & Dromi Logotheta deſignatus, quam ipſe nō poteſtatem, ſed graue ſupplicium iudicabat. acceſſerat malis, quòd quum in Themate * habitaret, domi manere iuſſus erat. Ob hæc Ioānes iratus, cum etiam à meretrice illa irritaretur, quæ reditum ei iuſſu Imperatoris cōfecerat: regnum affectauit, illa adiutrice: eodémque tempore ſuis neceſſariis arcanum aperuit, & facinus aggreſſus, intempeſta nocte cum iis lembo conſcenſo, ad regiam peruenit, quà mari auſtrino alluitur. Bucoleon is locus dicitur, quod ibi lapideus leo exciſus eſt, qui, cum boui eiuſdē materiæ inſideat, pede ſiniſtro cornu illius tenet, & collum diſtorquet. Quo cum ventum eſſet, ſportam demiſſam videt, in eáque cum ſuis à Theophanonis ancillis attrahitur. Habebat autem ſecum Michaelem Burzem, Imperatori, ob inconſideratam illam iram infenſum, & Leonem Abalantem & Theodorum Nigrum, quem ob colorem nigriorem Azypotheodorum vocabant, & alios duos. Igitur cubiculum Imperatoris ſine ſtrepitu ingreſſi (Nam id quoque Theophano confecerat) Nicephorum humi dormiētem, quidam calcibus per contumeliam inſultans ſomno excutit, experrectum ſéque attollentem lethaliter in capite vulnerat, quo ictu & corpus eius & animus grauiter eſt concuſſus. Ad Zimiſcem qui in regio lecto conſederat, adductus, iam collabens & vtrinque ſuffultus: cum rogaretur, quibus de cauſis ab eo vexatus eſſet? nihil reſpondit, ſed illud duntaxat, Iuua domine, clamauit. Iubet igitur Zimiſces coniuratos maxillas eius capulis gladiorum pulſando confringere, aut dentes elidere. Deinde quidam in tergum eius haſtam ita intorquet, vt per pectus elaberetur. Tumultu ab excubitoribus excitato (iam enim inſidias animaduerterant) caput modò defuncti, amputatum per feneſtram oſtendunt, itáque illorum impetum cōprimunt. Fertur Nicephorus paucis antè diebus tabellas in ſuo cubiculo inueniſſe inſidiarum indices. Leo frater Imperatoris, nece illius cognita cum filio ſuo Nicephoro in magnam Eccleſiam confugit. Fuit hic Imperator cum cæderetur, natus annos quinquagintaſeptem, quorum ſex cū totidem menſibus regnauit.

*Roſſi contra Bulgaros cōcitati.*

*Terræmotus*

*Fames.*

*Baſilij Macedonis in caritate annonæ benignitas.*

*Dicteriū in Nicephorū.*

*Theophano cum Zimiſce in Nicephori necem conſpirat.*

*Bucoleon.*

*Nicephori cædes.*





## IMPERIVM IOANNIS ZIMISCÆ.

AC ille quidem fatis ita ſatisfecit. Zimiſces autem regno potitus, Romani liberos, pueros adhuc Imperij cōſortes fecit: Baſilio cubiculario, quē Nicephorus nouo dignitatis genere Præſidem appellarat, vt in rebus gerendis verſato, adminiſtrationem omnem commiſit. Is Nicephori cognatos, & alios qui ei adhuc benè cupere videbantur, amouit, Leone curatore palatij, & filio eius Nicephoro Leſbum relegatis, alteri eius filio Bardæ certo limite præfinito, ne Amaſia excederet, atque aliis aliter tractatis. Quos autem Nicephorus in exilium egerat, reuocauit. iis verò etiam Pontifices annumerabantur, qui ei libro ſubſcribere recuſarant, quo ſanxerat, ne quis Pōtifex ſe inſcio deſignaretur. Deinde in magnam Eccleſiam abiit Ioannes, vt ibi diademate ornaretur. Sed Polyeuctus, eum, vt cęde pollutum, ingredi ædem ſacram non eſt paſſus. Quam increpationem Zimiſces æquo ferens animo, pro defenſione attulit, ſe cædem ſuis manibus non perpetraſſe, ſed Abalantem, & Azypotheodorum Theophanonis iuſſu Nicephorum ſuſtuliſſe. Cōtrà, patriarcha poſtulauit, vt Theophano regia pulſa relegaretur, & Nicephori percuſſores in exilium agerentur, & liber cuius mentionem fecimus, laceraretur, & ipſe pœnas daret. Ille ſe omnia facturum pollicitus, ſtatim miſſis ſatellitibus Theophanonem Regia educit, librum ad ſe allatum lacerat, & quas priuatus opes habuiſſet, ſe diſtributurum pauperibus promiſit. His factis natali ſeruatoris & Dei noſtri, ſimul in Eccleſiā admittitur, ſimul diademate ornatur, Theophanone in Præconeſum relegata. Sic appellatus Imperator, cum magna Antiochia Pontifice careret, monachum quendam Theodorum, qui Imperium ei prædixerat, neque feſtinare aut rapere, ſed numinis deſignationem expectare iuſſerat, nominauit. Is Pontificatu ſuſcepto ab eo poſtulauit, vt Manichæi, qui fœda ſua ſecta multos contaminarent, ex Oriente in Occidentem trāsferrentur. Cuius poſtulatis ille obſecutus, nationem Manichæorum Philippopolim tranſtulit. At Patriarcha Polyeuctus, cum poſt Zimiſcæ proclamationem trigintaquinque dies vixiſſet, obiit, in eiuſque locum ſucceſſit Baſilius monachus Scamandrenus. Agareni verò non ferendū eſſe rati, ſi ademptis modò vrbibus carendum eſſet: vndecunque conuenerunt, pactáque belli ſocietate, Carthaginenſium ductu & auſpiciis, Antiochiam iuxta Daphnen, obſederunt. Sed dum ciues cōnſtantius illis reſiſtunt, gentium illa conſpiratione cognita Imperator, Meſopotamiæ Ducem obſeſſis opem ferre iubet. Prælio commiſſo, Barbari, &ſi numero longè ſuperiores, à Romanis profligati, diſſipantur. Cæterum Roſſi Bulgarorum natione & prouincia ſubacta, vnà cum ducibus Boriſe & Romano, obliti patriæ, illic Imperij ſedem conſtituere voluerunt, Calocyri potiſſimum impulſu: qui, ſi ab eis Romanorum imperator appellaretur, ſe & Bulgaria ei ceſſurum, & pacem perpetuam facturum, & longè plura quàm promiſſa eſſent, præſtiturum, eſt pollicitus. Illi & prouinciarum bonitate illecti, & Calocyri verbis inflati: neque literis Imperatoris, omnia quæ Nicephorus promiſiſſet, ſe cōfecturum affirmantis, auſcultarūt, & legatos inſolentius tractarunt. Qua de cauſa bello eos petere coactus Romanas legiones Barda Sclero magiſtro duce, fratre vxoris nuper defunctæ, contra Roſſos miſit. Quo Barbarorū dux Sphēdoſthlabus intellecto, Bulgaris armatis, & Pazinacis Scythis, necnon Turçis, qui Pannoniam tenent, ad belli ſocietatem aſcitis, exercitu circiter c c c millium coacto, Thraciam omnem populatur. Sclerus, qui cum tanta multitudine acie congredi non auderet, quippe copiis longè inferior, militari ſolertia Barbaros deuicit. Nam primùm Pazinacas ſolos callidè in inſidias pellectos, partim cæcidit, partim viuos cepit. Deinde cum cæteris aliquandiu æquo Marte pugnauit. Sed cum quidam ex Scythis & proceritate corporis & animi vigore omnibus ſuis popularibus ſuperior, Sclerum ſuas legiones equo circumuehi, & ad rem ſtrenuè gerendam cohortari vidiſſet: concitato equo enſem capiti viri impegit, qui & duritie & læuore galeæ repulſus, non penetrauit. Sclerus viciſſim tanta vehementia gladiū in caput hoſtis illiſit, vt Barbarus in duas partes diſſecaretur, mediæque partes eius vtrinque de equo laberentur. Quo facinore Barbari perterriti, fugæ ſe mandarunt, quos Romani à tergo inſequuti, multos occiderunt, multos ceperunt. perſequendi reliquias Barbarorum, quæ quidem vulneribus affectæ erant, finem noctis interuentus attulit. Dum hæc contra Roſſos geruntur, Bardas Phocas Leonis filius, relicta Amaſia, vbi exulabat, Cappadociæ Cæſarem occupauit, & factioſorum hominum opibus fretus, tyrānidem affectauit, ſumptis Imperij inſignibus. Sed & pater eius Leo cum altero filio Nicephoro in animo habuit Leſbo tranſire in Thraciam, adiutore Abydeno archiepiſcopo. Verùm eo conſilio cognito, damnatur vnà cum filio Nicephoro, vt ei oculi effodiantur. Imperator tamen clam miniſtris mandaſſe fertur, vt ſimularent duntaxat excæcationem, eorumque viſum illæſum conſeruarent. His ita geſtis, Scythis recens fuſis, Sclero literæ ab imperatore afferuntur, vt traiecto in Orientem exercitu, Bardam Phocam opprimat. Qui cum Cæſariam perueniſſet, Phocas à ſua factione deſertus (nam ad Sclerum confluebant omnes) ſolus cum ſuis miniſtris ad caſtellum Tyropæum properat: à quo cum non multum abeſſet, equites eum à Sclero miſſi conſequutur. Quorum vnus Conſtantinus Charon, cæteris audacior ſcilicet, commilitones ſuos anteuertit, & impetu vehementiore ac pertinacius in Phocam, extremum ſuorum agmen curantem, illatus, hominem maledictis & probris inſectatur. Cui ille, Non te decet, inquit, homini tali calamitate conflictanti inſultare. Cum autē Charon interim propior factus, telum in eum coniecturus eſſet, clauam ſic in galeam eius impegit, vt vnà cum illa caput etiam confringeret, quo vno ictu proſtratus, purpuream vomit ille animam. Eum iacentem conſpicati, qui ponè ſequebantur, à perſequendo deſtiterunt. Phocæ porrò caſtellum iam ingreſſo perſuaſit Sclerus, vt Imperatoris fidei ſe committeret: cuius iuſſu

*Nicephori acta reſcinduntur.*

*Zimiſces nō prius coronatur quàm Patriarchæ ſatisfeciſſet.*

*Theodorus Antiochiæ Pontifex.*

*Manichæi.*

*Baſilius Patriarcha.*

*Agareni Antiochia repulſi.*

*Bardas Durus cū Roſſis Bulgaris & Pazinacis proſperè pugnat.*

*Bardas Phocas & Leo affectati Imperij dant pœnas.*

*Cōſtantinus Charon à Barda occiditur.*

clericus factus, & in Chium relegatus eſt: Sclerus in Occidentem reuocatus. Imperator ſtudio Baſilij Cubicularij Theodora Conſtantini Porphyrogeniti filia, vxore ducta, anno ſecũdo Imperij, verno tempore cum multis exercitibus & claſſe illuſtri bellum Roſſis infert, cui inter abeundum Scytharum ſpeculatores, Romanorũ vires exploraturi, per ſpeciem legationis occurrerunt: quos Imperator, cur adeſſent non ignarus, per omnia caſtra circumduci iuſſit, iíſque perluſtratis abire. Digreſſis illis, ipſe cum expeditorum quinque & equitum quatuor millibus ſecutus, ex improuiſo ad magnam Perſthlaben accedit, & vallum communit, quæ res Tauroſcythis terrorem attulit. Calocyrus autem qui tum ibi erat, omnis mali autor, cognito Imperatoris aduentu, in Roſſorum caſtra confugit, præſentiæ illius nuncium afferens: quo etſi perturbati ſunt, tamen iuxta Romanos caſtra poſuerunt. Imperator verò Perſthlaben profectus, extra vrbem circiter octo millia hominum ſeſe exercentium deprehendit, qui impetu eius pauliſper tolerato, terga dederunt. Oppidani, arma vt res ferebat, ad opem ferendam popularibus incompoſito agmine egreſſi, à Romanis partim occiduntur, partim in vrbem ſe recepturi, obſepto equitibus itinere, in campo diſſipati ſunt, aliis cæſis, aliis captis. Qui intra vrbem erant, clauſis portis ſunt obſeſſi. Poſtridie cum Baſilius Cubicularius cum toto exercitu aduenisſet: Imperatore oppugnationem vehementius vrgente: quidam ſcalis conſcenſo muro barbaros aliquot deprehenſos ibi cæciderunt, apertíſque portis, exercitui facilem ingreſſum patefecerunt. Perſthlabe ſic expugnata, Boriſes quoque Bulgarorum Rex captus eſt: quem cum omnibus Bulgaris Imperator humaniter tractatum dimiſit. Negabat enim ſe Bulgaris intuliſſe bellum, ſed Roſſis. Cum autem multi Scythæ in munitionem quandam cõfugiſſent: Imperator eam quoque excindi iuſſit. Quia verò milites à difficili ob ſitum loci oppugnatione abhorrere videbat, ipſe primus caſtellum pedes adortus, effecit, vt milites ex verecundia ſecuti, capto caſtello, alios cæderent, alios caperent. Vrbi Perſthlabæ valido præſidio impoſito, Doroſtolum, quæ & Driſtra dicitur, petit, vbi Sphendoſthlabus Roſſorum dux caſtra habebat, atque obiter quaſdam vrbes capit & caſtella vaſtat. Vt in hoſtium conſpectum ventum eſt, ambo exercitus ſtatim congreſſi, magnam diei partem æquo Marte pugnauerunt, donec ſub crepuſculum Roſſi defatigati, in fugam inclinarunt. Romaníſque perſequentibus, multi cæſi ſunt, nec pauciores capti: cæteri Doroſtolum ſe receperunt. Imperator verò vallo ante vrbem excitato, triremes quo Iſtrum tuerentur, expectabat, ne Roſſi aufugerent. Sphendoſthlabus autem quos habebat Bulgaros, qui ad viginti millia eſſe dicebantur, in vincula compegit, veritus, ne vel ſeditionem mouerent, vel ad Romanos deficerent. Cum claſſis adeſſet, vrbem oppugnat Imperator, ad quem Conſtantia & ex aliis caſtellis legati venerunt, veniam petentes, ac ſemetipſos & caſtella dedentes. Quibus Romani acceptis, in Doroſtoli obſidione, dies complures ſunt commorati, Barbaris fortiter ſeſe defendentibus. Quum autem crebris prælijs multi vulnerarentur, & iam annona deſtituerentur: cœperunt frangi animis, cum Sphendoſthlabus nocte illuni & tempeſtuoſa, cum viris circiter bis mille in Monoxyla impoſitis frumẽtatum abiit, & rebus neceſſariis conquiſitis, Doroſtolum rediit, Romanorum aliquot miniſtris, qui in ripa fluminis, aliis atque aliis de cauſis vagabantur, exſcenſu facto interfectis. Ea res adeò moleſta fuit Imperatori, vt claſſis præfectis iratus mortem minitaretur, ſi denuo Barbarorum egreſſum neglexiſſent: cúmque vrbem integris ſexaginta diebus fruſtra obſediſſet, eam fame domare ſtatuit, coronáque circundata, accuratè obſeruauit, ne alicunde commeatus importaretur. At Barbari multis eruptionibus victi, vrgentéque fame, ſpe & commeatus & auxiliorum deſtituti: partim noctu fugiendum, partim deditione Romanis facta, ad ſua cuique redeundum eſſe, partim alia quædam cenſuerunt. Sphendoſthlabus autem monuit ſuos, vt denuò Martis aleam experirentur, vel victoria ſalutem quæſituri, vel honeſtam mortem calamitoſæ vitæ prælaturi. Ea ſententia populo probata, poſtridie mori non recuſantes, cum Romanis congrediuntur, ac diu nunc his, nunc illis vincentibus, Imperator, qui loci anguſtias hoſtibus ſubſidio eſſe animaduerterat, in quibus ſui conferti irruere nõ poſſent: duces monuit, vt cohortes paulatim recedendo in planiciem ſubducerent. Quod cum fieret, Barbari opinati Romanos metu fugere: cum clamore ſunt inſecuti. Cum in patentiorem campum ventum eſſet, Imperator teſſeram dedit Romanis, vt ſe cõuerterent: & pugna atrociſſima orta, Magiſtrum Bardam Sclerum cum ſuis cohortibus ad intercludendum Barbaris aditum vrbis, amandauit. Cum diu victoria anceps eſſet, Romani diuinitus adiuti eſſe perhibentur. Nam & procellam Scytharum facies verberaſſe, & quendam in equo à multis viſum, qui Romanos defenderet, & Barbarorum phalanges conturbaret. Eo porrò die memoria Theodori ducis, inſignis martyris celebrabatur. Scythæ igitur in fugam compulſi vrbem verſus fugiebant, quam cum intrare non poſſent, à Sclero intercluſi; in ſuburbia diſperſi cæduntur, & à ſe inuicem opprimuntur & conculcantur, vt interfectorum numerus haud facilè iniri queat. Reliqui omnes, vulneribus affecti fuerunt. Theodorum porrò ducem Romanis contra Barbaros auxilio fuiſſe, ex eo cognitum eſt: Muliercula quædam Byzantia, religioſa & modeſta, pridie illius pugnæ in ſomnis ſanctam Deiparam procedere cum magno comitatu videre viſa eſt, ac dicere: Domine Theodore, meus & tuus Ioannes grauia certamina ſuſtinet: properè igitur illi opem ferto. Id ſomnium illa quibuſdam aperuit, qui die notato comperérunt, id pridie poſtremæ pugnæ contigiſſe. Imperator verò vt martyri pro nauata opera gratiam referret, elegantiſſimum ei templum Euchaniæ ſiue Euchaitæ ſtruxit, vetere diruto, in quo corpus eius multis certaminibus defunctum, repoſitum erat, & vrbem, veteri nomine abolito, Theodoropolim appellauit. At Barbarus Sphendoſthlabus vndique deſperatus, per legatos veniam ab Imperatore petiit, ac domum

*Zimiſca nuptiæ & Roſſica victoria.*

*Perſthlabæ expugnatio.*

*Doroſtoli Driſtra expugnatio.*

*Theodorus martyr Romanis auxiliatus.*

redeundi



redeundi facultatem, & locum inter Romanorum fœderatos, & liberum Tauroſcythas in Romanorum prouinciis commercium. Quæ cum Imperator omnia conceſſiſſet, Sphendoſthlabus ipſe eum adiit, orans vt cum Pazinacis ageret, vt Roſſis domum redituris, per ſuam prouinciam tranſitum darent. Imperator cum & hoc & belli ſocietatem atq; illud etiam ab eis petiiſſet, ne Iſtro traiecto Bulgariam vaſtarent: Pazinacæ cæteris aſſenſi, trãſitum Roſſorum duntaxat negarunt. Bello Roſſico ad hunc modum cõfecto, Imperator Byzantium reuerſus, ab omnibus ordinibus ſplendidè excipitur. Nam & Patriarcha cum omnibus ſacerdotibus ei obuiam eſt progreſſus, & Senatus & populus, coronas offerentes, & currũ cum quatuor albis equis, rogarúntque, vt eo conſcenſo triumpharet. At ille coronas accepit, & equo ſingulari candido triumphauit, & veſtibus Bulgaricorum regum currui impoſitis, ſupráq; eas imagine Deiparæ collocata, currum anteceſſit. Cum in forum Placotum perueniſſet, Boriſem Bulgaricis inſignibus depoſitis, dignitate Magiſtri ornauit. At Sphendoſthlabus cum Roſſis ſuis, in reditu Pazinacarum inſidiis exceptus, ad internecionem cæſus eſt. Idem hic Imperator Chriſti ſeruatoris templum in Chalce magnificum extruxit. Patriarcha Baſilius Scamandrenus cum poſt quadriennium ſuæ deſignationis, ob quædam obiecta crimina per cõcilium loco motus eſſet: Antonius Studites Patriarcha eſt deſignatus. Imperator verò contra vrbes Romano Imperio in oriente acquiſitas, quæ ad defectionem ſpectabant, excuſſo iugo ſeruitutis, ruptíſque Romanæ ditionis vinculis, expeditione ſuſcepta, quaſdam citra negotium vltrò ad officium reuerſas, quaſdam ferro & magna vi ſub iugum priſtinum reduxit. Cum inde rediens circa Anabarzam & Podandum, atque in multis aliis prouinciis prædia frequentia & fertiliſſima videret: rogauit, cuius ea eſſent? cum Baſilij Cubicularij eſſe cognouiſſet, partim à Nicephoro Phoca, partim à ſe dum legionum domeſticus eſſet, partim ab aliis adiecta imperio illíque donata eſſe: indoluit & iniquum eſſe dixit publicis poſſeſſionibus multorum præſtantium virorum ſudoribus & ſanguine partis vnum ſpadonem perfrui. Ea verba per quendam nunciata, Baſilium ad comparandas Imperatori inſidias impulerunt, ac veneno temperato, non illo quidem efficaci & celeri, ſed lento & tabifico, largitionibus pincernam Imperatorium corrupit, vt id calici Imperatoris infunderet, quo ille hauſto, paulatim habitudine corporis proſtrata, tandem interiit. Imperio hæredibus relicto Baſilio & Conſtantino Romani filiis, quum annos ſex, totidémq; menſes regnaſſet. Iam verò id exponendum eſt, quod me penè fefelliſſet. Nam quemadmodum curator Palatij Leo Phocas & Nicephorus eius filius, lata in eos excæcationis ſentẽtia, arcano Imperatoris mandato oculos conſeruarint, antè retulimus. Sed cum ea liberalitate non contenti, denuò regnum affectarent, multis & ciuibus & aulicis ſibi conciliatis: eóque conſilio à quodam ex coniuratis prodito, deprehenſi eſſent: ſine vlla clementia effoſſis oculis, & felicitatis ſuæ & ambitionis finem inuenerunt.

*Roſſorum interitus.*

*Antonius Studites Patriarcha.*

*Orientalis expeditio.*

*Zimiſces ob offenſum eunuchum Baſilium veneno tollitur.*

*Leo & Nicephorus ob iteratam regni affectationem cæcantur.*

## IMPERIVM BASILII PORphyrogeniti.

SIc Romanorum Imperium iis reſtitutum eſt, ad quos hæreditario iure pertinebat, Baſilio & Conſtantino, quorũ ille XX, hic XVII ætatis annum agebat. Qui cum Imperij inſignia geſtarent, omnis penes Baſilium præſidem erat autoritas: ídque Baſilius nondum ſibi ipſi fidens tolerabat, cubiculario tanquam præceptori auſcultans, ſéque ad illius Reipublicæ tractationem & adminiſtrationem conformans, vt & ipſe, cum tempus poſtularet, in militaribus catalogis & ciuili æquitate tuenda rationem eandem ſequeretur. Erat enim alacri & excitato ingenio, nõ diſſolutus & ignauiæ mancipatus vt frater. Cum primum autem hi rerum potiti eſſent, Præſes matrem eorum ab exilio reuocatam, filiis reſtituit, & quia Magiſtrũ Bardam Sclerum ducem, cui omnes Orientales copiæ parebant, ſuſpectum habebat: ea dignitate erepta, Meſopotamiæ ducem deſignat. Quam ille rem iniquiſſimo ferẽs animo, & alioqui regni cupiditate æſtuãs, ad defectionem incitatus: inito Magiſtratu illo, arcanóque cum multis communicato, propter res fortiter geſtas apud milites gratioſiſſimus, omnes ferè dicto audiẽtes habuit, & filio Romano qui in vrbe regia degebat, clàm per quendam accerſito, ſtatim regnum affectauit, diademate & calceis puniceis ſumptis, Imperator ſalutatus, pecunias ſtudioſè conquirit, & Amidæ, quæ & Emeta dicitur, & Martyropolis ſeu Miephercimæ Ameram & Arabes ſocios aſciſcit. His ſecum coniunctis Conſtantinopolim properat, ſpe bona elatus, ſomnio cuiuſdã monachi virtutis ſtudioſi aucta, qui ſibi viſus erat mulierem quãdam in ſublimi ſpecula ſedentem cernere, quæ illi flagellum imperatorium porrigéret. Quod flagellum cum vtique iram Dei & Romanorum ex inteſtinis bellis interitum ſignificaret: Sclerus pro Imperij omine ſua cupiditate viſionem æſtimans, interpretabatur. Fama de tyrannide Scleri in vrbem perlata, Imperatores quicquid militum reſtabat, contrahentes, ad reſiſtendum ſe parabant, miſſo interim Nicomediæ pontifice ad illum, qui etſi multas pacis conditiones haud aſpernandas proponeret: nihil tamen impetrauit. Nam Sclerus coccineo calceo oſtenſo, non fieri poſſe dixit, vt qui eum ſemel induiſſet, temerè abiiceret. Quo reſponſo accepto, neceſſitas Imperatoribus impoſita eſt bello decertandi, copiarum duce Petro ſpadone, Phocæ filio cuius ſuprà quoq; facta eſt mentio. Exercitibus ad Liparam congreſſis, quæ & Licandus appellatur, Imperatorij aliquantiſper ſtrenuè reſtiterunt, ſed tandem profligantur, multis cæſis, caſtriſque direptis. Zamandus quoque vrbs frequentiſſima, Sclero deditionem fecit, è qua magnam pecuniæ vim coëgit. Sic Imperatorum copiis ſuperatis, multos inde ad ſe attraxit, opibus & ſalute illorum iam deſperatis, neque obſcuri duntaxat milites, ſed multi etiam ex illuſtribus ad eum confluxere. Quæ cum cubiculario nunciata eſſent, Leo Protoueſtiarius cũ ſummo imperio & autoritate, ſuo arbitratu gerendi omnia quæ Imperatori licent, mittitur, quam poteſtatẽ Latini dictaturam nominant. Is cum caſtrorum

*Baſilij Imperatoris prudens moderatio.*

*Theophanonis reſtitutio.*

*Magiſtri Bardæ defectio Scleri.*

*Somnium de flagello imperatorio.*

*Petrus ſpado à Duro profligatur.*

*Leo Protoueſtiarius dictator creatus, à Duro capitur.*

duce

duce congreſſus, pollicitationibus & honoribus fruſtrà tentatis militum animis, noctu prætergreſſus Sclerum inuaſit. Quare factum eſt, vt milites ſuis chariſſimis timentes, Sclero relicto ad illum ſe conferrent: & Sclerus territus, Magiſtrũ Michaelem Burzem ſuas ſequutum partes, & Romanum Patricium Taronitem, cum exercitu, cõtra Protoueſtiarium mitteret: quibus prælio ſuperatis, ipſe cum omnibus copiis eundem aggreſſus, vicit, viuúmque cepit. Petro caſtrorum duce interfecto. Ea victoria, vt Scleri opes multũ auxit, ſic Imperatorum rem ad deſperationem depreſſit, præſertim cum tyrãnus mare quoque teneret. Quamobrem Cubicularius claſſe miſſa, commiſſo cũ Scleri nauibus prælio, claſſem eius deuícit & diſſipauit, idémque mari pacato prouinciarum ſuſcepta cura, Eroticum ad Nicæam Bithyniæ Metropolim tuendã miſit, Quam Sclerus vi expugnare fruſtra conatus, fame ſubigi per proditionẽ poſſe ratus, obſidionem traxit. Eroticus verò, dolo circumuenire hoſtem ſtatuit, illatáque in granaria arena, & frumento ſupernè iniecto, vt totus aceruus frumentum videretur, captiuis granaria demonſtrat ſemiplena, & Sclero nunciare iubet, quamuis à fame nihil ſibi periculi ſit, tamen ſi tutò cum certis hominibus exire liceat, ſe vrbe tradita, partes eius ſecuturum. Quo nuncio lætatus Sclerus, cum fidem dediſſet, ille cum maiori ciuium & militum ſuorũ parte Conſtantinopolim abiit. Sclerus autem Nicæam ingreſſus, dolo ſe circumuentum eſſe intellexit. Cubicularius verò Sclero inde digreſſo & vrbi appropinquante, quamuis animi dubius hæreret, tamen mutata ſentẽtia, Phocam Bardam ab exilio reuocatum, & ſanctiſſimo iureiurando adactum, ne vnquam regnum affectare, aut conſilia contra Imperatores inire vellet, Magiſtrum appellat, & reliquiis copiarum præficit, pecuniáque liberaliter ſuppeditata, contra Sclerum mittit. Quo ille cognito, tum demum ſe parem aduerſarium habiturum ratus, inde digreditur, & circa Amorium pugna commiſſa ſuperior euadit, profligatis aduerſariis. Poſtridie duces exercituũ decreuere ſingulari certamine cõgredi, déque ſumma rerum decernere. Sclerus prior, vt quidã tradũt, clauã in Phocæ caput impegit: vt alij, enſem in eum librauit, qui cum ictum declinaſſet, extremo enſe aurem equi eius reſecuít. At Phocas cõtrà Scleri capiti clauam ita illiſit, vt oborta vertigine in equi collum prolapſum & cruentatum ſatellites eriperent, ac deſtitutum viribus equo depoſitum, ſanguine abſterſo ad fontem recrearent. Interea eius equus, dum illi hac cura occupantur, elapſus eius manibus à quo tenebatur, ſine ſeſſore in caſtris iuba ſanguine manante exultãs, effecit vt Scleri exercitus eo agnito (inſignis enim erat, nomine Ægyptius) Ducem cecidiſſe putans, effuſè fugeret. Qua occaſione Phocas arrepta, ſuóſq; cohortatus, fugientes perſequitur, multos cædit, multos capit: plures etiam à ſe inuicem conculcati, perierunt. Tum demum Sclerus deſperatis rebus, cum reliquiis ad Choſroen Babylonium confugit, à quo Imperator per legatos petit, ne tyrãnum admittat domini ſui oppugnatorem: alioqui malum exemplũ ipſi fraudi futurum. Cum autem Babylonius cognouiſſet, eundem Sclero quoque & militibus eius afferre literas, illius manu ſubſcriptas, quibus eis impunitas promitteretur, modò cœptis deſiſterent, ſéque Imperatori ſubmitterẽt: tam legatum quã Sclerum cum ſuis in carcerem compegit. Et hic fuit exitus defectionis illius. Antonius porrò Patriarcha, cum ſacerdotio renunciaſſet, quod per ſex annos tenuerat, ac paulo pòſt obiiſſet, & Eccleſia annis IIII cũ dimidio vacaſſet, Nicolaus Chryſoberges eſt deſignatus. Interea Bulgari cognito Zimiſcæ interitu, tumultuãtur, & quatuor fratribus Dauidi, Moſi, Aaroni & Samueli deferunt Imperium, qui Comitopoli, hoc eſt pulli comitis, veri apud illos illuſtris, quo patre nati erãt, vocabantur. Nam ſtirps Regia defecerat, vno Petri filio Romano ſuperſtite, qui eunuch⁹ erat. Ex iis quatuor Dauid ſtatim mortem obiit, Moſes in oppugnatione Serræ, lapide ictus moritur ſtatim. Fratrem Aaronem cũ omni familia, vno illius filio conſeruato, qui duplici nomine Ioannes Sphendoſthlabus dicebatur, Samuel interficit, ſiue quòd ſummam rerum ſibi ſoli vendicaret, ſiue quòd Romanis ſtudere viſus erat: nam vtrunque fertur. Is igitur Samuel Bulgarorũ principatum ſolus adeptus, dum Romani bellis ciuilibus diſtinẽtur, Occidentales eorum prouincias omnes impunè circuit: nec populatur tantum, ſed & regiones & vrbes ſuæ ditionis facit. Qua de cauſa Imperator, depulſa Scleri tyrannide, vlciſcendi Barbari cupiditate flagrans, ſuis auſpiciis bellum ei inferre ſtatuit. Egreditur igitur conſilio ſuo neque cum Magiſtro Barda, Orientalium legionum Domeſtico, neque cum vllo alio ducum Orientalium communicato. Bulgarorum fines iam ingreſſus, Magiſtro Leone Meliſſeno ponè ſequi iuſſo, ad locorum anguſtias tutandas: ipſe Sardicam, quæ & Triadiza dicitur, obſidere inſtituit. Verum Occidentalium legionum Domeſticus Contoſtephanus, cogitans re benè geſta Imperatorem nunquam nõ ſuopte ductu atque auſpiciis bella adminiſtraturum, ſe cæteríſque ducibus parui æſtimatis: operam dedit, vt conatus illius labefactaret, atque impetum retardaret. Accedit igitur, & Meliſſenum tyrannidem affectantem feſtinanter ire Byzantium, ad regnũ occupandum ait, non cunctandum eſſe monens, ſed citra moram reducendum exercitum. Id Imperatorem ita perturbauit, vt populo reditũ denunciaret. At Samuel cacumina montium inſidens (neque enim acie decernere audebat) ſubito diſceſſu viſo: Romanos aggreditur, quos metu illud facere arbitrabatur, & inexpectata impreſſione in fugam compellit, nec caſtris tãtum, ſed & tabernaculo, atque inſignibus Imperatoris potitur, qui quidem vix Philippopolim euaſit: vbi cum Meliſſenum inueniſſet, Contoſtephanũ iratus contumelioſis dictis inſectatur, quæ cum ille iniquo animo ferens exaſperaretur, efferueſcente bile ſolio exiliens, Contoſtephanum coma & barba prehenſum terræ illidit. Ex hoc Romanarum legionum principes Imperatori irati, Phocas quòd ſpe fruſtraretur & res ſuæ, vt prouerbio dicitur, Mandraboli more procederent: alij, quòd ſe contemni putabant, non communicatis conſiliis: alij, aliis de cauſis: Chariſiani congreſſi, Phocam Bardam diademate ornatum imperat

*Naualis pugna.*

*Exotic⁹ eludit Sclerum.*

*Phocas Bardas Sclero opponitur.*

*Singulare certamẽ Scleri & Phocæ.*

*Durus à Choſroe Babylonio in vincula conjicitur.*

*Bulgaricum bellum.*

*Baſilius Cõtoſtephani fraude à Bulgaris profligatur.*

*Phocas Bardas cõſpiratione ducum Imperator ſalutatur.*



peratorem appellant, defectione vt ipſi putabãt, probè adminiſtrata. Sclerus autem qui Babylone cuſtodiebatur, præter ſpem cuſtodia educitur. Nam Perſarum imperio, à Sarracenis euerſo, vir quidam Perſa, nomine Inargus, verbis cõcitat populares, ſuadens, vt rupto ſeruitutis iugo, arma contra Sarracenos ſe duce ſumant. Choſroes porrò quamuis ſæpe cum illis congreſſus, tamen nunquam non diſceſſit inferior, deſperatáq; victoria ad Romanos, qui in cuſtodiis erãt, confugit: quibus carcere eductis, cum Sclero de ratione gerendi belli agit, petita venia malæ tractationis, qui principiò bello recuſato, tandem illo vrgente, annuit: ſed ea conditione, vt ſolos Romanos in aciẽ educat. Carceribus igitur perquiſitis, ad tria millia Romanorum ſunt inuenta, & arma eis data, qui cũ Scleri ductu & auſpiciis Perſas vicìſſẽt: nec ipſi nec ille ad Choſroen redeundum eſſe ſtatuerũt, veriti, ne denuò à Barbaro in carcerem compingerentur, præſertim tanto virtutis ſuæ ſpecimine edito. At Choſroës dum in fugam intenti ſunt, magnam turbam ad eos perſequendos mittit: qui etſi numero longè ſuperiores, commiſſo prælio, pauciores euaſerũt iis, quos perſequebantur, cæteris ibi Romanorũ manibus interfectis. Sclerus igitur cum ſuis Romanorum fines ingreſſus, ad Phocam ſe cõfert, quem regnum ſpectare ac tyrannidem iam affectaſſe cognorat, & belli & Imperij ſocius futurus. Ille ſocietatem amplexus, ſi votorum compotes fierent, ſibi vrbem Imperatoriam & plurium gentium ac prouinciarum imperium vendicat: Sclero Antiochiam, Cœleſyriam, Phœniciam, Paleſtinam, Meſopotamiam & Ægyptum attribuit, eáque pacta iureiurando ſancit. Quo Sclerus fretus, cum ad illum ſe cõtuliſſet, ac iam intra caſſes eſſet: primum habitu regio priuatur:
„ deinde in carcerem coniecto cuſtodia adhibetur:
„ & copiis illius aſcitis, Phocas tyrannidem ſuam firmat. Enimuerò Sclerus priuſquam ab illo comprehenderetur, vt, ſi res malè ceſſiſſet, receptum aliquem haberet, ac ſpem ſalutis curarat, vt filius ſuus Romanus, clàm arrepta fuga, ad Imperatorem deficeret, à quo cum gaudio exceptus eſt, & ſtatim Magiſter deſignatus. Phocas autem Delphina Patricio, cum parte copiarum Chryſopolim, quæ eſt è regione vrbis regiæ, miſſo, ipſe cum reliquo exercitu Abydum proficiſcitur. Imperator verò Delphinam ad Chryſopolim caſtrametatum, ſubitò cum Roſſico populo adortus (Nam cum Bladimero duce eorum, ſorore Anna ducta, affinitatem iunxerat, atque auxilia inde accerſierat) hoſtibus facilè ſuperatis, ipſum Delphinam captum palo affixit. Deinde Abydum cum fratre Conſtantino proficiſcitur. Quum exercitus vtrique in procinctu ſtarent, & Phocas ſuas copias antecedens, Baſilium equo circumuectum, Legiones cohortari vidiſſet, totis habenis laxatis, equo concitato, in illum fertur, eo proſtrato ſe toto diſcrimine fore defunctum ratus: ſed antequàm ſuos multum anteceſſiſſet, alij eum equo deuolutum ferunt: alij cum in tumulum quendam declinaſſet, equóque deſcendiſſet, humi extẽtum, ſtatim expiraſſe: alij à quodam lethali vulnere affectum eſſe. Conſtantinus quidem Imperator cædem eius ſibi arrogabat, falſo vtique, cum eius cadauer nuſquam vulneratum fuerit: alij (quod quidem probabilius eſt) putauere, toxicum ei à Baſilio præparatum, à pincerna corrupto largitionibus Imperatoris, fuiſſe propinatum. Barda ſtrato, illius exercitus diſſipatus eſt. aliis cæſis, aliis captis, in quos Imperator ſuo arbitratu animaduertit, mutatus ab illo qui dudum fuerat, & factus arrogãs, demiſſo ingenio, ſuſpicax in omnes, iracundia inexorabili: nec in alios duntaxat, ſed in ipſum etiam Cubicularium talem ſe præbuit. Quem cum odiſſet, atque ipſe rerum adminiſtrationem capeſſere vellet, tum à Reipublicæ negociis remouit, tum domo egredi vetuit, nec multo pòſt relegauit, tum actis eius omnibus perquiſitis, pleraquẽ reſcidit, tum monaſterium eo extructum maxima ex parte ſpoliauit, nec agros duntaxat aut fundos inuaſit & ædes, ſed etiam donaria, tabulas, columnas precioſas. Quas ille ob res animi ægritudine oppreſſus, membríſque reſolutis, nihil aliud niſi ſpirans cadauer, breui miſerabiliter eſt extinctus. Baſilius verò tum demum verè Imperator fact⁹, cum intellexiſſet, quantam ſolicitudinem regni adminiſtratio poſtularet, delitias regias ſpreuit, ſplendidis veſtibus abſtinuit, omnémque ſuauitatem repudiauit: cum prius haud ita vixiſſet, ſed & amoribus indulſiſſet, cõmeſſationibus & voluptatibus dedit⁹, regióq; luxu delectatus: & omni autoritate ſibi vẽdicata, fratri nihil, niſi nomẽ & colorẽ inſignem impertiit, cuſtodia illi quidẽ attributa, cęterũ exigua & non magnifica. Quæ ille, vt homo remiſſioris ac mollioris ingenij & voluptarius, venationibus & æqualiũ ſuorũ conſuetudine gaudẽs, æquo ferebat animo, neq; fratri aduerſabatur. Ac illorũ hic ſtatus erat. Sclerus autẽ, Barda mortuo, vinculis ſolutus, à priore inſtituto non recedebat, regnum properè affectaturus. Sed ab imperatore per literas monitus, vt tandem omiſſa deſperatione, continentium bellorum autor eſſe deſineret, neq; terram ſanguine pollueret, eóq; Chriſtianorum: cum & ſenectute iam affligeretur, & ſpem non optimam foueret, per pactiones ad illum ſe cõfert: qui cum in Regio tabernaculo ſedens Sclerum peditem accedere videret, vtrinq; ſuffultum, cùm ob ſenium, tum ob molem corporis (grandis enim erat) celebratum illud dixiſſe fertur: Quem timuerit, eũ ad ſe manu duci. Alij Sclerum in illo acceſſu ad imperatorem viſum amiſiſſe ferunt, eáq; de cauſa ductoribus fuiſſe vſum. Cum prope tabernaculũ veniſſet, Imperator animaduerſis puniceis in eo calceis (nam cętera inſignia regia depoſuerat, calceis ſolis ſiue per obliuionem, ſiue per incogitantiam retentis) ſtatim auertit oculos, neque cũ eo niſi habitu priuati, colloqui ſuſtinuit. Cum igitur ante tabernaculum inuidioſos illos calceos abieciſſet, ingreſſo Imperator aſſurrexit, porrectáque dextera, collocutus, & eadem vterque menſa vſus eſt, atque ex eodem calice biberunt. Hoc modo ſopita Scleri tyrannide, ipſe curator palatij eſt deſignatus, & quem quiſque adiutorum eius dignitatis & poteſtatis gradum, quáſue poſſeſſiones ab illo regnante acceperat, ea retinere licuit. Imperator curis defectionum leuatus, in Thraciam abiit, & Theſſalonicam acceſſit, vt celebri martyri gratias ageret, ibíque viro

*Sclerus Perſis & Sarracenis profligatis à Phoca in vincula cõiicitur.*

*Baſilius profligato Phoca inſolẽtior factus, cubicularij acta reſcindit.*

*Baſilij cubicularij calamitas & interitus.*

*Baſilius luxu repudiato rebus gerendis adiicit animum.*

*Sclerus cum Baſilio redit in gratiam.*

ro illuſtri cum magnis copiis, duce relicto ad ex-
curſiones Samuelis coërcendas, Byzantium re-
*Expeditio Iberica & Phœnicia.*
greditur. Inde in Iberiam proficiſcitur, Dauide
Curatore palatij mortuo, à quo eius ditionis hæ-
res inſtitutus fuerat, quam ille tenuerat. Ibi reli-
cta ſibi ditione occupata, cum Georgium Daui-
dis fratrem interioris Iberiæ principem compe-
ſcuiſſet, vt ſuis finibus contentus eſſet, filio eius
obſide accepto: Phœniciam adiit, & principem
Tripolitanum, Damaſcenum, Tyrium & Bery-
tium, qui conſpiratione inita, Daphneæ Antio-
chiæ agrum incurſionibus vexabant, coërcuit, &
Romanis ſeruire coëgit, acceptiſq; ab his etiam
*Nicolaus Chryſobergus, Siſinnius & Sergius Patriarchæ.*
obſidibus, domum rediit. Interea Nicolao Chry
ſobergo, cum pontificatum annos XII & VIII
menſes ornaſſet, defuncto, Siſinnius Magiſter
vir ab ineunte ætate in literis verſatus, Patriar-
cha deſignatur: quo & ipſo cum triennium eccle
ſiam rexiſſet, mortuo, Sergius Patriarcha eligi-
tur, qui Manuelis monaſterio præerat, Patriar-
chæ Photio genere coniunctus. Cum autem Sa-
muel Bulgarorum princeps non Thraciam tan-
tum & Macedoniam, ſed Græciam ipſamque Pe
loponeſum popularetur: Imperator Magiſtrum
*Nicephori Vrani Bulgarica victoria.*
Nicephorum Vranum prætorem Occidẽtis ab-
legat, qui, cum Samuel ad Sperchium fluuium
tentoria fixiſſet, in oppoſita cõtinente caſtra po-
ſuit. Quia verò flumen crebris pluuiis auctum
vltra ripas ſeſe effuderat: Samuel Romanorum
aggreſſionem minimè verebatur. Cum autem
Vranus noctu, quodam in loco vadum perueſti-
gaſſet, eà tacitè traducto exercitu, Samuelem ſe-
curum ſubitò inuadit, ac Barbari, re inexpectata
attoniti, ne armis quidem contrà illatis cadunt.
Vulneratus eſt & Samuel vnà cum filio, & am-
bo capti eſsẽt, niſi inter cadauera occultati, clàm
aufugiſſent. Poſt hæc ipſe Imperator bellum in-
tulit Bulgaris, & quibuſdam Sardicæ caſtellis ex-
pugnatis, Moſynopolim rediit. Sed & magnam
& paruam Perſthlabam & Pliſcobam per duces
cepit. Eſt ei & Berrœa per Dobromerum, qui ad
Romanos ſe contulerat, tradita. Serbia verò ex-
pugnata ſunt, & Nicolaus quem per diminutio-
*Nicolizas.*
nem ob ſtaturæ breuitatem Nicolizam vocabãt,
cuius eà cuſtodię tradita erant, captus: qui quam-
uis Patricij dignitate ornatus eſſet, tamen aufu-
git, atque ad Samuelem rediit. Deinde Impera-
tor Budinam expugnat, quam dum obſidet, Sa-
*Budina. Adrianopolis.*
muel Adrianopolim ſubitò inuadit, cum ludorũ
celebritas extra mœnia agitaretur, mercibúſque
direptis, ac plurimis captis recedit, quem Impe-
*Axius ſiue Bardarius.*
rator Budina capta rediens ad Axium fluuium
(Bardarius olim ſic dictus eſt) ſtatiua habentem
deprehendit. Is cum exundaret, Barbari caſtra
negligenter tuebantur. Neque enim Romanas
legiones eum tranſituras putabant. Sed vado ab
Imperatore indagato, traductóque exercitu, mul
tis Bulgaris cæſis, Samuelis tẽtoriũ & caſtra vni-
uerſa direpta ſunt, Samuel ipſe aufugit. Sed &
*Scopia.*
Scopiarum vrbem accepit Imperator, à Roma-
no, Petri Bulgarorum olim principis, filio tradi-
tam, cui eius cuſtodia à Samuele commiſſa fue-
*Baſilij auaritia, mores et diuitiæ. Allelengium.*
rat. Poſthæc Conſtantinopolim reuerſus, decre-
uit tributum pauperum, qui periiſſent à locuple-
tibus, exigendum eſſe, quod Allelengyum voca-
batur. Etſi autem multi atque ipſe Patriarcha Ser
gius deprecabantur, vt iniqua illa & inuſitata ex-
actio tolleretur: tamen Imperator à propoſito
non recedebat. Nam tempore ac tot victoriis
elatus, inſolẽtem ſe erga omnes præbuit: ac ſub-
ditis formidabilis quàm charus eſſe maluit: neq;
ciues, neque milites pro recepta conſuetudine,
quam & legum latores inſtar legis habere pro-
nunciant, ſed ſuo iudicio & arbitratu tractare vo
luit. Proinde nullam doctorum virorum rationẽ
habuit, ipſamque doctrinam, rem inutilem & ſu
peruacaneam iudicans: viros neque genere nec
eruditione claros, & ab epiſtolis & à conſiliis ha
buit, quibus literas ſimpliciter, nulláque cum cu-
ra dictauit. Sed & fiſcum obſtructis foribus pe-
cunia referſit. Fertur enim ducenta millia talen-
tûm auri in theſauris habuiſſe. Nam alterius pe-
cuniæ nullus iniri numerus poteſt, adeò vt con-
clauibus repletis, eam terræ mandarit, anfracti-
bus inſtar labyrinthorum effoſſis: ſed & ciſtellæ
plenæ erant gemmis cùm aliis tum cãdidis illis,
quæ peculiari nomine margaritæ dicuntur. Neq;
verò iis vtebatur, paucis exceptis, ad inſignia
purpuræ exornanda: qua, cum prodibat, aut Le-
gatis reſpondebat, aut alias publicas feſtiuitates
celebrabat, vtebatur. Reliquæ, in conclauibus in-
utile pondus iacebant. Belli temporibus ingenio
fuit vario & multiplici. Rebus tranquillis & pa-
catis vehementior. Iram diſſimulabat, apud ſeſe
ſuppreſſam per occaſionẽ proferens, delinquen-
tibus vicem reddebat, cúmque pertinaci eſſet in-
genio, decreta ſua non facilè immutabat. Quare
ſi quibus iratus erat, iis non facilè placabatur.
Atq; hæc ad declarandos Imperatoris mores di-
cta ſint. Nunc ad res ſub eo geſtas ordine refe-
rẽdas oratio redeat. Ægypti princeps ſoluto Ro-
*Hieroſolymorũ clades.*
mano fœdere, & Hieroſolymitanum templum,
in quo Chriſti ſepulchrum eſt, & illius loci mo-
naſteria deſtruxit. At Imperator Bulgariam cre-
bris impreſſionibus vaſtabat & vrebat, cui cum
Samuel acie reſiſtere non poſſet, operam dabat,
vt aditus regni occluderet, & anguſtias locorum
*Baſilij crudelitas in Bulgaros.*
caſtellis & præſidiis occuparet. Imperator autẽ
reuerſus, magnáque vi penetrare aggreſſus, etſi
virtute præſidiariorum repulſus: tamen cœptis
non deſtitit, ſed permanſit, ſubinde caſtellum
tentans, vno ex ducibus cum ſua legione miſſo,
an vſpiam alibi per ambages ingreſſum aperire
poſſet. Is per montes multaſque difficultates Bul
garis deceptis ingreſſus, à tergo in præſidiarios
irruit, qui re ſubita perterriti, non iam de muni-
tione tuenda, ſed de interitu vitando laborabãt.
Ibi Romanus exercitus nemine prohibente ru-
pta munitione tranſit, hoſtéſq; perſequens, mul-
tos occidit, plures capit, Samuele vix elapſo. Im-
perator captiuis omnibus qui circiter quinde-
cim millia erãt, oculos effodit, ſingulis centuriis
vno monoculo duce relicto, eóſque ſic ad ſuum
*Samuelis & Gabrielis interitus.*
ducem abire iubet. Quibus ille viſis, atrocitatem
rei non ferens, oborta vertigine viribúſq; deſti-
tutus humi procidit, ac parum recreatus, ex car-
diogmo interit, principatu Bulgarorũ in Gabrie-
lem filium, qui & Romanus dicebatur, tranſla-
to: quem nondum anno elapſo frater patruelis,
Aaronis filius Bladiſthlabus Ioannes (binomi-
nis enim & hic erat) occidit. Imperator verò ca-
ſtello anguſtiarum, vt diximus, ſuperato, cũ alia
firma



firma præſidia vnà cum defenſoribus cepiſſet,
Moſynopolim pergebat. Vbi nuncio de Samue-
lis interitu accepto, Bulgarica oppida & præſidia
expugnabat. At Samuelis filius Romanus Ga-
briel (necdum enim cæſus erat) per legatos Im-
peratori ſeruitutem pollicebatur, & tempore
aliquanto interpoſito, Ioannis Bladiſthlabi mi-
niſter adeſt, cædem Gabrielis ab hero ſuo fa-
ctam nuncians, aliíque multi ex illuſtribus Bul-
garis ad Imperatorem confluunt. qui cum intel-
lexiſſet, aliud agitare animo Bladiſthlabum quã
promiſiſſet, iterum impreſſione in Bulgariam fa
cta, longè latéque prædas egit, & Achrida vrbe
regia Bulgarorum expugnata, aliíſque caſtellis
per duces ſuos captis, Conſtantinopolim regre-
ditur. Sed rurſus bello illato Barbaris illis, & ca-
ſtellis occupatis, Bulgaros complures partim in-
terfecit, partim cepit. Quorum princeps Ioan-
*Baſilius tota Bulgaria potitur.*
nes Bladiſthlabus, dum Dyrrachium obſidet, ca-
dit, cum genti biennium & quinque menſes
præfuiſſet. Quo Imperator intellecto ſtatim e-
greditur, cui ad Adrianopolim quidam illuſtres
Bulgari ſe dedunt, tradito Pernico & aliis trigin-
ta quinque caſtellis. Sed & alij multi ex his Bar-
baris ad eum confluxerunt. Maria quoque Ioan-
nis Bladiſthlabi vxor, Dauide Bulgariæ Archi-
epiſcopo cum literis ad illum miſſo, ſe illi Bul-
garia ceſſuram pollicita, ſi ea quæ vellet impe-
traſſet, paulo pòſt ipſa cum tribus filiis & ſex fi-
liabus aduenit. Sunt & tres eius alij filij, Pruſia-
nus cum duobus fratribus, qui in montes profu-
gerant præſidiis occupatos, coacti ad Imperato-
ris fidem ſe conferre: è quibus Pruſianum Magi-
ſtrum, cæteros patricios fecit. Vniuerſa Bulgaria
ſubacta, & caſtellis aliis euerſis, aliis munitis, iu-
ſtíſque præſidiis impoſitis, Athenas ad exoluẽda
Deiparæ vota eſt profectus, ac dedicatis in æde
eius multis precioſis donariis in principem vr-
bem reuerſus triumphum duxit, recta tiara orna-
tus, quam vulgus Tuphum vocat, à typho nimi-
rum & ſuperbia, quam in animis geſtantium ex-
citat: Et ſic vſque ad Dei verbi Sapientiam per-
uenit, ibi quoq; vota Domino exoluturus. Quò
quum veniſſet, Patriarcha multum eum obteſta-
tus, vt Allelengyum aboleret, nihil impetrauit:
quamuis pollicitus fuiſſet, ſe id Bulgaris ſubactis
*Euſtathius Sergio Patriarchæ ſuccedit.*
facturum. Is Patriarcha Sergius cùm Eccleſiam
ad annos viginti pauiſſet, mortem obiit, ac in
eius locum ſuffectus eſt Euſtathius, ſacerdotum
ædis Palatinæ princeps. Bulgaria domita, etiam
*Crabatæ Sirmium Abaſgia.*
Crabatarum genus, & Sirmium Romano im-
perio ſe ſubmiſerunt. Deinde in Abaſgiam expe-
ditionem ſuſcipit, cuius princeps pacta viola-
*Xiphiæ & Nicephori ſeditio.*
rat. Quò cùm veniſſet, à tergo defecerunt Xi-
phias & Nicephorus, Bardæ, Phocæ filius, Pa-
tricij: ſed motus ille celeriter eſt compreſſus,
Phoca à Xiphia interempto, & Xiphia capto, &
Byzantium perducto. Qua cura Imperator de-
functus, cum Abaſgis ingreditur, validáque pu-
gna commiſſa, & multis vtrinque cæſis, æquo
Marte diſceſſum eſt. Sed altero prælio Romani
vicerunt, Abaſgorúmque princeps Georgius in
Iberiæ interiora profugit, nec multo pòſt tan-
tum agri ceſſit Imperatori, quantum is poſtula-
uit, filio Pancratio obſide dato. His proſperè ge-
ſtis, caſtra mouit, & cùm in animo haberet ire in
*Euſtathij Patriarchæ & Baſilij obitus.*
Siciliam, conſilium eius fatalis morbus interru-
pit. Sed paulò ante eius obitum Euſtathius Pa-
triarcha moritur, cùm orthodoxorum Eccleſiæ
annos octo præfuiſſet. Cum autem Monaſterij
Studij gubernator Alexius, Imperatori ægrotan-
ti ſacrum caput Præcurſoris attuliſſet, illo ſtatim
Patriarcha deſignato, eodem veſpere mortuus
eſt. Vixit & regnauit annos ſeptuaginta duos, ſo-
lus rerum potitus eſt annis quinquaginta, & am-
plius. Reliquo tempóre collega fuit primùm pa-
tris, deinde Phocæ, ac poſt illum Zimiſcæ.

## IMPERIVM CONSTANTINI fratris Baſilij.

*Conſtantini mores.*

BAſilio iam ſene mortuo, frater Con-
ſtantinus ſtatim ſuſcepit imperium,
illo non multò natu minor: qui cùm
eſſet ſocors & diſſolutus, vitæque
ocioſæ & ignauæ aſſueuiſſet (neque enim frater
quicquam cum eo communi ſententia geſſerat)
etiam rerum potitus, eandem vitæ rationem te-
nuit, & adminiſtatione aliis mandata, iíſque qui
nullum ſuæ induſtriæ ſpecimen præbuerant, ho-
minibus non modò ignobilibus, ſed ne ingenuæ
quidem conditionis, gentilibus, indiſertis, ac pla-
nè barbaris: ipſe voluptatibus indulſit, ventris
& veneris mancipium, inſanóque ſtudio aleæ,
theatri, venationis occupatus. & quamuis corpo-
re procero & robuſtiſſimo eſſet: tamen præ ani-
mi ignauia Barbarorum motus, non bellis, ſed
muneribus & honoribus compeſcendos ſtatue-
bat. Subditos autem ob nudam ſuſpicionem pu-
niebat: calumniis faciles præbebat aures: iracun-
dus, ſed iræ non ita tenax vt frater, ac placabi-
lior, & ſi quem malè tractaſſet, facti pœnitens.
Cùm autem multos puniret, pleriſque oculos
effodiebat, id ſupplicium vt cæteris leuius, quód-
que condemnatos quieſcere cogeret, magis
vſurpans.

*CEDR. Tyrannica Conſtantini in bonos viros facinora*

*Eo pacto Nicephorum Comnenum, virum pruden-
tem, ac virtute & fortitudine inclytum, qui Aſpraca-
niæ præfectus finitima ſubegerat, nullam ob iuſtam cau-
ſam, ſed virtuti hominis inuidens, maieſtatis reum fe-
cit, ac luminibus orbauit. Is enim Nicephorus ſæpe cum
vicinis in Media Saracenis congreſſus, cum videret ſuos
milites hoſti turpiter terga obiicere, exprobrando eis mol-
liciem, hortandóque ne fuga turpi, ſed fortiter pugnando
ſe tuerentur, ad fortitudinem excitauit. cúmque ab iis
etiam iureiurando ſibi promitti poſceret, cum ipſo ad
mortem vſque ſe in hoſtem pugnaturos, ſcripto libello ad
hoc ſe obligauere: in quo diriſſimis ſeſe deuouebant im-
precationibus, niſi fortiter in pugna ſtarent, & ad mor-
tem vſque cum duce perſeuerarent. Hoc vbi reſciuit Cõ-
ſtantinus, illicò magiſtratum Comneno abrogat, redu-
ctúmque Conſtantinopolin in iudicio conſpirationis cõ-
tra Imperatorem accuſat: damnatóque criminis, oculos
eruit. Bardæ etiam patricio, Barda magiſtro Phoca pro-
gnato, inſenſus, ac nonnullis aliis, opera cuiuſdam do-
meſticorum ſuorum calumniatorum dolum nectit, ac-
cuſatóſque inſidiarum Imperatori ſtructarum ſtatim
oculis mulctat.*

*Sub id tempus Naupacto præerat Georgius, quem
ob animi inconſtantiam Morogeorgium, id eſt fatuum
Georgium appellabant. is cum oppidanos vexaret, eóſ-*

*que exactionibus commenticiis ac continentibus attereret, ſeditione aduerſus ipſum coorta interfectus eſt, & bona eius direpta. Imperator non autores modò cædis crudeliter puniit, ſed & ipſi ſummo pontifici eius vrbis oculos effodit. Romani Duri filio, patricio Baſilio, aduerſus Pruſianum Bulgarum magiſtrum ac bucellariorum præfectum incidit contentio, ventúmque eſt etiam ad pugnam. Qua eos diſcordia in imperij maieſtatem impudenter deliquiſſe iudicans, alterum in Oxuam, id eſt acutam, inſulam, alterum in Platam relegauit. Eo paulo pòſt Baſilium delatum quòd fugam eſſet meditatus, excæcauit. Pruſianum, cum is quoque in periculum de oculis ſuis veniſſet, miſſum fecit. Oculos eruit præterea Romano Curcuæ, qui ſororem Pruſiani in matrimonio habebat, Bogdano, Glabæ, & Gudeli. Linguam etiam præcidit Zachariæ Beſtæ Phebdati congnato, commentus eos ſibi inſidias ſtruxiſſe.*

Ex Helena vxore, Alypij viri illis temporibus potentiſſimi filia, tres filiolas adoleſcens ſuſceperat, quas illa mortua in Regia educabat. Cæterùm Eudocia natu maxima, vltrò ſe Deo conſecrarat, ob formam peſtilenti morbo læſam. Reliquas nulla patria cura, Imperator factus, complectebatur. Erat ille quidem manu ad largiendũ prompta, ſed cùm benignitate non rectè vteretur, in oppoſita liberalitati vitia impingebat. Nã in Barbaros familiares ſuos, mancipia quæ ipſe empta caſtrarat, cubiculóque curando & ſomno conciliando præfecerat, ſummos honores & magiſtratus conferebat, eiſdémque tota plauſtra pecuniarum largiebatur: cæteris parcè admodum manum porrigebat. Ac hi mores eius fuerunt.

*Conſtantini cõiugium & liberi.*

Nunc qua fortuna fuerit, exponamus. Pazinacæ, quam Scythicam eſſe gentem ſuprà diximus, traiecto Iſtro, Bulgariæ non parua detrimenta inferebant. Verùm eos Conſtantinus Diogenes Sirmij præfectus, qui & Bulgariæ Dux appellatus eſt, vltra Iſtrũ profligatos quieſcere coëgit.

*Pazinacæ à Diogene profligati.*

Quũ autem Baſilio mortuo (is enim tributariis clementer ſpatium dabat) biennij vectigalia deberentur: & ea & eius triennij, quo ipſe imperauit, tributa immiſericorditer exegit, quamuis toto tempore imperij eius, pauperes malis frugibus ægrè agitarent.

*Conſtantini acerbitas.*

Claſſem Agarenorum cõtra Cycladas inſulas miſſam Sami dux deuicit, duodecim nauibus vnà cum vectoribus captis, reliquis diſſipatis.

*Claſſis Agarenica deuicta.*

Imperator porrò iam prouectæ ætatis, præter ſenectutis tabem, etiam alio morbo affectus de ſucceſſore imperij deligendo deliberans, in animo habebat, Conſtantinum Dalaſſenum Patricium, deſponſa filia, & generum aſciſcere, & Imperatorem creare. Mittit igitur, qui eum ex Armeniaca prouincia, vbi vitam agebat, accerſẽrent: ſed ante aduentum eius, mutata ſententia, quendam virum primarium nobiliq; genere ortum, & ad præfecti dignitatem euectum, tam ſucceſſorem imperij quàm filiæ maritum eligit.

*Romanus Argyrus Cæſar appellatur.*

Sed cùm res difficultatem haberet, propterea quòd illuſtris ille vir Romanus Argyrus vxorem habebat: quid machinatur? iram grauiſſimam & præcipitem contra hominem ſimulat, & ſatellites mittit, qui eum ad ſupplicium ducerent, & vxorẽ eius, coma tonſa, ad aliud vitæ genus transferrẽt. Illa ſimulationis ignara, mutationem eam alacri animo admittit, reſectóq; capillo, nigrum veſtitum ſumit. At illi in Regiam traducto, altera filia Imperatoris nubit: nam tertia, quòd prior illius vxor, inuita ab eo ſegregata eſſet, cõiugium eius recuſaſſe ferebatur. Sic ille Cæſar declaratus, Zoën duxit. Conſtantinus verò triduo pòſt nuptias debitum naturę perſoluit, ſeptuagenario maior, quũ imperio tres annos vno menſe dempto, inſultaſſet.

*Diuortij fraudulentũ commentum.*

*Conſtantini obitus.*

## IMPERIVM ROMANI Argyropoli.

Romanus deinceps, qui Argyropolus vocabatur, ſceptris potitus, tributum Allelengyũ ſtatim funditùs extirpauit: Dei cantoribus magnæ Eccleſiæ attributis, imperatoriam aureorum largitionem è fiſco tribui ſolitam adauxit: cùm ex eo ſciret id ſtipendium eis non ſufficere, quòd aliquando ædis Sapientiæ verbi diuini œconomus fuerat, dum id munus ab Imperatore tribui ſolebat. ob æs alienum ſiue publicum ſiue priuatum nexos liberauit, illo abolito, hoc ſoluto: pro Conſtantino ſocero maximam pecuniam diſtribuit: plurimos captiuos redemit: epiſcopos per Allelengyũ ad egeſtatem redactos, refocillauit: à defuncto Imperatore ſiue mutilatione corporis, ſiue bonorũ publicatione, ſiue aliis modis afflictos, conſolatus eſt.

*Romani benignitas.*

Sed Pruſianum Magiſtrum Bulgarũ, ſuſpectum quaſi clandeſtina cũ Theodora Zoës Auguſtæ ſorore conſilia tractaret, regnóque inhiaret, comprehenſum in cuſtodiam dedit, ac poſtea cæcauit: Theodorã, Petrium relegauit: Conſtãtinum Diogenem neptis ex ſorore maritum, ob affectatæ tyrannidis crimen, vinctum in turrem coniecit.

*Suſpiciones inſidiarum vindicatæ.*

Mortuo Georgio Abaſgiæ principe, viduam eius, renouationem fœderis & filio vxorem petentem, vtriuſque voti compotem fecit, renouato fœdere, & Helena ex fratre Baſilio nepte, in Abaſgiam miſſa, cuius ſponſum Pancratium Palatij curatorem deſignauit.

*Abaſgianũ fœdus.*

Chalepũ vrbem, quę & Berrœa dicitur, oppugnare inſtituit, ad eámque rem ſe parauit. Nam quum Nicephorus & Ioannes Imperatores, multas vrbes Phœniciæ & Syriæ Romanorũ imperio ſubieciſſent: Baſilius qui ſecutus eſt, Bulgaricis expeditionibus occupatus, eas firmandi ocium non habuit: neque tamen, quoad is vixit, illæ auſæ fuerunt iugum ſeruitutis apertè excutere. Cæterùm Conſtãtino rerum potito, & diſſolutè imperium adminiſtrante: Agareni tempus id exequendi ea quæ animis agitarant, commodum eſſe rati: cæſis præſidiis, vrbes occupant. Chalepi verò princeps continentibus excurſionibus & populationibus ipſam Antiochiam, aliáſque finitimas Syriæ gẽtes Romanæ ditionis, vexabat: à quo Dux Antiochenus, Conſtantino adhuc ſuperſtite, turpiter victus, pleriſque ſuorum amiſſis, vix effugerat: cui Romanus ſucceſſore dato, ipſe quoque ad bellum iuit.

*Romani calamitoſa expeditio contra Agarenos.*

Cùm autem in itinere Chalepitæ legati cum muneribus multis ei occurriſſent, veniam petentes, ac ſeruitutis renouationem & penſionem non ſolutorum tributorum, quæ in poſterum etiam citra tergiuerſationem daturus eſſet, pollicẽtes: quamuis multis illuſtribus

*Chalepitana legatio temerè repudiata.*

bus



bus ducibus ab vlteriore progreſſu tãquam inutili deterrentibus, pacémque ſuadentibus: tamen cœptis non deſtitit, Agarenos facilè ſe victurum opinatus, & re bene geſta magnum & memorabile nomen conſecuturum. Progreſſus igitur in Syriam, vallum cõmunit. Sed Arabes, homines audaces atque expediti in celeribus equis, & nudi, ab vtraque valli parte collocatis inſidiis: ſi qui pabulatum aut aquatum exibant, eos impetu facto cædebant aut capiebant, qua re fiebat, vt & milites & equi præ ſiti deficerent. Deinde incurſionibus illis magis aſſuefacti, & Romanos ignauiæ damnantes, ſubitò ex montibus decurrêre, & clamore Barbarico ſublato, ſpeciem multitudinis ingerentes, quòd non denſata acie, ſed laxata excurrerent, citráq; ordinem vallum inuaderent: omnem exercitum territum in fugam verterunt, atque ipſe Imperator captus eſſet, à turbata cuſtodia incuſtoditus relictus, niſi quidam eum in equum ſublatũ ad fugam cohortatus eſſet, metu penè exanimatum. Romani igitur nullo ordine temeréque fugiebant: Barbari verò inexpectãta fuga ſtupefacti, fugientes non ſunt perſecuti, ſed vallum ingreſſi, paucis illuſtribus captis, direptóque imperatorio tabernaculo, variarum opum & regiæ magnificentiæ plenum, cæteriſque impedimentis in equos ſuos impoſitis, receſſerunt.

*Romanus acerbus quæſtor, et vetus ædificator.*

Imperator verò ſtudio militum ſuorum Antiochiam perductus, atque inde properè Byzãtium regreſſus, non eundem animi habitum conſeruauit, ſed mutatus in deterius, vt amiſſa penſaret, pro Imperatore factus eſt exactor, & acerbus quæſtor, obſoleta patrum debita à liberis exigens, regis cõtra ſubditos redaccenſis, quos temporis diuturnitas vel extinxerat, vel cineribus obruerat. Inde multi paternis ædibus & fundis pellebantur, & priſtinis opibus ſpoliati, ad inſignem egeſtatem adigebantur. Quæ quum fierent, nihil in fiſcum inferebat, ſed monaſterio magnifico & æde in matris Dei honorem extructa, non eam modò pecuniam, verum & è fiſco depromptam conſumebat, dum, vt ille ait.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

*Monachi locupletati.*

Sumptus monachis ſuppeditauit, non illi vitæ generi, ſed hominibus delicatis & voluptariis aptos, conſecratis è publico prouinciis totis & vrbibus, iíſque pinguiſſimis & fertiliſſimis. Atq; hæc hactenus.

*Chalepitica pax.*

Amer autem Chalepitæ filius, vrbem regiam ingreſſus, pacem multis muneribus ab Imperatore impetratam, renouauit.

*Theodora fit monacha.*

Zoë Imperatrix Petrium profecta, ſororem Theodoram pro monacha totondit. Diogenes Conſtantinus pòſt Imperatoris ex vrbe diſceſſum regnum affectans, dum in Illyricum aufugit captus eſt. qui cùm interrogaretur, ſe præcipitem dedit, moríq; præoptauit potius, quàm vi coactus prodere conſcios.

*Romani ab Agarenis & Pazinacis infeſtantur.*

Iis temporibus Arabes Meſopotamiam incurſarunt, Pazinacæ Bulgariam, & orã Illyrici maritimam Agareni: cum quibus ſolis congreſſa claſſis Romana, pleráſque naues eorum incenſas combuſſit: qui è pugna euaſerant, in mari Siculo tempeſtate perierunt. Ex Africa quoque circiter mille naues egreſſæ, multas inſulas & loca maritima quædam vaſtauerunt. Sed Romanæ triremes partem quandam earum adeptæ, multos ſuſtulerunt, & quingentos captos ad Imperatorem in vinculis miſerunt. Georgius verò Maniaces Prothoſpatharius, vrbiũ ad Euphratem Prætor, Edeſſa potitus, epiſtolam Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti manu ſcriptam, quam ibi inuenerat, Imperatori miſit. Fame porrò Cappadociam, Armeniam, & Paphlagoniam premente, locuſtis verò penè totum Orientem infeſtantibus, multi coacti ſunt patria relicta, nouas ſedes quæritare: quibus Imperator auri largitionibus ſubleuatis perſuaſit, vt ad ſua reuerterẽtur. Idem hoſpitales domos atque ædificia Byzancio obuerſa, in quæ antiquitus ij quorũ corpora vel ſacro morbo vitiata, vel lepra infecta erãt, recipiebantur, terræmotibus labefactata renouauit, aquæductum etiã vrbis fractum refecit.

*Romanus fruſtrà è ſterili Sara Iſaacũ exculpere conatur.*

His peractis fata ei inſtabant, quo autem pacto ſit defunctus, exponendum eſt. Imperio recens potitus, longa ſibi & vitæ & regni tempora pollicebatur: quamuis eo iam ſexagenarius potitus, ſéque imperij ſucceſſorem è lumbis ſuis ortum relicturum ſomniabat, neque reputabat. Imperatricem quam in matrimonio habebat quinquagenariam, effœto vtero ineptam eſſe ad ſemen prolificum excipiẽdum, ac principiò rei venereæ magna contentione incumbebat, vnctionibus quibuſdam vtendo, & coniugi gemmas appendendo, quæ conceptum adiuturæ viderentur, illa ferente omnia, ac ne à carminibus quidem & incantationibus abhorrente.

*Romanus quum nihil poſſet, vxoris adulteræ inſidiis necatur.*

Sed quum omnia fruſtrà eſſe, neq; ſe voti compotem poſſe fieri cerneret: non perinde erga vxorem affectus, rarius illam inuiſebat, cùm natura ſegnior ad coitum & mollior: tum verò ætate ſalacitate hebetata. Vt igitur exactis aliquot in imperio annis, Imperatricem auerſabatur: illa & ſui contemptu, & libidine irritata eſt ad viri odium. Erat autẽ Romano priuato adhuc ſpado, cuius fratris Michaelis faciem natura ad exquiſitam pulchritudinem expolierat. qui iam Imperatori à fratre commẽdatus, inter cubiculi miniſtros aſcitus fuerat.

*Zoe Michaelem Cappadocẽ deperit.*

Eius igitur amore capta Imperatrix, ardebat animo, quem ardorem quotidianus conſpectus pulchritudinis illius inflammabat. Cùm autem ſpadonẽ illum pridem odiſſet, tum hominem accerſebat, & inter familiarius colloquendum, percontationes de Michaele interiicicbat. Id quũ ſæpius fieret, homo acutus amore intellecto, fratrem monuit, vt Imperatricem conueniret: ſique ab illa tentaretur, nihil verecundatus, eã & cõtrectaret, & oſcularetur & amplecteretur. Quid multa? vſque ad coitum proceſſit amor ac tandem eò res deuenit, vt mulieris, erga Michaelem affectus palàm erumperet, neque in Regia tantùm, ſed & in triuiis ſuſurraretur, ſoli Imperatori ignotus, cui in eodem cum Imperatrice lecto cubanti, fricare pedes iubebatur Michael. Quis verò eũ mulieris quoque pedes non attrectaſſe credat? Ita factus eſt Imperator amborum quaſi leno & concubinus. Vt autem eũ & ſoror Pulcheria, & alij eam fabulam edoctum, vt ſibi caueret, monuerunt: nihil egit, aliud niſi vt ſuſpectum rogaret, num ab Imperatrice amaretur? eúmque inficiantem & negantem, ſacramento obſtringeret, qúmque ille peieraſſet, calumniam eſſe putauit verba aliorũ. Cæterùm Michaelem, ob id periuriũ atrox morbus inuaſiſſe fertur. Nam, vt quidã

*Michaelis morbus ob periurium.*

tradunt, certis interuallis & mente alienabatur, & oculos diſtorquebat, & tremore corripiebatur, & humi procidebat. Deinde ad ſe redibat. ídque ſæpius ei etiam Imperatore vidente accidebat: qui vicem hominis dolens, magis etiam ſuſpicionem falſam iudicabat. neq; enim talem vel amare vel amari poſſe putabat. Sunt etiam qui dicant, amorem illum non latuiſſe Imperatorem, ſed quum ſciret mulierem laſciuire ac inſanire libidine, toleraſſe propenſionem eius erga Michaelem, ſimulata ignorantia, ne illa cum pluribus rem haberet. Quæ cùm ita eſſent, Imperator in morbũ incidit, inflata facie, quæ quidem mortui ſimilis erat, & crebrò anhelitu ægrè ſpiritum trahebat, maxima parte capitis caluus, capillis delapſis. Quod malum ei veneficiis conciliatum putabatur. Sic affectus in quoddam Regiæ balneum lauatum abit, à nemine ſuſtentatus, neque vllo putante eum ſtatim moriturum. Vt autem purgato corpore in alueum deſcendit, ibi tota fabula peracta eſſe fertur: nam quoſdam caput eius diu in aquam depreſſiſſe, & iam ferè exanimem inde extractum, & in lecto reclinatũ. Qua de re rumore orto, etiam Imperatrix, ob caſum illũ gemens ſcilicet, acceſſit: ac iam certa de illius nece, ſtatim receſſit. Is verò cùm pauliſper adhuc ſine voce iacuiſſet, reiecta per os nigra quadam materia, ſpiritum emiſit. Regnauit annos quinq; cum dimidio, ab ineunte ætate in literis eruditus, & græca doctrina inſtitutus, legũque ciuilium non ignarus. Plura tamen omnino ſe ſcire quàm ſciebat, & putabat & gloriabatur.

*Romani interitus.*

## IMPERIVM MICHAELIS Paphlagonis.

*Zoe Michaelem Imperatorem facit.*

QVo hunc vitæ exitum ſortito: Imperatrix tota in eum fuit, vt Michaelẽ in regio ſolio collocaret. Quamuis autem familiares eius, paterni videlicet miniſtri, ſuaderent, vt mora interpoſita deliberaret: id aſpernata cõſilium, rem ad finem perducere feſtinabat, incitante præſertim ſpadone Ioanne, fratre Michaelis, qui ei clàm inſuſurrarat, ſeſe omnes ſtatim perituros, ſi qua in negocio mora interponeretur. Statim igitur Michaeli ornatum Regium accommodat, eíque in regio ſolio collocato, aſſidens, omnes qui aderant hortatur, vt eum cõſalutent & adorent. Quidam autores ſunt, eadẽ nocte ſacrum nuptiale peractũ, Alexio Patriarcha in Regiã accerſito, qui & Romanum mortuum, & Michaelem imperij auſpicia adhuc peragentem inuenerit. Enimuero eo facinore etiam foris vulgato, tota ciuitas nouum Imperatorem conſalutauit, partim huic gratificantes, partim læti, quòd defuncti odio liberati eſſent. Imperatrix porrò cùm ſe quã rectiſſimè ſibi proſpexiſſe, omníque poteſtate in ſe tranſlata, Michaelem miniſtri vice habiturum putaret: opinione ſua decepta eſt. Nam ad tẽpus ille quidem, priſtinum amorem ſimulans, obſequiis mulierem demulcere, eáque facere, quæ illi grata & iucunda eſſent. Sed cùm ſimulationem longius producere non poſſet, mutatis moribus, eam ſuſpectam habere: ſibiq; metuens, primarios illius miniſtros Regia eiicere, ancillis item familiaribus amotis, alias ſubſtituere: deniq; gynæconitidem claudere, cuſtodiáque adhibita, à nemine illam adiri pati, ni ſatellitum præfecto expoſuiſſet, vnde & quid veniret? Nam & ſuopte exemplo terrebatur, & fratris Ioannis ſpadonis impulſu potiſſimũ id facere putabatur. qui ſpado homo erat acutus & acer, obſcuróque ingenio, varius erga eos quibus cum agebat, promptus, mole curarum indefeſſus, neque epulis neque vino deditus. Proinde nihil de Reipublicæ gerendę ſtudio remittebat. Ac Imperatricis hic ſtatus fuit. Michael verò communium rerum cura ſuſcepta, cũ morbus eius ingraueſceret, quem alij vindictam numinis offenſi periurio interpretabantur, quo non ſecus atque olim Saul angebatur, alij amentiam & inſaniam: in Ioannem ſpadonem totius imperij gubernatio incubuit, cùm quidem monachi veſtem iam olim ſumpſiſſet: ſed habitu duntaxat illud vitę genus profiteretur. Enimuerò Cõſtãtinus Dalaſſenus Patricius, domi degẽs, cũ de nouo Imperatore audiuiſſet, indignabatur, ſummam rerum ad talem hominem eſſe deuolutã. Quare Michael cũ ſuis vehementer perturbatus, verebatur, ne Dalaſſenus regnũ affectaret. Itaq; Ioannes quendã mittit, qui iureiurando affirmaret, nihil ei metuendum eſſe mali, viróq; perſuaderet, vt Imperatorem conueniret. Qui cũ veniſſet, ab Imperatore benignè ſuſceptus, ac muneribus & dignitate auctus, in vrbe degere iuſſus eſt.

*Ioannis ſpadonis mores.*

*Dalaſſenus in carcerem conijcitur.*

CEDR.

*Diſplicuiſſe autem hæc facta Deo, ſatis ipſa exordia apertè docuerunt.*

*Etenim vndecima hora ſanctæ magnæ Dominicæ, grando impetu intolerabili delata, non frugiferas modò ſteriléſque arbores confregit, ſed & domos deiecit, & templa ac ſegetes vitéſque ſolo alliſit. itaque eo anno ſumma fuit ſterilitas. Stella etiam Dominico, qui Paſcha inſequitur, die, hora noctis tertia traiecit, fulgore ſuo luminibus omnium aliarum ſtellarum officiens, ita vt multi opinarentur ſolem oriri. Malus etiam genius Imperatorem inuaſit, neque ante finem vitæ miſſum fecit. Qui ſpecioſo nomine malum id volebant velare, inſaniam animi appellabant: ſanè neque humanum, neque diuinum auxilium, miſerabilibus eum iſtis cruciatibus ac torturis eripuit.*

*Oſtenta.*

*Imperator à dæmone occupatus.*

Nicetas verò Imperatoris frater, dux Daphneę Antiochiæ deſignatus, non eſt in vrbem ab Antiochenis admiſſus. Nam publicorum vectigaliũ exactore, à quo ſe durius tractatos putabant, interfecto, veriti, ne eius facinoris pœnas darent, portas ei clauſerant: nec prius admiſere, quã iureiurando cõfirmaſſet, cædem illã eis fraudi non futuram. Verùm eo iureiurãdo nihil deterritus, multos occidit, & quibuſdam inſignibus ciuibus vinctis, in magnã vrbem miſſis, fratri Ioãni ſcripſit, ſe ab Antiochenis ob beneuolẽtiam eorum erga Dalaſſenũ, excluſum fuiſſe. Hinc Dalaſſenus in inſulã Platen relegatur, & Cõſtantinus Ducas eius gener, de iniuria quiritans, & periurium nõ diſſimulãs, turri cuidam includitur. Pòſt Dalaſſenus etiã è Plata tranſlatus, in turrim cõpingitur.

*Nicetas Antiochiæ Dux*

CEDR. 269.

*Accidit eo tempore aliud quippiam memoratu dignum. Barangorum, per prouinciam Thracenſium in hyberna diſperſorum, quidam mulierem indigenam ſolam nactus, de ſtupro appellauit, ac recuſanti vim inferre aggreſſus eſt. ea barbarum correpto viri acinace, in cor ferit, ac ſtatim necat. Quod factum cum per viciniam innotuiſſet, coiuere cæteri Barangi, & mulierem coronâre, omnibus etiam bonis eius qui ipſam voluerat violare donatam: ipſum autem inſepultum abiecerunt, vt lex iubet eos qui ſibi mortem conſciuerunt. Interim examina locuſtarum, quæ per Helleſponti arenam in littore ſitam diſperſa periiſſe docuimus, ſponte ſua reuixerunt, & omnia Helleſponti infeſtarunt: cúmque prouinciam Thracenſem per integrum triennium populata eſſent, apud Pergamum perierunt. Antequàm id fieret, cuidam de miniſtris epiſcopi inſomnium oblatum fuerat, prorſus rem ipſam repræſentans. Viſus erat ſibi videre eunuchum quendam albis veſtibus amictum, forma effulgente, qui tribus ipſi appoſitis ſaccis, ordine eos iuberetur aperire ac euacuare. Cúmque id faceret, è primo vim ſerpentum, viperarum & ſcorpionum erupiſſe: ex altero rubetas, aſpides, baſiliſcos, ceraſtas, & alias venenatas beſtias: ex tertio cantharides, culices, veſpas, aliáque aculeata animalia. Sibi cum ad hoc ſpectaculum obmutuiſſet, ſplendidum iſtum virum proximè adſtitiſſe, ac dixiſſe: Hæc vobis accidére, & euenient ob violata Dei mandata, & impium facinus in Imperatorem Romanum, eiúſque coniugem perpetratum.*

*Caſtitas.*



*Locuſta.*

*Inſomnium.*

*Eodem anno per* X L *dies terra concuſſa, multi homines Hieroſolymis perierunt, fanorum ac ædium ruinis oppreßi. Anno ab origine mundi* I Ɔ Ɔ C I Ɔ I Ɔ X L I I I, *indictione tertia, menſe Septembri, ignea columna apparuit verſus ortum, vertice ad meridiem inclinante.*

*Agareni Pazinacæ.*

*Conſtantin⁹ Antiochiæ Dux & Domeſticus orientis.*

Sub id tempus etiam Agareni Myra ceperũt, Pazinacæ *paſſim è Romanis prouinciis prædas egerunt. Antiocheno duce Niceta mortuo, Conſtantinus & ipſe Imperatoris frater, ſucceſſit, altero eius fratre Protoueſtiario deſignato. Cum autem Agareni Africani & Cicilienſes, inſulas & oram maritimam infeſtarent: Romana claſſis multas eorum naues cum viris demerſit, multos viuos cepit, quorum alij ad Imperatorem miſſi ſunt, alij in littore trabibus affixi. Pancratius verò Abaſgiæ princeps, cui Romanus Imperator ſuam neptem deſponderat, fœdus Romanum ſoluit, & quibus caſtellis & vrbibus olim Romanis ceſſerat, ea rurſus ſibi vendicabat, fortaſſis, vt Romanorum iniuriam Imperatori, ſuæ coniugis patruo factam, vlciſceretur. Pazinacæ Iſtro ſæpè traiecto prouincias malè tractarũt, captiuis omnibus interficiendis. Arabes Edeſſam obſederũt, eámque expugnaſſent, niſi Antiochiæ Dux Conſtantinus, Imperatoris frater opem tuliſſet: cuius induſtriam ſic remuneratus eſt Imperator, vt eũ Orientalium legionum Domeſticum crearet. Amere Ægypti principe mortuo: vidua illius, quæ Chriſtiana erat, vnà cum filio, pacem cum Romanis facere ſtuduit. Quare Imperator inducias triginta annorum cum ea pepigit. Cùm duo fratres Agareni Siciliæ imperantes, inter ſe diſſiderent, eorúmq; alter Imperatoris opem imploraſſet: Patricius Georgius Maniaces auxilio illi miſſus eſt, Longobardiæ Prætor deſignatus. Qui antequam in Siciliam veniſſet, illi inter ſe reconciliati, & Maniacẽ inſulæ aditu prohibere conati, auxilia Carthagine euocarunt. Sed pugna cõmiſſa, Romanus exercitus vicit, magnaq; cæde Carthaginenſium edita, tredecim vrbes principiò vaſtauit: deinde paulatim progrediẽs Maniaces, totam Siciliam Romano imperio reſtituit. Edeſſa verò parum abfuit, quin ab Arabibus dolo caperetur. Nam duodecim eorum principes quingẽtos camelos Edeſſam adduxere, binas ciſtellas geſtantes, quæ totidem armatos claudebant, ſimulantes ſe Imperatori munera oblaturos. ſed ſi intromiſſi eſſent, in animo habebant, noctu eductis armatis vrbem capere. Pręter principes ad ſe ingreſſos honorificè excepit, eorum miniſtris cũ camelis adhuc extra vrbem relictis. Sed quũ quidam Armenius mẽdicus, Arabicæ linguę gnarus, apud Arabes foris diuerſantes mendicaret, audiuit quendam è ciſta percontantem, vbi eſſent? & vrbem ingreſſus, cõmentum prætori aperuit. Is Arabum principes in vrbe conuiuantes reliquit, & cũ ſuis egreſſus, apertis ciſtis, armatos omnes interfecit, ac in vrbem regreſſus, duces qui reliqui erant, gladio confecit, vno tantùm dimiſſo, ambabus manibus, naſo & auribus truncato, qui cladem illam domi nunciaret. At Carthaginẽſis ſuarum copiarum interitu cognito, ipſe cum maiore exercitu in Siciliam proficiſcitur. Maniaces caſtris contra eum poſitis, & claſſis præfecto Patricio Stephano Imperatoris affini (nam is quoque vnà miſſus erat) mãdat, vt oram maritimam diligenter tueatur, ne Carthaginenſis victus effugere queat. Prælio commiſſo, tanta multitudo Afrorum periit, vt nullo propè numero comprehendi queat. Sed eorum princeps pugna elapſus, conſcenſo celoce, deceptis claſſiariis, domum rediit. Id Maniaces ægerrimè ferens, claſſis præfecto conuiciatur. Is verò Imperatoris affinitate fretus, quum iniquo animo contumelias accepiſſet, ac viciſſim aliquid dixiſſet: à Maniace ira percito verberatus, ſtatim literis ſcriptis ad ſpadonẽ Ioannẽ vxoris ſuæ fratrem, cognomento ab alendis pupillis orphanotrophũ, Maniacem calumniatur, vt defectionem molientem. Qua ille de cauſa vinctus in vrbem ductus, cuſtodiæ mandatur, omni autoritate in Stephanum tranſlata, neque multo pòſt inſula in Agarenorum poteſtatem rediit, Ducis imperitia, ſocordia, ac ſordibus in primis, ſola Mæſſana (quæ & ipſa Siciliæ vrbs eſt) virtute Catacalonis Ambuſti præfecti, Romanis conſeruata, qui idem multa hoſtium millia cęcidit. At Imperatoris frater, ſpado Ioannes, pontificatus cupiditate flagrans, quoſdam ex primariis ſacerdotibus ſibi conciliauit, qui ei pollicebãtur, ſe loco moturos Alexium Patriarcham, vt qui non communibus ſuffragiis, ſed Imperatoris autoritate creatus eſſet. Ille verò, Si, inquit, contra canones me Patriarcham eſſe factũ aſſeritis, ij etiã qui à me electi ſunt, loco moueãtur. Id reſpõſum effecit, vt cęteri ſacerdotes à Patriarchæ accuſatoribus diſſiderent, & orphanotrophus impos voti redderetur: qui ad quæſtus excogitãdos callidiſſimus, cùm multis inſolitis exactionibus ſubditos vexaret, accidit vt ſoror eius Maria Michaelis Calaphatæ, qui pòſt imperauit, mater, votis exolutis, Epheſo reuerſa narraret, quàm miſerè ſubditi nouis illis exactionibus tractarentur, ac peteret, vt onus illud laxaretur. Cui cum cachinno reſpondit Orphanotrophus, eam ſentire vt mulierem, quæ ignoraret, quantam pecuniã poſtulet imperium. Zoë verò Imperatrix illi inſidiata eſſe fertur. Medico enim potionem purgantem ei propinaturo muneribus & pollicitationibus perſuaſit, vt toxicum pro ſalutari medicina offerret, ſed ille animaduerſis inſidiis, periculũ euitauit. Cùm autem Reſpublica ſic ab

*Abaſgiæ defectio.*

*Edeſſa à Cõſtantino defenſa.*

*Ægyptiacæ induciæ.*

*Georgi⁹ Maniaces re in Sicilia bene geſta, malè tractatur.*

*Agarenorũ dolo Edeſſã occupare conantiũ cædes*

*Stephanus amoto Maniace amittit Siciliam.*

*Vſtus Catacalo Meſſanam defendit.*

*Orphanotrophus ſpe patriarcha tus excidit.*

*Orphanotrophi & fratrũ rapacitas.*

*Orphanotrophi fratres.*

eo adminiſtraretur, fratres eius nō minus omnes exagitabant, homines iniuſtiſſimi & auariſſimi: quos quum Imperator etiam ea de cauſa odiſſet, tamen maior frater ſpado Ioannes eos cohercceri non patiebatur, aliàs excuſando, aliàs tegendo facinora eorum, vel ad cognitionem Imperatoris peruenirent. Cæterum morbo inualeſcente, & mentis alienatione ſæpius inuadente: neque frequēter in publicum prodiit Imperator, neque pompa regia vſus eſt, neque ſecurus in ſolio regio ſedēs, reſponſa dedit, ſed vela circum ſuſpenſa, ij qui ſigna mali aduētantis obſeruabant (quæ quidem complura erant) animaduerſa mentis alienatione, ſtatim obducebant, & aſtantes ſecedere iubebant. Is verò morbus vt ſubitò accedebat, ita etiam ſubitò recedebat. Sic affectus Michael, paulatim à conſpectu & acceſſu Imperatricis abſtinebat, ſeu verecundia, quòd pro tantis meritis talem ei gratiam reponeret, ſeu pudore, ne in morbo quo ſæpiſſimè & ſubito corripiebatur, ab ea videretur, ſeu ob corruptum corporis habitum, & ad coniugalem conſuetudinem iam ineptum. Quidam verò aiunt, eum viris ſpiritualibus & adulterium & cædem Imperatoris confeſſum, cum alia ab eis præcepta accepiſſe, tum vt re venerea abſtineret. eadémque de cauſa multum pecuniæ erogabat, & ſacras ædes extruebat, & ad inclytum martyrem Demetrium Theſſalonicam peregrinabatur, illius mali depulſionem orans. Verùm ad illud etiam hydrops acceſſit.

*Michael & publico, & conſuetudine vxoris abſtinet.*

Quæ cum frater eius Ioannes videret, veritus, ne eo ſubitò extincto, imperium ad Zoēn iure hæreditario rediret, ipſéque cum omni familia extirparetur: probabilibus verbis Imperatori perſuadet, vt nepotem ex ſorore Michaelem in imperij ſucceſſionem Cæſarem appellet. cuius quia Zoē hæres erat, vt dictum eſt, illam quoque arte tractat. Ita matronam nobilem, matrem ignobilis pueri fingūt. Ambo enim fratres ea de re cum illa collocuti, Michaelem filium eius adoptiuum nominant. Ea verò quæ nec voluntatibus eorum refragari auderet, & alioqui facilis ac tractabilis eſſet, annuit. Senatu igitur & * iis qui ordinem imperatoriū explent, in Blacherniam ædem conuocatis: Imperatrix producta in medium, & intra ſacrarij cancellos progreſſa: inde Michaelem adoptatum, pro filio vlnis excipit, eundémque Imperator ſtatim Cæſarē appellat, & populi frequentia conſalutat.

*Michael Calaphates Cæſar appellatus, à Zoe adoptatur.*

» Ac Ioannes quidem ſe negocium omne confeciſſe iam, & imperium ſuæ familiæ cōſtabiliſſe putabat: ſed eo pacto & ſemetipſum, & omnes ſuos neceſſarios funditùs euertit, vt ſuo loco referetur. Bulgari porrò ab Imperatore Baſilio, vt dictum eſt, ſubacti, ſuo regno euerſo iugum ſeruitutis ad tempus tulerunt. Tandem verò cùm de eo excutiendo, & detrectādis imperatis cogitantibus dux & autor deeſſet: vir quidā obſcuro ille quidem genere ortus Dolianus, ſed doli & aſtutiæ plenus, Byzātio vt fertur, fuga elapſus, & ſe filium naturalem, non legitimum Aaronis, qui frater Samuelis fuit: principis Bulgarorum, profeſſus, à Barbaris Rex eligitur.

*Michael quā uis hydropicus Bulgariā recuperat.*

Ex eo tempore gens apertè defecit, & ad latrocinia conuerſa eſt. Ad eorum igitur graſſationes cohercendas, quidam Dux cū copiis miſſus, cùm milites ſuos malè tractaret, eorum iracundia periiſſet, niſi aufugiſſet noctu. Eius verò exercitus metu pœnæ defecit, & quendam è ſuo numero Tichomerum Bulgarum genere, ducem creat, & regē Bulgariæ nominat. Sic res Bulgarorū diuiſæ ſunt, aliis ad Dolianum, aliis ad Tichomerū confluentibus. Sed Dolianus aduerſarium dolo aggreſſus, ad Regni & belli Romani conſortium accerſit. Qui cùm paruiſſet, congregato Bulgarico populo, Dolianus ait: Res Bulgarica nūquam ſalua erit ſub duobus regibus. Quòd ſi veſtræ ſaluti conſultum cupitis, alterum noſtrum è medio tollite. Ac ſi me ex genere Samuelis eſſe noſtis, Tichomerum amouete. Sin minus, illi parete, méque tollite. Hinc clamore ſublato, ab omnibus Rex conſalutatur, Tichomerus lapidibus obruitur. Dolianus ita rerum potitus, Dyrrachiū capit, & Græciam aggreſſus, Nicopoli cum finitimo agro potitur, vltrò deditione facta à ciuibus, orphanotrophi inſatiabilem rapacitatē non ferentibus, ac, vt prouerbio dicitur, Myſorū prædam facit Romanas dictiones. At Imperator defectione nunciata, ad autorem eius comprehendendum incitatus, iniquum eſſe dicebat, ſi ipſe, qui nihil ad imperium attuliſſet, partem eius aliquam rapi ab vllo pateretur. Sed quia de ſalute eius iam deſperatum erat (inualuerat enim hydrops tumefacto corpore) tum cognati expeditionem eius deprecabantur, tum principes ſenatus conſilium improbabant. Ille verò æmulatione confirmatus, & corporis imbecillitatem animi viribus ſuſtentans, contra ſeditioſos proficiſcitur, ac res mira quædam accidit. Nam cum noctu morbo opprimeretur, nec poſtridie ſurrecturus putaretur: diluculo in equo conſpiciebatur, & exercitum præcedebat. vt in Bulgarorum fines venerat, ſéque ad acie decertandum parabat: priuſquam exercitus congrederentur, quiddam interuenit, quòd Imperatori celerem victoriam ſine labore vllo peperit. Nam Aaronis illius filius, Patricius Aluſianus, cùm apud Romanos eſſet, atque Imperatorem nonnihil offendiſſet, ea pœna mulctatus erat, vt domi ſe tenens neque Regiam frequentaret, neque Byzantium intraret, ſine permiſſu Imperatoris. Ea calamitate dolens, vbi gentis ſuæ defectionem cognorat, & Doliani electionem, cui parendum eſſet: domo effugit, mutatóque veſtitu, & Armenij habitu ſumpto, Theodoricano ſe famulum eſſe, & in caſtra ire ſimulans, à nemine agnitus eſt donec in Bulgariam perueniſſet: ac ne ibi quidem ſtatim ſe cognoſcendum præbuit, ſed inter colloquendum, Aaronis mentionem apud quoſdam interiecit, ac dixit: Si quis illius liberorū adeſſet: nunquid vobis legitimus ſpurio in regni ſuffragiis præferendus videretur? Cùm omnes germanum Aaronis filium regem optarent, vt principatus in virum cuius natales haud ambigui eſſent, quíque ex vetuſta regia ſtirpe citra controuerſiam originem duceret: arcanum cuidam ex iis, quibus Aaronia familia notior erat, aperit: qui cùm faciem illius oculis curioſius perluſtraſſet, tādem ſignum etiam indubitatum videre cupit. Id verò erat nigra macula in cubito dextro, denſis pilis circundata. Quod quum vidiſſet, iam omni ſcrupulo exempto, proſtratus, viri pedes amplectitur, ac cæteros quoque docet, adeſſe regij generis ho-

*Doliānus et Tichomerus temporarij Bulgarorum reges.*

*Aluſiani opera Bulgari ſubiguntur.*



minem. Multi igitur ab ambiguo illo auulſi, ad germanum ſe contulerunt. Sed cum diuiſo imperio, principibus inter ſe diſſidentibus regnū conſiſtere omnino haud poſſe cenſerent, inter ſeſe paciſcuntur, vt communi conſilio Rempub. adminiſtrarent, nihilo ſecius vterque alteri ſuſpectus atq; inſidians. Verùm Aluſianus ad inſidiandum promptior, Doliani dolum anteuertit. Nam conuiuio apparato, & collega inuitato: miſerum hominem inter pocula comprehenſum excæcat. Sic * Scythicæ gentis imperio ſolus potitus, Imperatori ſecretò nunciari iubet, ſe illi deditionem facturum, ſi clementer ſuſcipiatur, & iuſtis præmiis nō fraudetur. Ille nec acceſſum eius abnuit, & parem gratiam relaturū pollicetur. Cùm igitur veniſſet, magiſter creatur, Imperator verò gentem rege deſtitutā & diſperſam, ſtatim haud difficulter ſuperatam, Romano imperio rurſus ſubiicit, & in vrbem reuerſus triumphat, cū multos alios captiuos, tum Dolianum cæcatum adducens.

*Dolianus cæcatur.*

Sed cùm malè haberet, nec longè à diſſolutione compagis abeſſet, deſpecto imperio relictáque Regia, in monaſterium ſuburbanum à ſe extructum, mirificorum Anargyrorum indito nomine, ſecedit: ibíq; purpura cæteríſque inſignibus imperij abiectis, raſo capillo initiatur, & Chriſtianæ ſubmiſſionis lacerna induta, ſacro vellere voluntariæ mortificationis ſigno cingitur, iam vel ingratis mortificādus. Eo facto nunciato, Imperatrix pedes illo profecta excluditur, ad colloquium non admiſſa: haud ſcio num verecundia malæ tractationis, an quod totus pœnitentiæ deditus, veteris erga illam affectionis memoriam renouare noluerit. Sic illa Michaelem non allocuta, diſceſſit. Ipſe verò iſti mutationi haud diu ſuperſtes, vſque ad extremum ſpiritum admiſſum, in Romanum facinus deplorare nunquam deſtitit. In Imperio ſe clementem & equū præbuit, quantum in ipſo fuit, ſed fratres bonitati eius quādam ignominiæ quaſi maculam aſperſerunt. Regnaſſe fertur ab aliis annos ſeptem, ab aliis paulò diutius.

*Michael fit monachus.*

## IMPERIVM MICHAELIS Calaphati.

Romanorum verò maieſtas ad Cæſarem deuenit, auunculi eius induſtria. Nam Michael Imperator, Cæſarem illū quidem appellarat, vt ſuprà ſcripſimus, ſed veluti facti pœnitēs, beneuolentiam erga illum non cōſeruarat. Vnde & extra vrbem diuerſorium ei conſtitutum erat, neque permiſſum adire Imperatorem, niſi iuberetur. Sed cum iis Regia exceſſiſſet, vt dictum eſt, fratres illius, nomine imperatorio literas confinxerunt, quibus illi acceſſus in Regiam permittebatur. Quò cum veniſſet, autore Orphanotropho nullā rem ſine cōſenſu Imperatricis ſuſcipiendam cenſuit. Eam igitur adeunt, & Cęſare ad pedes illius proſtrato, adoptionis commonefaciunt, fidéque data ſanctiſſimè iurant, Michaelem verbo tenus duntaxat, Imperatorem fore, illius verò autoritatem omnem eſſe oportere, vſurámque ipſis nō ſecus ac ære & libra emptis mancipiis. His illam, per ſe quoq; facilem, præſtigiis ac blanditiis delinitam ita ceperunt, vt in ipſorum poteſtate eſſet.

*Calaphates Orphanotrophi opera potitur Imperio.*

Itaque Michael ſceptrum accipit, & regia corona redimitur, qua indignus erat, non tam ob genus viliſſimum & obſcurum (pater enim eius naues picare ſolebat) quàm ob morum improbitatem. Fuit enim ingenio ſubdolo, animo iniquo & ingrato, neque cognationis nec amicitiæ iura reuerens, lingua porrò ab animi ſententia diſſentiēte ac diſcrepāte, alia tegere, alia dicere ſolitus. Ad ea accedebat ſingularis inuidentia. Temporibus difficilibus ſeruilis erat & illiberalis, iracundus & mutabilis: ſic tamen, vt à beneuolētia facilius quauis de cauſa ad maleuolētiam declinaret, quàm ab iracundia ad clementiam. Quamuis autem talis eſſet, ad gubernacula imperij aſcendit, in ruinam & exitiū Orphanotrophi auunculi, & totius familiæ ſuæ. Neque enim fictos & ſimulatos mores diu tenuit, ſed perpaucis diebus auunculum dominum appellauit, conſeſſu ſuo dignatus, & omnia ad illum retulit. Deinde paulatim aliquid de honore ſubtraxit, Pòſt pleriſque in rebus eius autoritatem nihili fecit, & aliàs aliud egit, quo ille morderetur. Qui etſi ſtudium erga nepotem ſuum damnabat, tamen quid in præſentia faceret, nō habebat, ſed clàm neſcio quid cum animo ſuo agitans, rarius adibat Imperatorem. Enimuerò controuerſia inter ipſum & fratrem Conſtantinum orta, cui ſoli ex omnibus neceſſariis Imperator adhærebat, ac nobiliſſimi titulum conceſſerat: cum Imperator Conſtantinum non caſtigaſſet, ob Orphanotrophum aſperius ſe præſente increpatum: ille dolore cōtumeliæ exacerbatus, longius ab vrbe receſſit. Quo cognito magnam Senatus partem ad ſe attraxit, nō quòd eum tanta beneuolentia proſequerentur, ſed vt eius beneuolentiam colligerent. Imperator verò multorum ad illum conuentū metuens, per literas ei ſuperbia obiecta, petit vt ad ſe veniat. Sed cum ille iret, non expectato auunculi aduentu, ludis Circenſibus in theatrum ſe contulerat. Eo igitur non inuento, ob contumeliam adhuc ira æſtuās Orphanotrophus, recedit. Tum verò Imperator in manifeſtas inimicitias erumpit, miſſaque naue eum adeſſe iubet, vt ſuperbiæ ſuæ rationem reddat, & ad Regiam nauigātem, ex ſuperiore loco, nota iis à quibus vehebatur teſſera data, aditu prohibet, ſtatímque miſſa triremi hominem relegat, hoc modo remuneratus eum, cuius beneficio primùm Cæſar, pòſt etiam Imperator fuerat deſignatus.

*Calaphatæ natales & mores.*

*Orphanotrophus malè tractatur à Calaphate.*

Quem cum amouiſſet, cognatos inuadit, & viros non ſexu duntaxat, ſed ætate etiam, barbatos iam, maritos & patres, virilibus exectis, eunuchos facit. Cum de cognato ſanguine ita triumphaſſet, vnum ſibi Herculanum certamen ſupereſſe ratus Imperatricis etiam exigendæ, ad id quoque ſe parat, ſuaſu & impulſu Conſtantini auunculi. Filius igitur ignobiliſſimus contra matrem nobiliſſimam rumores ſpargit & crimina comminiſcitur, eámq; inſontem veneficam vocat, vitæque ſuæ inſidiari queritur. Et quid ambages agam? Eiicit eam regia, & in Principis inſulam relegat, deniq; benè de ſe meritam tondet, aliúmque habitum ſumere cogit, & pro purpura, quæ ab atauis inde illi conueniebat, lacernam induere. Quo ille facto, quaſi rebus omnibus confectis lætus atque inſo-

*Calaphates cognatos caſtrat et Zoen relegat.*

lens,luſibus & deliciis ſe dedebat.Cæterùm vindicta non dormitans,celeriter iniquum & ingratum hominem eſt aſſecuta.Nam facinore illo in vrbe vulgato, omnes mœſtos & triſtes erat cernere, nec ſecus atque in propria calamitate affectos.Tandem etiam conuicia in tyrannum iaciebant.Mulierum verò cœtus lugebant & Imperatricem inuocabant. Poſtremò tota ciuitas in manifeſtam erupit ſeditionem.Et vt audaciam illius vlciſcerentur,vita neglecta,quicquid erat obuiũ, eo dexteras armantes,ad Regiam concurrerunt.

*Seditio ob Zoen relegatam.*

Illum verò principiò motus populi nõ adeò cõmouit,ſed cum plebem furere videret,ſéque centuriare,& affluere turbam,ſuos autem ſatellites, animi eſſe dubios cerneret (Nam ij quoque facinus in Imperatricem admiſſum oderant)territus æſtuare cœpit. Sed eũ angorem Nobiliſſimus ei nonnihil leuauit.Qui cum domi ſeditionem cognouiſſet, ſuis miniſtris, quos alebat plurimos, armatis,per medium forum in Regiam abiit,ſtatímque mittit,qui Imperatricem reducant,& ſeditioſis quoſdam opponit,qui ex occulto eos telis peterent,& fundis inceſſerent,vnde non ſanè pauci perierunt. Imperatricem verò iam reductam,atque in ſummo theatro collocatã,tumultuantibus oſtenderunt,vt viſa domina,furor eorum compeſceretur. Id verò velut incentiuum quoddam ſeditionis fuit, & iracundiam populi inflammauit. Nam conſpecta veſtium mutatione,bellum violentius exarſit,ac tyrannicæ malignitatis odia relicta Imperatrice Zoe, ad ſororẽ eius Theodoram conuerſi: quæ & ipſa, vt ſuprà expoſitum eſt,ſororis iuſſu habitũ mutarat, duce quodam paterno eius famulo,veluti militari globo circundatam, ex ædibus in magnam Eccleſiã Diuini verbi ſapientiæ perduxerunt: vbi à toto ſenatu,populo & ſacerdotibus,Auguſta & Imperatrix eſt conſalutata.

*Theodora Imperatrix ſalutatur.*

Ea res Michaeli & ſuis omnem ſpem ademit. Itaque vitæ metuens, relicta regia cum Nobiliſſimo naui Imperatoria conſcenſa, in celebre Studij monaſterium, abiectis Imperij inſignibus,habitúq; monaſtico ſumpto, conceſſit. Quo populus cognito, lætitiam diſſimulare nequiens, ad illum concurrit. Die verò iam ad occaſum vergẽte, Theodoræ ſtudioſi veriti, ne Zoe eiectum reuocaret,quò ſororem cõſortem Imperij habere non cogeretur, mittunt, qui vtrique oculos effodiant. Cum igitur ex ipſo ſacrario Studienſis monaſterij extracti, abducerentur: multitudo quæ illò confluxerat, eis illudebat & inſultabat,cantilenas quaſdã tãquam in tragœdia occinens, donec eis in loco qui Sigma dicitur,oculi ſunt effoſſi,Conſtantino calamitatem eam fortiter ferente: Michaele verò quiritante & lamentante.

*Michael & Conſtantinus cæcantur.*

Ea re peracta miniſtri pœnæ ad Theodoram adhuc in templo verſantem redierunt. Zoæ verò in Regiam reuerſæ minimè placebat, vt erat ambitioſiſſima, ſororem poteſtatis conſortium admittere. Verum Senatus vtranque venerans,hanc vt iam pridem Imperatricem ſuam,illam,vt recẽs deſignatam, & euerſæ tyrannidis cauſam:natu maiori perſuadet, vt ſororem collegã admittat. Theodora igitur Regiam ingreſſa pari cum Zoe poteſtate vſa eſt,cæcati autem exilio mulctati ſunt: Imperio eorum quatuor menſibus & quinque diebus terminato, quod vtinam citius amiſiſſent.

## IMPERIVM ZOES ET THEOdoræ Sororum.

Romanorum Imperio in gynæceũ deuoluto,nemo inſidiatus eſt mulieribus,ſed paruerũt omnes tam principes Senatus, quam tribuni militares. Sederunt igitur ambæ pro tribunali,omnes regiæ cærimoniæ apud eas peractæ,adhibita de more cuſtodia,primariis ſenatoribus, & magiſtratibus venerabundis circũſtantibus, quæſtiones porrò controuerſiarum, trãſactiones publicarum diſceptationum,auſcultationes legatorum,comitia, cæteráque regni ſolennia vſurpata apud illas. Cæterùm vel metu,ne ſoror, rerum ſola potiretur (ſuſurrabant enim quidam, ad ſolam Theodoram pertinere imperium,quod cauſa fuiſſet pellendi tyranni)vel deſiderio viri & coitus impulſa Zoe,de Imperatore & marito in Regiã accerſendo deliberauit.

*Zoe Conſtãtino Monomacho nubit.*

Adductus igitur eſt Conſtantinus Dalaſſenus, quaſi alia de cauſa accerſitus.Sed cum aſperius locutus eſſet, & ingenio videretur præfracto & intractabili, repudiatus eſt. Deinde ad alium inclinauit neque nobilitate neque dignitatibus aut magiſtratibus illuſtrioribus geſtis inſignem, ſed ob formam Imperio dignum, quæ animum etiam non deditum luxuriæ in amorem pellicere poſſet. Ad eum igitur Imperatrix plenis velis ferebatur, ſed eius ſuffragio morbus interceſſit, qui virum ſubitò è vita ſuſtulit. Neque ſuſpicionis expers fuit coniunx illius,vt quæ eum ex zelotypiá toxico dato necarit, ne viuente adhuc marito priuaretur, atque aliam ei accubantem videret.Sic ille ſpe,Imperatrix voto ſuo fruſtrata eſt. Verùm eius calculi ad Conſtantinum Monomachum inclinarunt, virum nobilem & illuſtrem, formáque excellenti præditum, qui prima coniuge defuncta,Romani Imperatoris nepte ex fratre ducta, nihil ab illo magnificum conſecutus erat:tamen cum propter affinitatem in aula verſaretur, Imperatrici charus & familiaris factus, multorum talentum munera ab ea,vt erat manu liberali,& animo regio,acceperat.Vnde ſuſpicaces & maleuoli anſam malè de eis loquendi arripuerunt,& Michael Romani ſucceſſor, qui illa quoque audierat,rerum potitus, virum confictis quibuſdam criminibus Leſbum relegauit, cum vera cauſa vna zelotypia eſſet.In eo exilio, toto imperij Michaelis tempore,fuit,nec alterum Michaelem magis propicium habuit. Sed poteſtate Zoe reſtituta, ab exilio in vrbem regiam reuocatur.Cui cum appropinquaſſet,ſubſiſtere iubetur, & iuxta Damocranium Archiducis templũ à quodam ex aula miſſo,veſte imperatoria exornatus vrbem cum imperatorio comitatu ingreditur. Ac nuptiale ſacrum à quodam ſacerdote peragitur, Alexio id minus ob tertias nuptias defugiente, idem tamen poſtridie ſolennitatem coronationis peregit. Sic Monomachus & coronam & ſceptrum imperatorium accepit,

IMP



## IMPERIVM CONSTANTINI Monomachi,ſeu Gladiatoris.

*Monomachi negligẽtia et mollicies.*

Ex eo finita ſororũ poteſtas, quæ trimeſtre durarat, ad Monomachum eſt tranſlata.Is nulla ratione prudentíue conſilio vel dignitates vel pecuniam eſt largitus.Sed & dignitates promiſcuè in indignos contulit, & ſi fiſcum eodem exhauriri die contigiſſet, nihil referre putauit. Iis tamen à quibus priuatus offenſus fuerat,iniurias bona fide condonauit,ſéque voluptatibus & deliciis dedidit,partim vt moleſtiam ex tempeſtate calamitatum conceptam ex animo expueret, recens in tranquillum Imperatoriæ potentiæ veluti portũ peruectus, partim vt Imperatricibus gratificaretur,iucundúmque ſe præberet,quæ leuibus erant ingeniis.Eruditioni ac potius viris eruditione claris operam dedit,cum ipſe doctrinam vix primis labris, vt dicitur, deguſtaſſet. Hoc Regiæ ſtatu, prouinciæ Romanæ fortuna parum ſecunda vtebantur.quod etiam præmonſtratum fuerat à cometa quadã quæ ſexta Octobris die indictione XI anno mũdi IↃↃCIↃIↃLI apparuit ab oriẽte ad occaſum proficiſcens: totóque illo menſe fulſit.

*Boiſthlauus Stephanus in Illyrico graſſatur.*

Nam Scytha quidam Boiſthlauus, Byzantio profugus collecta manu Illyrici montes inſtar feræ inſedit, gentéſque iis montibus finitimas Romanæ ditionis vt Triballos, Seruios & id genus alios latrociniis infeſtauit. Quo nũciato Imperator Dyrrachij præfecto ſcribit,vt cum Stephano (Nam id quoque nomen Boiſthlauus habebat) congrediatur.Qui cum pugnam temerè commiſiſſet, (neque enim artis imperatorum peritiam habebat) ſuos milites in magnam cladem coniecit, ipſe cum paucis ægrè elapſus,reliquo exercitu omni illic cæſo, qui nec manibus vti, nec interfectores vlciſci potuit. Et hæc in Illyrico geſta ſunt. Monomachus autem (nam de rebus eius domeſticis agendum eſt prolixius) altera vxore mortua, tertias ſibi nuptias celebrandas non putabat,ſed cõſobrina vxoris ſuæ,viduæ conſuetudine, principiò clàm, pòſt etiam haud diſſimulanter vtebatur.

*Monomachus vnà cũ Zoe Scleranã vxoris loco habet.*

Ea verò & adoleſcentula erat,& formoſiſſima,& nobili Sclerorum ſtemmate orta. „ Eo porrò animorum nexu deuincti, „ eo amoris ardore inflammati erant, vt niſi vnà eſſent, vitam ſibi morte acerbiorem putarent. Itaque illum mulier vltrò in exilium,cuius ſuprà facta eſt mentio,relictis omnibus,eſt conſequuta,vt amans redamantem videret, neque ab illo exularet.Comitata igitur virum, omnibus obſequiis deliniuit,calamitatem pro virili leuauit, de ſuo ſuppeditatis ſumptibus, ne præter alias moleſtias, etiam inopia conflictaretur. Nam & ipſa ſpe principatus,inani quidem,illa tum nitebatur. Vt verò ille in ſpeculam Imperij ſublatus fuit, nec in rebus ſecundis mulieris eſt oblitus, ſed cũ Imperatrice egit, vt reuocaretur, & commodis eius cõſuleretur.Ea verò, tum zelotypia ob prouectiorem ætatem abolita, tum experientia malorum facta moderatior,non abnuit.Sic Scleræna Mitylena reducitur; cui non ſtatim ſplendidũ domicilium,aut delicatum miniſterium eſt paratum,ſed progreſſu temporis, & regia cuſtodia eſt adhibita,& domus eius in palatium transformata. Nam ſe ſibi ædes extruere ſimulabat Monomachus,quo in loco illa habitabat,vt per ſpeciem inſpiciendæ ſtructuræ, ſæpius eam viſeret. Ac ad tempus quaſi verecundans, amorem velo quodam obducebat, tandem verò & pudore & diſſimulatione abiecta,mulierem non vt concubinã & ex ſemiſſe coniugem, ſed planè pro vxore tractabat.Itaque illi ex Imperatoriis theſauris fluminis inſtar diuitiæ affluebant, & aureæ venæ aperiebantur, Imperatore apertè illam conueniente:qui intolerabile ſibi fore exiſtimans, niſi perpetua eius conſuetudine frueretur:re prius cũ Imperatrice communicata, & eius conſenſu impetrato,Sclerænam in Regiam traducit. Quinimo fœdus amicitiæ inter mulierculas ictum eſſe de Imperatoris ſententia perhibetur. Ac mulier Auguſtæ honorem adepta eſt,& dignitate & appellatione pridem imperatoria, in primam eam collata,cum Domina vocaretur.Quæ omnia Imperatrix nec iracundè nec moleſtè tulit.Sed cum maritus medius & inter ipſam & Auguſtam habitaret:prius eum conuenire non ſolebat, quàm accuratè perquiſiſſet, adamatam apud eum non eſſe. Quæ cùm eo loco tantúmq; felicitatis adepta eſſet, ac maiora etiam ſperaret: magno cum luctu Imperatoris,ſubitò ex morbo decedit.Poſt eius obitum idem bello ciuili conflictatur.

*Georgius Maniaces tyrannide affectata occumbit.*

Nam Georgius Maniaces vir & animo fortiſſimo, & manu promptiſſima, & ducendi exercitus peritiſſimus dum mulieres rerum potiebãtur, ad Italiam tutandam,& ad ea quæ ab exteris occupata erant,recuperanda ablegatus, cum hoſtibus decertabat. Verum axe Imperij ad Monomachum deuoluto,Romanus Sclerus, adamatæ mulieris frater, cuius ob ſororem magnæ opes erant (Nã ab Imperatore & Magiſtri & Protoſtratoris honorem adeptus erat)domum Maniacis,in Orientali prouincia ſibi finitimam,malè tractauit,memor veteris iniuriæ, qua ab illo in contentione quadam oppreſſus fuerat. Idem thorum quoque Maniacis polluiſſe ferebatur.Quæ viro nunciata magnam & indignationem & mœrorem attulerũt. Pòſt magiſtratu etiam Romani opera erepto,ſi Conſtantinopolim reuerteretur,ſe Imperatorem propter Sclerum malè propitium habiturum cogitans,iacta alea regnum affectat.Multi igitur milites ad eum,vt ſummum ducem & virum bellicoſum confluxerunt.Itaque exercitum nauibus impoſitum, in continentem Italiæ obuerſam traiicit.Ea re Imperator perturbatus, Maniacen per literas omni metu liberat, ſi ab armis diſceſſerit pollicitationibus additis. Quum verò ille ſemel affectato regno arma retineret: bellũ contra eum ſuſcipit, duce copiis præpoſito non ſtrenuo aliquo viro& in re bellica exercitato,veritus ne talis idem auderet, ſed ſpadone perſpectæ fidei, cubiculi miniſtro. Quo cum exercitu abeunte,Maniaces feſtinat, vt hoſtes imparatos adhuc opprimat,eóſque commiſſo prælio in prima acie verſans profligat. „ Sed prouidentiæ nutu res noſtras gubernantis, ſubitò commutata belli fortuna,milites eius vincuntur.Nam dũ aciem obequitans phalanges diſſipat, & ij quos inclamat,ſtatim diſſoluta teſtudine cedũt,lethale vulnus accipit,ac multi ſanguinis profluuio caligine oculis oborta,habenis manu elapſis ſella deuol-

uitur,

nitur, ſtatímque mortuus concidit, non longè à campo in quo prælium committebatur. Imperatorij tamen non prius eum aggredi auſi, quam eius milites ducis interitu cognito perterriti ac diſſipati ſunt: tum demum miſeri caput amputatum, ſuo duci attulerunt, quod ille ſtatim ad Imperatorem miſit, qui id in ſublimis theatro ſuſpendit, & ſpadoni cum exercitu reduci, vt re benè geſta, triumphum decernit: ipſe in veſtibulo ædis Seruatoris in Chalce, forum ſpectante medius inter Imperatrices cum magna maieſtate præſidens. Ac Maniacis hic fuit exitus. Verùm alia tyrannis eſt exorta, autore Theophilo Erotico.

*Theophili Erotici defectio cõpreſſa.*

Is cum ſecundi Michaelis, qui primi nepos erat, exitum, & mulierum Imperium cognouiſſet: Cypriis quorũ tum prætor erat, arte ſibi conciliatis, deficit. Sed motus ille citra moram claſſe miſſa, eſt ſuppreſſus victo Erotico, & inſula in ſeruitutem redacta.

*Alexij theſaurus.*

Alexio Patriarcha mortuo, cùm ſedem illam annos XVIII quietè tenuiſſet, Michael cognomento Cerularius, in eius locum eſt ſuffectus. Monomachus verò auri cẽtenarios XXV è Monaſterio Alexij ab illo in theſauros relatos, abſtulit.

*Orphanotrophus cæcatur*

Ioannes porrò ſpado, Orphanotrophus, Imperatoris Michaelis Paphlagonis frater, Monomacho imperante, Mitylenem tranſlatus, cæcatur, ſiue Theodoræ iuſſu, ignorãte Imperatore: ſiue Imperatoris mandato, ei propter immeritum tot annorum exilio irato, qui cladi oculorum paucos dies ſuperuixit.

*Leonis Tornicij defectio*

Cæterum alia tyrannis atrocior eſt cõtra Monomachum exorta, Leone Tornicio autore, materno eius cognato. Qui cũ Oreſtiadem habitaret (ſic enim olim Adrianopolis appellata eſt ab Oreſte Agamemnonis filio) Macedones habebat dicto audientes, tanquam vir præſtantior cæteris. Nam neque facie neq; ingenio erat contemnendo: inerat ei etiam aliud quiddam, quod homines alliciebat. Fama enim temerè de illo, vt & de aliis, vaticinabatur, fore vt Romanis ſceptris potiretur. Imperator verò non modò nõ erga eum, vt cognatum affectus fuit, ſed & odio eum proſecutus eſt.

*Euprepia Monomachi ſoror.*

Contrà ſoror illius Euprepia virum ſibi & conciliabat & amplectebatur, generoſa matrona conſtantíque animo, ad illuſtrem fortunam & opum affluentiam euecta: ne ipſa quidem fratri chara, quod eam ob inſignem prudentiam verebatur. Quæ cum nihil ab illo magnificum conſequeretur: neque frequentabat Regiam, ſuperbéque cum eo agebat, ſi quando acceſſerat, eum arguens & obiurgans, & eius ob illa iracundiã per contemptum ſilentio diſſimulans. Imperator verò ſyncerum illum ſororis erga Tornicium affectum grauiter moleſtéque ferens vt eos longè ſeiungeret, Tornicium Iberibus Romanæ ditionis præfecit, relegatione ſpecioſo titulo obumbrata.

*Tornicius per ſpeciem honoris relegatur & tondetur in clericum.*

Cum igitur ille abiret, & fama eum ſpe magnæ fortunæ proſequi non deſiſteret: quidam inde anſam arripuerunt, eius apud Imperatorem calumniandi. Quorum verbis commotus ille Tornicio comam tondet, ſe ſpem eius vnà detonſurum ratus, nigrámque lacernam induit, quaſi eo colore expectato illi fortunæ ſplendori tenebras offuſurus. Ita reuerſum adeò non eſt miſeratus, vt cachinno etiam proſecutus ſit abeuntem.

*Tornicius Byzantium oppugnat.*

Enimuerò Macedones prius etiam, vt dictum eſt, illi addicti, ac benè de eo ſperantes, eum noctu ex vrbe Imperatrice in Metropolim ſuam Adrianopolim abducunt, vbi ſeu fautorum eius ſtudio, maxima pars exercituum conuenit: ſeu Imperatoris odio, qui ob cauſas quaſdam milites non benè tractarat, & ſuſpectos habebat, vnde illis inuiſus eſſe cœperat. Statim igitur illic congreſſi, Tornicium fauſtis ominibus proſecuti, Imperatorem conſalutarunt. Ille verò citra morem rem, cum ſua factione aggreſſus, ſubitò Conſtantinopolim inuadit, cúmque multi ad eum tam ciues quàm milites confluerent: in ſpem erigebatur, neminem fore, qui ſibi reſiſtere auderet, ſed ciues portas vrbis potius non grauatim aperturos, tum quod Orientales exercitus bellis ibi gerendis occupati, tum quod ciues Imperatori irati eſſent, à quo aliter quàm vellent haberentur. Huiuſmodi ſpe inflatus, caſtra ante vrbem ponit, oppugnaturus eam, niſi alacriter reciperetur. Mane igitur inſtructa acie ad mœnia vrbis circa Blachernas progreſſus, portas aperiri ſibi petit, cuſtodes ad id facinus magnis pollicitationibus inuitans. Qui cum eum & negligerent penitus & deriderent, & dicteriis inceſſerent: oppugnationem inchoat. Imperator verò cum paucis militibus vrbanáque multitudine, & aliis quibuſdam viris ſenatus miniſtris, qui omnes vix millenarium numerum explebant, ſe ad defenſionem parat: quos cum pro mœnibus tyranni militibus oppoſuiſſet, putabat ſe terrorem aduerſariis incuſſurum: atq; ipſe in quodam imperatorio conclaui prominente ante cætera, pro maieſtate conſedit, vt hoſtes & videret, & viciſſim videretur. Macedones verò ſcurrilitati aſſueti, conſpectum Imperatorem partim palàm contumeliis inſectati ſunt, partim cœtibus inſtitutis comicas quaſdam cantilenas ex tempore cecinerunt, & ſaltarunt, pedibus terram pulſantes, immiſſáque cohorte in eos qui extra mœnia obiecti fuerunt, homines partim ad portas, partim ad foſſas compulerunt, in quas præcipitati perierunt, tantáque formido inceſſit omnibus, vt ij etiam, qui in mœnibus ſtabant, deſilientes fugerent, & qui aditus vrbis cuſtodiebant, ne portis quidem clauſis ſe ſubducerent. Quòd ſi bellum illud virũ habuiſſet, qui vti victoria ſciſſet: nihil Tornicium ab vrbis ingreſſu vel executione conatus ſui prohibuiſſet. Sed eam occaſionẽ, cùm Deo aliter viſum eſſet, Tyrannus amiſit: Imperator tamen periculo proximus fuit. Nam quidam emiſſa contra illum ſagitta, ipſum quidem non perculit, ſed adoleſcentem cubiculi miniſtrum, ac ne eum quidem lethaliter vulnerauit. Tamen ſatellites territi, ſtatim receſſerunt, & ipſe Imperator in ſella aliò tranſlatus eſt. Tornicio, tanta felicitate neglecta, res in cõtrarium vertit. Nam vrbe denuò cuſtodiis munita, tyrãnus mane rurſus impetu in mœnia facto, repulſus eſt, nec multum abfuit, quin ipſe periret. Nam cum ex machina ſaxa talenti pondere in hoſtes excuterentur, vnum in ipſum directum: aberrauit illud quidem, ſed & ipſi & ſatellitibus eius terrorem incuſſit, vt diſſipata acie, in caſtra reuerſi, ab oppugnatione deſiſterent. Paucis igitur diebus ibi cõmoratus, cum ex ſuis alios ad Imperatorem deficere, alios diſpergi & aufugere videret: relicta vrbis



bis obſidione, caſtella Thraciæ ſe facilè occupaturum ratus ab illis quoque repulſus eſt. Interea copiæ Orientales reuocatæ adſunt, & contra tyrannum mittuntur. Quo defectionis ſocij cognito, ſibi metuentes, cùm Oriẽtalium quoque dux caſtra propè illos poſuiſſet, & alios colloquiis, alios literis impuliſſet, vt ad Imperatorem tranſfugerent: ferè omnes deſerto tyrãno cum imperatoriis ſe coniunxerunt: neque ij gregarij tantũ milites, ſed etiã viri illuſtres, duces & magiſtratus. Vnus dũtaxat ex inſignioribus Batazes apud illum manſit.

*Tornicius et Batazes excæcantur.*

Tornicius igitur deſtitutus ab omnibus, nulla ſpe euadendi relicta, cum Bataze in templum quoddam confugit. Vnde in compedibus ad Monomachum perducti atq; effoſſis oculis cæcati ſunt, ſeditione penitus compreſſa. Hactenus inteſtina bella commemorauimus, Nunc ad externa ſe conuertat oratio, ac Roſſorum in primis expeditio narretur.

*Roſſicum bellum.*

Quæ gens cum aliàs quoque ſæpiſſimè Romanos aggreſſa eſſet, victa fuit. Tandem fœdere icto, & affinitate iuncta, vtrunque populum deuincire ſtuduerunt, & cõmercia inuicem agitarunt. Quũ autem tunc multi Tauroſcythæ Cõſtantinopoli merces ſuas venderent, & noſtrates commercarentur: accidit, vt inter eos, & Romanos quoſdã, contentione orta à pugnis ad vulnera, à vulneribus ad cædes fieret progreſſio, & inter cæteros illuſtris quidem Scytha caderet. Ex eo Roſſorum princeps occaſione ſumpta, ſtatim plurimis nauigiis cõpactis, quæ apud eos Monoxyla vocantur, multitudine quæ omnem propè numerum excedit, iis impoſita, Propontidem penetrat, bellúmque Romanis non antè indictum infert. Quos vbi Imperator aduentare cognouit, miſſis legatis petit, vt arma deponant, ſe paratum eſſe, ſi quid moleſti eis accidiſſet, ſatisfacere. At Barbarus legatos ſuperbè excepit, eóſque inſolentibus & moleſtis verbis eructatis, cum ignominia dimiſit. Imperator igitur pace deſperata, & ipſe ad bellum nauale ſe parat, & quia claſſis longiſſimè aberat, tutandis prouinciis occupata: triremes alias & onerarias naues, plurimo Græco igni impoſito, aduerſus hoſtilem claſſem mittit, atq; ipſe in ſummo portu conſidet. Vt autem magna diei parte elapſa, Barbari quieſcebant, nec tamen aciem ſoluebãt:

*Theodorocanus claſſem Roßicã profligat.*

Theodorocanum iubet cum tribus triremibus laceſſere Barbaros, & ad pugnam elicere. Is verò non velitari cœpit, ſed planè pugnam eſt auſpicatus, & Græco igni aliquot naues Barbaricas cremauit alias vnà cum viris demerſit, vnámque comprehẽdit, in quam ipſe inſiliit, aliis cæſis, aliis perterrefactis & metu quaſi conſtrictis. Tribus triremibus feliciter iſta auſis, ſigno ab imperatore dato plures onerariæ ſoluunt: quibus Barbari conſpectis, pugnæ immemores, ſoluta acie in fugam conuerſi paulatim receſſerunt, Romanis in ea pugna diuinitus etiã adiutis. Nam ſubitò ventus Orientalis coortus, fluctibus verſus Occidentem ingentibus in Barbarorum naues deuolutis, multas ſubmerſit, multas petris & occultis ſcopulis illiſas comminuit: vectores porrò partim vndæ abſorpſerunt, partim fluctu in terram eiectos, milites obſeſſis littoribus trucidarunt. Barbarorum multitudine ad hunc modum debellata, Imperator victoria illuſtris in Regiam reuerſus eſt.

*Duabus legionibus & quas vocant ſodalitates relictis: ducibus Nicolao cubiculario & magiſtro Baſilio Theodorocano, mandato, vt oram maritimam cuſtodirent, neque excenſionem facere barbaros paterentur, vtque tota claßis apud Pharum in ſtatione eſſet. Hi littora vt iußi erant circumeuntes, quâ cadauera barbarorum æſtus eiecerat, ingenti præda ac ſpoliis potiti ſunt. Verùm vigintiquatuor triremes Romanæ, auulſæ ab reliqua claſſe, fugientes barbaros inſecutæ, eóſque præteruectæ ſunt, cùm ij in quendam portum naues ſubduxiſſent. Scythæ ergo paucitate hoſtilium nauium cognita, compertóque non plures eſſe quàm viſæ erant, à promontoriis ab vtraque parte ſitis cornua extenderunt, & contenta vſi remigatione, circumuenire eas cœperunt. Romani priore labore remigandi inſequendíque defatigati, & multitudine hoſtilium nauium perterriti, ad fugam inclinarunt. Cum autem barbaricæ naues fauces ſinus circumdediſſent, & in altum exire non daretur, Conſtantinus patricius Caballurius Cibyrræotarum dux, cum ſua & aliis X triremibus fortiter in hoſtem pugnans, conciſus eſt. captæ à barbaris quatuor triremes cum ipſis vectoribus, ipſáque etiam prætoria nauis. homines in iis omnes interfecti: reliquæ Romanorum naues in breuia, littora incommoda & ſaxa eiectæ ac contritæ ſunt. claßiarij alij in aqua perierunt, alij à barbaris vel trucidati vel captiui abducti ſunt. Superſtites, nudi pediteſque ad ſuorum ſtationem redierunt. Scythæ, cum præter ſpem ipſis inſtitutum cecidiſſet, domum verſus iter inſtituerunt. Cum non mari modò, ſed terra etiam redirent, (neque enim tantæ multitudini ſatis erat nauium, cum prælio multæ eſſent demerſæ, multæ captæ, multæ naufragio periiſſent) in Catacalonem Beſtam Ambuſtum tunc Iſtro vicinæ regioni præfectum inciderunt, in ora maris, apud Barnam, fuſique ſunt, & magna clade affecti. octingentos eorum viuos in compedibus ad Imperatorem miſit. Is Ambuſtus, & cum primùm Scythæ ad Conſtantinopolin tenderent, inque ipſius prouinciam egreßi pabularentur, ſuis collectis fortiter inuaſerat, pulſóſque ad ſua confugere nauigia coegerat. & tunc iterum oram ſuæ prouinciæ maritimam cuſtodiẽs, exitui que intentus, hoc facinus edidit.*

*Anno mundi* CIↃ IↃ CIↃ IↃ L II, *Indictione* XII, *menſe Septembri, vehemens flauit ventus, quo fructus vinearum penè perierunt. Eo ipſo anno, nona die Martij, quæ feſta eſt memoriæ diuorum* XL *martyrum, Imperator vt iis ſupplicaret publicè proceſſurus, ſeditione populi interceptus eſt. Cum enim pedes magno ſatellitum cum comitatu & fauſtis acclamationibus à palatio vſque ad fanum Seruatoris in Chalce proceßiſſet, indéque equo ad martyrum ædem vehi vellet, ſubitò vox è medio multitudinis exaudita eſt, Nolumus Scleranam (ſic Romani Duri ſoror vocabatur, Monomachi concubina) eſſe imperatricem, neque propter eam dominis noſtris Porphyrogennetas Zoen ac Theodoram mori. atque illicò omnia confuſionis ac tumultus plena: & Imperatorem turba ad necem depoſcit. quod niſi celeriter Auguſtæ de ſublimi proſpicientes multitudinem placaſſent, plurimi haud dubiè, atque ipſe forſitan Imperator perituri fuerant. Sedato motu, Imperator, omiſſa ad martyres proceßione, in palatium ſe recepit.*

*Indictione* XIII, *bellum de Anio cœpit. Sed exponendum eſt, cur & qua ratione Anij principi quieſcenti, nullâque ab eo orta iniuria, Imperator bellum intulerit. Georgius Abaſgorum princeps bellum aduerſus Romanos mouens, ſocium eius habuerat Iobaneſtican*

CEDR.

**Romanarũ nauium XXIV. exilium.**

**Scythas Catacala cedit**

**Seditio in Imp. ob pellicem.**

**Occaſio belli ob Aniũ, & Armeniã maiorem.**

cam, Anij dominum. Verùm vbi Baſilius imperator in Iberiam cum exercitu profectus, Georgium prælio fregit, Iobaneſices metuẽs, ne ob belli ſocietatem iratus Imperator durius de ſe ſtatueret, cum clauibus vrbis ad eum transfugerat, ſeque & claues ei vltrò dediderat. Quam eius calliditatem approbans Baſilius, magiſtri honore ornatum, Anij & Armeniæ quæ magna dicitur præfectum eum vſque ad vitæ eius exitum conſtituerat: ſcripta cautione profeſſum, mortuo ipſo eam præfecturam ad ſuum dominum redituram, partémque Romanæ ditionis futuram. Mortuo Baſilio, atque multis pòſt annis Iobaneſica, filius huius Cacicius occupata præfectura, pacem ſocietatémque cum Romanis ſeruauit, paternam interim ditionem retinens, Romanis, quod ſcriptum iubebat, nequaquam reddidit. Monomachus pacti formula in archiuo reperta, Anium vniuerſámque magnam Armeniam, vt Baſilij hæres, repoſcit. Cúmque Cacicius ſeruum quidem ſe profiteretur * bello ſuas res repetere Imperator ſtatuit. Proinde collectum exercitum Michaelo Beſtæ Iaſitæ, qui iam tum præfectus Iberiæ erat deſignatus, tradit: mandátque, vt Cacicio bellum faciat. atque is in prouinciam profectus, mãdata Imperatoris pro virili exequitur. Cacicius ſe pro amico & ſocio Romanorum hoſtem iudicatum ſentiens, ipſe etiam ſuis contractis copiis, ſe quantum res ferebant tueri intendit.

Bellum contra Caciciũ.

Cum autem res Iaſitæ malè ſuccederent, mittitur etiam Nicolaus præſes ſcholarum domeſticus, accubitor quondam Conſtantini Imperatoris, cum grandi exercitu, vt vel multitudine opprimeretur Cacicius. Mittit etiam litteras Imperator ad Apleſpharium Tibij, & qua circa Araxen fluuium eſt Perſameniæ præfectum: hortatúrque eum, vt quantum poſsit, magnam Armeniam & ditionem Cacicij infeſtet. Nicolaus vbi in prouinciam peruenit, ſtatim ſe rei gerendæ dat, litteráſque Imperatoris ad Apleſpharium mittit: ipſe vnà ſcribens, eúmque donis & pollicitationibus inſtigans, vt Imperatoris voluntati morem gerat. Reſcribit is, ea cõditione ſe id facturum, ſi Imperator litteris ad ſe miſsis paciſcatur, ſe ipſi omnium quæcunque ipſe Cacicio belli iure eripuiſſet, firmam poſſeſsionem ac dominium concedere. Hanc conditionem Imperator probauit, aureáque bulla id poſtulatum Apleſpharij ratũ ſe habere teſtatus eſt. qua accepta Apleſpharius ſtatim rem aggreſſus, multas Cacicij arces ac munitiones expugnatas occupauit. Cacicius à Romanis oppugnatus copiis, & à Tibiano præfecto infeſtatus, rebus deſperatis, cum Nicolao pacem facit, per eúmque ſe & vrbem Imperatori dedit. ad quem profectus, ab eóque magiſterij dignitate decoratus, ampliſſimíſque in Cappadocia, ad Charſianúmque & Licandrum prædiis donatus, vitam exinde pacatam ac tranquillam egit. Monomachus capta à Tibij præfecto caſtella & oppida, vt partem Aniacæ ditionis repoſcens, cùm ea Apleſpharius ſponte non dimitteret, ſed aurea bulla niteretur: Nicolao præcipit, vt cum Romano & Iberico exercitu, & copiis Armeniæ magnæ, quas Cacicius duxerat, bellum ei faciat.

Bellum in Apleſphariũ.

Nicolaus contractis omnibus copiis, Beſtarcham Iaſitam iis præficit, & ſuum ſeruum Conſtantinum magiſtrum Alanum, eóſque ad oppugnandum Tibium mittit. Erat Apleſpharius homo, vt quiſquam alius, bellicarum artium peritiſsimus, gnarus rei gerendæ, & conſilia hoſtium eludere callidus. Is cum ſe pugnæ cum Romanis copiis committendæ imparem ſentiret, intra muros ſe continet, amnémque alluentem auertit, ita vt omnem vrbi vicinam planiciem is inundaret, ſtagnòque & cœno paludis in morem oppleret: & in vineis quæ circum vrbem in orbem erant ſitæ, ſagittarios pedites abdit: & expectare ſignum, quod ipſe tuba daturus eſſet, iubet: ita inſtructus, aduentum hoſtium operitur. Romanorum ductores præ metu ac deſperatione rerum vrbi ſe incluſiſſe, & campum aqua oppleuiſſe Apleſpharẽ opinati, promiſcuè & nullo ordine, alij equites, alij ab equis digreſsi, vt cuique placebat, ad vrbem occurrunt, primo ſcilicet aggreſſu eam capturi. Vbi in vias peruenere quæ per medias ducebant vineas, idmque vrbi ſubiuerunt, claſsicum Apleſphares canit.

Romanorum clades in Iberia.

& pedites ex inſidiis coorti, alij ſagittis, alij ſaxis Romanos impetunt, alij deſuper de ſeptis vinearum vulnerant, cum quidem Romanis ſui defendendi omnis eſſet erepta facultas. Ingens tũ clades accepta, & Romanorũ innumerabilis cæſa multitudo, cum equi fugere non poſſent, limo & lacunis impediti. Aegrè elapſi Iaſites & Conſtantinus Anium peruenerunt, Nicolaóque calamitatis nuncij fuerunt. De qua vt reſciuit Imperator, Nicolao & Iaſitæ abrogat magiſtratum, loco Iaſitæ ducem Iberiæ facit Ambuſtum: pro Nicolao imperatorem exercituum creat Conſtantinum magnæ ſodalitatis principem, eunuchum, à Saracenis oriundum, ſibi fidum hominem, & cuius opera etiam antequam ad imperium eueheretur vſus fuerat. Hi prouinciã ingreſsi, collectíſque exercitibus ad rem gerendam conuerſi, Tibium, quod erat eius gentis caput, oppugnare incommodum rati, reliqua ad Anium pertinentia caſtella tentant: capiúntque S. Mariam, Ampierum, S. Gregorium, admodum munitas & præruptis impoſitas ſaxis arces, Apleſphario ſæpe opem iis dum oppugnarentur ferre conato, ſempérque victo. Inde ad caſtellum Chelidonium veniunt, ſitum in præcipiti colle haud longè à Tibio. Id cum vallo foſſáque circumueniſſent, obſidione capere intendunt, quod iam præſidiarios res ad victum neceſſaria deſtituebant, ſubita obſidione præuentos ne earum copiam importarent. fuiſſentq́ eo potiti, niſi in Occidente repentè patricij Leonis Tornicæ exarſiſſet defectio, iam ſupra expoſita.

Turcorũ origo & vaſtatio Orientis.

Hunc finem ille habuit motus: quo expoſito ad alterius gentis Turcicæ videlicet motum eſt tranſeundum, qui Orientem tum inuaſerunt, & in hunc vſque diem infeſtant. Sunt autem Turci gens Hunnica, populoſiſſima & libera, Caucaſiorum montium ſeptentrionale latus accolens. Nam quum Perſæ Macedonibus inter ſeſe dimicantibus, regnum ſuum, vt ſuprà oſtenſum eſt, recuperaſſent: idem à Sarracenis victi, & oppreſſi, rurſus amiſerunt. Sarraceni verò, non vni Principi paruerunt, ſed ſeditione inter ipſos orta, in factiones diuiſi, alij alios oppugnarunt. Muhumetus igitur Imbraelis filius, Perſidis, Choraſmiorum, Mediæ, & aliorum quorundam populorum princeps, temporibus Baſilij Porphyrogeniti, cum ſuſcepto cõtra Indos & Babylonios bello ſuccubuiſſet, Turcorum auxiliis accerſitis Tangrolipice Mucaleto duce, hoſtes ſuperauit:

Tãgrolipix Mucaletus Turca Sarracenicũ Imperium euertit.

domúmque reuerſus, Turcas ad ſua redire non ſiuit, ſed retinere voluit, vt eorum opera contra alios quoque vteretur. Qui quum domum redire, niſi per Araxidis pontem, nequirent (fluuius is eſt, qui non niſi ponte ſuperari poteſt, vtrinq; turrito, quem præſidiarij milites tenebant) deficiunt, & mõtes occupant. (nam cum tribus millibus plures non eſſent, cum multis millibus acie decernere non audebant) vnde procurrentes, Sarracenos prædantur. Muhumetus verò ad x x Millia cõtra eos mittit, decem ducibus è ſuis popularib



pularibus ſumma belli credita, quos Turci noctu aggreſſi maxima ex parte facilè trucidarunt, reliquiæ cum ſuis ducibus ad Muhumetum redierunt. Is decem illis ducibus excæcatis, & militibus atrociſſima quæque comminatus, effecit, vt præ metu ad Turcas cõfugerent. Ij verò iam aliis quoque multis confluentibus, ſeruis & facinoroſis hominibus, qui manubiis & rapinis gaudebant: numeroſo confecto exercitu, prælio cum Muhumeto commiſſo, multos Sarracenos ceciderunt, ac inter alios ipſe quoque Muhumetus cecidit. Tangrolipix igitur conſenſu exercituum Imperio omnium gentium quæ Muhumeto paruerunt, accepto, turres pontis Araxidis euertit. Fluuij porrò tranſitu patefacto, magna Turcorum multitudo ad eum ſe contulit. Sic magnis copiis Turcicis ſuffultus, omnibus Sarracenis ademptum imperium, in ſe & populares ſuos tranſtulit, & Agarenos ſibi parêre coegit.

Cutlumus ab Arabibus victus, Medos ſuperat.

Deinde Babyloniis bello ſubactis, fratris filiũ Cutlumum cum exercitu contra Arabes miſit, à quibus ſuperatus per legatos à principe, quem Imperator Mediæ (ſic enim olim vocabatur Baaſpracan) præfecerat, tranſitum poſtulat: quem is adeò non conceſſit, vt armatus illi occurreret. Sed multis ſuorum amiſſis, victus & captus eſt. Cutlumus autem ad Tangrolipicem reuerſus, Medicum prælium referens, eius regionis fertilitatem celebrat, eam expugnatu facilem eſſe aſſerens, vt qua mulieres fruerentur. Sic enim appellabat eos, cum quibus pugnarat. Cæterùm Tangrolipix illi ob cladem acceptam iratus, ipſe contra Arabes proficiſcitur. Cutlumus autem cum ſuis pœnæ metu aufugit, & Paſare Choraſmiorum vrbe occupata, à Sultano (ſic enim Tangrolipix appellabatur) defecit, & patruo à quo obſidebatur, diu reſtitit, ob loci munitionem fruſtra laboranti.

Cutlumi defectio.

Medicũ bellum.

Qui ea obſidione occupatus, Aſanem cum iuſtis copiis contra Mediam mittit. Is impetu in prouinciam facto. & prælio cum Romanis commiſſo, ipſe cadit, amiſſo, pauciſſimis exceptis, toto exercitu. Quo Sultanus cognito, ſanè doluit, ſed iacturam illam reſarcire cupiens, Alimo Abramio fratri ex altero parente exercitum centum millium circiter contra Romanos ducendum committit. Sed Baaſpracanis prætor petitis ab Imperatore auxiliis, Liparitam, partis Iberiæ Dynaſtam expectabat, neque cum Turcis dimicandum ſibi cenſebat, priuſquam ex mandato Imperatoris Iberum auxiliares copiæ adueniſſent. Romanis igitur intra munitiones ſe continentibus, Alimus negata pugnandi copia, Arzem vicum nullo muro circundatum, quem mercatores penè innumerabiles, homines ditiſſimi incolebant, ſe primo impetu capturum ratus, ſpe ſua fruſtratus eſt, cum illum inuaſiſſet.

Arzis vici direptio.

Nam incolæ aditus lignis obſtruxerunt, & telis ex ædibus coniiciendis multos ſuſtulerunt. Eo per ſex dies facto, cum Turcorum Dux Arzenos fortiſſimè ſe defendere nec obſidione facilè capi poſſe cerneret, igni eos ſuperare inſtituit: quo ædibus iniecto, cum incendium vndique ſæuiret, ciuibus in fugam verſis, Barbari vico potiti, multum auri & aliarum opum inuenerunt, quas flamma non abſumpſerat. Inde iterum contra Romanum exercitum properarunt. Cum autem Liparites cum Iberibus iam adeſſet, ſub veſperam commiſſo prælio Alimus & Choroſanes alter Barbarorum Dux, cum ſuis conuerſi fugerunt, Romanis eos in multam noctem perſecutis.

Turcorum fuga.

Liparites verò in alio cornu pugnans ab hoſtibus captus fuerat, quem dum Romani in caſtra reuerſi diu expectant, caſus illius ignari, quidam nunciat, capum ab hoſtibus feſtinanter abduci.

Liparitis redemptio.

Quo cognito illi in mœrore erant, Barbari verò Lipariten ad Sultanum perduxerunt. Imperator autem liberandi illius cupidus, magnam pecuniam eius redimendi ergò & munera Sultano miſit, petens, vt Turci cum Romanis fœdus ferirent. Cui Sultanus Liparitem gratis reſtituit, omni pecunia illi tradita, pro quo miſſa erat: hortatus, ne in poſterum arma contra Turcas ſumeret: atque ipſe legatum ad Imperatorem miſit, quem illi Seriphen vocant. Cuius eadem ferè conditio fuit, quæ olim apud nos Syncelli. Nam vt is Patriarchæ mortui locum occupabat, ſic etiam Seriphes Chalipha defuncto ſuccedebat.

Turci totum Orientem occupant.

Is igitur magnam vrbem ingreſſus, & ſuperbè cum Imperatore collocutus, cum ab eo poſtulaſſet, vt tributa Sultano penderet, infecta re eſt dimiſſus. Qua de cauſa iratus Sultanus, ipſe Romanos aggreſſus eſt, eóque tempore Turcica gens longius progreſſa, totum Orientem ſubegit, & vſque ad continentem Byzantio obuerſam proceſſit. Ac ita ſe res Turcicæ habuerunt.

Cegenis Pazinacæ ad Romanos defectio.

Pazinacæ verò in Europa graſſabantur, gens Scythica & populoſa, vltra Iſtrum incolens, cui tum Tyrachus imperabat, vir nobilis ille quidem, ſed ignauus. Alius verò quidam Cegenes, vt genere obſcuro ortus, ita homo acer & ſtrenuus, ob multa egregia facinora in bellis edita populo charus erat. Qua de cauſa Tyrachus eum per inſidias tollere ſtudebat. Quo ille animaduerſo, duabus è tredecim tribubus ſibi conciliatis, traiecto Iſtro in Romanorum fines venit, ſe transfugiſſe ad Imperatorem, eíque non inutilem fore profeſſus. Ea re indicata, Monomachus præſidem prouinciæ Scythas ſuſcipere iubet. Cegenes verò Byzantium profectus, in conſpectum Imperatoris venit, & ſalutari baptiſmate initiatus, patricius eſt appellatus, ſuíſque Scythis perſuaſit, vt & ipſi diuino illo lauacro abluerentur. Cum verò in ripis Iſtri ſtatiua haberet, & flumine ſubitò traiecto, Tyrachios cædibus & rapinis infeſtaret:

Pazinacarũ clades & collocatio in Bulgaria.

Tyrachus per legatos cum Imperatore, ob transfugam ſuſceptum expoſtulat, quem niſi coherceret, totam gentem hoſtem illi fore. Ad ea reſpondet Imperator, ſe neque deditium proditurum, neque prohibiturum, quominus inſidiatores vlciſceretur. Hoc nuncio accepto Tyrachus, cum Iſter hyberno tempore totus conglaciaſſet, cum tota gente pedibus flumen tranſiit, Romanáque prouincia occupata, obuia quæque vaſtauit. Sed imperator exercitum prouinciæ præſidi & Cegeni ſtatim ſubſidio miſit. Pazinacæ verò cum annonæ & vini aliarúmque potionum quæ ex melle conficiuntur, copiam inueniſſent, & iis auidè ſe ingurgitaſſent: in cæliacum morbum inciderunt.

Quo Cegenes è transfuga cognito, Romanis copiis fit autor hoſtes inuadendi. Eas cum Barbari morbo confecti contra ſe ire vidiſſent, æſtuantes, & animis armíſque abiectis, facti ſupplices, hoſtibus ſe dediderunt. Quicunque verò in Cegenem inciderunt, partim gladiis ſunt trucidati, partim auro ad ſeruitutem venditi. Reliqua multitudo Romanis vſui fore viſa eſt, ſi armis ademptis in Bulgaria maxima ex parte deſerta, ob gentem illam non ita pridem euerſam, collocaretur: ídque iuſſu Imperatoris factum eſt. Tyrachus verò & proceres eius, ad illum perducti, baptizati, magníſque dignitatibus ornati ſunt. Vt autem eo tempore Romanis cum Turcis bella erant in Oriente: imperator delectu acto x v millia Pazinacarum armis, equis, & ſuæ gentis ducibus datis, Chryſopolim tranſuectos in Iberiam ire iuſſit: viæ quoque monſtratore addito. Qui cum ad Damatrym perueniſſent, reſtiterunt, nec vltrà progredi voluerunt, ſed regreſſi vſque ad fretum, mari iuxta D. Taraſij monaſterium equis trãſmiſſo, continenter profecti ſunt, donec ſe cum popularibus ſuis coniunxiſſent, quo facto, tabernaculis in campis ad ripas Iſtri fixis, Thraciam incurſarunt, copiis imperatoriis contra ſe miſſis ſubinde ſuperiores, vt impunè per totam Thraciam & Macedoniam vagarentur, & omnia prædarentur nõ rẽmota duntaxat, ſed & vrbi finitima. Tandem verò x x x annorũ inducias cum Romanis paciſcuntur. Et hic belli Pazinacarum fuit exitus. Sultanus verò Romanas vrbes & prouincias infeſtare non deſtitit, aliis direptis, aliis vaſtatis, aliis ſuo regno adiectis.

*Pazinacæ excuſſo iugo vaſtatíſque prouĩciis inducias faciunt cũ Romanis.*

*Sultani graſſationes.*

*Nam ob contemptos ſuos legatos & conſiliorum aduerſos euentus fremens, cum omnibus ſuis copiis in Romanam ditionẽ intrat. Cum verò vſq; ad Comiũ perueniſſet, nihílque memorabile agere potuiſſet, quòd incolæ ſe & res neceſſarias caſtellis, qualia per Iberiam & plurima ſunt, & munitiſsima, maturè incluſerant: vlterius progredi non auſus, quia Romanas copias audiebat Cæſareæ colligi, rediit ita flagrans, magnúmque aliquod facinus edere cupiens. Poſtquàm in Baaſpracaniam venit, atque ibi etiam omnia muris defendi vidit, animum ad oppugnationes appellit: ac primò omnium MantZikierte aggreditur. Vrbs eſt MantZikierte in planicie poſita, tripuci muro circundata, multíſque intus fontibus irrigua: tum quoque rerum neceſſariarum inuexerant oppidani copiam. Hanc vrbem ſe, quòd locus eam adortu facilem faceret, non magno expugnaturum ratus negocio Sultanus, vallo proximè defixo omnis generis machinis tentat, ac per X X X dies abſque vlla intermiſsione oppugnat. Præerat ei vrbi Baſilius patricius à Capa, homo prudens ac peritus. eius induſtria factum, vt qui in vrbe erant, oppugnantes fortiter repellerent. Iam de re quam fruſtra ſibi videbatur conatus omittenda, & obſidione ſoluenda cogitantem Sultanum, Alcan Choraſmiorum dux rogat, vt adhuc vnum diem perſeueret, ſibíque oppugnationẽ mandet. quod perlibenter conceſsit Sultanus. Prima luce Alcan omnibus ſuis collectis, Sultanum & illuſtriſsimos Turcarum in tumulo quodam iuxta portam Orientalem ſpectandi cauſa collocat, atque ipſe ad eam portam cum machinis ſubit. videbatur enim eo loco murus vrbis humilior ac infirmior, locúſque oppoſitus aliquantò editior oppugnationem adiuuare: quia intra muros qui eſſent, deſuper telis impeti ab oppugnantibus poſſent. Ergo in duas partes exercitum ſuum diuidit, quarum vna editiore illo loco ſtaret, continentérque ſagittas eiacularetur: alteram ligonibus bidentibus aliíſque ruſticis inſtrumentis armatam leſas (tabernaculi genus eſt leſa, ex viminibus contextum, ac supernè corio bubulo inductum, quod à columnis ſuſtinetur, quarum baſibus rotæ ſunt ſubiectæ) ſubire, eáſque paulatim impellere, muróque ſub iis ſuccedere, & tutos iſto tegmine fundamenta omni vi ſubruere iubet: animi certus, ob ſagittarũ nimbum neminẽ auſurum de muro proſpicere, atque ita ſe vrbẽ expugnaturũ ſomnians. Hæc de muro cernens Baſilius, iis quibus murorũ defendendorum munus incumbebat, mandat, vt ſe contineant, neque quiſquam ſe exerat: ſed in promptu habeãt grandia ſaxa, ſagittas, aliáque miſsilia, & expectent ſignũ, quo dato (erat autem teſſera, Chriſte iuua) rẽ gerant. & habebat ad rem hanc paratas trabes maximas infernè acutas. Interim Alcan, cum Turci grandinis in morem emiſsis ſagittis propugnatores viderentur abegiſſe, paulatim leſas muro admouet. Quæ cum ita acceſsiſſent, vt iam retrò abire nullo modo poſſe viderentur, ſubitò dato à Baſilio ſigno, ij quibus negocium erat commiſſum trabes leſis iniiciunt, alij miſsilibus & lapidibus impetunt. itaque leſa qua ipſe Alcan tegebatur, pondere impactorum ſubuerſa tectos nudauit: qui vndique lapidibus & ſagittis impetiti, cum opem ferre nemo poſſet, omnes perierunt. Alcanem ſplendore armorum agnitum fortes duo iuuenes porta vrbis exilientes, crinibus comprehenſum in vrbem pertraxerunt: cui ſtatim caput amputauit Baſilius, ídque in Turcos eſt iaculatus. Sultanus grauiſsimo dolore ob eam cladem percepto, caſtra mouet, fingens ſe neceſſariis quibuſdam rebus vrgentibus domũ auocari, minatúſque inſequenti vere ſe maioribus cum copiis in Romanos expeditionem facturum.*

*Sultani in Romanos bellum.*

*Alcanis Choraſmij conatus & interitus.*

*Qua de re Imperator ſolicitus, ſimul & de Apleſphare, qui violato quod cum Conſtantino pepigerat fœdere Romanam ditionem infeſtabat, vlciſcendo cogitans, omnes in vnum contrahit Orientales copias: iiſque præficit Nicephorum quendam eunuchum, qui aliquando ſacerdos, Monomacho adhuc priuato inſeruiuerat. & ſplendoris ac gloriæ profanæ ſtudio ſacerdotium eiurauerat. hunc ergo rectoris titulo decoratum, & caſtrorum præfecti, in Orientem mittit, non quòd is homo ſtrenuus eſſet, aut bellica re induſtrius: ſed quia Imperatori erat fidelis. Is Nicephorus cum exercitu vſque ad pontes ferreos (loci hoc nomen) & CantZacium progreſſus, in Turcos quidem non incidit: (hi enim in planicie Perſarmeniæ caſtra metati, duce Abimelecho Cutlumuſi fratre, cum de Romanorum graui expeditione nuncium accepiſſent, non auſi eorum aduentum expectare, domum abierant.) Apleſphare autem intra muros compulſo, viciniã depopulatur, adigítque eum vt vel inuitus fœdus renouet, obſidémque det Artaſyram, filium Phatlumi fratris ſui, CantZacenæ regionis principis. cum hoc Nicephorus in vrbem rediit*

*Apleſphares repreſſus.*

*Porrò Sultanus cum, fratri ſuo Abramio ſuccenſeret, adſiduas eius vitæ deinceps ſtruxit inſidias. quod ſentiens Abramius, ad Cutlumuſum aufugit, ſuum conſobrinum: & illo adiuuante bellum Sultano facit. qui cum iis congreſſus prælio apud Paſar, victor Abramiũ comprehenſum necauit. Cutlumuſus fugiens cum V I millibus & Melecho Abramij F. per legatos petit ab Imperatore, recipi in fidem ſocietatémque Romanorum: profectúſque in Perſarmeniam ad Carſe, reſponſum legatorum expectat. interimque Carſe oppugnans, dempta arce, capit. Hunc à tergo inſequens Sultanus cum ſuis copiis, in Iberiam venit. ideóque Cutlumuſus ad Sabam & felicem Arabiam fugit. Sultanus in Iberia obuia quæque populando atque incendiis vaſtat. Itaque celeriter Imperator Michaelum Acoluthum ex Occidente reuocatum, in Iberiam mittit. Qui cum eò veniſſet, collectis per Chaldiam ac Iberiam diſperſis Francis ac Barangis, compeſcere quocunque modo graſſationes Sultani conatur. Sultanus celeri huius aduentu cognito, ſentiénsque velle illum exercitu collecto ſecum pugna congredi, reputans id quod res erat, vtrumque ſibi ignominioſum fore, ſiue vinceret Imperatoris miniſtrum, ſiue ab eo vinceretur: caſtris motis, omni cum exercitu ſuo ad TabreZium abit.*

*Bellum Sultani contra fratrem.*



Sub id tempus, Imperator inſidias ſibi factas deprehendit, à Romano Boila inſtructas. Is vir obſcurus erat, lingua ſemimuta, & vi articulatè loquendi deſtituta, partim naturæ vitio, partim ſimulatione & affectatione, qua inſitum ſibi vitium augebat. Eo homine Imperator plus quàm vllo alio delectabatur, & nugas illius perperam & confusè loquentis, omnibus aliis voluptatibus præferebat: vnde ita familiaris illi factus eſt, vt quauis hora illum conuenire & alloqui auderet. Nec minus illi gynæceum quàm Imperatoris conclaue patebat, quandocunque volebat, & vtrinque ei diuitiæ affluebant. Quamuis autem è triuiis ad ſenatorium faſtigium euectus eſſet: tamen ea felicitate non contentus, regnum etiam concupiſcit, idque ſibi vendicare contendit imperatore interfecto. Quos igitur imperatori malè velle ſciebat, iis arcanum detegebat: qui ſi orationem eius probarẽt, eos magna ſpe propoſita ad facinus confirmabat. Sin eum conatum auerſarẽtur, aiebat, ſe id tentandi gratia dixiſſe, vt eorum fidem erga Imperatorẽ exploraret, eorúmque integritate collaudata, beneuolentiam illorum imperatori teſtaturum ſanctè affirmabat. Cum autem ſic pleróſque tractaret, cõiurati eius rem facilimè poſſe cõfici opinabãtur. Nec enim in Imperatoris duntaxat cubiculũ ipſo dormiente aut cum imperatrice cubante, homini patebat aditus, ſed & occultorum adituum claues creditæ erant. Quare omnino deſtinata executus fuiſſet, niſi à quodam ex conſciis delatus, in manifeſto ſcelere deprehenſus eſſet, gladiũ ipſum adhuc tenens, quo Imperatorem percuſſurus erat. Cæterùm ipſe ob illius væcordiam nullas pœnas dedit, inſidiarum conſciis duntaxat ſupplicio affectis. Hic imperator cum ſe benignum & liberalem perhiberi vellet, in eo tamen neque artem neque modum adhiberet: à virtute magnificentiæ, in vitium profuſionis eſt deuolutus. Publicã enim pecuniam ita dilargiebatur, vt neq; quibus, neque quantum, neque quãdo eſſet tribuendum, obſeruaret. Nam cum Manganorum monaſteriũ ædificaret, quod ob adamatam Sclerænã inchoaſſe fertur, vt eam tum in venatione habitãtem, per ſpeciem ſtructuræ inſpiciendæ, crebrius viſeret: fiſco & publicis theſauris exhauſtis, ad pecuniæ inopiam redactus, nec illicitis quæſtibus, abſtinuit, Sed cum prouinciæ quædam eſſent immunes, quæ pro omnibus vectigalibus, locorum anguſtias tuerentur, & Barbaros aditu Romanarum ditionum prohiberent: cuſtodiis abolitis, tributa iis prouinciis imperauit. Vnde Barbaris ſine vllo negocio patuerunt. Illud certè quidem, ſi quis verè conſideret, ei acceptum ferri poteſt, quòd Oriens Marte Barbarico eſt ſubactus. Imperatrice Zoe prouecta ætate mortua (ſeptuageſimum enim annum exceſſerat) obitum eius non vt viro dignum eſt, tulit, ſed muliebriter luxit, eámque angelis æquiparaſſe fèrtur: cum ob loci humiditatem ex eius monimento fungus germinaſſet, quem ſignum diuina prouidentia editum vocauit, vt ne ignoraretur Imperatricem in cœtum intelligentium poteſtatem eſſe receptam. Verùm adhuc amoris incendio flagrans, adoleſcentulam quandam Alani principis filiam, obſidem Romanis datam, in Regiam introductam Auguſtã appellat, addita cuſtodia Regia & ſumptibus liberaliſſimis. Quod ni Theodoram Imperatricem reueritus eſſet, ac potius quarti coniugij dedecus & nefas, amicam ſuam etiam imperatricem appellaſſet, & diademate exornaſſet. Cæterùm illa Auguſtæ felicitas non diu durauit. Nam poſt Imperatoris obitum, ad priſtinam cõditionem eſt reuerſa. Nunc de exitu Imperatoris eſt dicendum. Non multo pòſt quàm ſceptro potitus eſſet, morbus eum articularis inuaſit, humoribus principiò ad pedes decurrentibus, vt neque ſtare neque ingredi poſſet. Quando autem eum moueri neceſſe erat, aut ab aliis ſuffultus ægrè ingrediebatur, aut geſtabatur. Verùm progreſſu temporis, fluxiones in manus etiam incumbebant. Deinde humeros vexabant. Denique totũ corpus infeſtabant & laxabant, cauitatibus articulorum ſe inſinuãtes. Ad hæc aliud acceſſit malum, vellicatio lateris ex anhelitu, qua fiebat, vt nec ipſe vitæ diuturnioris ſpem haberet, nec eius proceres, quorum primarius erat Logotheta Ioannes, caſtratus homuncio, obſcuro & ignobiliſſimo genere ortus, & ad res gerendas ineptiſſimus, grammaticæ artis adeò peritus, vt in affectatione Atticiſmi, neque rectè loqui, neque citra errorem ſcribere poſſet. Ei ſummam rerum imperator commiſit: eundem principem ſenatus deſignauit. Nam prius Reipublicæ adminiſtratio penes virum, huic omnino & genere & facundia & ſcientia regendæ ciuitatis diſſimilem fuerat. Qui cum Imperator aliquid ſecus quàm conueniebat, iuberet, non ſtatim ad voluntatem eius propendebat, ſed refragabatur & deterrebat. Quod cum ſæpius fieret, ille grauiter & iniquo animo libertatem illius ferens, homini (Lichudes is vocabatur) vt aduerſatore careret, munus id ereptum, in Ioannem transfert, ne ſuæ cupiditates inhiberentur. Is igitur Ioannes & alij magnates, deſperata Imperatoris vita, ei autores ſunt de ſucceſſore deliberãdi: monéntque, Proteuontem aptum eſſe ad Imperium, qui cum Bulgariam regeret, ab vrbe aberat. Miſſus igitur eſt, qui eum accerſeret: ídque clàm Theodora, non tamen ita, quin arcano illo conſilio deprehenſo, ægrotum poteſtatem in alium tranſtuliſſe cognorit. Itaq; illo moribundo in Mangania regia relicto, induſtria miniſtrorum ſuorum conſcenſa naue ad magnam Regiam appellit. Ibi & imperatoriis ſatellitibus, & ſelectis ſenatoribus ad eam cõfluentibus, Imperatrix ab omnibus eſt ſalutata, vt ad quam imperium iure hæreditario pertineret. Ea res Monomacho dolorem auxit: cúmque nõ amplius vixiſſet, quàm vt ſuſpirio dolorẽ

*Romani Boilæ inſidiæ Monomacho ſtructæ vindicantur.*

*Calliduſsima ſcelerati conſilij tractatio*

*Monomachi profuſiones rapacitas, et Orientis amiſsio.*

*Zoes obitus.*

*Monomachus Alanam concubinam aſciſcit.*

*Morbus articularis & lateris dolor*

*Ioannes Logotheta princeps Senatus*

*Lichudes ob integritatem loco mouetur.*

*Theodora Proteuontẽ anteuertit.*

*Monomachi obitus.*

& triſtitiam inde conceptam teſtari poſſet, expirauit. Regnauit annos duodecim, & menſes octo: ſepultu eſt in Mangania, manſione à ſe condita.

## IMPERIVM THEODORÆ Imperatricis.

*Theodoræ autoritas & felicitas.*

THeodora ſola potita rerum, iam effœta ætate, Imperatorem ſibi adiungere noluit, ſed delectata Imperio, quoad vixit, omnia in ſua poteſtate habuit, ídque conſilio & opera miniſtrorũ quoque ſuorum, quos ſummis Magiſtratibus præfecit. Rerum ciuilium adminiſtrationem Syncello Leoni, cognomento Paraſpondylo, mandauit, qui olim Imperatori Michaeli operam nauarat. Ipſa verò pro tribunali præſedit, legatis reſpondit, magiſtratus creauit, ius dixit, ſuffragia tulit, ſententiam ſuam in rebus priuatis & communibus interpoſuit. Ac fortunata fuit eius gubernatio. Neq; enim quiſquam illi ſe oppoſuit, neque ſubditi decreta eius neglexerunt, neque vlla gens cum Romanis bellum fecit, ſed & anni partes ſuam temperiem habuerunt, & terra vberes fructus tulit. Quamuis autem natu grandis, vt dictum eſt, ſceptris potita eſſet, tamen adhuc longum ſibi vitæ tempus pollicebatur, cum corpore firmiore eſſet, quod laboribus haud facilè cederet. Sed cum & ipſam fata vrgerent (etſi Monachi quidam neſcio quot ei ſecula vitæ promittebant) & familiares eius ob morbum grauiſſimum, quem Iliacum medici vocant, de ſalute illius deſperaſſent: in vnum congreſſi deliberant, quis in eius locum ſubſtituendus eſſet, à quo proſperitas illa & felicitas conſeruaretur.

*Theodoræ irrita longæuitatis ſpes.*

*Stratioticus Michael Imperator deſignatur.*

Eis porrò deliberantibus talis viſus eſt Stratioticus Michael, vir Byzantius ille quidem, ſed ad tractationem rerum, tanti præſertim principatus, cum ob naturalem ſocordiam & ſimplicitatem, tum ob ætatem longiſſimam ineptus. Neque enim ſenex erat, vt vulgò vocabatur, ſed penè decrepitus. Perſuadent igitur Imperatrici, vt eum in Imperio collocet: à qua ſtatim diademate redimitus eſt, ſanctiſſimo prius iureiurando adactus, ſe nihil ſine illorum conſenſu in Imperatoriis adminiſtrationibus decreturum. His peractis Imperatricem ſpiritus defecit, quum annum vnum, & menſes nouem imperaſſet.

## IMPERIVM STRATIOTICI ſeu militaris Michaelis, qui & ſenex dicebatur.

*Michael in togatos liberalis in ſagatos aſper.*

MIchael ſenex hoc modo Imperator appellatus, Senatores & plebeiam multitudinem benigniſſimè tractauit, ad dignitatum gradus promouendo, & honores pleriſque tribuẽdo, qui captum illorum excederent. Cum militaribus autem catalogis, ac iis potiſſimum qui cæteris antecellentes, multò antè exercituum alarúmque ductores fuerant, longè ſecus egit. Nam recens vrbem ingreſſis, neque vllum honorem habuit, neque benignis alloquiis eos deliniuit. Eorum primarij duo viri fuere, vterque Magiſter, & illuſtri genere ortus, ſplendorem illum imperatoria arte, robore manuum & fiducia animorum magis etiam aſſecutus: alter, Iſaacius Comnenus, alter Ambuſtus Catacalo, patria Colonienſis, cui ſimulac deſignatus fuerat Imperator, Antiochiæ ducatum ademit, ſuúmque conſobrinum Michaelem ſtatim Magiſtrum & ducem Antiochiæ declarauit, Vrani cognomento addito, vt genus ad veterem illum Vranum referre videretur. Eum igitur Ambuſtum, quaſi malè geſto magiſtratu, & copiis militaribus imminutis, & grauem obuio cuique, acrius obiurgauit, ac ne probris quidem & contumeliis abſtinuit: cúmque alij ſplendidiſſimi viri, collegæ eius, hominem defenſuri eſſent, ne contra illos quidem linguæ moderatus eſt, aut ipſum Comnenum reueritus. Ea res militum animos deiecit, qui Michaelem in alios liberaliſſimum, ſe ne verborum quidem benignitate dignari viderent: neque tamen ad res nouandas concitati ſunt, priuſquam denuo periculum eius feciſſent. Sed antequam ad illorum ſeditionem veniam, alius motus eſt exponendus.

*Iſaacius Comnenus. Ambuſtus Catacalo.*

*Theodoſij Præſidis ſeditio.*

Conſtantini Monomachi patruelis, Theodoſius præſes, Michaelis deſignationem ægrè ferens, ſtatim miniſtris ſuis aſſumptis, & nonnullis aliis eadem animi leuitate laborantibus aſcitis, crepuſculo iis ſatellitibus circundatus, per medium forum inceſſit, imperium ob Monomachi cognationem ad ſe pertinere dicens, atque iniuriam ſibi fieri clamitans. Cum verò ad publicum carcerem quod prætorium dicitur, veniſſet, clauſtris perruptis, exitum clauſis patefecit. Idem in ea quoque cuſtodia fecit, quæ ad Chalcen eſt, eorum opera ſe voti ſui fore compotem ſperans. Verùm vbi cognouit militares copias circa Regiam contra ſe collectas iamiam affore, ad magnam Eccleſiam conuertitur, ex eáque ſolus cum filio relictus, gregalibus ſuis dilapſis, educitur, & relegatur. Hoc euentu conatum eius conſecuto, plebeia multitudo per ludibrium hanc cantilenam in eum cecinit:

*Fatuus Monomachus, quod cogitauit, egit.*

*Orientales duces ob contemtum ſui regnum affectant.*

Cæterùm Oriẽtales duces iniuriis affecti, denuo fortunam periclitaturi, Protoſyncellum Leonẽ communia negocia procurantem adeunt, eo interceſſore Imperatorem precaturi, ne ſoli negligerentur, cum cæteri omnes liberalitatis eius fructum aliquem percepiſſent: aliis præſertim ſuauiter viuẽtibus, ſe verò in acie ſtantibus, Romanúmque Imperium propugnantibus. At ille nihilo dexterior Imperatore, ad tractandos viros dolentes, & tumorem ex dolore ortũ reprimendum: aſperitatem eorum adeò non leniit, vt etiã auxerit, ſingulorum virtutem eleuãdo, & omnes ſine honore dimittendo. Hac ſecunda repulſa irritati, non diutius ſibi cunctandum eſſe cenſuerunt, ſed quiſque proximum cohortatus, animo conceptum facinus ad exitum perducere decreuerunt.

*Bryennius ab Opſara cæcatus ad Imperatorẽ mittitur.*

Viſum autem eis eſt Bryennium quoque virum illuſtrem, Macedonicarum copiarum ducem & Cappadociæ præfectum in conſilium & auxilium adhibere, qui cauſas & ipſe ſimultatis contra Imperatorem haberet. Qui cum operam promiſiſſet, in deliberatione deligendi Imperatoris, omnium ſuffragiis Comnenus cæteris



cæteris eſt prælatus. His compoſitis, domum omnes redierunt, diſceſſu ſuo Imperatori denunciato. Abiit & Bryennius cum ſuis legionibus: cúmque in Orientalem prouinciam vnà cum Ioanne Opſara Patricio, qui aurum vehebat, veniſſet, militarium ſtipendiorum diſtributionem adminiſtrabat: qua iam inchoata, ſingulis militibus frumentum admetiebatur, & pecuniæ ſummam augebat. Opſara verò quæſtore negãte, ſe id ab Imperatore in mandatis habere: Bryennius eum inſolentius tacere, & quod iuberetur, facere iuſſit. Adhuc detrectantem & audacius refragantem, ira percitus arrepta coma & barba eius, ſolo illiſum, in vincula coniecit. Quo dux Piſidarum & Lycaonum, qui caſtra in propinquo habebat, cognito, id facinus tyrãnidis principium indicans, Briennij tabernaculum cum ſuis legionibus ex improuiſo inuadit, ſolutóque Opſaræ illum tradit, qui hominem ſtatim effoſſis oculis ad Imperatorem cum facinorum eius commemoratione miſit.

*Comnenus à militibus Imperator ſalutatus Nicæã occupat.*

Hoc ita geſto, coniurati cõgreſſi in vnum, rem nihilominus vrgebant, ex militaribus catalogis aliunde alio ad ipſos confluente. Omnibus enim militibus in votis erat, vt miles imperio potiretur. Nam iniquis animis togato parebant, neque tamen deſiderium ſuum prodere auſi, cupiditatem illam, dum ſe maturandi facinoris offerret occaſio, tegebant. Verum vbi Comnenum affectaſſe regnum compererunt, atque ipſum caput eſſe negocij, & à præſtantiſſimis familiis adiutari: id demum eſſe rati, quod diu animis agitaſſent, arrepta opportunitate alij alios anteuertere properarunt. Vnde Comnenus maximis copiis comparatis, tributa per totũ Orientem exegit, quæſtoribus & inſcriptoribus eorum que allata eſſent, conſtitutis. Deinde verſus Nicæam mouit, iam Imperator ab omnibus ſuis militibus appellatus, ea potiri cupiens, vt haberet vrbem vnde progredi, quóque confugere tutò velut in aſylum quoddam quouis euentu poſſet, eáque occupata, & iuſto præſidio impoſito, duodecim inde ſtadiis caſtrametatur.

*Comnenus victo Michaelis exercitu in ſucceſſionem Imperij adoptatur.*

Michael verò Imperator Occidentalibus legionibus conuocatis, & ſi quæ ex Orientalibus à fide non diſceſſerant: dictatorem præfecit Orientis Domeſticum Theodorum ſpadonem, Imperatricis Theodoræ miniſtrum, adiuncto collega Magiſtro Aarone fratre coniugis Comneni. Qui caſtris contra hoſtes poſitis, prælium commiſere in loco qui ab incolis Orcus appellatur. vbi à ſiniſtro cornu Imperatoriorum, dextrum Comneniorum profligatum eſt, & qui in eo curabat, Romanus Sclerus viuus captus. Sed hoſtium ſiniſtrũ cui Ambuſtus præerat, dextro Imperatoriorum cornu in fugam verſo, in caſtra vſq; penetrauit, & tentoria diſcerpta humi abiecit. Id factum vt Comneniorum animos vehementer auxit, ſic Imperatoriorũ adeò deiecit, vt ſe fugæ mãdarent, in qua multi cæſi ſunt non gregarij duntaxat milites, ſed duces etiam, pluribus captis, Comneno victoria minimè dubia potito. Eo cognito Michael deſperato bello, imperium deponere voluit: ſed id conſilium familiaribus improbantibus, exequi non potuit. Legantur igitur ad Comnenum ſelecti viri ex patribus conſcriptis, Conſtantinus Lichudes præſes, Leo præſes, Alopus, & Michael Pſellus princeps Philoſophorum: cuius legationis ea ſumma fuit: Comnenum ab Imperatore adoptatum iri & Cæſarem deſignandum eſſe, conceſſa venia & obliuione iniuriarum iis, qui tyrannidis adiutores fuerunt. Quæ cum audiente exercitu Comneno nunciarentur, milites tumultuabantur: negantes ſe paſſuros ſuum præfectum in alio habitu conſpici, aut exui veſtem Imperatoriam, qua iam inductus eſſet. Quæ verba à pluribus per aſſentationem, quàm ex animo iactabantur. Soluto conuentu Comnenus legatis ſeductis ait, Si arcana quædã Imperatori ſe renunciaturos promiſiſſent, ſe expoſiturũ ea, quæ animo cælaret. Qui cum taciturnitatis fidem dediſſent, Se nunc ait habitu Cæſaris contentum eſſe, nec requirere Imperatorium: ſed id poſtulare, vt imperator nulli alij vnquam traditurum imperiũ, & iis quos donaſſet, præmia non erepturum confirmet, & aliquid imperatoriæ poteſtatis impertiatur, vt minoribus dignitatibus nonnullos ornare liceat, & ad militares magiſtratus euehere. Quæ ſi impetraſſet, ſe pace facta in vrbem venturum, & quia illa ſuis diſplicerent, binas ſcripturum literas, quarum alteris fucum militibus faceret, alteris arcana mandaret. Præterea rerum communium adminiſtrationem ei adimendam eſſe, qui nunc ſibi & ſuis infenſus, ea fungeretur. His dictis literíſque traditis hortatur abire legatos.

*Michael diu ſe Comneno fucum factuturum putat, Imperio excidit.*

Senex Michael cũ literis acceptis, tũ arcanis mandatis auditis, delectatus, ad omnia illius poſtulata annuit, atque adiecit, quemadmodum Comnenus ſibi per illos occulta quædam ſignificaſſet, ita ſe illi per eoſdem occultiora nunciaturum, vt iureiurando confirmarent videlicet, non multum temporis interceſſurum, quin illũ collegam imperij aſciturus eſſet: nunc verò ſe id certis de cauſis differre. Hæc per legatos nunciata Comnenus cupidò admiſit, nec alij inuiti acceperunt, præſertim quòd rerum communium procuratori poteſtas adimenda eſſet, iámque omnibus decretũ erat, poſitis armis tyrannide abſtinere. At ſenex Imperator, priuſquam cum Comneno tranſigeret, togatorum erga ſe beneuolentiæ, vt putabat, cõfirmandæ ergò, ſcriptum quoddam confecerat, quo ſingulos iureiurando & diris obſtringebat, vt Comnenum neque Imperatorem nominarent, neque Imperatorium honorem ei deferrent, atque ſenatorum alios pecunia, alios dignitatum largitionibus, alios aliis illecebris impulerat, vt ſubſcriptione ſua earum literarum ſententiam confirmarent. Verum audito Comneni aduentu, qui poſtridie vrbem ingreſſurus eſſet, quidam ex patribus conſcriptis factioſi homines mane ſe in templum Diuini verbi ſapientiæ contulerunt, quibus ſe etiam ſodalitatum principes aggregarunt, & Patriarchæ præſentiam vociferationibus efflagitarunt. At ille foribus vndiq; occluſis, fratris filios percontatum miſit, quid vellent? quos illi, concurſu multitudine aucta, comprehenſos malè tractaturos eſſe, comminati ſunt, niſi Patriarcha ſtatim egrederetur. Feruntur autem illa ficta fuiſſe & ſimulata, vt Patriarcha inuitus ad ſeditioſos prodire videretur. Cum igitur ex ſuperiori ædium parte deſcendiſſet, pontificia ſtola indutus, eos qui aderant incuſans, vt à quibus vis ſibi fieret ſcilicet:

audaciores ex ſeditioſis ac potius ſeditionis autores, corona circa eum facta petiuerunt, vt legatus ad Imperatorem iret, ac ſcriptum ſibi reſtitui poſtularet, cui ſubſcribere coacti eſſent. Sed id quoque commentitium erat. Nam paulo pòſt Comnenum apertè Imperatorem ſalutarunt, etiam Patriarcha ſuffragante & adiutante, qui illi nunciarat, ne cunctaretur, & præmium ſuffragij poſtularat, & Imperatori inſolētius nūciarat, vt Regia decederet. Quo nuncio à primariis ſacerdotibus accepto ſenex Michael percontatus eſt, quod ſibi præmium pro Imperio daturi eſſent, illiſque reſpōdentibus, Regnum cœleſte: ſtatim inſignibus abiectis Regia deceſſit. Comnenus autem, Ambuſtū, quem Curopalatem fecerat, cū copiis ad Regiam occupandam miſit, populo ad noui Imperatoris occurſum effuſo, ac illuſtriſſimum reddente eius vrbem ingreſſum.

## IMPERIVM ISAACI Comneni.

*Michaelis obitus.*

SEnex igitur Michael cum vnum imperaſſet annum regno excidit, neque diu pòſt ſuperſtes fuit. At Comnenū, firmato Imperio, adeptionem eius nō Deo, ſed ſibi aſcripſiſſe ex eo apparet, quod in nummis ſuam imaginem ſtricto enſe inſculpendam curauit, tantum nō clamitans, eum ſibi, nec quicquam aliud regnum peperiſſe. Eos à quibus adiutus fuerat, liberaliſſimè eſt remuneratus, relatáque feſtinanter omnibus gratia, operam dedit, vt domos ſuas quiq; redirent, ne in vrbe oberrantes vel tumultum excitarent, vel contra populum inſurgerent.

*Comneni arrogātia, gratitudo, rapacitas.*

Patriarcham magnopere veneratus eſt, & fratris eius filios magnis honoribus affectos, ſuperbis magiſtratibus præfecit. Præterea in Patriarchæ gratiam, etiam Eccleſiaſticarum rerum procurationem Eccleſiæ attribuit. Nam cum ad id vſque tempus & magnus Oeconomus, & vaſorum cuſtos ab Imperatore deſignari ſoleret: vtrunque id munus Patriarchæ poteſtati ſubiecit, amota publica autoritate. Deinde vitæ ſociam Auguſtam appellauit, fratrem autem Ioannem Curopalatem & magnum Domeſticum nominauit. Porrò cū omnes eius poſt Baſilium Porphyrogenitum deceſſores, fiſci & ærarij pecuniam parum rectè collocaſſent, partim in ſuas voluptates, & monaſteriorum ædificationes inſumptam, partim ſine delectu ac pro libidine ſua condonatam: tam imperatorij theſauri exhauſti fuerunt, quam ærarium pecunia vacuum. Id vitium correcturus, emendationem non pedetentim eſt aggreſſus, ſed vt in ſtatere ſe incidi iuſſit, erecta manu ſtrictum enſem ſuſtinentem: ita etiam in negocia ſe ingeſſit, ſtatim ad ſecandos tumores paratus, non adhibitis medicamentis, quæ exulceratas partes mollirent ac fouerent. Itaque ex quo tyrannidem cum legitimo imperio commutauit, deceſſoris ſui acta ſine diſcrimine abrogauit: ſi quid ille cuiquam largitus fuerat, id eripiebat: ſed & ſuperiorum Imperatorum multa acta euertit, & abrogauit, neque id in vulgi duntaxat fraudem, ſed ne ſenatui quidem pepercit. Denique progreſſu temporis numen etiam violare auſus, multa monaſteriis conſecrata truncauit: ac potius eos, qui ibi exercebātur, coactoribus ſubiecit, ſumptibus neceſſariis duntaxat illis relictis, cæteris verò fiſco attributis. Dum igitur in dies hoc modo aliud ex alio nouat: omnium in ſe odia ſuſcepit, tam patrum conſcriptorum quàm plebis atque etiam militū, quibus nec ipſis pepercit, quo minus opes eorū imminueret, præ cæteris autem omnibus eorum qui in locis ſacris ætatem exigunt. Verum nihil illū ab inſtituto deduxit, non oratio, non metus, non odium, nō reprehenſio: adeò ſuſtulerat animos atque intumuerat.

*Patriarchæ relegatio.*

Neque verò Patriarcha ſuperbia illi cedebat, ſed imperare illi volebat, ac ſi quando non impetraſſet ea quæ petierat, ægrè ferebat, increpabat: denique minabatur, quemadmodum imperium illi contuliſſet, ita ſe idem illi erepturum. Quæ cum talis Imperator ferre æquo animo haud vtique poſſet, prouidit, vt malum daret potius quàm ferret. Cū igitur Patriarcha in ſuum monaſterium, ad feſtiuitatem cœleſtium copiarum, quæ ibi colebantur, ſplendidius celebrandam iturus eſſet: miſſa illuc cohorte militum (nec enim eum ex Eccleſia verbi diuini ſapiētiæ auellere voluit, ne vel cleri vel populi motus oriretur) & ipſum & nepotes eius relegat. Deinde de abrogando illi patriarchatu cogitās, opera quorūdam primariorum ſacerdotum vtitur, & Pſelli variarum & abſurdarū criminationum coaceruatoris, quas in oratione cōtra illum ſcripta congeſſit, & per quoſdam viro ſignificat, vt ſimulet, ſe vltrò pontificatu cedere, quem alioqui inuitus cum publica infamia ſit amiſſurus. Vt autem ille refragabatur, Imperatoris de eius exautoratione ſolicitudinem mors ſuſtulit. Neque enim multo pòſt ſummi paſtoris obitus à quodam eſt ei nunciatus. Qui cum ſe lætum illi afferre nuncium & curas ādempturum putaret: ille ſtatim mutata ſententia eiulauit, eiuſque cadauer cum honorifico comitatu ab exilio reuocatum in monaſterio ab illo condito repoſuit, nepotibus eius priſtina dignitate reſtituta.

*Conſtantinus Lichudes Patriarcha.*

In Eccleſia verò Conſtantinum Lichudem Præſidem & protoueſtiarium conſtituit, virum longo tempore in adminiſtrationibus rerum communium cum laude verſatum, ſpectatæque fidei, cui Monomachus etiam Manganorum œconomia commiſſa, tabula de illorum immunitate commiſerat: quas cum ſibi vendicare Comnenus conaretur: commentum improbitatis plenum excogitat, ac planè partum quendam diabolicæ mentis edit. Nam cū Lichudes per ſuffragia deſignatus ac ſacerdos iam creatus eſſet, arcanò eū monet, dici quædam de eo, quibus operari ſacris prohibeatur: quæ niſi pro concilio * dicantur & refutentur, non poſſe eum pontificatus vnctionem adipiſci. Verum ſi Manganorum ſibi iura traderet, ſe conniuere velle ad criminationes illas, neque impedimento fore quò minus vngatur. Lichudes, qui videret, non licere ſibi ad priſtinam conditionem redire, ſic verò manere, turpe eſſe properè allatis iis quæ petebantur, nemine obſtante, pontificio ritu initiatur.

*Expeditio Hungarica & Scythica.*

Poſthęc Comnenus expeditione contra Hungaros & Scythas, qui Pazinacæ dicūtur, ſuſcepta. Hungaris petentibus pacem conceſſit. Scythas verò aggreſſuro, cæteri quidem ceſſère, pacem & ipſi amplexi (neque



que enim eidem omnes duci parebant) vnus verò eorū Seltes, cæteris audacior, cum parte quadam Romanorum copiarum congreſſus, vincitur, & multis ſuorum amiſſis, aufugit. Imperator autem caſtris inde motis, ſub finem menſis Septembris, Lobizum cōceſſit: vbi vehementi imbri & niue intempeſtiua & maxima, pleriq; equi perierunt, multíque milites ex frigore ſunt periclitati, cúmque flumina exundantia & ſtagnantia commeatum ſubitò intercepiſſent, & homines & iumenta rerum neceſſariarum penuria laborarunt.

*Quercus ruina.*

Cæterùm pluuia & niue pauliſper ſedata, Imperator tabernaculo egreſſus ſub magnā quandam quercum in proximo cōceſſit, circumſtantibus procerum quibuſdam. Orto autem in eo loco fragore, & ipſe & ſui inde diſceſſerunt, atque arbor ſtatim radicitus euulſa concidit. Reuerſus igitur in magnam vrbem, ad grates ob ſalutem acceptam Deo perſoluendas, intra Regiā D. Theclæ Protomartyris ædem ille quidem cōdidit, quòd eo die, quo illius memoria celebratur, quercus illud periculum effugerat, ſed talem, quæ magnam eius animi puſillitatem arguat: quam eius ſobrinus Imperator Ioannes, Alexij filius, magnificentiſſimè inſtaurauit, nomine ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

*Iſaacius Cōnenus quib⁹ de cauſis Imperium depoſuerit.*

Nunc illud dicendum eſt, quemadmodum Iſaacius hic imperium depoſuerit, etſi ſcriptores in eo nō conſentiunt. Nam eruditiſſimus Pſellus, homo verboſus, narrat, cū venationibus deditum, cum haſta ſæpe & vrſos & apros feriret: * frigido vento ictum eſſe latus, atque inde febrim ex imo coortam efferbuiſſe. Poſtridie cum lateris doloribus vrgeretur, & ſpiritum ægrè traheret, dubia ſpe vitæ, ac potius planè deſperata vita, Conſtantino Ducæ imperio tradito vitæ melioris inſtitutum amplexum eſſe. Thraceſius autem refert, circa Neapolim venanti viſum eſſe aprum horrendum aſpectu, quem dum laxatis equo habenis perſequeretur, in mare demerſum euanuiſſe, & à pleriſque nō aprum, ſed ſpectrum quoddam diabolicum eſſe iudicatum: atque interim fulgore quodam inſtar fulguris perſtrictum Imperatorem, equo præ terrore excuſſum, & ſpumam ore reiicientem, humi attonitum iacuiſſe, atq; inde naui piſcatoria in Regiam reuectum, cum pauliſper ægrotaſſet, iam deploratum, raſo capillo & purpuræ loco aſpera lacerna ſumpta, atque Conſtantino Duca Imperatore deſignato, in Studienſe monaſterium ſe contuliſſe, vbi recuperata etiam valetudine, vitæ reliquum exegerit.

*Elogia Comneni.*

Regnauit biennium & tres menſes, homo ſtrenuus, ingenio arroganti, in rebus gerendis celerrimus, rei bellicæ peritiſſimus. In litteris nō quidem verſatus, ſed literarum ſtudioſus & doctorum amans: in coniugio adeò caſtus, vt cum peregrè in morbum incidiſſet, & à medicis moneretur, vt conſuetudine mulieris morbum leuaret, cum vlla præter vxorem ſuam, rem habere recuſarit. Cum ei regni affectatio obiiceretur, reſpondit, Se pati non potuiſſe conſerui Imperium, à quo iuſta ſibi præmia negarentur.

## IMPERIVM CONSTANtini Ducæ.

*Ducæ liberalitas.*

COnſtantinus Duca præſes, Imperio citra laborem, vt dictum eſt, potitus, multos ſenatorij ordinis & plebeiæ cōditionis ad altiores dignitatis gradus euexit: atque illos etiam, quos Comnenus honoribus ſpoliarat, qui multi fuerunt, in integrum reſtituit.

*Submerſionis periculū per inſidias inſtructum.*

Sed parum abfuit, quin per inſidias ſubmergeretur. Nam cum in Manganico palatio ageret, coniurati ratione inita, ſi ei tumultu in foro vrbis nunciaretur, ſtatim mari in magnam Regiam tranſitum: curarant, vt Imperatoria triremis, illiúſque gubernatores, qui Protocarabi vulgò appellantur, & in coniurationis ſocietatem aſciti erant, abeſſent. Imperator audito tumultu, rectà in Regiam abeundū eſſe cenſuit. Sed cū Imperatoria triremis ibi non inueniretur, proximum lembum conſcendit. Inter nauigandum verò, etiam nauis Imperatoria apparuit, quæ frequenti remigio & vehementi impetu fluctus ſecans, à gubernatoribus rectà ad lembum dirigebatur, eo conſilio, vt illo ſuppreſſo Imperator demergeretur. Iis verò qui cum eo vehebantur, exclamantibus, & confidentius vociferantibus, vt inhibitis remis gubernacula conuerterent: gubernatores velut attoniti, Deo ita volente, paruerunt. Sic periculo euitato, quo pacto & à quibus paratæ eſſent inſidiæ cognouit, ac ſontes bonis duntaxat ademptis, vltus eſt.

*Ducæ genus*

Etſi autem ex veterum Ducarum Andronici Pantherij & Conſtantini familia ſe ortum eſſe gloriabatur, tamen eam familiam cum Conſtantinus (vt ſuprà dictum eſt) regnum affectaſſet. Conſtantino Porphyrogenito Imperatoris Leonis Philoſophi filio regnāte, & ob immaturam ætatem adhuc ſub tutoribus agente, funditus euerſam eſſe conſtat, nullo mare relicto. Huius igitur maiores, vt fertur, à fœmina quadam originem duxerunt. Vnde nō germanus Duca cenſebatur, ſed promiſcuus, cognatione illa velut adulterata. Itaque à pleriſque non Duca, ſed Duciza per diminutionem vocabatur.

*Ducæ elogia*

Cæterùm vir pius fuit erga Deum, moribus commodis, iuſtitiæ amans, ſed ingenio tardo & hebeti: & vt iis delectabatur, quorum ſpectata erat integritas, ſic pecuniā ſupra modum amabat, & rationes excogitabat, quibus multos theſauros coaceruaret. Quamobrem duabus rebus magnum impendit ſtudiū, quarum vna erat, vt publica vectigalia augêret, eáque de cauſa curias, rationibus quæſtoriis deſtinatas, quibuſuis vendebat, & vectigalium collectionem publicanis cum pacto auctarij credebat: altera, vt controuerſias audiret, & decreta ſcriberet. Verùm in iure dicendo non ſemper præſcripta Legum obſeruabat, ſed alicubi etiam ei erat, vt ille ait, pro ratione voluntas, vt commutatis calculis in prōnunciādo perſonarum rationem haberet. Iam vt erat tenax & parcus, cū animo ſuo conſtituit, nolle ſe bellis conflictari, ſed gentes muneribus & aliis obſequiis deuincire & Romano imperio reconciliare: qua re duo commoda venabatur, alterum ne plura in expeditionibus cōſumeret: alterum, vt per ſummum ocium cumulandis theſauris inuigilaret. Ita fie-

*Ob neglectã rem militarẽ imperiũ imminutum.*

bat,vt militares catalogos negligeret, ac potius fortiſſimos quoſque ob ſtipendij magnitudinẽ deleret. Vnde Barbari ferociores euadebant:Romanæ verò legiones timidiores & humiliores, atque imperium minuebatur. Nam multæ tum orientales prouinciæ partim diripiebantut & vaſtabãtur, partim ab hoſtibus occupabantur. Neque etiam in Occidente omnia ſe rectiſſimè habebant, ob militum & paucitatem & ignauiam.

*Vzorum Scytharum graſſationes & interitus.*

Vzos enim (eſt autem hæc quoq; Scythica gens, quæ Pazinacis & generis præſtantia & multitudine illis in locis antefertur) Iſtrum cum vxoribus & liberis traiicientes, præſides finitimarum vrbium magiſter Nicephorus Botaniates,& magiſter Baſilius Apocapes,tranſitu prohibere fruſtrà conati, victis legionibus, ambo capti ſunt & abducti à Barbaris,qui Danubio ſuperato,omnem eius tractum compleuerunt.Nam plerique conſentiunt,eorum qui arma ferre poſſent,vltra ſexaginta millia fuiſſe. Inde progreſſi ex Macedonia,prædas agebant, & in Græciam vſque penetrabant. Quæ etſi Imperatori moleſta erant, tamen conſcribere copias negligebat, ne obolũ impenderet:ſed præ ſe ferebat, gẽtem illam eſſe inſuperabilem. Itaque per legatos miſſis muneribus, pacem à ducibus illorum redimere parabat. Sed quum palàm ob omnibus conuiciis laceraretur, quòd ex tenacitate contra Barbaros non iret,vrbem egreſſus eſt,& ad Chærobachos caſtrametatus,quum,vt fertur, non plures centũ quinquaginta militibus ſecum haberet.Enimuerò de conſcribendis copiis ſólicito, gentis illius ſubitum nunciatur excidium. Nam cùm ſæuiſſima peſtilentia grauiter afflicta eſſet,Pazinacæ & Bulgari finitimi debilitatam aggreſſi, funditùs deleuerũt, ducibus cum paucis ægrè vltra Iſtrum elapſis.Fuit autem tota res diuinæ potẽtiæ opus. Nam Imperator omni humana ope deſperata, ad numen confugerat, cum lachrymis & animi ſubmiſſione illius auxilium efflagitans.

*Terræmotus*

Hæc ſexto eius imperij anno acta ſunt, quem magnus terræmotus die XXIII. menſis Septembris anteceſſit,quo & templa & ædes multis in locis cõciderunt. Tum Cyzici gentile fanum opus pulcherrimum & admirandum corruit, & Nicææ ſanctorum patrum maximum & celebre templũ deiectum eſt.

*Cometa maximus.*

Menſe verò Maio,quarta indictione, ſtella crinita apparuit, ſolem occiduum ſequens: quæ principiò magnitudine lunæ plenæ par. Deinde veluti coma enata minuebatur, ac tantum decreſcebat, quantum illa augebatur. Conſpectus eſt per dies quadraginta, radiis verſus orientem cõuerſis.

*Xiphilinus Lichudi Patriarchæ ſuccedit.*

Quum autem Patriarcha Conſtantinus Lichudes,Eccleſia per annos quatuor & ſex menſes gubernata, in aliam migraſſet,vitam: Ioannes Xiphilinus in pontificiam Conſtantinopoleos ſedem euehitur, Trapezunte quidem oriundus, ſed omni doctrinæ genere eruditus, & in principum ſenatorum numerum relatus. Qui omnibus ſua ſponte relictis, coma raſa,Olympica monaſteria frequentauit, ſolitariam vitam amplexus, vbi cùm longo tempore permanſiſſet, Patriarchica ſede dignus eſt habitus.

*Imperatoris morbus et deſignatio ſucceſſoris.*

At Imperator graui & diuturno morbo oppreſſus, quum iam nullum mortis effugium eſſe cerneret,imperium tribus filiis reliquit,quorum duos Michaelem & Andronicum Eudocia priuato adhuc, Conſtantinum verò Imperatori pepererat,quũ & ipſa Auguſta appellata eſſet. Vnde is ſolus Porphyrogenitus fuit, ab eóque ſtatim præ cæteris imperij inſignibus adornatus. Pòſt etiam reliquos deſignauit. Ac hos quidem imperio præfecit:ipſis verò matrem Imperatricẽ & nutricem, & vt paucis complectar, dominam reliquit,mandata imperij adminiſtratione,quòd ei modeſta videretur, nec minus ad tractationẽ rerũ apta,quàm ad liberos educandos ingenioſa. Sed prius ſcriptum iuſiurãdum ab ea exegit,quo promitteret, ſe à ſecũdis nuptiis temperaturam. Ea ſyngrapha ab illa firmata, Patriarchæ cuſtodienda eſt tradita. Sed & ſenatores omnes iureiurando adacti,ſcripto promiſerunt, ſe nõ alium Imperatorem niſi liberos ipſius creaturos.

*Imperatoris obitus.*

His peractis obiit. Regnauit annos ſeptem cũ ſemeſtri.Vixit ſexaginta & amplius. Cæterùm fratrẽ ſuum viuens Cæſarem appellarat, & cõſiliarium habuerat & arcanorum conſcium. Quamuis autem indoctus eſſet,tamen doctrinam amabat,& eruditos colebat, dicere ſolitus, malle ſe ex doctrina quàm imperio nobilitari. Inſidiatores ſuos dicebat,ſe non alia ratione malè tractaturũ, quàm pro mancipiis vtendo, quòd leges eis libertatem eriperent.

## IMPERATRICIS EVDOCIÆ imperium.

EVdocia igitur cum liberis ſuis ex teſtamento defuncti Imperatoris, & imperio ſucceſſit,& rerum communium tractationem ſuſcepit, filiorũ quaſi magiſtra, atque vnà cum eis pro tribunali ſedit, medium ipſa occupans, illis vtrinque aſſidentibus:ſic in comitiis, ſic in ciuilium controuerſiarum quæſtionibus, ſic in audiẽdis legationibus, ſic in ſolennibus progreſſionibus ſe gerebant.

*Eudocia ob Barbaros Oriente prohibendos Diogeni contra iuſiurandum nubit.*

Verùm Barbari Orientem diripere ſoliti, Romanas prouincias incurſare & indies vexare non deſiſtebant,militibus,vt iam dixi,tenacitate Imperatoris & imminutis & afflictis. Quod ſi qui adhuc reſtabant militiæ dediti,ij propter negata ſolita ſtipendia minimè erant alacres ad cõfligẽdum cum hoſtibus. Vnde Barbari aliàs Meſopotamiæ imminebant, aliàs Melitenes confinia vaſtabant, aliàs Ciliciæ nocebant, aliàs Cappadociam inuadebant,nonnunquam etiam Cœleſyriam. Quæ nunciata Imperatricẽ turbabant: quúmq; multi dicerent, res Imperatorem requirere,verita, ne aliquo à Republica creato,ipſa & liberi imperio exciderent:aliquem aſciſcendum cẽſuit, vt ea ratione & ſibi & liberis poteſtatem inuiolatam tueretur. Negant enim eam Diogeni nupſiſſe ex laſciuia,aut ſtudio voluptatis, ſed virum eum vt ſtrenuum & in re bellica probatũ, & robore incomparabili præditum ſummæ rerũ præfeciſſe, vt Barbarorum impetus nonnihil retunderetur,illo armis eorum reſiſtente.

*Diogenis natales, dignitas et è ſqualore carceris ad imperij ſplendorem aſcenſus.*

Fuit autem & genere illuſtri ortus, & rebus geſtis clarus. Cuius pater quum Romani Argyri neptem ex fratre haberet,regni affectati conuictus, ſeipſum præcipitauit,ne quæſtionibus adhibitus,cõſcios prodere cogeretur. Hic verò Diogenes Romanus



manus Beſtarchorum dignitate ornatus,& à Duca, Sardicæ dux deſignatus fuerat, & quum illic alicubi in Pazinacas incidiſſet,multis occiſis,nec paucioribus captis,& viuentes & cæſorum capita miſerat ad Imperatorem:à quo ea de cauſa Beſtarcha deſignatus fuerat, cum honorificis literis,quibus ſcribebat,eam dignitatem illi non donari,ſed pro egregij facinoris remuneratione dari. Illic igitur quum ageret,ſe ad occupãdum regnum parabat,cognitò Imperatoris obitu. Quo eius conſilio intellecto,Imperatrix eum comprehendendum curarat. Ita in vinculis Byzantium perductus,facinoris conuincitur,& vt inſidiator condemnatus,intra præſcriptos limites cohercetur. Deinde rurſus vt condemnatus ad tribunal Imperatorium adducitur,vt ſententia in eum lata confirmetur. Verùm omnibus aſtantibus miſericordia viri inceſſit, & animi doluerunt. Nec enim robore duntaxat erat incomparabili, ſed forma etiam præſtanti. Ac Imperatrice vnà cum cæteris illius miſerta,an verò amore quoque capta,dicere non poſſum,ſententia damnatoria in abſolutoriam commutata,dum crimine ſolutus, in Cappadociam patriam abit. Imperatrix verò eum ex itinere reuocatum,Magiſtrum & ducem copiarum deſignat.quúmque iam ſecum conſtituiſſet,eum vt virum fortiſſimum,Imperatorem creare,tamen iureiurando & ſyngrapha,quam à Patriarcha,cui aſſeruanda data erat,recuperatam volebat,impediebatur.

*Eudociæ calliditas in recuperanda ſyngrapha, vt ſcilicet iureiurãdo ſolueretur.*

Init igitur improbum & profundum conſilium, ídque cum eunuchorum ſuorum quodam communicat, illo miniſtro pro lenone vſa,monétque quemadmodum cum Patriarcha agendum eſſet. Is cum pontifice congreſſus:Scito,inquit,domine, Imperatricem nepotis tui amore captam eſſe (habebat enim nepotem Bardam,adoleſcẽtem laſciuum & rei Venereæ deditum) & addit, quòd ſi tu annueris, hoc eſt,ſi iuriſiurandi chirographum ei reddideris,& perſuaſeris, nullum ex ea re periculum ipſi imminere:ſtatim eam fratris tui filio nupturam, & poteſtatem imperatoriam tradituram. Patriarcha his illecebris irretito, ac de ſtatu mentis deiecto, eunuchus poſtulare pergit, vt ſenatorum quoque animos tentet. Is igitur ſenatoribus ſingulatim accerſitis ait: tempora poſtulare Imperatorem,qui defenſionem Reipublicæ ſuſcipiat. Romanum enim imperium, ſi à muliercula & pueris ſolis adminiſtretur: haud ita multo pòſt, non remotas duntaxat prouincias & hoſtibus finitimas, ſed ſuburbanas etiam perituras. His iuriſiurandi & ſyngraphæ reprehenſionem acrem ſubiungebat, & mortuo Imperatori maledicebat,quaſi non Reipublicæ ſtudio, ſed ex priuata zelotypia inuſitatum iuſiurandum & ſyngraphas legibus contrarias exegiſſet. Quibus quum plerique aſſentirentur, iis etiam qui refragabantur, partim muneribus, partim pollicitationibus in ſententiam ſuam pertractis,Imperatrici iuſiurandi chirographum remittit. Quo illa accepto,conſilium ſuum executura, rem cum filio natu maiore & Cæſare, in Regiam accerſito communicat:qui cum hymenæo interfuiſſet, & nuptiales crateres guſtaſſet,nubit illa Diogeni. Sic ille Imperator declaratur, quum Eudocia eiúſque filij menſes ſeptem,& dies aliquot regnaſſent.

## IMPERIVM ROMANI Diogenis.

*Diogenes muliebre imperium pati non potuit.*

ROmanus Diogenes Romanorũ imperio potitus, Eudociæ tanti faſtigij autoris ſpem eluſit. Quæ cum eum condemnatum, & tantum non carnificem inſtare videntem, non modò manifeſto periculo eripuiſſet,ſed ad tantum imperium euexiſſet:putabat ſe illum in omnibus dicto audientem habituram,& ipſi Imperatori imperaturam. At ille qui ingenio eſſet arroganti atque indomito:ad tempus naturæ ſuæ vi facta Auguſtæ voluntati ceſſit,ſubmiſſione ſimulata.

*Diogenis expeditio orientalis.*

Sed quum eã vim ferre non poſſet, celeriter excuſſo iugo ad ingenium rediit, atq; libera poteſtate vti voluit. Cùm autem Orientalia malè ſe haberent, atque alia deſperata eſſent, alia deſperationi propinqua:expeditione denunciata, imperatorium tabernaculum in prouincia Orientis Byzantio obuerſa figit, duabus de cauſis:tum vt Barbarorum incurſionibus prohibitis, ſubditorum, quantum res ſineret,ſaluti conſuleret:tum vt gloriæ occaſionem captaret, nec Imperatricis mancipium, ſed ipſe Imperator eſſet. Relicta igitur regia, in Orientem traiecit,nec iuſto exercitu educto, & eo ipſo quem educebat, armorum, equorum & rerum neceſſariarũ inopia laborante. Nam exercitũ longo tempore per ſocordiam neglectum, ſubitò in integrum reſtitui non expeditum erat. Militibus igitur hoc modo affectis, in Orientali prouincia, quæ Phrygiæ pars eſt, congregatis, quum hoſtes cognouiſſent, ipſum Imperatorem adeſſe:eúmque talem,qui pericula pro ſuis adire haud reformidaret, virum bellicoſum & robore immenſo præditum (neque enim,vt exercitus ſe haberent, accuratè perquiſierant Barbari) cautè agendum eſſe rati,acie decernere recuſabãt.

*Sultanus Neocæſariã capit.*

Vnde Sultanus retrò ceſſit, & duabus partibus ab exercitu Barbarico ſegregatis, alterius duces in auſtralem & ſuperiorẽ Aſiam, alterius in Aquilonarem contendere iuſſit. Ij obuia quæque populati, ac Neocæſaria ſubita incurſione vaſtata, manubiis graues inde receſſerunt.

*Diogenis bellum Syriacũ cum Sultano.*

Quo nuncio accepto,Imperator dolens, expeditioribus militibus aſſumptis,per loca inuia & montoſa proficiſcitur, vt hoſtes anteuerteret. Quos ex improuiſo aggreſſus,perterrefecit omnes, vt ſtatim arrepta fuga, illic & prædam & impedimẽta relinquerent. Non tamen Barbarorum magna ſtrages eſt edita,quòd milites itinere fatigati, lõgius eos perſequi haud potuerunt. Captiui tamen, & ſi quid aliud prædam explebat, in libertatem aſſerta ſunt omnia. Inde Syriæ iter ingreſſus, phalange vna Melitenam miſſa, Chalepo magnam & hominum & animantium prædam abduxit.

*Calepum.*

Inde Hierapolim Syriæ, quum obſidionem pararet,per deditionem capit. Deinde quum Barbari Romanorum copiarũ partem ſuperaſſent, cæterorum nemo illis opem ferre ſtuduit,ſed Imperator illo euentu cognito,in capta vrbe degẽs, celeberrimè victis ſuppetias iuit. Chalepi autem præfectus, Romanorum clade nunciata, & ipſe cum ſuis copiis ad Barbaros deſciuit, ſperans ſe Imperatorem ſtatim captiuũ abducturum. Quũ autem Romana caſtra corona circundediſſent,

Imp

Imperator prælio eis non denunciato, eduxit exercitum, & nullo tubarum ſonitu, nullo alio manifeſto ſigno dato, hoſtes profligatos in fugã coniecit. Quòd ſi Romanus exercitus longius illos perſecutus eſſet, victoria potitus eſſet maxima & illuſtri.

*Arabici equi.*

Nam Arabibus equi ſunt primo impetu veloces, atq; omnium celerrimi, ſed curſum non longè extendunt, celerriméque fatigantur. Verùm reuocati, vt hoſtes non perſequendo conſeruarunt, ita ſemetipſos magno ſucceſſu & gloria ſpoliarũt. Imperatori tamẽ abundè viſum eſt, quòd Romani hoſtes inuadere auſi eſſent, priſtina timiditate abiecta. Eiuſdem iuſſu Hierapolitana arx condita eſt. In progreſſu aliis oppidis captis, aliis, quòd inexpugnabilia eſſent, relictis, in Ciliciæ vrbem Alexãdriam peruenit. Vnde diſcedenti nunciatur Amorium multis occiſis eſſe direptum. Quod etſi ægrè ferebat, tamen cũ nihil opis ferre poſſet, militibus in hyberna deductis, vbi nulla commeatus inopia premerentur, ipſe in vrbem Regiam reuertitur, factus arrogantior, quaſi plura confeciſſet, non erga alios duntaxat, ſed erga ipſam etiam Imperatricem. Illa verò ſpem ſuam in contrarium vertiſſe cernens, mœſta cor edebat, nec obiurgationes ferre poterat.

*Diogenis altera expeditio ad Euphratem.*

Sub veris initium Imperator altera expeditione ſuſcepta, quum Cæſaream veniſſet, & magnam Turcorum multitudinem eam prouinciam incurſare cognouiſſet: etiam in illos nunc parte copiarum immiſſa, nũc ipſe inuectus, profligatis illis, captiuiſq; cæſis omnibus, ad Euphratem contendit, Philareto duce deſignato.

*Turci victi.*

Erat is ex genere Brachamiorum, qui vt ſatis habere peritiæ militaris videbatur, ita improbæ vitæ erat, & nomini ſuo, quod virtutis ſtudioſum notat, planè cõtrariæ. Huic ſemiſſe exercitus dato, ipſe ad Septentrionem declinauit.

*Philareti clades.*

Hoſtes autem Philareti militib[9] terrore illato, vt locis quibus præſidij cauſa erant, relictis, fugerent, inſecuti, omnibus eorum impedimentis potiuntur, quod Imperatori triſtitiam attulit: & in Cappadociam progreſſi, agris vaſtatis Iconium petunt, vrbem & frequentia hominum, & omnibus iis quæ bona dicuntur felicem.

*Turci Cappadociam et Iconium vaſtant.*

Quo Imperator Sebaſtiæ cognito, & ipſe iter eodem intendit. Verùm nunciata eius vrbis vaſtatione, & Turcorum ſuum aduẽtum timentium diſceſſu, Magnæ Antiochiæ duci Chatagurio Romanarum legionum parte miſſa, mandauit, vt ad Mopſiheſtiam veniret, & Turcos illac tranſituros aggrederetur. Cæterùm hoſtes quum in Tarſi planiciem veniſſent, ab Armeniis omni ferè præda ſpoliati ſunt, auditíſque Romanorum ad Mopſiheſtiam inſidiis, noctu iter ingreſſi diffugerunt: quæ res Imperatori cauſa mœroris fuit, vt rebus deſperatis Byzantium rediret. Iam enim autumnus inſtabat, qua tempeſtate Blachernium quoq; magnum templum conflagrauit, anno ab orbe condito ſexies milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

*Manuel Cõnenus à Turcis capitur et reſtituitur.*

Inſtãte vere Manuelem Protoproedrum Comnenum, Iſaacij imperatoris ex fratre nepotem, Curopalatem deſignatum, legionibus præfecit, qui quamuis adoleſcens, cum ſenili prudentia exercitũ regeret, Barbaros vicit. Ob quem ſucceſſum Diogenes illi inuidens, parte non minima copiarum adempta, in Syriã eum miſit. Inde Comneno cum reliquis Sebaſtiani profecto, Turcorum multitudo ſe oſtendit: qui ſimulata fuga, illo perſequente, ex compoſito conuerſi, Romanos diſperſos inuaſerunt, & multis cæſis, nec paucioribus captis, ipſóq; duce Manuele, caſtra diripuerunt. Ea res, nec minus fama de Chonæa Republica & celebri archiſtrategi fano à Barbaris occupato, Imperatorem perturbauit, vt totus in eo eſſet, vt quamprimum bello eis illato periclitantes conſeruaret. Sed dum quorundam monitu cũctatur, adeſt Comnenus cum eo Turca, à quo captus fuerat. Nam is, quum Sultanus ob crimen quoddam homini infenſus, exercitum ad eum comprehendendum miſiſſet, metu pœnæ ad Imperatorem cõfugit, & ſtatim præſes eſt deſignatus. Erat autem parua ſtatura, & fœdiſſimo aſpectu.

*Omina inauſpicata expeditionis in Orientem.*

Appetente vere, quum vix è portu ſoluiſſet: columba non prorſus nigra, ſed ad nigredinem inclinans, triremem eius circumuolauit, nec circa illam alas agitare deſtitit, donec manibus cõprehenſam Imperatrici miſit, quod inauſpicatũ omen viſum eſt, tam ei qui cepiſſet, quàm ei quæ accepiſſet. Sed & imperatorium tabernaculum ligno quo in medio fulcitur, ſponte confracto concidit, id quoque ominoſum eſt habitum. Verùm neutrum horum Imperatoris alacritatem inhibuit, quo minus vſque ad Orientales prouincias perueniret, parſimoniæ præter morem ſuũ intentum. Quum autẽ in domunculis quibuſdã diuerſaretur, ignis neſcio vnde illapſus, eas conſumpſit, equos imperatorios, frenos & vehicula aduſſit, quod & ipſi malum augurium viſum. Inde digreſſus, Aly ſuperato, relictáque Cæſarea, ad locum qui Cryapega dicitur, vallum muniuit.

*Nemitzi.*

Vbi quum ob Nemitzorum quoſdam propter facinora ſeuerius mulctatos, legio defeciſſet, ipſe ſtatim in equo aduolans, adducto exercitu deſertores perterritos in belli ſocietatem recepit. Deinde Theodoſopolin profectus, ſingulos duorũ menſium commeatum ſecum ferre iuſſit, quòd per loca deſerta iter facturus eſſet, diuiſóque exercitu, Ruſelium Latinum, virum bellicoſiſſimũ, vna parte attributa cõtra Chliatum miſit: alium quendam altera parte attributa, Mantziciertum vaſtare iuſſit, reliquos ipſe retinuit, bello gerendo non pares.

*Ruſelius.*

Ac Mantziciertum quidem, Turcis perterritis, fide accepta, & vrbe relicta, deditionem fecit. Milites autem pabulatum egreſſi, ab hoſtibus ſunt ſubitò oppreſſi. quo Imperator cognito, magiſtrum Nicephorum, Bryennium cum aliquot cohortibus aduerſus eos miſit, qui cum Turcis congreſſus, quum ſuas copias fatigatas videret, ſubſidium petiit. Imperator verò vires hoſtium ignorans, Bryennium ignauiæ accuſauit, viróque ſuccenſuit. (Accidit autem vt ſacerdos eo tempore Euangelium illud recitaret: Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur) & tamen magiſtrum Nicephorum Baſilacium cum parte copiarum miſit, quibus Bryennio coniunctis, aliquantiſper vtrinque par certamen fuit.

*Baſilacius capitur à Turcis.*

Deinde Baſilacius cum ſuis Bryennio non conſecuto, inter primos inuectus, hoſtes in fugam coniecit, quos dum ad vallum vſque perſequitur, equo vulnerato in pedes deſilit: & quia ob armorum pondus parum ſe mouere poterat, ab hoſtibus circumuentus capitur. Dum verò ad Sultanũ adduc



adducitur, nec ipſe aliter quàm ingenuum decet, ſe gerit, nec Sultanus eum pro captiuo tractat, ſed ſæpius accerſitum de Imperatore interrogat, copiis ſuis oſtentatis. quas ille etſi laudabat, tamen è re eius eſſe negabat, vt cum illo decerneret. Imperator verò cum reliquiis exercitus vallo egreſſus, vt ſpecularetur quid fieret: in collibus vſque ad veſperam ſtetit. Quum in caſtra rediiſſet, Turci ea circundederunt, & ob equitantes tela coniecerunt, clamoribus inconditis & vlulatibus exercitum circumſonãtes, & hoc modo nocte illa exacta. Mane Vzorum quædam cohors ad Turcos transfugit, atque eos etiam Vzos qui manſerant, ſuſpectos fecit. Imperator igitur celerrimè Chliatum miſit, ad reuocandos exercitus, qui cùm non venirent (nam Tarchoniates vnus ex illis ducibus, cognito Sultani aduentu, perſuaſerat Ruſelio, vt cum ſuis copiis in Romanorum fines confugeret) decreuit Diogenes poſtridie cum ſuis, Martis aleam experiri.

*Ruſelij fuga*

Interea legati à Sultano veniunt de pace acturi, quos Imperator parum humaniter ſuſcepit, tamen & dicendi copiam fecit: & hortatus eſt, vt ſuo domino renunciarent, ſi de conditionibus loqui vellet, vt relicto loco in quo iam caſtra haberet, tabernacula procul transferret, vt ipſe vallum ibi communiret, vbi tum Barbarorum tentoria eſſent. Hæc arrogantius locutus, legatos ſtatim abire iuſſit.

*Diogenes ſuperbè repudiatis Sultani legatis ſibiipſi acceſſit malum.*

Qui cùm Sultano Imperatoris verba renunciaſſent, illo cum ſuis de pacis conditionibus deliberãte, Imperator ſuperbia elatus, fidem quibuſdam habuit familiarium ſuorum, qui Sultanũ timere dicebant, & quòd iuſtas copias non haberet, propterea de pace agere, vt per inducias alium exercitum adduceret: non expectato Legatorum reditu, nec vlla re alia cõſiderata, ſigna canere iuſſit. Barbaros etſi res improuiſa commouit, tamen aciem inſtruxerunt, nec quamuis à Romanis inuaderentur, cõtraibant, ſed ſenſim recedebant: neque fugientes, neque pugnantes. Quum autem ſerum diei eſſet, Imperator vt qui caſtrorum cuſtodiam iuſto minorem eſſe ſciret, veritus ne ab hoſtibus diriperentur, ſtatuit omiſſa pugna redire ad vallum. Quum igitur Imperatorio vexillo conuerſo, exercitui denunciaſſet, vt idem faceret: ij qui circa ipſum erant, citra tumultum iuſſa ſunt executi: ſed quorum ordines longius diſtabant, receſſum Imperatoris, fugam interpretati ſunt, eo ſermone ab Andronico Cæſaris filio apud phalãges ſparſo.

*Diogenes Andronici perfidia capitur à Turcis*

Nam Cæſar eiúſq; filij ſubinde Imperatori obtrectabant, & clanculum inſidiabantur. Is igitur Andronicus, cùm nõ minimæ parti exercitus imperaret, ſtatim cum ſuis equo concitato, in vallum rediit, quæ res cæteros etiam in fugam conuertit. Quos quum ita perturbatè reuerti videret Imperator, ſubſtitit, & abeuntes etiam vt ſubſtiterent, hortatus eſt. ſed obſurduerant omnes, nec fugam remittebãt. Quum autem hoſtes inopinatã Romanorũ fugam numinis coortam intelligerent: ſtatim Imperatorem inuaſerunt. Is verò cũ ſuis pugna non detrectata, ad tempus fortiter reſtitit. Deinde aliis cæſis, aliis captis, circumuentus à Barbaris, ne ſic quidem ceſſit. Enimuerò cùm multos vulneraſſet, multos occidiſſet, tandem & ipſe fatigatus cum, manu vulnerata, nec vim amplius propulſare, nec equo cæſo, extra telorum iactum fugere poſſet: captiuus eſt abductus ad Barbaros Romanorum Imperator.

*Axanis Sultani benignitas erga Diogenem captiuum.*

Quo nuncio accepto, Sultanus nomine Axan, gauiſus eſt, vt natura fert, neque tamen ſuperbia elatus. De cuius moderatione & iuſtitia multa memorantur. Vnde captiuitatem Imperatoris haud credebat, ob immoderatum ſucceſſum: eóque viſo non prius acquieuit, quàm legati quos dudum miſerat, eum agnouerunt: & Baſilacius, qui ibi tenebatur, adductus, ad pedes eius flens ſe proſtrauit. Tũ quaſi numine afflatus è ſolio exiliit, & de more humi iacẽtem calcauit. Deinde erexit atque amplexus eſt, cum huiuſmodi verbis: Noli mœrere Imperator. Ita enim ſunt res humanæ. Ego verò te nõ vt captiuum, ſed vt Imperatorem tractabo. Et ſtatim ei tabernaculum deſignat, & miniſteria imperatoria, menſæque adhibitum iuxta ſe collocat, captiuis quotquot peteret, redditis. Ad hunc modum per dies aliquot cum eo verſatus & collocutus, & inſigni honore proſecutus, pace perpetua ſancita promiſſaque affinitate inter liberos ipſorum contrahenda, Diogenem dimiſit, cũ maiore comitatu & honore, quàm ſperari potuiſſet. Imperator igitur Barbarica veſte ornatus (Stultanus enim gentiliciam illi ſtolam dederat) Theodoſopolim profectus, ibi expectauit, dum vulnus manus curaretur, & veſtem pro Romana conſuetudine immutauit. Inde cum Sultani legatis vrbem verſus contendit. Cæterùm eius captiuitate in Regia nunciata, inter proceres controuerſia fuit, aliis Imperatrici poteſtatem reſtituendam cenſentibus, aliis natu maximo ex eius filiis imperium decernentibus, aliis communem & matri & filiis autoritatem tribuentibus. Intereà Diogenis liberatione nunciata, allatáque ab eo epiſtola, ipſius manu ſcripta, qua edocebat, vt ſecum eſſet actum: maior ortus eſt tumultus, magíſque dubitatum, quid agendum eſſet.

*Ioannis Cæſaris autoritate imperiũ Diogeni abrogatur.*

Ioannes igitur Cæſar eiúſque filij, Diogeni ſemper (vt dictum eſt) infeſti, arrepta occaſione, quibuſdam ex ſenatu ſuæ factionis, quorum Pſellus vir honoratiſſimus, princeps erat, & ipſe Diogenis inimicus, adhibitis, Imperatrice Eudocia in monaſterium, quod ipſa circa fretum Propontidis ſtruxerat, relegata, Michaelem Imperatorem appellat. Deinde quouis Imperatorias literas mittit, quibus prouinciales Diogenem redeuntem neque ſuſcipere, neque imperatorio honore dignari iubebantur: cuius conſilij autor fuit Pſellus, vt ipſe in ea hiſtoria commemorat. Quo Diogenes cognito, quum ad Dociam caſtellum caſtra poſuiſſet: Cæſar Conſtantinum filium præſidem contra eum mittit, inde Diogenes in Cappadociam profectus, cùm Criſpinus Francus cum ſuis popularibus Conſtantino ſe ſociaſſet: Theodorum Halyattem contra illos miſit, cui victo & capto, oculi ſunt effoſſi. Id moleſtiſſimè ferẽti Diogeni & in Tyropæo caſtello munitiſſimo caſtra habenti, Antiochiæ dux Chataturius Armenius ſe coniũgit, multos adducens milites, aſſumptóque Diogene, & in Ciliciam perducto, à Sultano expectat auxiliũ, & ipſe copias colligit.

*Chataturius pro Diogene occumbit.*

Quare denuò contra eos mittitur natu maximus, Cæſaris filius Andronicus. Commiſſo autem prælio, & Chataturio interfecto: milites eius ad Diogenem

genem Adanam confugiunt. Quam vrbem Andronico obſidente, Diogenes deditionem facit: iis conditionibus, vt imperio depoſito, raſaque coma, priuatam vitam ageret. Nam primarij ſacerdotes ab Imperatore miſſi, iureiurando confirmarant, nihil cum moleſti paſſurum eſſe. Quibus fretus, pulla veſte indutus, Andronici fidei ſe permittit. Is eo accepto, vbi Coryaium peruenit, expectauit, dum mãdaretur quid ſibi faciendum eſſet, ægrotante Diogene ex veneno per inſidias, vt putabatur, propinato. Ibi igitur imperatorio edicto, inſonti ſtatim ſunt effoſſi oculi, primariis quoque ſacerdotibus præſentibus, & hominis calamitatem grauiter ferẽtibus. Verùm nemo eos curabat. Ita luminibus crudeliſſimè orbato, iuſta curatione non adhibita, caput intumuit, & è vulneribus vermes ſcaturierunt, adeò vt ex putrefactione illa aër circa ipſum teterrimo fœtore cõpleretur. In tanta calamitate in Protam inſulam perducitur, in cuius editiore loco monaſterium ædificarat. Vbi non diu ſuperſtes, corpus terræ reddidit, ab Imperatrice Eudocia funere eius ſplendidiſſimè curato, quum triennium & menſes octo imperaſſet. Ea verò quæ hic vir perpeſſus eſt, iuſſu Cæſaris acta eſſe omnia feruntur, Michaele Imperatore ignaro, qui quidem molli eſſet ac ſocordi ingenio, atq; adeò ad imperium ineptus, vt ne leuiſſima quidem negocia adminiſtrare poſſet. Itaque patruus Cæſar, eius ſimplicitate abutens, ex priuato odio illa omnia in Diogenem perpetrauit.

*Diogeni contra fidem illaqueato, oculi eruuntur.*

*Michael imperio ineptus*

## IMPERIVM MICHAELIS Ducæ filij

Michael imperio minimè idoneus, Ioannem Sidæ Metropolitam, ſpadonem illum quidem, ſed virũ ſtrenuum, rebus gerendis præfecit. Deinde alium ſpadonem Nicephorũ, qui adoleſcens à Monomacho in aulam aſcitus, ob ætatem per diminutionem Nicephorizes cognominabatur, à prætura Græciæ & Peloponeſi reuocauit, qui patri etiam Conſtãtino Ducæ inſeruierat, vir ſolerti ingenio & eruditus, ſed animo deiecto & calliditatis pleno. Is Logotheta deſignatus, imperij habenis acceptis, Sidenſem loco mouet, & Cæſarem ſuſpectum reddit, ipſe omnia Imperatoris munia obiens, eundémq; inſtar mancipij ducens. Neq; quicquam erat, quòd à Logotheta non gereretur. Itaque quum multi bona ſua, alij per alias cauſas, amitterent, hominéſque attererentur, & ærumnis premerentur: nemo erat, cui illa curæ eſſent. Nam Imperator puerilibus rebus occupatus, à principe philoſophorum & honoratiſſimo Michaele Pſello ad literarum ſtudia deduci videbatur, ac modò in arte grammatica verſibus & linguarum differentiis erudiebatur, modò declamationibus Rhetoricis, modò hiſtoriis aſſueficbat, modò ad audiẽda Philoſophica præcepta parabatur, quamuis ad hæc omnia ineptus. Huiuſmodi igitur ſtudiis Romanorum Imperator affixus, rerum adminiſtrationem alteri, eíque vni commiſit, vt legis autoritatem haberet, quòd Logothetæ viſum eſſet. Proinde Reſpublica malè habebat. Orientales verò prouinciæ grauius quàm prius vexabantur. Nam Sultanus cum didiciſſet, quemadmodum cum Diogene actum eſſet, eúmque à ſuis crudeliſſimè interfectum, quem ipſe captiuum honorificè ad ſuum imperium remiſiſſet, & pacis conditiones cũ illo initæ manere irritas: magno dolore affectus, ſuas copias contra Romanorũ prouincias concitauit, quas non iam prædabundi inuadebãt, ſed vt ſubacturi & poſſeſſuri, quum nemo eſſet, qui obſiſteret. Quæ quum illi facerent, Imperator coacto exercitu, Iſaacium Comnenũ ducem creat, Ruſelio Latino collega addito, cui CCCC. populares eius parebant. Verùm is exercitu ad Iconium perducto, cum ſuis certa de cauſa deficit, ac per ſe aliàs cum Turcis pugnat, aliàs Romanas prouincias vaſtat. Iſaacius verò Comnenus cum reliquo exercitu à Turcis vincitur, ac multis cæſis, multis captis, caſtríſq; direptis, ipſe quoque in hoſtium poteſtatem venit, à quibus magna pecunia ſe redemit. Imperator verò Cæſarem patruũ bello præficit, quo Ruſelius cognito, Sangario antequàm ille traiiceret, occupato, caſtra contra eum locat, & quamuis illo veniam delicti promittente, ſi armis poſitis ad Imperatorem rediret, Barbarica inſolentia de deditione minimè cogitans, prælio cõmiſſo, Cæſarem vincit, & cum pluribus aliis captum & vinctũ, vnáque Baſilium Maleſam, paulò antè ex captiuitate cum Diogene liberatum, Byzãtium verſus ducit, Botaniata Cæſaris collega cum paucis elapſo, ac Chryſopolim ſe recipit, vbi ſtatim domibus ignẽ iniecit: neque homo Barbarus, cùm Imperator, ſi arma deponeret, Curopalatæ honorem ei offerret, vxorémq; cum liberis miſiſſet, vlla re eſt mitigatus. Itaque Turcis mercede contra ſe euocatis, cùm illis ſe non eſſe parem intelligeret, Cæſarem vinculis ſolutum, Imperatorem ſalutat, multos ſe cum eo coniuncturos eſſe ratus. Cùm autẽ Turcos Barbarica ferocia inconſideratè aggreſſus eſſet, Franci multos ſtrauerunt, cæteros in fugam coniectos cõtinenter ſunt perſecuti: plures tamen ſubſtiterunt, equis ita fatigatis, vt longiorem inſectationem ferre non poſſent. Sed Ruſelius & Cæſar paucis comitantibus inſtantes, & longius à ſuis prouecti, in aliam Turcarum multitudinem quæ multa millia complebat, inciderunt: cum quibus vel inuiti pugnare coacti, & à multitudine circumuenti, amiſſis equis ambo capiuntur. Ac Ruſelium vxor maturè redemit, Cæſarem verò Imperator, ad quẽ dum perducitur, quum ad Propontidem veniſſet, capillo raſo, mutatáque veſte, Monaſticam lacernam ſumit, metuens ne ob imperij titulum à nepote ſupplicio afficeretur. At Ruſelius à captiuitate redemptus, vt dictum eſt, cum vxore & reliquis Francis in prouinciam Armeniacorum ſe cõtulit, vbi prius etiam vitam egerat. Imperator igitur Alexium Comnenum præſidem, adoleſcentem illum quidem, ſed prudentem & ſtrenuũ contra eum mittit. Qui quũ Amaſiam perueniſſet, Turcis occultè ſignificat, ſi Ruſeliũ ſibi traderent, ſe illis grãdem pecuniæ ſummam daturum. Itaque illi amicitia ſimulata, virum comprehenſum magna pecunia commutarunt, qui ſtatim ab Alexio Byzãtium perductus, & poſt atrocia tormenta in turri quadam eſt incluſus. Quia verò ſub hoc Imperatore

*Nicephorus ſpado ſummæ rerũ præeſt.*

*Turci orientem ſubigũt.*

*Ruſeliana defectio.*

*Iſaacij Comneni & Baſilij Maloſæ captiuitas.*

*Ruſelius à Turcis capitur.*

*Cæſar Ioannes fit monachus.*

*Alexius Cõnenus Turcorum opera Ruſelium capit.*



ratore annonæ caritate laboratum eſt, vt vt non integer medimnus numiſmate venderetur, ſed pinacio minus, qui eſt medimni quadrans: publica calamitas cognomen illi fecit, vt etiam hodie ſic vocetur, neque aliter agnoſcatur, niſi Parapinacium dixeris. Tertio porrò anno imperij illius gens Crabatorum, quos nonnulli Seruios vocant, Bulgariam occupare aggreſſa eſt, ac quædam loca cepit, ſed multis præliis factis, multis vtrinque cæſis, tum iis excidit, quæ tenuerat, tum deuicta, & Romana ditione expulſa, in ſuas redire ſedes coacta eſt. Seruus porrò quidam paternus Imperatoris, Neſtor nomine, dignitate Beſtarches, ripæ Iſtri Dux deſignatus, arma contra illũ cepit, & conſpiratione cum quodam Pazinacarum duce Tato inita, caſtra ante vrbem imperatricem poſuit. Monitus autem ab imperatore, vt ab armis diſcederet: id ſe facturũ reſpondit, ſi Logotheta Nicephorus reipublicæ peſtis, & clades populi ſibi vel dederetur, vel è medio excederet. Eo ab Imperatore negato, relicta vrbe, Thraciam & Macedoniam & his finitima Bulgariæ loca prædatus, ad Pazinacas ſe confert. Michael filium ex Maria Alana, quam Auguſtam appellarat, ſuſceptum, Conſtantinum ob patris memoriam vocauit, & Imperij inſignibus adornato Langobardiæ ducis Romperti filiam deſpondit, cui adductæ nomen Helenæ indidit. Ea tempeſtate Byzantij puer natus caprinis pedibus, vno oculo in fronte præditus. Barbaris autem Orientem vaſtantibus, & obuios quoſque ferro trucidantibus, Aſiani Conſtantinopolim confugerunt. Nemine autem bonum publicum curante (nam imperator ſtudiis vacans, iambos ſcribere à Pſello docebatur) vrbanos annonæ penuria premere cœpit, quã calamitatem vt euidentius & atrocius declarem, id malum fames fuit, eam peſtis comitabatur. Vnde hominũ interitus tantus & tam frequens eſt conſecutus, vt viuentes morientibus ſepeliendis eſſent impares. Tot enim peribant, vt ſæpe multi in vno lectulo efferrentur, multi in biuiis inſepulti iacerent. Quare cum hac de cauſa, tum ob iniquas exactiones omnia luctu & mœrore plena erant. Eo rerum ſtatu, Orientalium prætorum principes defectionem parturientes, Nicephorum Botaniatem prælatum cæteris, imperatorem ſalutant. Id Michaelem perturbationis & terroris compleuit. Canebatur enim, literam N, fore ſuperiorem litera M. Erat autem Botaniates claro natus genere, atque à Phoca originem ducere putabatur. Imperator igitur per caduceatores ingenti promiſſa pecunia, à Turcis petit, vt ſeditioſos ſibi tradant. Botaniates autem Imperatorio, vt dictum eſt, & nomine & habitu vſurpato, Byzantium contendit. Sed & ab Occidente alia ſeditionis tempeſtas extitit. Nam Nicephorus Bryennius Dyrrachij dux quum ſibi abrogatam eſſe dignitatem cognouiſſet, & ipſe deficit, Imperij inſignibus arreptis, & legionum quas ibi habebat cuſtodia munitus, Adrianopolim petit, vnde ortus erat: vbi fratre Ioanne adiuncto, & militibus gentilibus & Macedonibus multis ad ſe pellectis, tyrannidem auſpicatur. Theodorocanus autem cum parte copiarum illius congreſſus, & vincitur & capitur. Quin & Rædeſtini & Panij incolæ, ad Bryennium confluxerunt. Itaque defectionem gnauiter vrgens, fratrem Curopalatem deſignatum cum copiis Byzantium miſit, quaſi id ſtatim capturus eſſet. Eam enim ſpem alebat, ſe à ſenatu tam ex Logothetæ Nichephori odio, quàm ob Michaelis ſimplicitatem, obuiis (quod dicitur) vlnis, ſuſceptũ iri. Verum res illi non ex animi ſententia ceſſerunt. Nam ij quos miſerat, Blachernia mœnia adorti, leuia quidem prælia fecerunt, ſed nihil profecerunt. Vnde per pontem in obuerſam vrbi continentem progreſsi, ædificia incenderunt, atque inde Athyram redierunt. Imperator in tantis vndique malis Ruſelio vinculis ſoluto, & verbis & pecunia delinito perſuadet, vt cum Alexio Comneno præſide, qui copiis Byzantinis præerat, Bryennij fratrem Ioannem inuadat. Sed Ioannes ea re maturè cognita, fuga ſalutem quæſiuit. Multi tamen Macedones, qui ibi relicti erant, partim cæſi, partim capti ſunt. Interea Pazinacarum multitudo Adrianopolim aggreſſa, caſtris poſitis agros ſuburbanos vaſtat, à quibus Bryennius pecunia data impetrauit, vt ab vrbe recederent. Ruſelius verò fratrem eius Ioannem Cyzicum inuadentem, ac gentem illam ſubigere conãtem adeptus, prælio victũ profligauit. Ioanne Xiphilino Patriarcha in æternas manſiones tranſlato, cum Eccleſiam annos XI & mẽſes VII pauiſſet: Patriarcha deſignatus eſt Coſmas Monachus, ineruditus ille quidem, ſed omnis generis virtutibus ornatus, qua de cauſa etiam ab imperatore in maximo precio habebatur. Cæterum Botaniates legionibus è diuerſis gentibus conflatis, Turcas etiam ſibi conciliauit, quorum Cutlumus dux erat, Perſa illuſtris, qui cum Sultano, cui genere propinquus erat, de regno contendebat, iamque ad arma res ſpectabat. Id Chaliphæ, cuius apud illos maxima erat autoritas, vt qui à Mahumeto ortum ſumere putaretur, magnum dolorem attulit, ſi inter ipſos bella ciuilia orirentur, & quamuis moris non eſſet, vt ſuo loco excederet, ac in publico verſaretur: tamen inſtituto contempto, ad eos abit qui de regno litigabant, eíſque perſuadet, vt omiſſo bello Sultanus principatum ſuum integrum teneat, cognatóque omni ope præſto ſit, vt Romanis prouinciis ſubactis imperet. Iis pactionibus firmatis, Cutlumus Romanam ditionem ingreſſus Botaniatæ operam nauat, qui iuſtis copiis inſtructus Nicæam occupare properabat, iam enim præſidiarij milites prodita vrbe vltrò ſecum ipſo coniunxerant, & à magna vrbe indiès aliqui ad illum confluebant. Ita rebus ex ſententia ſuccedentibus, Botaniates in vrbe principe, frequentiſſimo conuentu plebis, primorum ex magiſtratibus, & ſelectorum ſacerdotum, celebri Euangeliſmi feſtiuitate, imperator appellatur, Antiocheno patriarcha Æmiliano, & Metropolitano Iconij autoribus. Igitur Reipublicæ primores tributim diuiſi, & phalangis inſtar conglobati, Regiam Orienti obuerſam inuadunt, eámque præſidio ſuorum militum impoſito firmant. Michaelem verò qui cum vxore Maria & filio in Blacherniam Regiam confugerat, erepto Imperio lacernáque monaſtica indu-

*Crabati ſiue Seruij, Bulgariam fruſtrà tentant.*

*Neſtoris defectio.*

*Cõſtantinus Michaelis Ducæ filius & ſpõſa Helena.*

*Monſtrum.*

*Peſtilẽtia & fames.*

*Nicephorus Botaniates regnum affectat.*

*Nicephori Bryennij ſeditio.*

*Ioãnes Bryennius à Ruſelio profligatur.*

*Pazinocæ.*

*Coſmas Xiphilino ſuccedit.*

*Cutlumus Perſarum princeps Botaniatæ coniunctus.*

*Botaniates Imperator creatur.*

*Michael ex Imperatore fit Monachus.*

ff

cta,in Studij monaſterium abducunt, cum Imperium annos ſex & menſes totidem tenuiſſet. Id eo ſabbatho actum, quo Eccleſia,more à maioribus accepto, domini & ſeruatoris noſtri mirabilem ex mortuis reſurrectionem celebrare ſolet.Michaele ad hunc modum pulſo, Botaniates imperio citra negocium potitus, ad vrbem proficiſcitur. Verùm Nicephorus Logotheta clàm egreſſus ad Ruſelicum Heracleæ ſtatiua habentem,ſe contulit.Vrbani verò qui Michaelem pepulerant, aſſeruata Regia per triduum principe deſtituta, Botaniatem per literas monent, vt properè veniat. Is igitur Borila miniſtro miſſo, qui illam occuparet,ipſe haud multo pòſt eſt cõſecutus.

## IMPERIVM NICEPHORI Botaniatæ.

*Noua tabulæ.*

BOtaniates cum in regiam perueniſſet, à Patriarcha, magno tertio die coronatur, ac primum illud liberalitatis ſpecimen edidit, vt quicquid fiſco deberetur, id vniuerſum citra exceptionem aboleret, ac nouas tabulas illuſtri edicto inſtitueret. Bryennio verò, qui adhuc in Occidente tyrannidem tenebat, per legatos Cæſaris honorem pollicetur,ſi tyrannide abſtineat, & adiutoribus eius, honorum quos iam ab illo accepiſſent, confirmationem. Sed cum ille imperij cupiditate æſtuans, non cederet, atque alteram & tertiam legationem ſuperbè repudiaſſet, legatis aliter quàm moris eſt,exceptis, & cum ignominia dimiſſis:deſperatis quietis conditionibus,inuitus bellum ſuſcepit, & Comnenum Alexium Nobiliſſimi titulo ornatum,& magnum Domeſticum deſignatum,præfectúmque Romanis legionibus, contra illum miſit.Is cum eo congreſſus,in loco qui à frequentibus bonæ aquæ ſcaturiginibus Calabrya dicitur, illius exercitu facilè ſuperato,tyrannum aliis cæſis,aliis fugatis deſtitutum, cepit,ac miſerum hominem cæcatum in Vrbem perduxit. Hunc Bryennij motus exitum habuit.Sed & Barangi Imperatorem per ſeditionem interficere conati, ab alia Romana manu oppreſſi, conuerſique ad preces, veniam impetrarunt. Cum autem Botaniatæ vxor obiiſſet, multæ virgines, quamuis effœto Imperatori offerebantur, ac præ cæteris Conſtantini Ducæ filia Zoe. Verùm illi placebat, aut Imperatricem Eudociam ducere,aut Mariam deceſſoris ſui cõiugem. Miſit igitur ad Eudociam, quæ cum (vt fertur) coniugium non recuſaret, monachis quibuſdam vetantibus, Mariam imperatricem ducit,in quo nihilo rectius fecit,quàm ſi Eudociam accepiſſet, aut deterius etiam. Id enim facinus, impudens erat adulterium. Ille certè qui ſacrum nuptiale peregerat, ſacerdotio excidit. Michael verò pridem imperator, tonſa coma, vt dictum eſt,concilij ſuffragiis Epheſi Metropolitanus eſt creatus,& cum ſemel eò veniſſet,reuerſus,in Manuelis monaſterio vitam egit. Poſt amiſſum à Botaniata imperium, à Maria imperatrice,& ipſa iam Monacha facta,moribundus veniam ſuppliciter oratus, ignouit mulieri, ac Deum rogauit,vt itidem ei ignoſceret. Cæterùm Protoproedros Nicephorus Baſilacius,qui Bryennio Dyrrachij ſucceſſerat, & ipſe imperij cupiditate æſtuans,collecto exercitu Theſſalonicam proficiſcitur.Vbi cum didiciſſet, Botaniaten rerum potitum eſſe:ſeruiles ad eum literas dedit, interim verò clàm defectionem molitus eſt,Paziriacis in auxilium euocatis.Quo Botaniates cognito, aurea bulla miſſa, & impunitatem ei & Nobiliſſimi honorem pollicetur. Verùm cum ille nõ flecteretur, Alexium Comnenm,quem Auguſtum appellarat,contra illum mittit.Is Theſſalonicam profectus, copiis eius profligatis,ipſum, arce vrbis expugnata,captum, iuſſu imperatoris, oculis priuauit.Qua Bryennij & Baſilacij clade, etiam alij, qui ſeditionem contra imperatorem mouerant,modeſtiores facti,arma poſuerunt. Contra Turcos porrò Orientem incurſantes,iuſto exercitu attributo imperator Conſtantinum, Conſtantini Ducæ pridem Imperatoris filium, cum imperio miſit. Is verò cum Chryſopolim traieciſſet,ſtatim nouis rebus ſtudet, & à militari turba,quæ illic erat,imperator ſalutatur.Verum imperator militibus partim muneribus adductis, partim dignitatum honoribus cõciliatis, partim aliter atque aliter illectis, effecit, vt Conſtantinus ſibi traderetur. Adoleſcens igitur raditur (quidam etiam ſacerdotem vnctum ferunt)& in Inſulam relegatur. Æmyliano Antiocheno patriarcha mortuo; in eius locum ſucceſſit Nicephorus cognomẽto Maurus. Imperator hic partim ob prouectam ætatem,partim ob naturalem molliciem rebus adminiſtrandis parum intentus fuit, ſed Sidenſi Metropolitano & ipſe curã negociorum mandauit. Ad hæc ſeruos habuit duos,quorum alteri Borilus,alteri Germanus nomen fuit,hi pro ſua libidine ſurſum deorſum miſcebant omnia, atque ipſi etiam imperatori & domino imperabant:ob quorum audaciam & arrogantiam ipſe quoque viris dignitate præditis inuiſus fuit.Nicephorus verò Logotheta, quum ſe ad Ruſelium contuliſſet, ab eo in vinculis eſt aſſeruatus, & Ruſelio ſubitò extincto in ſuſpicionem venit dati illi veneni. Vnde ab illius cognatis,Botaniatæ traditus, in quandam inſulam ante Vrbem imperatricem ſitam,relegatur. Aulici porrò veriti,ne ſi in imperatoris conſpectum veniret, aſſumeretur, atque omnes loco moueret:imperatori dicunt,hominem immenſam habere pecuniam, eámque in fiſcum eſſe referendam.Igitur Straboromanus, tum magnus ſodalitatis princeps,mittitur, qui hominem rogaret, vbi ea occultaretur? cui iidem perſuadẽt,vt eum omnibus modis tollat. Is igitur in inſulam peruectus,miſerum ita torſit,vt in quæſtionibus expirarit:quamuis promitteret,ſe ſcripto expoſiturum omnia, ſi quæſtionibus liberaretur. Ac ille quidem ita periit. Comneni verò Iſaacius & Alexius ab Imperatore ſupra modum & honorabãtur,& diligebantur,& imperij ſucceſſores nominabantur. Qua de cauſa aulicorum & in primis duorum ſeruorum,quos diximus,obtrectationibus fuere obnoxij qui eos apud illum criminati ſunt quaſi regnum cogitarent, & Imperatoris erga illos affectum clàm vellicarunt & exulcerarunt. Quo illi cognito, veriti, ne quid in ſe grauius conſuleretur,&,vt fama eſt, regni cupiditate

*Bryennius dum imperium cupit, oculos amittit.*

*Alexius Cõnenus dignitatibus ornatus rem bene gerit.*

*Barangorum motus.*

*Botaniates Mariã vxorem ducit,viuẽte marito.*

*Conſtantini Ducæ ſeditio.*

*Antiochenus Patriarcha.*

*Botaniates ob ſeruorum improbitatẽ inuiſus.*

*Nicephori Logothetæ & Ruſelij interitus.*

*Cõneni vel ex ambitione vel calũnia metu regnum affectant.*



ditate iam olim æſtuantes, communicato cum iis quibus fidebant conſilio, vrbe excedunt, & Adrianopoli occupata vniuerſas penè legiones ad ſe attrahunt. Alexius autem ſalutatur imperator,natu maiori fratri prælatus,cùm quòd ob rei militaris peritiam exercitibus charior erat, tum quòd familiarium ſtudiis & pollicitationibus cõmendatus.Is igitur ſic declaratus, Iſaacio nõ admodum ægrè ferente, vrbem imperatricem, ad obſidionem paratus,inuadit. Botaniates verò cuſtodes in mœnibus collocat.Erant autem in turri quadam ad vrbis portam Charſiam cuſtodes Nemitzi, gens Gallica, ij clàm cùm Comnenis de proditione egerunt. Manè igitur in magna quinta ſeptimanæ ſalutaris paſſionis ſeruatoris noſtri, Comneni in murum exteriorem è regione turris illius,quam Nemitzi tenebant,ex compoſito fecerunt impetum, quos ſubeuntes telis arcebant defenſores.Vt autem à Nemitzis,ij qui in muris erant,ex turri petebantur, nec ſimul & externis & internis hoſtibus è ſuperiore loco iaculantibus reſiſtere poterant, impetum remiſerunt. Qui verò mœnia oppugnabant, ſcalis ſtatim muro conſcenſo, portarúmque clauſtris bipennibus perfractis, liberum coniuratis ingreſſum patefecerunt.Quo ij viſo,qui interiora mœnia tuebantur, confuſanea turba, & belli plerique rudes, ac potius ex circumforaneis collecti plebeiáque multitudine: alij deſcendere, alij ſe cum periculo præcipitare, ac fugam capeſſere. Itaque Comneni etiam interiora mœnia defenſoribus planè vacua occupant, eorúmque portis itidem patefactis, cuius in Vrbem aditum aperiunt, ſtatim ad direptiones ſe conuertentes, quippe turba permixta ex Thracibus, Macedonibus, Romanis, atque aliis Barbaris conſtans, nihilo melius quàm hoſtes, erga populares affecti.Nam ad effuſionem ſanguinis malum proceſſit,& virgines Deo conſecratæ impiè pollutæ ſunt,& matronæ violatæ, & templa ornatu ſpoliata, nec à ſacroſanctis crateribus temperatum, ſed homines audaciſſimi, hos etiam & phialas incruentæ & terribilis victimæ plenas diripuerunt,ſanctis humi effuſis.Senatores quoque obuios mulis detraxerunt, nonnullos detractis veſtibus ſeminudos & pedites in vicis reliquerunt. Hæc per totum diem acta ſunt, ac malum vſque ad Bouem publicè ac ſine diſcrimine vagatum eſt, iámque nonnulli ad Philadelphiam & vltrà procurrerant, Comneníque omnibus ad manubias diſcurrentibus, ſoli cum exiguo numero relicti: cum ad Taurum perueniſſent,non ſunt auſi vlterius progredi, ita iuſtis nudati copiis, vt ſi qui eos aggreſſi eſſent, facilè capti ac vincti Botaniatæ traditi eſſent. Sed diuinum decretum euerti iam non poterat. Quamobrem Botaniates Comnenorum ingreſſu cognito, palatio ſtatim relicto, temeréque abiectis purpureis calceis, Periblepτæ monaſterium ingreſſus, cuius poſt Romanum Argyrum imperatorem, ſecundus conditor vocabatur, coma raſa, mutatáque veſte,lacernam monaſticam induit.Vbi cum aliquandiu vixiſſet, puluere pulueri reſtituto ſepelitur. Comneni autem obſiſtente nemine Regiam ingreſſi ſunt citra laborem, plana & expedita via.Tale fuit eorum initium, talis in vrbem imperatricem ingreſſus,talia Imperij auſpicia.

*Alexius imperator ſalutatur.*

*Byzantium proditione Nemitzorũ occupatũ & direptum.*

*Botaniates fit monach9.*

## IMPERIVM ALEXII Comneni.

COmneni, rebus ſuis iam in tuto collocatis, matrem & coniuges ex Canicleo monaſterio in regiam accerſiuerunt. Nam cum ipſi defeciſſent, mulieres ſtatim in magnum Diuini verbi Sapientiæ templum confugerunt. Vnde à Botaniata in illud monaſterium ſunt tranſlatæ, ne ad ſeditioſos miſſitare nuncios poſſent, nulla alia ab eo moleſtia affectæ.Enimuerò ferè priuſquàm pedem in imperio firmaſſent, ſtatim multa Botaniatæ acta abrogarunt, non ab eo auſpicati tempore, quo tyrannidem inuaſerant, ſed illud ſupergreſſi, breui ſcripto complura illius decreta tyrannicè aboleuerunt. Deinde Alexio Auguſtali corona ornato, ſecundæ dignitatis partes Iſaacio ſunt tributæ, nouo indito Sebaſtocratoris,quaſi Auguſtimperatorem dicas,nomine,quod Cæſariano eſſet excellentius.Eorum verò mater ob monaſticum habitum, imperij inſignium, celebrationis, & proclamationis expers, ſolius nominis imperatorij fuit particeps. Nihilo tamen ſecius omnium rerum adminiſtrationem ſuſcepit. Sic Imperio inter vtrunque apud matrem diſtributo, alios duos fratres iuniores, Adrianum Protoſebaſtum hoc eſt, Primauguſtum, Nicephorum Auguſtum, & claſſis Drungarium declararunt. Habuere quoque affines,ſororum maritos,Meliſſenum Nicephorum & Michaelem Taronitem: quorum hunc primæ ſorori iunctum, & matri chariſſimæ, & ab ipſis honoratæ,Panhyperſebaſtum,hoc eſt, omnium Auguſtiſſimum appellarunt, ea quoque dignitate nouata.Meliſſenum autem,qui & ipſe in oriẽte à Botaniate defecerat, nec dum arma poſuerat, Cæſaris honore tributo & Theſſalonica ad habitandum aſſignata, in ſuas partes attraxerũt, & reditus tam huic quàm cæteris omnibus tali fortunæ tantóque dignitatum faſtigio pares attribuerunt.Vnde vectigalibus imperatoris ac potius communibus & publicis ita diſtributis, imperatorius fiſcus ſiue publicum ærarium exhauriebatur:imperator verò pecuniæ egens,non annua donatiua tantum viris dignitate ornatis antiquitus dari ſolita ſuſtulit, ſed & ſenatoribus opes eripuit. Vxorem Irenem, Ioannis Cæſaris Ducæ neptem coronauit, Auguſtámque dixit. Prior verò imperatrix Maria Alana, cum filio Conſtantino, quem Ducæ Michaeli in purpura pepererat, patérq; infantulum adhuc coronarat, purpureis vtente calceis, Regia excedit,& in regiam Manganici Monaſterij ſe cõfert.Iam enim vtriuſque loci & monaſterij in Hebdomado poſſeſſionem aurea Botaniatæ bulla firmatam tenebat.Ibi cum filio agebat,imperatoriis miniſteriis & illi & ſibi conſtitutis.Nam filius eius,inſignia regni adhuc gerebat, & poſt Imperatorem celebrabatur, & aureæ bullæ diplomatibus poſt illũ ſubſcribebat.Cæterũ aliquantò pòſt,mutato veſtitu, nigrum habitum monaſticum, partim vltrò,partim à Tyranno coacta ſumpſit. Sed & filio eius purpurei calcei ſunt adempti, ſoli Com-

*Botaniatæ acta reſcinduntur.*

*Comnenia familia dignitatibus ornatur.*

*Largitionem inopia, inopiam rapina ſequitur.*

*Maria Alana & Conſtantini eius filij cõditio.*

neno & nomine & poteſtate imperij relicta. At-
*Coſmæ ſponte abdicato pontificatu Euſtratius et Nicolaus ſuccedunt.*
que hæc hactenus. At imperatricis vrbis pōtifex.
inclytus ille Coſmas, qui cōmunium rerum tra-
ctationem improbaret, atq; emendationem de-
ſperaret, miniſtro ſuo pſalterium auferre, ſéque
ſequi iuſſo, Eccleſia exceſſit, nec in eam rediit,
quamuis Imperatoribus id magnopere flagitan-
tibus: cum fidelem populum annos quinque &
menſes nouem pauiſſet. Alium itaque pōtificem
Eccleſiæ præfecerunt, ſpadonem quendam mo-
nachum, nomine Euſtrathium, neque eruditum,
neque in rebus gerendis verſatum, ſed hominem
ſimplicem & ocio ac potius angulo aptiorem:
qui cum eam dignitatem per annos tres vſurpaſ-
ſet, ob cauſam non ſatis notam ab Imperatori-
bus ſacra æde eſt deductus, atque in eius locum
ſuffectus Nicolaus monachus cognomēto Grā-
maticus, qui in ſtudio virtutis ætate acta, literarū
non rudis erat, etſi non inquiſitè peritus. Com-
*Roberti Frāci victoria et cladès.*
nenus recens potitus rerum, nunciata Roberti
Franci, viri callidi & bellicoſiſſimi contra Epi-
damnum expeditione: & ipſe illuc profectus, cō-
miſſóque prælio victus, turpiter fugit, multis nō
gregariis militibus duntaxat, ſed viris etiam di-
gnitate præſtantibus & regij ſanguinis interfe-
ctis, totíſque caſtris captis ab hoſtibus. Cúmque
imperator Byzantium victus rediſſet, Barbari vi-
ctoria inflati, confidenter omnes inuaſerunt, &
oppida quædam cœperunt, vt Caſtoriam & La-
riſſam, imperatricis quoq; vrbis excidium ſom-
niantes. Verùm imperator denuò eductis copiis,
*Cōneni ſtratagema contra Robertum.*
& Barbarico præſidio Caſtoria pulſo, cōtra Ro-
bertum abit, eiúſque calliditatem arte eludit. Nā
fratri Adriano habitu Imperatorio accommoda-
to, exercitúque dato mandat, vt contra Robertū
in procinctu ſtet, eóque pugnam ciente, tergo
dato fugiat, ipſe verò cum reliquo exercitu per
ambages & inuia loca vallum Francorum aggreſ
ſus, tentoria eorum diripit, magnámque cædem
edit: Roberto autem in ficticium imperatorem
impetum faciente, ille cum ſuis laxatis habenis
fugit. Qua de cauſa Barbarus magis etiam glo-
riabatur & inſoleſcebat, quaſi nemo congredi
ſecum auderet. Interim verò nunciata valli va-
ſtatione & interitu eorum qui illic fuiſſent, ſta-
*Inſidiæ.*
tim & animis & manibus dimiſſis, receſſit. Im-
perator Conſtantinopolim reuerſus, inſidiis de-
tectis, præcipuos earum autores comprehendit,
è quibus erant, & legionum duces, & multi ex
popularibus & patribus conſcriptis, qui coniura-
tionis eſſe conſcij putabantur, falſò plerique, vt
ferunt, ea de cauſa in crimen vocati, vt bonis
*Turci inſulis expulſi.*
priuarentur. Cōpreſſis Roberti inſultibus, aliun-
de Romani imperij hoſtes extitere. Nam Turci
Oriente ſubacto, ne inſulis quidem abſtinebant.
Zachas enim Turcus non illuſtris ille quidem,
ſed vir acer & magnæ improbitatis, cum paucis
nauiculis inſula Chio ex improuiſo capta, & claſ
ſe ibi ædificata, Leſbum, Samum, Rhodum, &
plures alias inſulas occupauit: vnde tamen à Ro-
*Creta et Cypri defectio compreſſa.*
mana claſſe pulſus eſt. Sed & inſula Creta atque
etiā Cyprus defecerunt, altera à Carice occupa-
ta, Imperatori ſe opponente, altera à Rhapſom-
mato. Verùm hæ quoque non multo pòſt Ro-
*Comneni auaritia.*
mano imperio ſunt recuperatæ. Vnde imperator
impenſarum egens, pecuniæ faciendæ rationes,
à ratione humanitatis abhorrentes excogitauit,
exactoribus iniqua tributa poſtulantibus, & iis
bona eripientibus, qui nihil debebant. Itaq; pro-
curatores, quolibet, mittebantur, qui poſſeſſio-
nes ſubditorum, in agris & prædiis deſcriberent,
ac nouis nominibus excogitatis, ea hypertima
& hyperplea, quaſi ſupercenſa & redundantia
dicas appellabantur: atque aliàs alij vexationum
modi reperiebātur, ſed & donaria è templis au-
*Monetæ mutatio.*
ferebātur. Idem imperator cum monetam à de-
ceſſoribus ſuis adulteratam reperiſſet, æneam fe-
cit, qua in Imperij expenſis vteretur: in vectiga-
libus verò probos aureos exigebat, aliquando
etiam nummos ſemiaureos, interdum æreos. Cū
igitur ære egeret, ex obolis nummos fecit, &
*Comneni liberi.*
opera quædam publica ænea deſtruxit, vt ſtate-
res inde cuderet, nouas quoq; decimas inſtituit.
Puella, quam Auguſta pepererat, Anna eſt ap-
pellata, propter auiam, & deſponſa Mariæ Alanę
filio Cōſtantino: quo ante nuptias mortuo, ean-
dem iam nubilem Nicephori Bryennij, quem ſu
prà memorauimus ob regni affectationem ex-
cæcatum fuiſſe, filio natu maiori vxorem dedit,
omniū Auguſtiſſimi titulum eidem impertitus.
Filium inde ſibi natum, & à patriarcha ſacro ba-
ptiſmate in templo Diuini verbi ſapientiæ bapti-
zatum, Ioannem appellauit, ſtatímque diadema-
te ornauit. Eidem alij quoque duo nati ſunt filij,
Andronicus & Iſaacius, & aliæ tres filiæ, Maria,
Theodora & Eudocia. Mariam deſpōdit Gabræ
illius Theodori Auguſti & martyris filio Grego-
rio. Deinde affinitate pro ſua libidine repudiata,
illóq; dimiſſo, alium filiæ ſponſum aſciuit, Phor-
beni Catacalonis filium Nicephorum Eudociæ
Iaſitæ Cōſtantini filium matrimonio iunxit, qui
vxorem non vt imperatoris filiam tractauit, ſed
quaſi è ſuperiore loco cum illa egit: & imperatri
ce ac ſocru ſæpiſſimè offenſa effecit, vt illa filiam
ægrotantem ſtatim tonderet, atque ipſum regia
*Terræmotus*
eiiceret. Poſtremam filiam collocauit pater ado-
leſcenti non ſanè illuſtri orto familia, ſed forma
præditò præſtantiſſima. Sub hoc imperatore ter-
ræmotus horrendus fuit, eo die quo memoria
Diui Nicolai ob miracula celebris agitur, multá-
que domicilia, multa tēpla, multæ porticus, qui-
bus viæ publicæ teguntur, collapſæ, mortales plu
rimos oppreſſerunt. Iiſdem temporibus gens Pa
*Pazinacæ in Moglenen coloni mittuntur.*
zinacarum ſuis ſedibus relictis, in Romanas pro-
uincias immigrauit, totam Thraciam & Mace-
doniam populata. Quos cum bello peteret Im-
perator, turpiter victus eſt ob arrogantiam mili-
tum. Repetita pugna, cum milites modeſtiores
facti, ab auxilio numinis duntaxat penderent,
hoſtes nec prima coitione tolerata, humi arma
proiecerunt, & ſuſpiriis miſericordiam tandem
à Romanis impetrarunt. Magna igitur Scythicæ
gentis multitudo periit, cæteri in vinculis habiti
ſunt, ac pro corona vēditi. Imperator verò dele-
ctu acto, Scytharum robuſtorum iuuenum ma-
gnum numerū in Moglena prouincia cum vxo-
ribus & liberis collocauit, eximia legione ex eis
confecta. qui hodiéq; per ſucceſſiones manent,
ex loco in quo conſederunt, cognomentum ade-
pti, vt Pazinacæ Moglenitæ dicantur. Delatis in-
*Vmbertopolus & Ariebes inſidiatores puniuntur.*
ſidiis, autores eorum pręcipuos. Vmbertopolum
Francum genere, & Ariebem Armenium, vtrun-
que



que illuſtrem, & ducem exercitus vnà cum con-
iuratis comprehenſos, publicatione honorum
& ignominioſo triumpho mulctatos, relegauit.
Manichæorum quoq; legionem, quæ ad id tem-
pus vetere lege omnino vetante militarat, exau-
*Nicephorus inſidiator dat pœnas.*
torauit. Rurſus aliæ inſidiæ imperatori compa-
ratæ ſunt, quarum princeps fuit Diogenis Impe-
ratoris filius Nicephorus Porphyrogenitus, vir
inuicti ſané roboris, ſed ingenio atq; animo non
perinde felici & generoſo. Qui cum inchoatum
facinus diſtuliſſet: non peregit, ſed pertulit ea,
quæ molitus fuerat. Captus enim & quæſtioni-
bus admotus, vt cōiuratos indicaret, effoſſis ocu
lis bonorum publicatione multatus eſt. Deinde
*Francorū in orientem expeditio.*
Francorum gens ab Occidente verſus imperatri-
cem vrbem eſt profecta, vt inde in Oriētem tra-
*Locuſtæ.*
iiceret: quorum motus portētis eſt denunciatus.
Nam locuſtarum infinita multitudo ab Occidē-
te orta, & tanta, vt inter volādum nubibus equi-
pararetur, & ſolem obumbraret, vnde maxima
& finibus eius peruolatis, quieuit. Cum traieciſ-
*Nicæa Antiochia Hieroſolyma.*
ſent Nicæam Bithyniæ, quam Turci tenebant,
multis vtrinque cæſis, tandem vi expugnatam,
magna pecunia imperatori vendiderunt. Deinde
progreſſi vlterius, alij Antiochiam ad Orontem
cum labore multóque ſanguine ceperunt, alij
Hieroſolymitanæ vrbis non ſine magnis certa-
minibus potiti ſunt. Breuiter igitur hæc à gente
*Bogomilorū hæreſiarcha Baſilius.*
Francorum acta ſunt. His temporibus ſecta ne-
faria Bogomilorum extitit, cuius præco doctór-
que primarius & Apoſtolorum præſidium fuit
quidam Baſilius medicus, habitu monachus, ſed
ipſo potius Satana indutus, qui cum annis XV
erroris illius pernicioſa dogmata didiciſſet, LII
docuiſſet, totum feré orbem ſuæ peſtis impleuit.
Tandem etiam vrbem imperatricem ingreſſus,
in manifeſto crimine eſt veritatis inimicus de-
» prehenſus. Nam imperator eius impietate cogni
» ta, ſimulauit ſe fidem habere homini infelici, &
magiſtrum appellauit, ac ſeruatorem errantium
animorum. His & pluribus aliis ægrè quidem &
tardè ſed tamen effecit tandem, vt homo peſti-
lens euomeret virus ſuæ improbitatis: & fera caſ
ſibus irretita, doctrinā eius vulgauit, & dogmata
contempſit, communíque ſuffragio in equeſtri
theatro impoſtorem comburi iuſſit. Alia porrò
*Diogenis filij & Comanorum ſeditio.*
ſeditio contra imperatorem orta eſt, quodam
autore qui ſe Diogenis imperatoris filium pro-
feſſus, Comanorum turba aſcita Thraciam po-
pulabatur & vaſtabat, petens, vt vrbibus recipe-
retur, atque imperator ſalutaretur. Deinde cum
oppidulū Thraciæ quoddam, fraude ciuium im-
perator ſalutatus, cum paucis ingreſſus eſſet, cō-
prehenſus oculis priuatur. Sic eius tyrannis fini-
ta eſt. Comanis qui viui euaſerant, in ſuas ſedes
*Orphanotrophei inſtauratio.*
reuerſis. Hic imperator, cū Orphanotropheū &
alia plura gerocomia vacarent: omnium poſſeſ-
ſionibus Orphanotropheo attributis, ac aliis de
ſuo adiectis, id renouauit ſtatim & magnis im-
penſis inſtaurauit, multis quorum ſenectus ibi
foueretur, in eo collocatis. Ibidémq; monacho-
rum & monacharum diuerſoria conſtruxit. Præ-
terea ſcholam grammaticorum, in qua pupilli
docerentur & pauperum liberi, magiſtris & pæ-
» dagogis conſtitutis, victúque tam docentibus
» quàm diſcentibus ordinato. Quæ huc vſque ob-
*Michaelis Anemæ ſeditio.*
ſeruantur. Alia rurſus inita eſt contra Imperato-
rem conſpiratio, cuius dux & autor fuit Michael
Anemas, conſcij multi ex primis militiæ digni-
tatibus. Sed antequam facinus aggrederentur,
cognitis & comprehēſis, capilli & barbæ adem-
ptæ ſunt non nouacula ſed dropace. Anemas ve-
rò ad oculorum effoſſionem condemnatus: dum
triumphus de iis agitur, interpoſito imperatorio
edicto pœna excæcationis liberatur. Itaque pu-
blicatione bonorum mulctati, alius aliò relegā-
*Mater Imperatoris aula excedit.*
tur. Matri imperatoris, adminiſtratione rerum,
vt dictum eſt, diu functę, mala quibus ſubditi ve-
xabantur, plerique aſcribebāt. Quam rem filius,
vt qui nomine tenus forè duntaxat regnaret, etſi
moleſtè ferebat, tamen illam inuitam pro reue-
rentia ſua, poteſtate priuare noluit. Quo mulier
animaduerſo, verita ne vel inuita excedere coge-
retur, relicta regia, omni autoritate illi cedit, &
in Pantepopti monaſterium à ſe ædificatum mi-
grat, vbi cum aliquot annos honorificè & rega-
*Alexij in fratris liberos pietas.*
liter vixiſſet, prouecta ætate obiit. Sed & Augu-
ſtimperator paulò amplius vno poſt matrem an
no debitum naturæ perſoluit, raſo capillo & ha-
bitu monaſtico ſumpto, cum vitæ finem inſtare
ſibi videret, multis liberis relictis: quibus, cum
mater etiam nō integrum annum marito ſuper-
ſtes, terrena reliquiſſet, Imperator ſuſceptis, ado-
leſcentibus vxores, puellis maritos dedit, fratris
*Alexij affectus erga vxorem.*
liberos & beneuolētia & beneficētia proſecut⁹.
Verùm cōiugem ſuā principiò nec aduerſabatur,
nec immodicè amabat, ſed libidini deditus iura
matrimonij parum ſanctè obſeruare ferebatur.
Vnde Auguſta telis æmulationis ſauciabatur. Vt
autē ætas grandior ignitas illas Cupidinis ſagittas
nōnihil hebetarat, tum in Auguſtā cōuerſo amo-
re, totus in eius charitate acquieſcebat, nec facilè
ab illa diuelli poterat. Ex eo deinceps affectu ma
gna imperatricis potentia fuit, etiam valente im-
peratore, quum autem is ex pedibus laborare cœ
piſſet, nec ambulare poſſet, & corruptis humori-
bus ad articulos confluentibus, in lecto decum-
beret: ipſa imperabat, illo comprobante omnia,
& iam id animo agitabat, vt poſt mariti deceſ-
*Imperatricis & filij diſſenſio.*
ſum tota poteſtate & imperij gubernatione in ſe
tranſlata, filium imperatorem dicto audientem
haberet, cui iam adulto ac pridem marito, ducta
Hungarorum principis filia, procreatíſque libe-
ris, id ferendum non erat. Nam ne imperio exci-
deret, aut vita etiā priuaretur timebat, cum quan-
to amore mater filiam natu maximam & generū
Bryennium proſequeretur, cerneret. Itaque co-
gnatos conueniebat, atque adeò populum, ſtatú-
que rerum ſuarum apud ſingulos clàm deploran
do, iuriſiurādi viros commonefaciebat: quo ple-
rique obſtricti promiſerant, ſe non niſi ipſi dela-
turos eſſe imperium. Ij verò eum confirmabant,
auxilia pollicentes, & quæ pollicebantur iureiu-
rando ſancientes. Quæ cum imperatricem non
laterent, irata edixit, ne quiſquam eum conueni-
ret, paſſim ſpeculatoribus & obſeruatoribus col-
locatis. Nihilo tamen ille ſecius ferè omnes ad
ſe allicere non deſiſtebat, alios per ſemetipſum,
alios per ſui ſtudioſos. habebat autem ſtudia iu-
nioris quoque fratris, altero Andronico, fratri
eidémque imperatori aduerſante. Nam hi quo-
que iam adulti vxores duxerant, Andronicus Au

guſtimperator, Iſaacius & Bryennius Cæſares ap
pellati, alterius verò filiæ maritus Phorbenus o-
mnium Auguſtiſſimus. Atq; hæc ita ſe habebant,
etſi temporũ ordine immutato, poſteriora prius

*Baimundus in Orientem profectus ab imperatore deficit ac tãden pacem facit.*

expoſuimus. Vnus porrò ex Latinis ab Occiden-
te in Orientem profectus Rumperti cuius ſuprà
meminit hiſtoria, filius, nomine Baimundus, ſer-
uitium ſuum imperatori obtulit, & pactis iure-
iurando firmatis, acceptáque pecunia ferè innu-
merabili, capta Syriaca Antiochia, non modò
pacta & conuenta violauit, ſed & de bello Ro-
manis inferendo cogitauit. Enimuerò reditu in
Occidentem deſtinato, metuens, ne in tranſitu
Romanarum prouinciarũ à prætore aliquo pre-
hẽſus, ad Imperatorem in vinculis, vt homo fœ-
difragus perduceretur: quid facit? Rumorem de
ſuo obitu ſpargendum curat, & ciſtæ impoſitus,
famulis mandat, vt cadauer ſuum domum ferri
dicant. Hoc aſtu in ſuum regnum reuerſus, &
multum de Imperatore conqueſtus, multos po-
pularium ad ſumenda contra Romanos arma
concitauit, eorúmque Dux creatus, ſuperato ma
ri, Epidamnum magno ſtudio capere cõtendit.
Quum autem obſidio traheretur, ciuibus ma-
gnis detrimẽtis illatis, nec paucioribus acceptis,
expugnatione deſperata, ad alia loca æquè irri-
to conatu progreſſus, denique pacem per lega-
tos ab Imperatore petit, Theſſalonicæ tum agen
te: qui inde digreſſus, iuxta Coloniam Europæã
vallum muniuit, ibíque cum Barbaro de pacis
conditionibus tranſegit. Ac Baimundicum bel-
lum hoc ferè modò compoſitum eſt. Patriarcha
verò Nicolaus Eccleſia per annos vigintiſeptem

*Nicolai Patriarchæ obitus & ſucceſſor.*

gubernata, ſenex admodum deceſſit: cuius funus
imperator magnificis honoribus proſecutus, aliũ
in patriarchico ſolio collocauit, è cleri eccleſiæ
numero illum quidem, ſed ordinis diaconorum,
* qui primatibus patriarchicis cooptatur, ex fra-
tre nepotem eius qui tum Chalcedonenſi præ-
erat Eccleſiæ, in literis tum profanis tum ſacris
ab ineunte verſatum ætate, quem ipſe impera-

*Alexius ſacro peplo recreatur.*

tor in Eccleſia declarauit. Aliquantò pòſt tanto
morbo oppreſſus, vt expiraſſe videretur, ſacro-
ſancto peplo quod ante imaginem ſeruatoris
noſtri in Chalce erectam pendet, in lecto ægro-
tantis expanſo, & eius corpori applicato, nonni-
hil mitigata morbi vehementia, ſe commouit,
aſſedit, locutus eſt, malluuium petiit, cibúmque
cepit, & morbo paulatim decedente conualuit.
Quod cum vulgo incredibile videretur, vt de ſua
valetudine conſtaret, paulo pòſt equo per forum

*Rumor inanis ſparſus de Imperatoris periculo.*

tranſiit. Eo morbo propulſato, nihilominus vr-
banæ multitudini motus inanis inceſſit ex ru-
more paſſim vulgato, Imperatorem eo anno in
magno ſabbatho eſſe moriturum. Is rumor non
in plebe tantùm, ſed & in Curia & Regia verſa-
batur, atque ipſius etiam Imperatoris animum
commouerat, etſi nec ægrotantem, nec vlla mo-
leſtia conflictantem, donec eo die elapſo vani-
tate ſermonis illius refutata, malorum metus o-
mnibus eſt ademptus. Paruo deinde tẽpore ela-

*Alexij migrationes.*

pſo, imperator cum gynæceo, quamuis hyberno
tempore Byzantio in Cherſoneſum tranſiit: nec
inde diſceſſit, interim militares catalogos perlu-
ſtrans, donec ſub æſtatis initium Imperatrice
ægrota imperatoria triremi præmiſſa, cognouit,
eam in regiam perueniſſe. Tùm & ipſe vno die
in magnam vrbem peruenit, eáque conualeſcen-

*Alexij humanitas.*

te, rerum adminiſtrationi intentus fuit, plerun-
que in Philopatio degens, eáque ratione inita,
vt certis diebus in amplã planiciem proſpectans,
ibi publicè pro tribunali ſederet, licerétque om-
nibus ei porrigere libellos ſupplices: quos ante
ſe depoſitos à notariis legi & cuiuſque petitio-
nem indicari, ſtatímque reſponſa ſcribi, eáque
confirmata ſupplicantibus reſtitui iuſſit. Ea ra-
tione ſatis longo tempore obſeruata, rurſus cum
imperatrice & gynæceo egreſſus, circa radices
montis Papycij per totam hyemem, cum omni

*Alexij diſputationes cum Manichæis ſiue Paulicianis.*

familia habitauit. Sub veris initium iuxta Philip-
popolim, vernum æſtiuúmque tempus, & ma-
gnam autumni partem exegit, ea re ibi occupa-
tus, vt cum Manichæis qui Pauliciani vulgò di-
cuntur, diſputaret. (Nam magna eius gentis mul
titudo ibi verſabatur, à Ioanne Zimiſce ex Oriẽ-
te in ea loca tranſlata) eorúmque multos ad or-
thodoxam fidem traduxit. Autumno iam medio

*Bryennij potẽtia, et eius vxoris eruditio.*

ferè exacto, in Regiam eſt reuerſus. Quia verò
imperatrix multum poterat, etiam generi eius
Bryennij magna erat potentia, ac iam vulgò ce-
lebre, illius nutu in regia geri omnia. Quare om
nes ad eum ſe conferebant, iuris dicundi, & pro
imperij autoritate ſententias ferendi poteſtate
præditum. Erat autem & ipſe ſtudiis doctrinarũ
deditus, & vxor eius in iiſdem operam nihilò mi
norem, ac potius maiorem ponebat, exquiſitè
Atticiſſans, ingenióque prædita acutiſſimo ad
abſtruſiſſimas quaſque contemplationes: eam fa
cultatem partim naturæ bonitate, partim indu-
ſtria conſecuta. Affixa etiam erat libris, & erudi-
torum conſuetudine haud obiter vtebatur. Hoc
rerum ſuarum ſtatu Cæſar omnibus linguis cele-
bratur. Quæ quum imperatoris filium eundém-
que imperatorem angerent & cruciarent, tamen
tolerabat. Sed hæc in progreſſu orationis expo-
nentur. Nunc verò ea referantur, quæ præteriui-
mus. Temporibus imperatoris huius multa exti-
tere incendia, diuerſis vrbis locis igne deſolatis.

*Ventus & ſtatua Theodoſij ruina.*

Sed & aliquando verno tẽpore vehementis ven
ti procella cùm alia multa corruerũt, tùm ſtatua
in rotunda illa maxima columna porphyretica,
in foro Placoto deiecta, multos qui fortè ibi e-
rant, contriuit. Id ſimulacrum & mole ingens, &
pulchritudine mirabile, caſu illo in multa fra-

*Imber.*

gmenta eſt comminutum. Alio tempore imber
maximus eo die quo principum Chriſti Apoſto-
lorum Petri & Pauli memoria celebratur, eru-
pit, veſperíque auſpicatus ad idem vſque tempus
poſtridie ſine intermiſſione durauit. Tum impe-
tu aquarum multa ædificia ſunt deiecta, & valles
aquis redundantes à mari nihil diſcreparunt, &
homines non pauci, ac multæ animantes perie-

*Expeditio Turcica.*

runt. Atque hæc ita ſe habuerunt. Cùm autem
aliquando imperatori nunciaretur, Turcicũ exer
citum colligi, Romanas prouincias populaturũ,
atque ipſe pedibus æger, fluxionibus vberius de-
currentibus cum doloribus ac cruciatibus acer-

*Camyzes.*

rimis, Barbaris occurrere non poſſet: Camyze
Euſtathio duce, phalangem contra eos mittit,
viro inter Duces primario, qui cùm non mini-
ma hoſtium parte cõgreſſus, victus eſt & captus,
militibus partim cæſis, partim fuga elapſis. Quo
imp



imperator nunciato teneri non potuit, quin ip-
ſe egrederetur, ac Turcos quidem nuſquam ade-
ptus eſt, quod audito eius aduentu, laxatis habe-
nis continenter fugerant. Sed Camyzẽ, qui ſuis
cuſtodibus, magnorum præmiorum ſpe propo-
ſita, perſuaſerat, vt ſecum ad imperatorem tranſ-
fugerent, libenter vidit, & liberatoribus eius pe-
cunia donatis Byzantium rediit. Neque multum
temporis interceſſit, cum alia expeditione con-
tra Barbaros ſuſcepta, Philomelium vrbem ar-
matis vacuã repertam (omnes enim eius acceſſu
cognito, chariſsimis quibuſque ablatis diſceſſe-
rant) ſine labore cepit. Sed & caſtella quædam

*Alexij humanitas in captiuos.*

& ſpeluncæ, quæ ab incolis Cataphygia, hoc eſt,
confugia nominantur, per deditionem accepit,
& illos quod ita expedire videretur, in colonias
ſecum abduxit, cùm nemo eſſet, cum quo bellũ
gereret: iis qui integra ætate erant, & viribus vi-
gebant, pedibus iter facientibus: qui verò ſene-
ctute tardiores ad ambulandum erant, iis iumẽ-
ta præbuit. Si qui verò vel morbis, vel aliis cala-
mitatibus, vel afflicti ſenio corporibus laſſis
erant: eos clypeis impoſitos, à robuſtis iuueni-
bus, qui oneri ferendo pares eſſent, geſtari iuſ-
ſit, ipſéque obequitans, ſi quem eorum vel ſiti la-
borantem, vel cibum deſiderantem, vel alioqui
malè affectum videret, eum pro virili recreabat.

*Turcica pax.*

Sic proficiſcenti & diuertenti Turci Occidenta-
les occurrerunt, qui Principem ſuum ferire cum
Romanis fœdus velle dicerent. Quod cùm nec
imperatori diſpliceret, manè Barbarorum prin-
ceps venit, non Sattrapa, ſed ex Sultani genere,
qui & ipſe à ſuis Sultanus vocaretur, & eminus
de equo deſcendit, atque imperatorem equo in-
ſidentem pedes conuenit, & adoratione ſic per-
acta, fœdere icto, magnáque pecunia cum ſuis
donatus, in ſedes ſuas rediit, imperator in regiã
eſt reuerſus. Ab eo tempore auctis pedum do-
loribus plerunque decubuit, imperatrice rerum

*Alexij morbus.*

potiente. Quæ quum omnem autoritatem ſibi
vendicatura videretur, filius eius, idémque Impe-
rator, omnibus modis conatibus matris obſiſte-
re non deſiſtebat. Imperator porrò morbo fati-
gatus, in magnam Orientalem Regiam eſt tranſ-
latus, vbi quotidianis Medicorum conuentibus
curabatur, quorum iudicia variauerũt, donec tan
dem communi conſilio decreuerunt, ſtomacho
Imperatoris ferrum candens imprimere: & quia
eis Regiæ aër, vt Auſtralior parum temperatus
videbatur, in Mangana transfertur: ſiue id for-
tuitò factum, ſiue fatis, moribundum hominem,
vt ibi animam exhalaret, compellentibus. Nam
» illud, In Aceſodynis cadet: qui talia admirantur,
» de eo interpretabãtur. Eſſe enim Mangana Ace-

*Oracula de Alexij obitu.*

ſodynum, ob medicam officinam quæ ibi erat,
quod dolores ibi propulſarentur. Quin & cau-
terium nõ temerè Imperatori adhibitum ij con-
tendebãt, qui de iſtiuſmodi ſtudio ſibi placent,
ſed id quoque ex vetere præſcientia & prędictio-
ne factum. Nam alicubi ſcriptum eſſe de eo, ab
iis qui Regum fata ambagibus inuoluta deſcri-
pſerunt, cum hamo vſtum caſurum, quod illi ſcri
ptores, ferrum quo ſtomachus vri ſolet, ob acu-
men inflexum, hamo compararint. Verùm ne-
que vſtio, neque loci mutatio quicquam ægroto
profuit, paulatim ad terminum vitæ progredien
ti. Negabant tamen medici, vitam eius eſſe de-
ploratam: ac monachi quidam prædicebant, ei
non moriturum prius, quàm Hieroſolyma veniſ
ſet ad viuificum ſepulchrum Domini & ſeruato-
ris noſtri adorandum, vbi diadema depoſiturum
eum vaticinabantur. Quorum ille pollicitis cre- «
debat. Nam orationem quæ nobis cordi eſt, fa- «
cilè comprobare ſolemus. Ita per impoſturã non
animaduertit ſe vitæ finem attigiſſe, antequàm
Hieroſolyma perueniret: diademate, quanquam
non vltrò, poſito: etſi dici queat, ad ſuperna Hie-
roſolyma profectus eſſe, primogenitorum Me-
tropolim, qui ſunt in cœlis inſcripti. Igitur Augu
ſti x v. * x i. diſtributionis, Auguſtus ex-
tremum ducebat ſpiritum, qui cùm crebrum in-
firmúmque trahens anhelitum iacêret, impera-
trix mœrore oppreſſa aderat, filiabus etiam præ-
ſentibus. Iam maiore diei parte exacta, cum Sol
non ſupra caput ſtaret, nec (vt ita dicam) ad per-
pendiculum, ſed nonnihil inclinatus ad occaſum
tẽderet, imperatoris filiò ſignificatur, patrẽ agere
animam. Ingreſſus igitur ædes, in quibus moribũ
dus decumbebat, non vt decedentẽ deploraret,
ſed vt de eius morte certior redderetur: eo viſo
ſtatim exiit, & equo conſcenſo cum ſuo comita-
tu & multis aliis, Manganis exceſsit. Quo facto
ſtatim Abaſgi, qui puellæ ex Abaſgia adductæ, &
natu maximo Cæſaris filio nupturæ adiuncti fue
rant, obuiàm facti, ſublato clamore eum adora-
runt. Tum aiunt, Imperatricem filij diſceſſum
morienti imperatori dolẽter narraſſe: eum verò
ad id nihil reſpondiſſe, ſeu non vellet, ſeu nõ poſ-
ſet: ſed manus ſuſtuliſſe, haud ſcio, benè an malè
precantem filio. Alij manus eũ ſuſtuliſſe negant,
neque enim id facere potuiſſe morientem, ſed
imperatrice ſæpius vociferante, Abire filium, ei
viuenti erepturum imperium: illum parum ob-
ſcuréque ſubriſiſſe, ſiue eam orationem deriden-
tem, ſi putaretur adhuc de imperio ſolicitus eſſe
expirans, terrenáque iam relicturus: ſiue quid de
illo facto ſentiret, indicantem. Nam & ab aliis
& ab ipſo Porphyrogenito imperatore narraba-
tur, eum non ſine patris conſilio regiam eſſe in-
greſſum, ſed exitum ab illo ei fuiſſe conceſſum:
cuius rei teſſeram illius annulũ accepiſſet: eáque
facta eſſe abſente imperatrice, & illa ignorante.
Cum igitur abiret, fama quid actum eſſet, celeri-
ter diuulgante, ad hunc imperatorem & cogna-
ti, & ex tribunis militum, & ex ſenatu multi ſe

*Ioannes Comnenus imperator ſalutatur.*

contulerunt. Cæterùm ad magnam regiam pro-
peranti nunciatur, Barangos via excubitorum,
vbi iidem habitabant, occupata, neminem illàc
tranſire pati, aut accedere ad regiam. Quo nun-
cio perturbatus, quendam ad illos mittit percon
tatum, quid ſibi velint? mittit & ad Eccleſiã qui
diceret, Imperatorem eſſe mortuum, ſéque cele-
brari velle vt Imperatorẽ. Ac id quidem à clero
& ſummo paſtore factum. Sed Barangi reſpon-
derunt ei qui rogabat cur regiæ aditu Impera-
torem excluderent, ſe Imperatore viuente ne-
minem paſſuros ingredi. Illo verò affirmante,
iam eſſe mortuum: Barangi iureiurando ſanci-
ta eius rei fide, Imperatori regiam ingredi con-
ceſſerunt. Quò cum perueniſſet, cum ſuis deli-
berabat, quomodo tractanda eſſet mater, fra-
tres, ſororéſque, & Cæſar Bryennius. illos enim

adhuc metuebat, ſuſpectóſque habebat, ne res nouas molirentur. At pater per totum adhuc diem ſpirabat, difficultérque moriebatur, ſub veſperam demùm extinctus.

*Alexij obitus, & elogia.*

Vixit annos ſeptuaginta, aut circiter: regnauit ſeptem & triginta, menſes quatuor, & dies aliquot. Obiit anno mũdi ſexies milleſimo, ſexcenteſimo, viceſimo ſexto, imperio feliciter adminiſtrato, vitæ exitum non æquè proſperum ſortitus. A miniſtris enim ferè omnibus eſt deſertus, vt propè nulli eſſent, qui cadauer eius poſtremis lauacris purgarent: neque ornatus Imperatorius pręſtò eis eſſet, quo cadauer eius pro dignitate ornaretur, neque funus ei factum eſt Imperatori conueniens. Idque nõ alieno, ſed filio Imperij ſucceſſore: & eo filio, quem ipſe imperio ornarat. Sic rerum humanarum nihil ſtabile & firmũ eſt, ſed infida omnia, & teſſera mutabiliora. Fuit autem ille vir, vt & mores eius expreſſos ad poſteritatis memoriam propagemus, neque ferox & arrogãs, neque iracundus, neque auarus, & pecuniæ nimium cupidus, vt eam conflaret, & in theſauros occultos & ſubterraneas opes reconderet. Vnde neque poſt obitũ eius in ærario magna pecunia eſt reperta: ad miſericordiam propenſus, ad ſumẽdas pœnas tardus, moribus moderatis, acceſſu facilis, in victu non intemperans, non vino deditus: virtute præditis auſcultare, & honorem habere ſolitus. Eruditionem non vt conueniebat, ſed vtcunque colebat: commodus, non inſolens erga eos quibus cum viuebat, comis & iucundus, quaſi cum æqualibus viueret. Vnde illi ſecuris erant animis, neque metu attoniti illi aſtabant, præſertim abſente Imperatrice. quæ imperioſum aliquid, & ſeuerũ præſe ferebat, & modeſtiæ oblitos acrius increpabat. Ac pulchra quidem iſta ſunt: quis enim neget? quæque priuati hominis laudes abſoluant. non tamen eiuſmodi, quæ Imperatoré omnino bonum demonſtrent.

*Aliæ Imperatoris, aliæ hominis priuati virtutes.*

Nam homini priuato ſatis eſt moderatio, æquitas, placabilitas & in omni cultu & victu modus. Imperatori verò præter hæc & iuſtitia eſt colẽda, & ratio ciuium habenda, & vetera inſtituta ſunt tuẽda. Ille verò magis in eo elaborauit, ſummo adhibito ſtudio, vt veteres mores immutaret & abrogaret. & res non vt communes & publicas tractauit: neque ſe illarum adminiſtratorem, ſed dominum eſſe cenſuit, ac regiam ſuas ædes & putauit & appellauit. Patres conſcriptos nec iuſto proſecutus eſt honore: neque eam illorum habuit rationem, quam recta ratio poſtulabat: ſed potius deprimere illos ſtuduit. Neque iuſtitiæ regulam in omnib. obſeruauit: cuius proprium eſt, id cuique tribuere, quod meretur. Ille verò cognatis & miniſtris quibuſdam tota plauſtra publicæ pecuniæ præbuit, & annuos ſumptus largiſsimos ſuppeditauit, vt & magnis opibus abundarent: & comitatum alerent, non priuatis hominibus, ſed Imperatoribus conuenientem: atque ædes compararent, vt magnitudine vrbibus pares, ita magnificentia regiis palatiis non impares. Erga reliquam verò nobilitatem, nõ perinde benignum ſe præbuit: ne quid aliud de viro dicam, cuius honori conſultum volo. Quæ res Comnenum imperatorem perfectum iudicari non ſinũt, neque etiam malum eundem quiſquam dixerit.

*Nullus Imperator ſine omni crimine.*

Nam qui ſeuerius in Imperatores inquiſierit, equidem non arbitror vllum Romanorum principatu antiquitùs potitum, inuenturum eſſe, in quo nihil ad conſummatam laudem deſideretur. Quo fit, vt cuiuſquam gubernatio, ex morum & actionum eius maiori parte iudicetur. Sine crimine certè quidem, & deteriorum affectionum prorſus expers nemo reperietur. id enim diuinæ felicitatis proprium fuerit, nec vnquam in hominis naturam cadet.

*Concluſio Operis.*

Hîc ſcribendi finem faciam, & hiſtoriæ curſum inhibebo, longè progreſſum. Nam ea mandare literis quæ reſtant adhuc, nec vtile, nec tempeſtiuum iudicaui. Quod ſi Opus hoc alicui videbitur vtile, gratia ſit Deo, cuius auxilio bona omnia conficiuntur. Sin ſuperuacaneum, mea culpa illa fuerit, & ad me autorem redeat fœtus, cuius memoriam excitare queat.

FINIS, ET DEO GLORIA.